


WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CHRISTIANI MICHAELIS
ADOLPHI
PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORIS, FACVLT. MED. ITEMQVE
COLLEGII B. M. V. SENIORIS, S. R. I. ACAD. NAT. CVRIOS.
SODALIS ET MED. PRACT.

DISSERTATIONES
PHYSICO-MEDICAE
QVAEDAM SELECTAE, VARII ARGVMENTI
QVAE
IN VNIVERSITATE LIPSIENSI
AB EODEM
DIVERSIS TEMPORIBVS ANTEHAC CONSCRIPTAE
ET PRAESIDENDO PRO CATHEDRA
PVBLICE HABITAE SUNT,
NVNC AVTEM REVISAE, HINC INDEQVE AVCTAE
AC IN HOCCE VOLVMEN
COLLECTAE

LIPSIAE,
IMPENSIS IOHANNIS GOTHOFREDI DYCKII
ANNO MDCCXLVII.



LECTORI BENEVOLO



Animus equidem mihi nunquam esse potuit, has dissertationes jam propositas, ante aliquot lustra conscriptas primum cum singulæ earum lucem viderint, editioni solenniori destinare, cum ob festinatam sæpe & interruptam operam insumtam, vel subactus tractandi modus, vel lima ingenii, vel dictionis elegantia,

etiam & æqualitas deſiderari poſſit. Enim vero ut animum nunc mutarem meum, quamvis diu hæſerim multumque dubitaverim, reprehenſionem Eruditorum meque ingenii abundantia excellentium nec non Vitilitigatorum morſus & Ariſtarchorum virgulas cenſorias veritus, partim docti Amici quidam exteri, partim Bibliopolæ effecere, qui, quod illæ, non de argumentis plane ignobilibus atque vulgaribus, ſed ſelectis quibusdam ac non ubivis obviis, ab aliisque jam pertractatis, agerent, ſicque proficuas atque acceptas forte futuras, illis quidem qui ſincero eas ſint excepturi animo, mihi perſvaſerunt, ut illas præſertim (diſſertationes) quas varii Bibliopolæ jam dudum ſub Triadum qvarundam titulo typis mandaverunt; Illis plerisque diſtractis denuo colligendas ac unum qvoddam volumen excudendum traderem. Unde

ſi

ſi tuæ exſpectationi forſan non undiqvaqve reſpondeant, veniam quaſi ætatis ultro expoſcunt. Atque memineris diverſis temporibus, eas, pro Iuvenibus, Reſpondentibus, elaboratas, vel potius in calamum, non continuo quidem, ſed interrupto, ſæpius feſtinatoque labore dictatas, Iuvenibusque & Opponentibus & Auditoribus publicæ ventilationi expoſitas eſſe. Plus enim illis, nos indulgere ſolemus, ut pro judicii modulo, opinionem ſuam tutari queant. Multa etiam in ejusmodi exercitationibus diſputandi materiam dando, exercitii & inquiſitionis gratia, proponuntur, quæ ſerio non æque probamus. Nec ita mihi Suffenus ſum, ut hunc meum conatum omnibus Eruditis, noſtri temporis, adprobatum iri confidam, bene conſcius, quam difficile ſit omnibus placere, præſertim cum & pro Lectorum captu li-

bri, ſua fata habeant, quam facile vero, ſe ipſum decipere. Quin potius ingenue fateor, in me illud plane non cadere, quod dicitur: Suum cuique pulchrum, adeoque & mihimet etiam in his ſingulis minime ſatisfeciſſe, ſed diſplicuiſſe potius ac aliquid hinc inde vel incautius vel indoctius, a me poſitum eſſe, atque multa addi iis, multa etiam adimi potuiſſe, ultro profiteor. Hæc demum mea, Amice Lector, placebunt, ſi Tuæ benevolentiæ facilitas iisdem modo annuat. Vale & fave. Lipſiæ d. XXVI Sept.

Ao. MDCCXLVII.



Con-



* *

Conſpectus Diſſertationum.

XII.





Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

I.

DISSERTATIO
PHYSICO - MEDICA
DE
AERE, SOLO, AQVIS ET LOCIS LIPSIENSIBVS.

PROOEMIVM.

EXploratum eſt atque manifeſtum, pro vario cœlo variam eſſe hominum naturam, variam ſanitatem & vitam, varios morbos, imo mores quoque varios. Magni ideo intereſt, quali aëre fruamur, puro tenui, ſereno, & ſalubri valemus, reficimur, atque gaudemus, ab impuro craſſo, inconvenienti, languore afficimur & ægrotamus. Quodſi autem aëris (quo nomine & aquam & terram & ignem & aſtra intelligi volumus, quia hæc omnia intercedente prope ipſo aëre nos afficiunt) qui in nullo loco eſt qui in alio, conſideratio adeo ſit neceſſaria, optandum omnino eſſet, ut jucundum pariter atque utiliſſimum hoc ſtudium a curioſis naturæ & medicinæ indagatoribus ulterius ex dignitate inveſtigetur, promoveatur, amplietur, ita futurum eſſet ſperamus, aërologia ut perficiatur magis, & Chorographia medica inſtauretur, quæ ab H. VELSCHIO, *in Somn. vind.* & LINDENIO, *in manuduct. ad med.* inter deſiderata medica merito adhuc reponuntur. Medico

dico itaque hic labor, hoc opus ſit, imprimis patriæ, cui vitam debet & ſanguinem, amanti, aut certo in loco medicinam facienti, ut ſecundum ipſius Hippocratis ductum exacte conſideret aërem & affectiones potiſſimum ejus perſpectas reddat ſibi, quomodo ille ſe habeat pro urbium & locorum ſitu, telluris & aquarum indole, atque pro diverſo ſolis & ventorum acceſſu & receſſu, &c. ex quibus omnibus mutationes & alterationes ſuas mutuatur, & in ea conſideratione ad ſpecialia quoque deſcendat, ut ſalubritatem aut inſalubritatem loci perſpiciat exinde, quæ ad morborum Epidemicorum maxime & Endemicorum procreationem faciunt, quæque hominum ad morbos diſpoſitiones indicant, & quæ in ſalutem rurſus eorum cedere poſſunt, &c. Natura enim loci, quæ per urbes, oppida & pagos variat, ubique & mala habet ſua peculiaria, eaque format, ac non raro etiam temperat, ea ac corrigit, ut ſæpius diverſa admodum vix unquam plane eadem facie appareant. Adeoque in ſalutari medica arte, in cognoſcendis iis, quæ exinde debemus expectare, quæque quibusve avertere, juvare, moderari, corrigere aut contraniti, & in hiſtoriis & obſervationibus medicis conſcribendis, quibus medicina certior redditur, augetur & ſtabilitur, ac Medicus conſummatus rerumque ſuarum certus evadit, magnæ hæc ſunt conſiderationis, maximæque utilitatis, &c. Sed de his & ſimilibus etiam Pathologorum libri utplurimum ſilent. Agnoverunt quidem hoc optime jam Veteres, quibus examinandi nimirum naturam cujuscunque regionis corpori humano an nocivæ an proficuæ methodus ideo uſitatior erat, ac huic potius quam pharmacevticis remediis ſtudebant. Etenim laudi maximæ, magno illo medicinæ parenti HIPPOCRATI ducitur, quod per varias regiones itinera fecerit, ut in patria interea ægris mederetur, Polybum interea aliosque diſcipulos civibus ſuis, Cois relinquens, medicamina exotica collegerit, variam medendi methodum inveſtigaverit, naturam & artem illarumque variationes ac uberrimum penarium diligentiſſime ſit perſcrutatus, experimentaque inſtituerit & medicinæ effectus & ſucceſſus per multa loca cognoverit, ſimulque conſtitutiones aëris cujusque temporis exacte obſervaverit, ut habent WIGANDVS in *Tr. de Philiatror. German. itiner.* atque SORANVS, conf. & D. SIMON PAVLI in *Orat. inaugur.* GALENVS & varias peregrinationes terra marique diſcendi cauſa laudatiſſime ſuſcepit. Juxta hos hoc nomine quoque præcipue notiſſimi atque celebratiſſimi ſunt DEMOCRITVS, XENOCRATES, CRANTOR, LACYDES, THEOPHRASTVS, MELCHIOR SEBITZIVS, TH. BARTHOLINVS,

NVS, IAC. SPONIVS & noſtro ævo PITTON. de TOVRNEFORT. BERNIER, & E. KAEMPFFERVS. Ideo & ſua laus merito ac commendatio manet eos Viros cordatos ac diligentes, qui noſtra hac ætate meditationes ſuas ac ſtudium in indagandis iis, quæ ab aëris conſtitutione, ac victu, ac vivendi ratione cuivis loco propria, atque ex manifeſtis mechanico-phyſicis cauſis proficiſcentibus, ac quæ tam ex præcedenti quam præſenti tempeſtatum conſtitutione dependent, iisdem prædicendis riteqne curandis collocarunt, quorum celebr. SYDENHAMVS, RAMAZZINVS laudatiſſimi ſunt anteſignani. Atque cum viderim operæ pretium fuiſſe MARSILIO CAGNATO ac LANCISIO de aëre Romano, RENATO MOREAVVIO de aëre Verſalienſi, CAES. GRAMMIO de aura Chilonienſi, BARTHOLINO de aëre Haffnienſi, aliisque egregiis Viris de aliorum locorum aëre illorumque conditione peculiares libellos comparandi, convenientiſſimum hinc & ego judicavi, eſſe hic aëris Lipſienſis, celebris loci, ſoli felicis, inclytæque telluris, qualemcunque etiam conſiderationem, eſſe & deſcriptionem, viſumque mihi fuit ſemper ex bono publico omnium fore, ſi cognitio ejusmodi noſtrorum locorum, phyſico-medica non inculta aut deſerta penitus jaceret. Cum hoc firmiter perſvaſum mihi habeam, intentionem hanc meam eo utiliorem fore ſi & alii hanc utiliſſimam materiam ulterius & amplius perſcrutandam tractandamque ſuſciperent. Svadet hoc pergratæ mihi habitationis locus, hortatur ac movet reiteratis etiam vicibus communis Medicorum Præceptor HIPPOCRATES in elegantiſſimo tractatu DE AERE, AQVIS ET LOCIS. Equidem ex ſpecula quaſi jam proſpecto cenſuram, quam Tu, L. B. qui paginas has de Lipſienſi aëre, a. & l. conſcriptas evolvere vel inſpicere dignatus fueris, ſis laturus, nempe in illis parum eſſe Lipſicæ elegantiæ, parum convenientiæ, parum accuratæ elaborationis, atque operis docta arte parati, quod Lipſienſium guſtui judicioſo & delicatiſſimo placere vel iis arridere poſſet. Fateor lubenter, eas eſſe rudes adhuc & non ſatis exaſciatas, eſſe pro politiſſima Lipſia non ſatis politas. Non ſolum ſiſtunt amœniſſimos & bene cultos hortos ac ædificia elegantiſſima ſed & aërem tradunt & ventos inſtabiles, interruptos, intempeſtivos, ſæpius parum ſuaves, horridos, aſperos, non raro oculis mentique adverſos. Tractant terram ſentibus impeditam, incultam, inæqualem, ſterilem, ſibi relictam paſſim non niſi inanem, proferentem zizaniam loliumque urendum. Tractant eædem ſylvas incomptas hiſpidis vepribus ubique interdiſtinctas & lucos obſcuros formantes, multas, di-

verſas lignis adhuc impolitis arbores alentes. Loquuntur de pratis, agris, herbis & floribus, plantisque acceptis atque adverſis ſine ordine abundantibus. Exhibent eædem ſimplicem & turbidam aquam, ſiſtunt copioſam in urbe hominum turbam, ac inconditum ſæpius accurentium agmen. Quod ſi itaque non ſatis excultus tibi labor videatur, cogites, hunc genium atque indolem aëris, ventorum, terræ, aquæ, & tumultuantium turbarum referre, cum reique ipſius natura convenire, ideoque veniam dabis ſcriptis, interrupta conturbataque meditatione, literis conſignaſis; Inſuper & habebis me excuſatum; ſi forte tibi quædam non arrideant, quia vera ſunt (nam ſecundum illud tritum dictumi: veritas odium parit) utilia noxiaque tradantur neceſſe enim eſt; neque cum Demetrio, ſculptore cenſura verenda, quam quondam incurrebat quod in efformandis ſuis columnis naturam potius quam decorationem ſpectaſſet, eoque hæc magis utiliter afferuntur, e quibus ad emendationem gradus ſit.

§. I. Lectiſſima Lipſia eſt flos ac decus Miſniæ, gemma urbium, cujus conſiderationem jam aggredimur phyſico medicam. Primum igitur oculis metiamur ſingula fixis. Contemplemur ejus interiora pariter ac exteriora circumjacentia loca, regionem, ſitum, ventos, aquam, tellurem, campos, prata, ſylvas, hortos, & quæ in hoc genere præcipua cognituque digna ſunt, ut ad ſingulorum penſitationem nobis conſtet, quæ ad aëris nos undique ambientis, & quem continuo inſpiramus, ſalubritatem faciunt, quæ minus.

§. II. Aëris enim, (fluidi illius humidi, pellucidi, rari, gravis ac elaſtici indeque ſpirabilis; ex diverſis particulis conflati, immenſo ſpatio diffuſi, omniaque complectentis, omniaque pervagantis) ſtatus diverſus quoad compagem per affectiones conſpicui, juxta ſolem, lunam, planetas reliquos, cœteraque forſan ſydera ſecundum eorum adſpectum ac influxum varium, ut autumant Aſtrologi, ex varia regionum natura, variaque conditione aut poſitu, quomodo ea ſe habeant invicem, qualiaque effluvia in aërem mittant, potius deducitur. Nimirum, quod aër alius non ſolum ſit humidus magis, alius ſiccus, frigidus alius, alius calidus &c. ſed & quoque alius his, alius aliis effluviis ſit imprægnatus, alius fœtidis, putridis, nocivis, alius rurſus fragrantibus, laudabilibus blandis, balſamicis, ſalibus volatilibus (ob quæ in noſtra Europa præ aliis aër avenionenſis celebris habetur) & ſimilibus, iisque quandoque, diverſiſſimæque naturæ particulis, quoad magnitudinem, figuram, texturam & motum

tum inibi congeſtis, dictis debetur: pro varietate enim tempeſtatum, ſolis & aquarum terrarumque diverſi generis exſpirationes in aërem ſemper emittuntur. Per ſolem ex humidis &c. partibus innumeræ attolluntur & trajectione ipſius aëris pro diverſis telluris locis perpetuo partes quædam a reliquarum compage ſeparantur & in aëream maſſam ſub exhalationum, halituum, vaporum, atomorum forma deferuntur, & non raro admiſſæ in fauces ac nares per aërem vel ſapore odoreque percipuntur. Quæ cum non ſint eædem omnes ſimul & ubique ſemper, & ſi quædam junctim adſint, ab aliis iterum cauſis diſſimilisque naturæ effluviorum non pari æqualitate diſcurrente occurſu invicem facto ac mixtione quandoque & confermentatione quaſi disjiciuntur, avertuntur, impediuntur, deſtruuntur, immutantur, alterantur, corriguntur aut implicantur. Pro effluviorum igitur horum in atmoſphæra abundantia aut paucitate, diverſitate, rarefactione, aut condenſatione, agitatione intenſiori aut remiſſiori eadem ut aut craſſa magis eſt aut tenuis, pura aut impura, calidior aut frigidior, ita & ſalubris quoque aut inſalubris magis &c. Nec minus aëris pondus pro vario locorum ac regionum ſitu & poſitu admodum variat; cum enim partes illius elaſticæ ſint ac plicabiles aliæque aliis ſuperincumbant, ut inferiores a ſuperioribus incumbentibus premantur, ſequitur quod inferiores preſſæ arctius inter ſe jungantur denſiores magis & ſpisſiores reddantur & graviores; ſuperiores vero tenuiores, expanſæ explicatæque magis ſint. Quo magis igitur eædem terræ ſunt propiores, eo graviores quam terra remotiores & altiores, eo tenuiores. Quod ex varia mercurii currentis in tubo Torricelliano contento ſuſpenſione ſatis eluceſcit, prout in locis excelſioribus & vel declivioribus aut etiam ſubterraneis experimentum inſtituitur, quales obſervationes bene multæ legendæ ſunt in *P. Fr. Tert. de* LANIS *Magiſt. art. & nat. T. II. L. VI. c. V.* Per hanc aëris gravitatem aut levitatem majorem aut minorem & hinc pendentem preſſuram liquidi interioris ad tuendum vitalem in animalibus circulum neceſſarium elaterium varie afficitur, intenditur aut remittitur & temperatur atque ſimul ſolidarum partium in corporibus animalium renitentia augetur aut minuitur, propulſioque ſanguinis per vaſcula pulmonum, muſculorum, cutis aut promovetur aut inhibetur, aut conſervatur, quod ex animalculis campanis vitreis incluſis & aëris extractione antliæ pnevmaticæ ope colligere eſt, ubi illorum vita varie mutari poteſt. Ejusmodi cauſæ, ſalubritatem aut inſalubritatem aëri inferentes; non nobis patent ſtatim & ſemper, ut etiam halitus nunc viſibiles ſunt, nunc inviſibiles, nec di-

ligentiori indagine, nec altiori, etiam non raro impetrantur, si accipiamus, quæ referuntur nobis, ut fertur a PLINIO, *Lib. II. c. 96.* Crotonem & Locros ob ignotam cœli quandam benignitatem pestem sensisse nunquam, viciniam sæpissime. De Charonia & Siciliæ oppido habetur, eam adeo esse insalubrem, ut pauci adolescant ibi, licet optime alias posita sit. Nondum pariter Scriptorum consensus convenit (habita & forte victus reliquorumque ratione) cur incolæ urbis Roterodamensis & præcipue vici Mahchland Schluys præ aliis Belgis laborent calculo v. W. WOLFFII *Observat. Med. chirurg.* cur vulnera colli in Hungaria felicius curentur *Ephem. C. IV. Curios. D. 1. An. IV. & V.* cur Florentiam, quæ cum quavis Italiæ urbe salubritate certat, petechiæ & apoplexiæ frequentes infestent, & cur Neapoli, quæ huic vix ea ratione secunda urbs censetur, paucissimi senescant, cur Carpetanos, tertianæ quartanæque febres frequentes afficiant, cum tamen universa eorum regio una cum Metropoli omnium consensu aëris salubritate & aquarum bonitate emineat, adeo, ut Hispaniarum Reges quondam permoti sint, hanc cum Toleti urbe antiquissima Regum Regia permutandi eligendique Madritum. Curque Venetiis ea pars urbis, quæ ad D. Nicolai tractum protenditur, morbis minus obnoxia sit, & magis longævos homines producat. EGNATIVS *Lib. VIII. exempl. c. IV.* Conf. FIDELIS, *de Relat. Med. p. 13.* Rursus ejusmodi est, quod e contrario quoque sint quædam regiones & loca, quæ insalubria videntur, quarum tamen incolæ sani, vegeti atque vivaces deprehenduntur, imo dantur quædam, quæ a certis quibusdam morbis plane immunes, tamen vix aliis bonitate aëris præditi sunt, ut in Hungaria insalubri alias regione ob aërem humidum & gravem morbus comitialis, æque ac in Belgio spasmus rarus, & in Scotia quartana febris ignota plane est, vid. DONIVS, *de rest. salubr. agri Rom. p. 7. & p. 11.* addit idem Romæ stationem equitum custodiæ pontificiæ ac inquisitionis carceres in insaluberrimo manifesto loco esse positos, salubrius tamen ibi homines vivere & præ aliis Romæ locis senio confectos reperiri; quod etiam LANCISIVS confirmat *Hist. Rom. epidem. cap. 2.* In magna ægrotantium epidemica lue frequentia ædes Inquisitionis nullo morbo tentatas fuisse, qua de re hic hanc quidem rationem addit, quia aër e vicinis fornacibus tepefactus esset & loci situs ab aquilonibus tectus. Ejus modi est, quod refert. KOZACK *in Tr. de Sale p. 42. Sect. XXVII. Cap. 1.* in Bohemia, cives Litomerienses non nisi podagra & calculo laborare, sed Melnicenses nisi phthisi & tussi cum ingenti manuum tremore, quamvis non nisi tribus milliaribus ab invicem dissi-

diffideant. Locis enim quibusdam (ut loquitur *Helmont. in Tr. de Lithiasi Cap. V. p. 31.*) insunt semina morborum aliquot, cuduntque aptas sibi materias, si easdem non reperiant sibi obsequentes aut desponsatas. Etenim ad remotas terras Europæ nostratibusque cibis usi affliguntur peregrinis morbis atque topicis. Alibique passim idem indicat ut *Tr. de Tum. pest. p. 245*, inquiens: *Suntque namque in aëre quædam quæ odore narium percipiuntur, alia denique, quæ per canes solum distinguuntur, suntque & alia demum omnis odoris expertia licet non contagii.* Quare quando ejusmodi perspexit Illustr. BACO *de Vorulam. in Hist. Vitæ & Mortis* p. 517. notanter dixit: occultam esse rem salubritatem aëris & potius experimentis quæ simul indicat, quam discursu & conjectura elici.

§. III. Atque aër cum effluviis omnis generis, quæ in eo volitant quibusque ille est impraegnatus, & quibus vehiculum se præstat, per varias vias, meatus eosque abstrusos & media, per os, nares, aures, œsophagum, asperam arteriam, per alimenta salivam, inspirationem, &c. De quibus consulendi sunt PECHLINVS, *Part. I. Medico-Phys. Observ. 52.* POTERIVS; *Obs. Cent. II. 62.* J. B. SCARAMVCCIVS, in *M. C. Decur. II. an. 9. Obs. 204.* subtilibus crassioribus magis humidis & terrestribus, etiam (quas Dygbæus speculo caustico calcinatos asserit) medicamentosis bonis malisque, morbosis, contagiosis visceribus massæ sanguineæ ac humoribus advehitur; eosque & eorum motum & mixtionem afficit & alterat varie, iis maxime, quæ sunt e genere salino sulphureorum, tenuiorum agiliorum, fermentativorum, causticorum quarum tenuitatem & subtilitatem, penetrationemque ex illis experimentis colligere potes, quibus sulphur vulgare & antimonii in spiritum fumantem redigi potest, ut argentum cistis ligneis inclusum fusco colore induat, aut quando argentum vivum corpori humano inungitur, aut cantharides manu detentæ vel emplastro applicatæ in meatibus urinariis dolores excitant, ut expertus est illustris BOYLE, *v. ejus tr. de subtil. effluv.* Et ut corporum partes fluidæ varie sic afficiuntur, ita, & solidæ earumque tonus pro indole aëris alterantur quoque, quali enim aër temperie afficitur, tali etiam corpora afficit. Quis est, qui nesciat, a frigore cutem constringi, ab humido & tepido eam rariorem reddi atque flaccescere, coria molliora fieri & funes longiores, fides relaxari, carnem ac vasa interjacentia ab aëre calido langescere? &c. Ex quibus haud obscure colligere licet, qualem indolem ac naturam aër possidet, eam similemque spiritibus animalibus, simulatque singulis humoribus demumque corporis aliis partibus eum impertiri. Amplius inferendum est aërem cum va-

riis

riis mixtus omnia ambiat, feriat, penetret, cumque præſertim in omnia fermenteſcibilia & fermenteſcentia magnam habeat potentiam, ut hominum & animalium corpora, ita & vegetabilia eſculenta & potulenta alterare, &c.

§. IV. Jam jamque recta adeamus Lipſiam noſtram, ut quæ habemus inſtituta perſequamur. Oculis primum itaque ſi metiamur, undique urbem curioſis atque attentis, ac ordiamur ab ortu, & ab interioribus urbis in urbe quaſi conſtituti, deprehendimus ejusdem ædes illarumque frontiſpicia, feneſtras & oſtia maxima ex parte orientem (optimam plagam) ſalutare, oppoſitas autem e regione totidem fere occaſum; minorem earum propemodum numerum meridiem & vice verſa pari ordine ſeptentrionem ſpectare. Forum ut amplum eſt, planum atque ſpatioſum, ita & plurimæ plateæ largæ & longæ ac regiæ; quibus vel urbs Panormitana, vel Pariſiorum Lutetia, vel Granata Hiſpaniæ & Linzium Auſtriæ, utpote quæ urbes hoc nomine præ aliis apud Autores celebres ſunt vix elegantiores monſtrabunt; interjacentibus tamen nonnullis arctioribus minoribusque; quæ transverſæ majores dividunt, pauciores earum ad orientem & ſeptentrionem, plures ad meridiem & occidentem directæ excurrunt, & ventorum ex his oris ſpirantium incurſus liberius excipiunt. Et licet illarum aliquæ ſint paululum inflexæ atque anguloſæ & rurſus aliquæ ita diſpoſitæ, ut ædificia habeant objecta atque quas aura minus libere poſſit transire, adeo magni tamen momenti id vitium apud nos eſſe vix exiſtimamus, uti quidem multi exiſtimant, & ſi ambabus largimur, inflexas præ rectis & liberum exitum habentibus minus eſſe commodas, ut intuentibus minus illis jucundum etiam præbent ſpectaculum: Flexura eidem umbroſas aut tenebricoſas reddit & ſol & venti oblique magis petunt eas, nec libere, & per rectam lineam perflant, nedum ex omni parte admittuntur, & attingentes obſtaculum quoddam & plura quaſi inveniunt latera, aërem ibi concluſum quaſi collidunt & turbant, inæqualemque reddunt, hic dividunt; illinc in unum velut colligunt agmen & exhalationes pulveresque in iis non ſatis ejiciuntur, ſed diverſimode moventur ac retinentur magis, ſicque aër ibi craſſus atque impurus manet, atque aëri in civitate alteratio haud ſatis conveniens inducitur. Nihil quoque cauſæ nobis eſt, ut nos exiſtimemus cum veteribus Romanis platearum anguſtias ſalubritati nobis uti ipſis magis conducere, de quo tempore Neronis I. R. poſt urbis incendio excidium palam conquerebantur atque veteris Urbis formam, ut tutamen adverſus ſolis æſtum & inclementiam ventorum præfe-

præferebant, ut habet locus apud TACITVM in *Annal. Lib. XV. n. 43.* ubi ſequentia leguntur. „Erant qui crederent veterem illam formam „ſalubritati magis conduxiſſe: quoniam anguſtiæ itinerum & altitudo „tectarum non perinde ſolis vapore perrumperentur; ut nunc patulam „latitudinem & nulla umbra defenſam graviori æſtu ardeſcere. Ratio ſtatim liquet, quoniam in anguſtis viis aër umbroſus, impurus, variisque exhalationum modis infectus ex iisdem urbis locis excitatis craſſus, denſus atque retentus, & in ſeipſum quaſi reſtrictus ob defectum motus & ventilationis eſt. Hæc civitatum illarumque viarum atque itinerum conditio tantæ conſiderationis eſt, ut obſervet & referat QVERCETANVS, vid. *Diætet. polyhiſt. p. 195.* Toloſanam urbem ſæpe peſte fuiſſe tentatam, ex putridis humiditatibus marini venti inquinati, advectis, dilatatis vero urbis vicis & compitis purgatisque ex iis diligenter ſtercoribus, aëre captato libero liberaque ventorum tramite, ſicque ventilatione meliore aëris procurata, urbem ab illo conſveto contagio liberatam fuiſſe: Varia adhuc inſuper interiora urbis ita quoque ſe habent, ut ibi ſemper fere ſenſibilis aëris ventilationi inſerviens, efficiatur ventus, ut ſunt forum atque inprimis templorum areæ ſpatioſæ quippe ſi aër in aream amplam tranſit in ædificia non ſolum alliditur, reſilitque & expanditur magis, ſed & in angulos anguſtioraque loca circumpoſita ſe recipit & in adjacentes plateas inæqualiter licet ſic ſpirans pertranſit. Non alibi vero ventorum copia major, quam in area templi Divi Thomæ: oppugnatur hæc urbis pars usque quaque maxime ab occidentalibus ventis, & eorum primum impetum recipit, qui ordinario cum ſtrepitu & vehementia ſpirant, multasque denſas & aquoſas caligines & nubes ſuſcitant. Majori enim copia in iſta cœli plaga ex humidorum & paludoſorum iſtorum locorum exhalationibus vernali præſertim autumnalique tempore in aëre generatur, ac liber aditus per demiſſiorem ſitum conceditur, ibique per arctiores fauces & angi portus comprimuntur, ſicque acuuntur repercuſſione ædificiis publicis objectis ſinuationeque per angulos agitati, inter ſe quaſi pugnant ac multiplicantur, ac die nocteque ſonitu magno ſæviunt.

§. V. Urbis ea pars, quæ ad orientem & meridiem protenditur, elatiorem obtinet ſitum patentes nec impeditos obſtaculis agros longe lateque protenſos ſpectantem, firmioremque propemodum & ſicciorem terram, unde & infeſtantibus atque obſidione cingentibus quondam hoſtibus urbem, hæc regio opportuna modo fuit ut cuniculos agerent, reliqua enim undique occultum opus & munitiones

non accepit. Ubi huc oculis ventum eſt, ante omnia meridiem verſus adhuc muri craſſi celſique atque elatæ moles portarum, arcis & ædificiorum publicorum prominent, quas extus alti aggeres eique fortes in quoddam ſanitatis tutamen circumveniunt, qui ventos meridionales inſalubres ab interioribus urbis avertunt ſimul & coërcent commode, quamvis etiam non negandum ſit, eosdem fœtidos halitus retinere nec eos excludere. Hacque ſitus conditione Lipſia auram refocillantem captat, æſtate & ſolis exorientis aditum emiſſos collectosque vapores levantem calore ac diſſipantem etiam ante productam diem admittit, teporem recipit hyeme; nec langueſcentem eum circa veſperam habet. Urbis pars reliqua, quæ ab occidente ad ſeptentrionem excurrit decliviori magis humidoque loco fundata eſt, maxime ea in longitudinem urbis porrecta platea, quam incolæ Prulium vocant, quæ ut plerique non ſine cauſa credunt, a palude nomen accepit. Imprimis vero occidentalis angulus, quo per portam itur Ranſtadienſem omnium declivior eſt, unde & omnes ſordes, ſive ex ductibus platearum communibus, ſive ex latrinis repurgatis redundantes, ibi ex tota propemodum urbe, vel ſaltem hac ejus parte confluunt, & per aquagium commune effluunt. Hinc de hac civitatis parte obſervatum eſt, conclavia in plurimis ædibus præſertim in Prulio ad terram madida eſſe, adeo ut ſolum & parietes exſudent fereque humore ſuffundentur atque repoſita ibi facile madefiant, ſitum contrahant, & mucore quodam lanuginis inſtar molliuſculo & candido brevi obducantur & vermibus exedantur. Ex his itaque memoratis infraque ulterius memorandis ſtatim apparet, Lipſienſis aëris ſalubritatem quoque pro ipſius urbis partium varietate variam eſſe. Nemo facile noſtratium inficias ibit, v. gr. in plateis Grimmenſi & Petrina proximeque adjacentibus & confiniis in majoribus ſpatioſis & rectis, ut iis quæ der Neumarck vocatur & qua ad arcem itur, ſalubrius vivere, quam in Prulio, plateis ſylvæ (Haynſtraſſe) & macellariorum Fleiſcher-Gaſſe &c. & minoribus arctioribus & reflexis atque concluſis.

§. VI. Domus privatæ, quas plateæ primariæ continent, magna ex parte ex lateribus coctis exſtructæ ſunt, decenti feneſtrarum diſpoſitione, numero & magnitudine conſpicuæ & quoad interiora quoque ſat ſpatioſæ ac amplæ, quorum plurimarum ſplendida ſtructura, ſplendidusque ordo, forma certantium omnium intuentium oculos in ſemet convertit atque allectat pedesque quaſi illaqueat haud immerito, ut & ſemper inter tres elegantiſſimas Germaniæ urbes juxta Wratislaviam &

Mona-

Monachium numerata ſit, vid. CLVVERIVS *Geograph. Lib. III. c. XIII. §. 4.* aſt nulli harum quam ſibi ſimilis. Ædes ephyreas eas eſſe dixeris, de quibus dici poſſet:

Arcibus æquandæ ſunt & ſunt turribus ædes,
Principis eſt magni regia quoque domus.

Jampridem Lipſia Magna (intenſive) vocata atque Lipſiæ aureæ ſublimia tecta & marmora huc longinque advecta & a Jul. Cæſ. Scalig. memorata ſunt, & forte non ingratum erit, totam hic legere Inſcriptionem ab ipſo compoſitam, ut ea invenitur in M. STEPNERI *Lauro Lipſ. p. 362. ſeq.*

Lipſia, ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis
Lumina dum ſaturat mens perit icta fame
Vecta quibus ratibus longinquæ marmora terræ?
Unde frequens flavi pura nitela Tagi?
Huc Cyprum huc Temeſum huc Arabas huc Serica dices
Sedibus evulſa huc Indica regna ſuis.
Cum gemma bibitur vincuntur nectare gemmæ:
Sed linguæ varius vincit utrumque nitor
Nec Germana tamen vitiatur Lipſia luxu
Aſt hunc Germanum Lipſia magna facit.

Sed o domus antiqua, quam diſpari domino dominaris! quæ verba Ciceronis huc commode quadrare videntur. Longiſſime hodie mutata, longiſſime decora atque amœna aucta Lipſiæ facies eſt, & ſplendor oblectans, dives commerciorum fœnus atque ſublimis dignitas eminent, & adhuc in dies ad delitias & decorem omnis lapis eruitur, cæduntur gentium ſylvæ, æris ferrique uſus jam auri argentique quoque in exſtruendis & decorandis domibus, ut Fabii Papirii verba apud SENECAM *Libr. II. Contr. 1.* huc mihi trahere liceat. Eædem inſuper ubique fere in faſtigia alta inſurgunt, quæ tres contignationes in plurimis, in multis quatuor explent, imo quædam altius adhuc extolluntur. Hæc plurimarum Lipſienſium ædium conditio eſt, hoc faſtigium hocque culmen ad quod Lipſia pervenit, haud tamen negandum (quod omnibus urbibus eſt commune) multas etiam eſſe arctas, ligneas, quaſque facile caries exedit, male materiatas atque quarum fragilem materiam celat pictura, minus perſpirabiles, minusque illuſtratas a ſole, umbroſas, tenebroſas & feneſtris parvis, anguſtis, raris inſtructas, quæ olim ratio ædificandi fuit, an aëris vitium hoc ipſo modo avertere voluerint (ut

quondam fert ſententia Medicorum) jam affirmare aut diſquirere, noſtrarum partium non eſt, neque hujus loci. Hoc potius addere nobis jam convenit, habitationes longe eſſe ſalubriores, quarum feneſtræ in optimas cœli plagas, quæ orientales ſunt, bene ſunt diſpoſitæ, ſique ſint altæ & largæ, ut perſpiratio liberior concedatur, & ſalubrioris, auræ acceſſus & illuſtratio ſolis, ſique aër forte avertendus ſit aut alterandus, ex facili obturando easdem id fieri poteſt. Reliqua eo nomine in medicam veniunt conſiderationem, quod ædificia ex lateribus coctilibus, & lapidibus erutis extructa frigidiora ſint, & ſalubrius & amœnius ibi æſtate imprimis vivatur; frigidiorem enim efficiunt aërem ipſa hæc ædificia & plateas perſpirantem, quia ætherem rarefactum licet ad quandam diſtantiam a ſe repellunt & reflectunt denſiora eundemque intra ſe ad centrum premunt coguntque. Si modo ulteriorem adhuc hac ſcilicet re comparationem inſtituere velimus inuendum eſt ædificia ex lapidibus erutis exſtructa inhabitantium ſanitati non æque conducere ac ea quæ ex lateribus coctis ſunt coagmentata, quoniam per ignem hi magis ſunt temperati. Lapides autem eruti pariter ac ligna aëris indolem aſſumere videntur, hinc mutationem aëris per humiditatem quam tunc temporis amittunt indicarê ſolent. Quæ vero parietibus ligneis, luto ſaltem vel calce coagmentatis, ſunt ædificata, aër quidem ſiccior ſed tepidior, æſtate igitur minus conveniens ibi exiſtit. Conf. VERVLAM. *Hiſt. N. p. 954.* Atque domus bene materiatæ & ex craſſis & firmis parietibus, nec facile rimis obnoxiis conſtructæ tempeſtatibus reſiſtunt atque adverſus cœli flatuum vaporumque injurias tutum inhabitantibus præſtant præſidium. Hinc Cartaginenſes, ut ſe contra aëris ventorum, imbrium & maris halituum inclementiam magis ſe munirent ædificiorum parietes pice obducebant. Spatioſa vero ædificia, & ampla, & in quibus præſertim tranſitus conceditur, a ſole magis illuſtrantur & aëre ventisque perflantur, adeoque ad aëris puritatem & ſalubritatem multum confert id ipſum. Domus cæterum nimis altæ, ſi imprimis plateæ ſint arctiores aërem ibi minus ſalubrem, obſcurum, ſuffocatum, minus illuſtratum minusque perflatum & impurum magis efficiunt, quare ædificia nimis alta in noſtris temporatis terris minus probanda ac quidem in calidioribus uti in noſtra Europa, in Hiſpania atque Italia præcipue Genuenſi urbe. Hanc aëris impuritatem & denſitatem eo magis percipiunt, quo propius ad terram habitant, ſuperiores enim contignationes in ejusmodi locis ordinario ſunt ſalubriores, effluvia enim heterogenea impura, humida, craſſa, adeoque graviora circa ter-

ram potius retinentur, pura vero ac tenuia altius moventur. Dicto faciunt fidem plurima Italiæ loca, exhalationibus nocivis famosa, præsertim ad lacum avernum, spelunca canina, ubi exhalationes animantia necant circa humum exceptæ, ad certum nam saltem spatium ascendit noxa, ultra quod sine ea spiritus ducitur. Sic etiam in Insulis ubi Piper nascitur, quæ Bantam, Pedir, Sumatra, Mozambiqua Java vocantur, eam esse soli effluviorum malitiam, ut advenis terra insistere sit periculosum & humi dormire lethale. uti H. MVNDIVS in *operibus medico-physicis p.* 47. scribit. Spectat huc hocque pariter declaratque Mariotti experimentum in nitri collectione, per quod deprehendit in contignatione domus quarta nitrum non regenerari ex terra nitrosa elixiviata. Siquidem & constat in inferioribus ædificiorum partibus salia deliquescere citius, imo omnia corpora, quo sublimius in aëre hærent, eo ficciora sunt, argumento, majorem esse in locis terræ vicinis aëris humiditatem & gravitatem, &c. Qui rem e propinquo magis arguunt, in modo domus Lipsienses olim quidem construendi, leve quoddam vitium ponunt, nec sine ulla prorsus ratione: nimirum multas earum ex veteri adhuc ævo relictas fastigia per contignationes habere exerta longiusque propendentia vias deformiter obscurantia ac tecta prominentia super imposita propemodum omnibus, plurimis adstructa esse meniana & inferioribus partibus suggrundia, cum aërem hic caliginosum reddant ac quasi concludant, angusto superius spatio relicto, ac effluvia inibi retineantur magis, obversis egrediendi obstaculis etiamsi tempore æstivo ferventes molestosque solis radios arcent, æstumque nimium temperant ac umbram concedunt, quod commodum, quam delectationem, forsan Veteres spectaverunt. Hoc incommodo imprimis Londinum Angliæ caput laborat, in quo exporrecta ædium tecta magnam quoque platearum contegunt partem, quod in LANSII reprehenditur *consultationibus contra Britan. pag. 567.*

§. VII. Ipsa urbs una cum suburbiis numerosissimam alit incolarum copiam, Mercurio atque Minervæ amica, grata hinc peregrinorum hospita. Academia enim præclara omnium bonarum literarum custode atque altrice celeberrima & florentissima, multorum eximiorum literatorum consessu illustris, atque emporio magno, copioso frequentissimo & opulento mercatus celebratissimos concelebrante multa undique apportante multisque impartiente artificum, opificum & mechanicorum omnis generis officinis admodum insignis. Quotidie hinc inde commeantium & discurrentium multitudo vias occupat & obstrepunt, fre-

muntque, ut in emporiis magnis consuevit negotia, frequentissime hic exteri commercia quærunt, magna hinc mercatorum copia emtores & venditores etiam longissime remoti huc accedunt sæpissime præcipue nundinarum tempore, ubi properantibus in multos incursitandum est: Merces enim quæcumque de quibus modo cogitare quis potest hic congregatæ ac expositæ inveniuntur easque tanta in copia ut non e multis civitatibus sed ex orbis universi regionibus eas conquisitas fuisse sit crediturus. Atque Academiæ alumni magno in numero, quam vix alibi, per horas per plateas cursitantes frequentant collegia. In foro vero præsertim a meridie & circa vesperam qui spectatum veniunt spectentur & ipsi & qui obambulando animum recreant turmatim oberrant. Nulla hic solitudo, nullus hic locus vacuus est, nullus angulus, quem frequentia inhabitantium non occupet, nulla domus deserta est, imo ædificiorum conclavia hinc inde populo sunt tota repleta. Idcirco de Lipsia dicendum, quod de urbibus magnis & frequentibus civitatibus dicitur propemodum omnibus, aërem ibi non satis existere purum & tenuem, sed variis & copiosissimis effluviis heterogeneis, fœtidis, impuris, ex hominibus, animalibus, hypocaustis, officinis, stabulis, cloacis, latrinis fimi cumulis & scrobibus, quisquiliis, purgamentisque variis continuo exhalantibus, imprægnatum, & ex omni parte quasi conclusum atque retentum. Horum effluviorum variorum & noxiorum ut plurimum, in urbibus undique concurrentium turba & copia omnis omnium ibi convenit, & in unum quasi agmen coacervatur, si maxime in angustum coëunt spatium, aliorum in alia diversorum impulsus fit & arietatio nec facile depelluntur. Non solum impurus ideo redditur aër & crassus, sed & calidior, is enim majorem semper calorem concipit, quam tenuis & purus. Hinc in minoribus oppidis & pagis ac rure, quæ loca liberior, purior & salubrior aër afflat, quæ ros matutinus, occultum vitæ pabulum, humectat, quæ fragrantia florum in pratis, agris, sylvis, montibus convallibusque recreat, homines in domiciliis humilibus & arctis luto, stramine ac ligno saltem coagmentatis, licet degentes, firmiori ac constantiori ordinario fruuntur sanitate, vigore atque longævitate iis, qui urbes majores & populosas, pallatiaque superba, alta ac spatiosa optimeque materiata inhabitant. Expertis omnibus constat, quando in aëre sereno & rusticano versantur homines, corporis & animi vires esse liberiores, esse auctiores, atque se sentire alacriores protinus, appetitum augeri omnesque actiones institui expeditius &c. Imprimis vim liberioris aëris deprehendere licet si convalescentes morbo diuturno cubi-

culo

culo lectoque affixi, imprimis qui phthisi aut laborarunt aut adhuc laborant, in rus conferant se, sensibiliter enim ibi recreantur. Rursus urbium foetorem percipient certius rure redeuntes. Hinc apud Medicos morbi certi urbibus populosis & magnis frequentes, in pagis autem & ubi liberiori aëre & limpidiori fruimur, rarissimi noti sunt, ut asthma, tussis, phthisis, pestis, catarrhi, febres malignæ, malum hypochondriacum, colica, podagra, ventriculi debilitates, nephritis & calculus, hectica, scorbutus, & speciatim parturientium gravissimi & periculosissimi labores, & similes plures, qui aëris vitio adscribuntur, si excipias quosdam, qui ex vita sedentaria, curis, inordinata diæta, crapula &c. procedunt. Memoratu dignum hinc est, quod PLVTARCHVS in *Problem.* habet, Templum Æsculapii Romæ ideo extra urbem ædificatum fuisse, quia major ibi aëris salubritas concederetur. Nam ex hominum, pecudum, merciumque multitudine & opificum laboribus aliorumque adeo multorum & diversorum corporum multa quoque peregrina in aërem mittuntur effluvia, vix enim corpus tam solidum est, quod poros non habet, nullum adeo compactum, quod non effluvia emittit. Hoc haud difficile credat, qui curiosissimo Sanctorio credit, tantam fere effluviorum copiam per insensibilem transspirationem excerni in solo homine, quantam vix plurimis diebus per alias vias sensibiliores & ex sola exspiratione singulis diebus ad semilibram vaporum exire, aut qui semel saltem frigidiori aëre equorum v. g. corpora fumantia vidit, qui manum speculo vel disco stanneo polito admovit &c. Adeatur hac de re Celeberr. D. D. VATERI *Disput. de Transspiratione.* Horum omnium plurima effluviorum scilicet sunt insalubria, paucissimi enim hominum perfecte sunt sani & qui laudabiles possident humores, plures sunt hypochondriaci, scorbutici, cachectici, tabidi, qui pædorem spirant, hircumque olent, halitumque emittunt foetentem, &c. paucissima quoque alia ex aliis corporibus animatis & inanimatis salubritati conducunt. Accedit multitudo foedarum latrinarum, cloacarum, sterquiliniorum atque stabulorum frequentia, in quibus & circa ea fimus in cumulos congeritur & in scrobibus colligitur fimetaque struuntur atque ad plures quandoque menses remanent & putredinem concipiunt, fumosque densos & calidos, adversos spargiunt, ex quo demum per urbem in rus exportatur commota camarina totam inficiens foetore viciniam. Ob ejusmodi foetores & juncta platearum arctitudine v. g Constantinopolim sæpius pestis invadit, vid. HEBERER. *Lib. II. Servit. Ægypt. cap. 48. p. 303.* & Vienna Austriæ adeo multis morbis obnoxia censetur, de quo conf.

GER-

GERBEZIVS in *Chronolog. med. p. 125.* Ex eadem fordium cumulatione febres malignas & peftilentes inductas esse refert DIMERBROCK *de peste p. 154.* Lutetiæ Parifiorum & Tolofæ Gallorum. Conf. & PALMARIVS in *Epift. & præfat. in Lib. de Febre peftil.* Quare neceffaria prorfus cura fanitatis civium, ut nempe confervetur falubritas locorum publicorum & morbi verendi profligantur omnino ad Magiftratum pertinet, hinc & præclare & ex dignitate a JCtis factum eft, ideoque querna corona dignidem cenfendi, vid. PLVTARCHVS *Quæft. Rom. in Oper. T. II. p. 285.* Conf. DIONIS CASSII *Hift. Rom. Lib. III. p. 750.* qui falubritatem aëris, in qua omnino falus etiam civitatum eft pofita, fibi habent commendatiffimam: Inveniuntur enim apud eos circa hoc ipfum paffim multa peculiaria interdicta Prætorum v. g. ut cloacæ purgentur, hyeme non æftate, GLOS. in *c. XXI. §. 1. ff. quod vi aut clam.* COEPELL. *de fervit. ruft. præd. Cap. XLIII.* de nocte non de die, RIPA *de pefte c. 4. de rem. præf. contr. pefte N. 65.* ne in vias publicas ftercora projiciantur & morticina & pelles *L. I. §. 5. ff. de via publ. & fi quid in ea fact. &c.* Ne intra mœnia porci, anates, aliave animalia fordida alantur. STRYCK *de J. Senf. D. V. c. II. n. 32.* Atque apud Romanos veteres jam conftituti erant ædiles plebis curules, ut Halicarnaffæus refert, curantes, ne aëri per cloacas, aquæ ductus, vias &c. immunditiés aliqua inferretur. Ejusmodi certius nocent, fi loci folum per fe eft lutofum & humidum platearum fpatium arctum & cœli fitusque ratio his famulatur. Sicuti enim homines refocillantur & confortantur, odoratui gratis fpiritus animales augendo, incidendo ac attenuando, ut in cerebro volatiles partes majori in copia fecernantur, ac reficiendo oblectandoque, ut odorum hinc maximus in medicina ufus: Ita ingratis & maxime iis, quæ a corruptione & putrefcentia proveniunt, humores & fpiritus male afficiuntur, conturbantur, corrumpuntur &c. Hoc probe perfpexerunt, qui hic L. Publico fumma cum laude profpiciebant, nam autoritate eorum, haræ (quoniam ftercus fuillum propter graveotentem admodum atque adverfum fœtorem, infenfum & fpiritibus ingratum aptiffimumque infectioni perhibetur) Anno 1680. metu peftis ingruente ad eam avertendam lege publica indictaque mulcta funt ejectæ vid. VOGEL. *Annal. Lipf. p. 785.* Ob hanc quoque hominum pecudumque multitudinem hancque excrementorum copiam & ex cura neglecta & immunditie in caftris adeo multi morbi imprimis fi, in regionibus calidis & paluftribus locata funt, incumbunt militibus, ex adverfo vero fi hi puriori aëre fæpius reficiantur, adeo multas calamitates fitim famemque atque defatigationes continuas perferunt.

ferunt. In hanc rem notabile eſt, quod Deus T. O. M. uti videre eſt ex *Deuteron. c. XXIII.* populo Iſraelitico munditiem in caſtris ſapientiſſime præcepit. Hinc forte magna ex parte magna calamitatum Ilias, quam miles germanus in Hungaria per tot annorum ſeries in expeditionibus expertus eſt, cum in Turcarum caſtris omnia ſalva eſſent, qui munditiei ſunt ſtudioſiſſimi. Mirum itaque non eſt, ſi & in urbe noſtra non raro æſtate fœtor adverſus ex cura neglecta nares feriat, in plateis inprimis minoribus & arctioribus (compita enim atque plateæ majores ad munditiem ſatis ſunt exactæ) & in ſuburbiis ubi ima plebs habitat, quæ meſſe tenus, ut dicitur vivunt ſua, ubi & ædes plerumque ligneæ & calce aut luto ſaltem coagmentatæ ſunt, & quarum hypocauſtorum cubiculorumque ſpatium arctum, in quibus ſole meridiano caligant, neque ventis perflatum ſatis, in quibus tot cloacæ, & magna illuvies & immundities affluit, quarumque interdum canales & ductus, communes quoque ſunt minores & arctiores neque ſatis repurgati, ſed ſordes & aquæ retinentur & ſtagnant diutius in ipſis repletis, quæ ſola cauſa fuit, Lugduni Batavorum & Alexandriæ Ægypti, luis perniciosiſſimæ diu graſſatæ vid. PECHLINVS *Obſ. p. 244.* & DAPPER *in Deſcr. Africæ.* Quin cives noſtri norunt hos ductus per ædificia vicina ſerpentes diuque concluſos neque purgatos, purgantes derepente mortuos eſſe aut morbo maligno correptos. Quare ſalutis publicæ intereſſet, ſi infima plebs, quæ ut plurimum minus munditiei gerit curam, & opifices multi in ſpatioſis & ventis patentibus domiciliis plateisque & inſulis ſeparatis habitationes ſuasque officinas ponerent.

§. VIII. Equidem, (ut ad antecedentia paululum recurramus) incolarum frequentia, ſi modo habitationes, ædificia atque plateæ ſint ſpatioſæ ſatis, & ſi purgatio quotidie & ſedulo inſtituatur, adeo aeri non obeſſet; Siquidem per multiplices obſervationes conſtat, civitates, pagos, arces, domos quamdiu frequentia incolarum & inhabitantium floruerunt aeris ſalubritate gaudebant optima & vice verſa, quemadmodum LEONH. FIORAVANTIVS *in Regim. peſtis Lib. I. Cap. LVI. p. 135.* de aliquibus Italiæ locis ac urbibus, Terracina, Baja, Neptunio aliisque Romaque ipſa, advertit aliique Italorum id ipſum ſibi optant craſſo aere preſſi, ut Piſarum ſpeciatim incolæ. Hæc enim inſalubritas ex parte corrigitur tam per ipſam hominum per domos atque plateas currentium diſcurrentiumque frequentiam, qui itu redituque aerem movent & ventilant, quam & potiſſimum per ignem, qui in culinis & fornacibus accenditur, accenditur vero eo frequentius, quo frequentiores urbes

incolis ſunt, imprimis ſi ligna concremantur reſinoſa, qualia ſunt abietum, fagorum, pinorum, juniperi, per eum item, qui inter ipſas ædes inſtruitur pro doliorum impicatione &c. Ignis enim celerrimo ſuo motu & ventilatione aeris purgat eum ab omnibus vaporibus humidis, noxiis, malignis &c. eosque exturbat, partes balſamicas, oleoſas, ſalinas, volatiles, ſpirituoſas, acidulas, laudabiles, ex lignis concrematis putridas figentes corrigentesque, aeri per vapores communicat. Sicque per ignem corrigitur aeris quies, gravitas & intemperies. Notiſſimum eſt, quantum valeat ignis luculentus accenſus in plateis & ædificiis, conclavibus in peſte & morbis malignis & contagioſis. Ad quem ipſum ſcopum veteres jam pice, ſulphure, aſphalto optimo cum ſucceſſu uſi ſunt. Memorabile ad hoc præcipue eſt, (ut plura exempla non addam) peſtem, quæ Venetias An. 1556. afflixit, Murani incolis (inſulæ 2. mill. ipſis remotæ) qui omnes fere artem vitriariam exercent pepercisse dicitur, fornacum cauſa aſſidue ibi ſuccenſarum. Hoc adhuc præcipue ſcitu ac memoratu dignum eſt, ex obſervatione Illuſtris D. D. FRID. HOFFMANNI ex illo tempore ex quo carbonibus foſſilibus Halæ uſi ſunt ſalis coctores, incolas propemodum neſcire purpuras, petechias atque malignos morbos ejusmodi ob virtutem, quæ exinde exſurgit balſamicam. Cum enim ea ex quotidiana ſalis in urbe coctura incredibilis ferme aquæ quantitas in auras propellebatur, fieri non potuit, quin illa de cauſa totus aer humidus fieret urbique incumberet, unde tunc ea, ibi morborum genera maxime regnabant, quæ littus boreale accolentibus ſunt familiaria ſcorbutus &c. quæ correxit ille ex foſſilibus carbonibus vapor commixtus. Conf. ejusdem *propempt. inaugurale de vapore carbonum foſſilium innoxio.* Quare (ut incidenter ſaltem hoc addam) reſponſio facilis fuiſſet & expedita, cum aliquando quæſtio exorta, num urbi ejusque ſalubritati conduceret, ſi in ipſo agro Lipſienſi ex lignis e longinquo allatis carbones uſtularentur.

§. IX. In ſpecie indicandum eſt, civitatibus populoſis ex conſuetudine, ut Lipſiæ quoque ea invaluit in ipſis ædificiis ſordida linteamina purgandi aeri imminere labem, eoque magis, quo arctiora ſunt eadem aereque liberiori non perflata. Frequentes lotiones linteaminum ejusmodi ſordidorum aquis ſaponatis ferventibus ac laborioſe agitatis particulas excrementitias ſalinoſulphureas exhalantibus evehentibusque viſcido ſubtiliſato junctas, aerem inſalubrem reddere imo peſtem inferre refert DIMERBROCK *de peſte c. XII.* Curioſa in hanc rem eſt obſervatio, peſtem, quæ ſuperiori ſeculo in Bohemia & Sileſia graſſata eſt, frequen-

quentius in illas ædes irrepſiſſe, in quibus ſordida lota eſſent lintea, confer. BEHRENS *ſelect. diætet. pag. 25.* Saponem illitum notat BOCCONE *Obſerv. curioſ. p. 463.* ad putredinem conferre maxime in pannis lineis. Præter hæc aer ejusmodi ex linteaminum ſordidorum lotionibus inquinatus mirum obeſt maxime pulmonibus & infert aſthma, tuſſim, imo phthiſin atque vomitum. Conf. RAMAZINI *de morbis artif. c. XXIII.* Amplius adhuc & ſpeciatim magis quoque dicendum eſt, effluvia alkalina ex coctione lixivii & cinerum evoluta aerique communicata, alias licet ſint laudabilia, quandoque eſſe nociva, ubi nimirum variolæ, morbilli, purpuræ, putridique alii morbi ſæviter infeſtant: In his enim acidula proſunt, alkalica vero acidum deſtruunt, ſicque & curationi horum morborum & reconvaleſcentiæ reſiſtunt. Hoc ut credam, me movet obſervatio haud ſimplex, qua conſtat, in illis Sileſiæ oris, ubi pro linteaminibus candefaciendis lixivium quotidie coquitur & in linteamina effunditur, pueros variolis morbillis, ut purpura & ſimilibus putridis morbis laborantes, in illis habitationibus & in vicinia decumbentes citius interire aut ægrius convaleſcere. Quare conſuetudo illarum civitatum merito venit laudanda, qua lotiones ejusmodi extra urbem ac ad profluentes inſtituunt aquas.

§. X. Sed ſaturati interiorum ſpectaculo atque relicto pauliſper urbis fumo ac ineptut. ædificiorum umbra mephiti hominumque turba atque aere intra interiora ejusdem delibato, per proximam viam, qua porta patet, extra urbem paululum pedes quoque moveamus, apertum cœlum viſuri & liberiorem puriorique nitro aereo præditam atque ventorum flabro magis purgatam modo auram extra pomœria capiamus viridesque agros & patulos hortos, floribus, plantis arboribusque vernantes, nemora, prata rivosque adeamus. Ubi in noſtro curioſæ exſpatiationis itinere ſtatim urbem egreſſi videmus, quod eam cingant foſſæ ſat largæ, quæ in parte elatiori, qua orientem nimirum ſpectat, ſiccæ ſunt, demiſſiori & majorem partem complectente, qua in meridiem ſcilicet occidentem & ſeptentrionem vergit aquis ſtagnantibus, craſſis, refertæ & fœculentæ, magno ſordium cumulo ſqualidæ, quæ tetra, mala effluvia reddunt & inſalubria. Si tales igitur foſſæ ſedulo repurgarentur exinde in incolas haud vile emolumentum purioris aeris omnino poſſet redire. In hoc argumentum notat P. SALIVS *Diverſus de Feb. peſtil. cap. XX. §. 143.* Patriam ſuam exſiccatione aquarum in foſſis publicis ſtagnantium a febribus peſtilentialibus quotannis autumno graſſantibus fuiſſe liberatam. Et notabilis in hanc rem locus apud HIPPOCRATEM

occurrit *Epid. Lib. I. S. IV. Ægr. 1.* ubi de Philiſco loquitur die ſexto febre lethifera mortuo, memoratque, quod ad muros ejus habitatio fuerit, quo & mihi commendatio Mercurialis placet, qui optime advertit Hippocratem ex deſtinato habitationem addidiſſe, ut omnibus conſtet ejusmodi locum maxime eſſe inſalubrem, quia maximus ibi ſordium eſſet confluxus atque affluxus ac cadavera pecudum, aliæque impuritates conjicerentur. Similiter RAMAZINVS notat de *Princip. Valet. tuend. p. 22. ſeq.* Mutinæ febres malignas epidemicas multos e medio tuliſſe, circa murorum ambitum habitantes, ſalvis omnibus civitatis interioribus domicilia habentibus. Ex hoc quoque FORESTVS *Lib. VI. de febri & morbis epid. p. 162.* Civitatem Delphenſem inſalubrem eſſe dicit & febribus peſtilentialibus imo ipſi peſti ſæpius obnoxiam, quod in declivi aquas non habeat currentes & foſſas anguſtas ab aquis ſtagnantibus putridisque non purgatas. Huc etiam Cl. R. LENTILII obſervatio facit, quam *in Epiſt. ad Cl. Lanciſium* addidit, quod ad mœnia civitati Stutgardiæ olim ſtagnum ampliſſimum fuerit, & eam ob cauſam hæc civitas febribus intermittentibus endemiis iisque diuturnis & pertinaciſſimis afflicta; & ex quo hoc ſtagnum exſiccatum ſit, dictæ febres & de frequentia & de indole remiſerint. Agnoverunt hoc optime hujus urbis Primates, qui A. 1680. ob peſtis metum inter alia etiam foſſam Hallenſem expurgandam curabant, vid. VOGEL. *Annal. Lipſ. p. 785.* Cives ideo, qui ad mœnia & foſſas habitant, gaudeant equidem de conceſſo ipſis amœno proſpectu, ſed ſuſpecta quoque ſua merito habeant bona ſuasque quas ex hoc ſibi capiunt delicias. Nec adeo impenſe ſibi ideo gratulentur hujus urbis alumni de exſpatiationibus illis ordinariis & quotidianis circa mœnia & foſſas ambulatione & curruvectione recreationis & ſanitatis gratia factis, quoniam tunc hæc ſqualida effluvia exinde emantia propius & certius ſub motione corporis, reſpiratione & inſpiratione exinde aucta (corporis enim exercitia jove malo, male cedunt) in ſeſe recipiunt atque afficiuntur. Quare noſtrates exſpatiationes potius ad ambulacra, agros & hortos, præſertim orientem ſeptentrionemque ſpectantes, & ad quos per Grimmenſem atque Hallenſem præſertim portas itur, ſibi eligant.

§. XI. Non procul a mœnibus præterlabitur civitatem atque adeo arcem alluit a parte auſtrali occidentem verſus Pliſna fluvius ex Nariſcorum montibus decurrens. Confluunt etiam alii Alyſter & Para remotiori tamen ſpatio, hic ex Sudetis montibus, ille ex Colditiano nemore devolvuntur. Singuli infra mediocritatem fere ſubſiſtunt, tor-

tuoſa

tuosa faciunt itinera, & per præruptas ac profundas vias relictis altis ripis serpunt, & aquas, si verum fateri volumus tepentes, turbidas, fœculentas, gustui ingratas vehunt, tardius moventur & in cœnosa viscida & pingui gurgite decurrunt, inde & pisces numerosos, (imprimis Para,) alunt & ab urbis suburbiique sordibus magis inquinantur, & si per æstatem fervidiorem deficiunt aquæ, remanente cœnoso limo, putridas exhalationes fœtoremque emitttunt, multas ranas, hirudines, & vermes generant & nutriunt. Igitur iterum iterumque hic optandum esset horum loco, purior & velox beneque positus & ob commoditatem & ob salubritatem fluvius, ut semper optatum est, ut Plisna, Elystra, Vultavia, Albi committantur. Refert. DIOG. LAERT. Empedoclem cum Selmunt. ex vicini fluvii fœtore pestis exorta esset, alios duos in aquas illius corruptas misisse, ut ex purioris commixtione, corrupta corrigeretur motusque ejus velocior redderetur, eoque solo medio ac remedio regionem a corruptione permansisse immunem. Exploratum est, ipsos lacus, alias insalubrem regionem reddentes, si currentes amnes eos percurrant, minus noxios esse. Aqua enim fluendo quammagnus & velox purusve fluvius trahit, & qui per terram arenosam & remotam procedit, &c. ventos aërem ventilantes & purificantes atque eum salubrem reddentes, movet, circa eos enim semper spirantem ventum quendam senties, quo nomine Nilus semper imprimis est laudatus atque ejus aquæ adeo magno in pretio sunt habitæ. Cum aqua enim res propemodum ita se habet, ac cum aëre, ambo ex motu plurimum mutuantur salubritatis, ambo a vitio, quod remisso motu mox contrahunt vindicantur. Ex fluminibus etiam rapidioribus particulæ aqueæ subtiles sub vaporum specie exfluxæ magis elevantur, quæ atmosphæram humectando tempore æstivo eoque sicciore nimis, effluvia forte noxia & maligna, sulphurea, volatilia ac tenuia egregie temperant, mutant ac figunt. Romæ insalubris est omnis aër, juxta Tiberim autem habitantes, meliori fruuntur sanitate. De cœtero fluviorum ex meridie decurrentium mala conditio notatur ex HIPPOCRATIS effato, *vid. de a. a. & loc.* cum ejusmodi aquam vehant salsam, crassam atque male olentem, idem sentit ac scribit AVICENNA *2. p. d. II. c. XVI.* Præterea fluvius, si imprimis lente procedat in cœnoso gurgite, aërem austrinum per se insalubrem effluviis humidis replet, magisque insalubrem reddit. Ejusmodi quoque fluvii, qui tarde moventur ad instar aquarum stagnantium a sole tepescunt facile, veloces & qui cum impetu magis suas undas trahunt difficilius; hinc Padus fluvius apud Italos eo nomine audit male & Phasin in Colchide per regionis depressam

planitiem ſerpentem omnium lentiſſimum jam Hippocrates noſter damnat, referens accolas, totos pallidos eſſe atque inflatos. Aquæ dein & ſoli vitium, (ut obiter modo hoc attingamus) non modo inde in potum &c. ſed & in incolas aquarum, piſces tranſit. Notiſſimum enim cuilibet eſt, piſces in aquis limpidioribus enutritos, ſvaviorem guſtui ſalubrioremque carnem & dapes menſis concedere iis, qui in aquis cœnoſis, viſcidis, turbidis, lentis, impuris & ſtagnis, piſcinis capiuntur, ſimilem enim dant cibum, ſimileque nutrimentum, viſcidum nimirum & craſſum, unde piſces fluviatiles, & imprimis ii, quos ſaxatiles vocant, communi ore ſaluberrimi & gratiſſimi habentur, imo differentia in carnibus, oculis ſtatim obſervari poteſt, v. g. eorum, qui Albi, Sala, Mulda, & Rheno capiuntur, longe eſt candidior, eorum, quos Spreha & Havela, fluvii alunt, illi nam limpidiorem & claram, hi vero turbidam aquam vehunt. Ex hoc harum aquarum ſcrutinio antea indicato ſequitur facile indicium, qualis ſit indolis aqua, quæ in ipſa urbe, ubi tot latrinæ, cloacæ, & quotidiana impurarum aquarum proluvia, quorum humiditates redundantes tandem cum ipſis fontibus ſubterraneis commiſcentur, ac ſuburbiis ex ipſis puteis hauritur, aut per canales adducitur. Illa, ſi per noctem in vaſe ſervetur aut in olla coquatur aut oleum tartari per deliquium inſtilletur albidum colorem induit aliquid terræ calcareæ aut gypſeæ in fundo relinquit, hæc turbida, vapida fœculenta & ſitu quaſi corrupta male olet. Etiamſi non deſunt qui talem aquam ut ſaluberrimam & potui & cereviſiæ coquendæ maxime idoneam extollunt ut ſentit MICHAEL PEAGET Pariſiis Doctor, ut ex *Quæſt. med. in ſcholiis Medicorum anno MDCCXXXV.* propoſita: an aqua fluviatilis cæteris ſalubrior? colligere eſt. Is enim aquam Sequanæ fluvii Lutetiam Pariſiorum interfluentis lutoſam ab ipſis teterrimis ſordibus atque adeo mortuis putridisque piſcibus mire laudat experimentisque probat in ea diverſa ſalia atque mirabili Glauberi æquiparanda, inveniri adeoque pro humoribus malis in viſceribus ſtagnantibus diſcutiendis ac repurgandis admodum proficuam eſſe aſſerit. Qui peregre ad nos accedunt & aqua noſtra præſertim fontana ſe lavant, dicunt, quod ea hiſpidam quaſi cutem reddat ſalium mineralium in ea ſolutarum haud obſcuro indicio; nec negari poteſt eam paulo largius & crebrius potam quosdam in ventre & hypochondriis flatus, imo tormina non raro excitare & ventriculum debilitare. Ulterius de aquarum noſtrarum indole non æque bona ex effectu judicium deſumendum, videlicet, linteamina nunquam ita candida lota evadunt ac quidem v. gr. in Sileſia

ex

ex qua adportantur, ſicut & aquæ vappeſcentiæ adſcribitur, quod nulla bona charta in agro Lipſienſi præparari poſſit: Verum notum eſt atque perſpectum, molas in quibus charta bona paratur dari in tractibus montanis, qui rigantur aquis puris, claris & levibus. Qui artem equitandi & medicinam veterinariam tractant, cavent, ne equos frequenter in fluvios & aquas Lipſienſes ducunt pedesque iis lavant, quoniam obſervaverint, quod equis facile paralyſis, ulcuſcula aut alia pedum vitia exinde contrahantur. De reliquo quidam culpam in aquam rejiciunt, (forte etiam aër accuſandus, quoniam is fermentationes varie alterat;) quod panis Lipſienſis minus ſapidus ſit. Res fere ſe habet cum pane Lipſienſi ac cum Pariſienſi, nam etiam ille qui ex vicino pago Gonetio advehitur, præfertur, quippe qui meliori aqua ſubactus eſt. Conf. RENAT. MOREAV *Comment. in Schol. Solern. Cap. XVII. p. 273.* Alias etiam hæc puteorum conſtructio a Medicis non probatur, qua tectis teguntur ac concluduntur ac per antliam hauritur aqua, ejusmodi enim ſubterranea, nec ſolis radiis pervia, ut deſes ſtagnansque minus ſalubris cenſetur, & homines ejusmodi bibentes præſertim morbis & febribus putridis, hydropi, alvi profluviis, internis obſtructionibus magnis lienibus viſcerum ſcirhis, inflationibus, tumoribus, aliisque multis morbis obnoxios reddi. Hinc ab incolis ipſis unicus ſaltem puteus, ſalubrem aquam diſtribuens, ille enim, qui ante portam Grimmenſem (der Bettel-Brunn) conſpicitur, habetur, quod tamen in comparatione aliorum intellectum volumus; nam alius adhuc reperitur in vico per quem ex ſuburbio Grimmenſi ad pagum qui Schönfeld vocatur, itur, qui clariorem illo leniorem que aquam concedit, ad cujus bonitatem putei quidam intra urbem reperibiles, v. g. illi in collegii Paulini area, in foro, in platea cœnobii, fere accedere videntur, ſi inter ſe conferuntur. Cerevifia tamen, quæ ex coctura ejus recipitur, non adeo culpanda, ac quidem vulgo ubique fieri ſolet, ſi quidem multas bonæ & ſalubris cerevifiæ notas poſſidet, ſi inprimis per hyemem bibitur, ſi recens eſt, ſed bene defæcata, nec corrupta & acida, guſtui non adeo ingrata, cito enim per diureſin redditur, laxat alvum, appetitum excitat ac nutrit, nec caput offendit nec hypochondria; ac permultos ſcio, qui pro ſalubritate eam, excluſis multis aliis cerevifiis pro ſalubribus habitis, cum ſperata euphoria biberunt, ſi quidem & quondam in optimis Germaniæ cerevifiis numerata eſt. Aſt & in aquarum & cerevifiarum delectu ſpeciatim obſervandum eſt, quomodo hæc aut illa diverſis hominum naturis conveniat, ſi quidem non omnibus & patriæ ſolum, aër atque aqua & potus

genera

genera æque conveniunt, ſed alii ejusmodi peregrina quærere habent neceſſe.

§. XII. Ab oriente meridiem verſus, & rurſus ab occidente ad ſeptentrionem ſuburbia, modico diſtantia intervallo, ab ipſius urbis mœnibus ædificiis, frequentia ſunt, interjacens ſpatium hortis aut pratis paludoſis complectitur. In occidentali lanienæ ſunt locatæ ac poſtrema pars ſeptentrionalis officinis coriariis relicta eſt. Quemadmodum enim ejusmodi ſordidæ officinæ ex neceſſitate extra urbem & ad flumen, ita & utilitate ſunt ablegatæ. Apud Romanos jam olim lege cautum erat, ut cerdonum officinæ extra urbem ultra Tiberim eſſent, ut ex ARTEMIDORO *de ſomn. interpr. Lib. I. cap. LIII. p. m. 29.* & MARTIALI conſtat *L. VI. c. IV.* item legitur in ſacris Bibliis Actor. X, v. 6. extra pomæria Joppæ cerdonem habitaſſe; aër enim ob tetrum odorem iis erat adverſus atque abomitationi, ea propter Judæi, qui ibi habitabant, ut PHILO *de Lege ad Cajum* refert, male olebant, qua de re & locus apud IVVENALEM notus eſt *Sat. XI.*

Nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tiberim ultra.

Præter ſordium enim putridarum & cadaveroſarum, quæ a præparatione coriorum conjiciuntur, quoque adipis, quo coria inunguntur, fœtor, viciniam replet atque inficit, de quo, & quod imprimis officinæ ejusmodi in medio urbis Lutetiæ Pariſiorum locatæ eſſent, conqueritur PALMARIVS *in epiſt. & præfat. in Lib. de feb. peſtil.* Ab his opificiis coriariis aërem infici & peſtem procreari etiam aſſerit IOH. COSTAEVS. DIMERBROCKIVS *Lib. II. de peſte p. 150.* refert, obſervatum fuiſſe, peſtem nunquam in ulla alia Pariſiorum urbis parte gravius ſæviſſe, quam in qua ſordidi ejusmodi atque alii opifices habitabant. Sed uti alias habetur illud: ubi venenum, ibi remedium; ita & coriariis gratis naſcitur, quo corrigere aërem poſſent; ſegmenta puto e præparatis coriis, ungulæ & cornua, oſſa ſubarida, corii præparati præſegmina in ignem conjicienda. Licet eadem concremata fœtidos inſuavesque odores atmoſphæræ inferant, ideo tamen etiam illi ſalubres eſſe poſſunt, diſtinctione habita fœtida, corrupta, putrida inter & inſuavia, ſic aſſa fœtida, ſulphur accenſum, & pulvis pyrius fœtent, ſed proſunt, fœtidus plumarum aut ungularum fumus ſuffocationi hyſtericæ aliisque morbis ſpaſmodicis prodeſt. Variis in locis plebs habet expertum ejusmodi igni injecta illorumque exinde inſurgentem nidorem habitationes ſuas a peſtis lue tutas & ſalubres præſtare; imo arbitratur

bitratur RANCHINVS *de purit. rerum p. 279.* ejusmodi fœtida efficacius contagiosa effluvia depellere. Non solum coriarios sed & fullones eundem in locum ablegarunt Romani, qui dum laneos pannos sulphureo fumo lotioque putrescente a sordibus purgaverunt viciniam pædore infecerunt. Vid. PLINIVS *Lib. XXVIII. cap. VIII.* & *Lib. XXXV. cap. XV.* Plura de his ipsis legi possunt apud OCTAV. FERRARIVM *de re vestiaria P. II. Lib. IV. cap. XIII.* GRAEVIVM in *Thesaur. Antiq. Rom. p. 887.* Conf. & RAMAZZINI *de morb. artif. cap. XIV. in Oper. p. 529.* De cetero apud Romanos lanionibus describebatur certus locus, ne si passim habitent, totam urbem redderent pestilentem. Pariter Jenenses referunt Annales, urbem olim ex mactatis in ædibus atque plateis, pecudibus ob fœtidos vapores & redundantibus copiosis aquis, quibus purgabantur, magnum sensisse incommodum, adeo, ut Div. Joh. Fridericus II. Saxon. Dux jusserit An. 1551. demum extra urbem ad Salæ ripam communes lanienas locandas. Licet etiam per exhalantes e mactatis pecudibus quotidie spiritus animales, spirituosæ aëris partes augeantur, quas si spiritum mundi, quem Hermes Trismegistus, Pythagoras, Plato, Stoici affirmaverunt, vocare velles, jam non refragabor; laudabiles vero hæ a minus laudabilibus his superantur longe, vix enim ullum fœtoris genus animantium cruore sevoque pestilentius est. Nec sine ulla ratione alibi macella in civitatis extremitate collocantur, quoniam Geleb. LANZONIVS *in Epheb. German. N. curios. Cent. III. Obs. 68. de morbis Laniorum*, loca ejusmodi suspecta fere quoque reddidit ob exhalationes cadaverinas ex mactatis evaporantes. Inde fœdo faciei colore laniones tinctos esse perhibet & cachexiæ, hydropi, obstructionibus viscerum, scorbuto, ictero pertinacissimo, vertigini, pedum intumescentiæ, vomitui &c. obnoxios. Ejusmodi exhalationes cadaverinæ, licet exeant, recenter mactatis animalibus, nocivas tamen gratiosissima Facultas nostra Medica Lips. eas esse dixit, vid. B. AMMANNI *Med. Crit. Cas. 82.* ubi de pellibus recenter abstractis res agitur. Si igitur pelles modo abstractæ, in quibus paucissima carnis & pinguedinis quantitas superest, putredinem concipiens, suspectæ, ea ratione sint, multo magis esse possunt adeo multa animalium cadavera in macello per plures dies imprimis tempore æstivo venum exposita. E re quoque esset, si & aliæ officinæ extra urbem proscriberentur, ex quibus quotidie effluvia minus salubria & adversa aëri accedunt, ut sunt pellionum, conf. P. AMMANNI *Med. Crit. p. 538.* & eorum, qui ex sevo sæpissime rancido coctione candelas sebaceas & saponem præparant, simulque fœdas exhalationes aëri

immittunt &c. Per obſervationes enim conſtat penes has habitantes, & magis adhuc hos labores tractantes, inappetentia perpetua, nauſea & doloribus capitis, vertigine, oculorum rubore, reſpiratione difficili laborare, ac fœminas uterinis affici paſſionibus. Conf. RAMAZZINI *de morbis artif. Cap. XVI.* & BORRICHIVS *in Obſ. 86. Vol. V. Act. Hafn. p. 209.* ZACHIAS *Quæſt. med. legat. T. VI. Lib. V. Quæſt. VII. p. 442.* Ejusmodi caſus tragicus in hac ipſa noſtra urbe non ita pridem accidit in operario qui aperta cloaca in quam acre & fœtidum hoc ſaponariorum lixivium confluebat, ex attenuato hoc halitu aërem nimium expandente & elaſticitate ſua debita privante repentina ſuffocatione mortuus decidit. In hunc cenſum quoque veniant olearii, & ii, qui chordas ex animalium inteſtinis præparant, vid. ZACHIAS *Tom. I. Lib. V. 4. 97.* Modo laudatus RAMAZZINVS verendas quoque habet Stannariorum & omnium eorum, qui mercurium tractant, opificinas. vid. *p. 41.* conf. & B. ETTMVLL. *Colleg. Conſult. Caſ. 17.* His adderem tabernas eorum, qui ſalſamentorum varia genera, piſces induratos ſaléque confectos haleces, aſellos &c. & ſæpius corruptos, veteres caſeos item & lardum, adipem & ſebum vendunt, quæ ſane non aromaticum ſpirant odorem prætereuntibus quæ fuga, quæ obturatio narium, quæ ſputa, atque exſcreationes! certe nullus eſt putror cum piſcium fœtore conferendus. Jam dudum item Romani reputabant per ſalſamentarios inquinari civitatem, infici terram, aërem, flumina atque adeo ignem, quod prudenter ex Jureprudentibus præter medicos admonet RIPA *de Peſte Tit. de remed. præſerv.* quare & A. 1680. ad avertendam peſtem lege publica cautum erat, ne hæ tabernæ in medio urbis in poſterum eſſent locatæ, vid. VOGELII *Annal. Lipſ. pag. 785.*

§. XIII. In ſuburbii orientalis parte extrema cœmeterio pro exportandis funeribus locus, optimo conſilio, ut decet, conceſſus eſt, pauciſſima enim funera intra mœnia aut in ipſis templis humantur. Effluvia nam ex ſepulchris per ipſos humi poros in auras exhalantia, inprimis non ſatis profundis & eorum frequenti apertione, exſpirantia non poſſunt eſſe non nociva, ſicque mortui vivos interficere valent, adeo, ut dubium ſit, an viva an mortua corpora contagio magis noceant, quare & JCti utiliſſime præceperunt ut ſepulchra ſatis profunda ſint CARPZOV. *J. E. l. II D. 373.* & demortui debito tempore ſepeliantur FINCKELTH. *tr. Concluſ. 25. 26.* SCHILT. *J. J. c. I. 2. tit. 14. §. 16.* Si enim in aliis cavernis & locis diu concluſis aër innibi corrumpatur, quod pauco & concluſo accidit facile, adeo, ut apertis eis, venenatus halitus exhalet,

cujus

cujus rei notabilia exempla legere quis poteſt apud IVLIVM CAPITOLINVM *in Vero* & GVAINERIVM *de peſte Cap. I. num. III.* magis aër in ſepulchris, in quibus cadavera in tenuiſſimam, volatilem materiem attenuantur, diu concluſus & iis apertis exiens putridis miaſmatibus refertus erit ejusmodi. Damnum hoc certius exſurgit, ubi ſepulchrorum ſpiraculis exitus in cœmeterium aut in ipſas ædes ſacras conceditur, quod ubique plane abeſſe deberet. Refert SCRETA *Tract. de febre caſtrenſ. Sect. I. §. 5. p. m. 72.* quosdam curioſitate ductos ſubterraneas Romæ collapſorum ſepulchrorum ſpeluncas intus videndi, a fœtidis exhalationibus fuiſſe necatos. Hanc cauſam & ulterius exponit Celeber. MVRALDVS *colleg. anatom. lect. 3. p. m. 58. ſeq.* Namque in templis ejusmodi & cœmeteriis ſæpius putridus fœtor nares offendit interioresque partes lædit, licet & non is ſemper eas feriat ſenſibiliter, ea tamen eſt multorum effluviorum vis, ut per multa notiſſimum eſt, quæ afficiat, modo non perceptibili ſemper, hinc refert RAMAZ. *de morb. artif. Cap. XVIII. p. 128.* quod nullum ſenem veſpillonem viderit, eosque febribus malignis, cachexia, catarrhis ſuffocativis aliisque gravioribus affectibus preſſos deprehendit. Taceo quod ſolus terror atque averſio, metus & nauſea quæ plurimis hominibus naturales ſunt, quas excitant defunctorum corpora, varias noxas, poſſint inferre. Salutis ideo publicæ intereſt in urbium interioribus & templorum pomœriis, multo minus in ipſis templis, utpote locis utplurimum diu clauſis liberamque expanſionem & ventilationem denegantibus, & ubi magna hominum concio convenit locum ſepulturarum non dare. Eapropter merito LILIVS GREGORIVS GYRALDVS FERRAR. *de variis hum. modis Cap. V.* conſuetudinem notanter taxat, funera in templis humandi, cum olim loca iſta ſub Chriſtianæ imprimis religionis initiis ſolum, martyribus relicta eſſent. Nec deſunt, qui autumant adverſus hic odor ut pellatur, morem illum Romanenſium introductum eſſe in templis thure & myrrha ſimilibusque ſuaveolentibus vapores excitandi. Nec minus veteres Græci atque Romani hoc in paſſu cautiſſimi erant, ut ex monumentis hiſtoricis *& ex lege 12. tabul. in urbe ne ſepelito*, eſt notum. Nam Imperatoribus ſaltem apud eos, virginibus veſtalibus, & viris de patria optime meritis, famaque clariſſimis, ut P. Valerio Publicolæ & Apoſthumio Tuberto. &c. Conf. SERV. *ad l. II. Æneid.* KIRCHMANNI *de funere Romanor. l. I. c. XX. Eutrop. l. VIII.* vid. GRVTER. *P. CCCCLX. No. I.* locus lege publica erat conceſſus, ut vetus marmor monſtrat. Quæ lex a THEODOSIO M. *v. cod. de ſepulch. violat. L. VI.* eſt repetita, & a Concil. Bracarenſi I. *can. 18.*

 A. DLXIII.

A. DLXIII. sancita, vid. SPANHEIM. *Hist. Eccl. p. 1081.* Athenienſibus hoc a Solone v. CICERO *II. de LL.* Corinthiis PAVSAN. *l. II.* Sicyoniis PLVTARCH. *in Vita Arati*, Siracuſanis CICERO *V. Tuſc.* Smyrnæis *id. pro Flacc.* erat interdictum. Sic & legimus Priamum Trojæ Hectorem extra urbem Darem dictam humo mandaſſe. Quanquam hoc mandatum eo reſpiciebat, ne ſanctum municipiorum jus pollueretur, ISIDORVS tamen *Lib. XIV. Orig. C. I.* hanc rationem expreſſe addidit: ne fœtore ipſa corpora viventium contacta inficerentur. Apud alios non minus hoc obſervatum eſſe ſcimus, ſic legimus in ſacris Bibliis, filium viduæ demortuum, cui noſter Salvator reſtituit vitam, extra urbis portam portatum fuiſſe. Ipſum Chriſtum in ſepulchrum in horto extra urbem repoſitum eſſe, item Abrahamum locum ſepulchri emiſſe in agro, quo omnes Patriarchæ ſepulti eſſent &c. Quid? quod ut ad rem, Lipſiamque redeamus, cui ſimile accidit. Refert enim PFEIFFERVS *in Lipſ. Lib. IV. p. 508. de obſidione A. 1546.* facta ſequentia: *Moris erat, ne terram hyberno frigore tum aſperam magno labore ſæpius aperire neceſſe eſſet, ut quolibet die unam tantum eamque grandem foveam in Paulinarum ædium veſtibulo, quod vicum Grimanum reſpicit, egererent, in quam ſimul omnium quotquot illo die aut mortis aut hoſtium telis abſumti eſſent, mortua corpora componebantur. Unde factum eſt, ut cumulo cadaverum defoſſorum humo non ſatis alte ingeſta contecto, æſtivis deinde diebus ingrata dulcedine noxius quidam putreſcentium corporum halitus, ſolis excitus radiis, ſpiraret, neceſſitasque afferretur, Paulinarum ædium procuratoribus, locus illum ad tres & amplius pedes terra aggeſta attollendi. Unde aream illam in altitudinem creviſſe nonnihil etiamnum hodie animadverti poteſt.* Ad hoc notatu adhuc dignum mihi epitaphium Celeberr. VERHEYENII propria manu ſcriptum, ac pro omni teſtamento relictum, videtur, uti eſt videre Anat. C. H. *ſecunda edit. compendio vitæ addito*, quod ejusmodi eſt: P. VERHEYEN *Med. Doct. & Prof. Partem ſui materialem hic in cœmeterio condi voluit, ne templum dehoneſtaret aut nocivis halitibus inficeret. Requieſcat in pace.* Quo SIMONEM PICTREVM, Pariſienſem Medicum, ſequutum hunc eſſe videtur, de quo idem LA MOTTE *d. l. p. 8.* refert. Re itaque ſe habente, Lycurgus Spartanorum Legislator ſapientiſſimus ex alia ratione cum Plutarcho laudandus, vid PAR. *Lib. I. p. m. 97.* quod ſanciverit, ut, omni ſuperſtitione ablata, mortui intra urbem humarentur, monumentaque ponerentur prope templa, ut hujusmodi ſpectaculis adoleſcentes adſuefierent, & ne mortis recordatione perturbarentur, neque eam exhorrerent.

§. XIV.

§. XIV. Undique extra urbem ædificiis interdiſtincti ſunt horti amœniſſimi atque nitentes omnis generis floribus, herbis, arboribus fragrantiſſimi, & adſpectu odoratuque jucundiſſimi in magnum ornamentum magnamque civium peregrinorumque ad nos iter facientium voluptatem, quorum non alibi facile major reperitur copia, atque non modici modo, quales Platonis olim aut Catonis fuerunt, panduntur, ſed & plures maximam admirationem tibi movebunt, ejusmodi, qui omnium deliciarum ſunt ſedes, & quos Acetæ Colchorum Regis Chloridis, Pomonæ Adonidis aut Alcinoi Heſperidumque Boeticis vel Corcyræis aut Romanorum, Pompeii, Saluſtii, Lucilli, viridariis quæ priſci adeo mirabantur & celebrabant ſimiles atque vix in Inſulis fortunatis quidquam jucundius, forte eſſe dixeris, quique vel in media hyeme veris opes & gratias atque amœnitates monſtrare & oculos paſcere atque exhilarare nareſque recreare & ſpiritus animales reficere poſſunt. Qua vergit ad orientem extra ſuburbia amplum agrorum ſpatium olitorii horti complectuntur, in quibus olera, legumina, plantæ, herbæ, radices edules feruntur, coluntur ac irrigantur. Quæris, an copioſi horti ſalubritati etiam aeris conducant, aut an aer in hortis ac circa eos ſit ſalubris? De his conſtans multorum, Autorum eſt ſententia, copioſos eos maxime in loco & aere humido, tepido, craſſo, impuro, ad oblectamenta conceſſos minus ſalubrem aerem reddere ob fimum ibi coacervatum diutius non raro ſervatum & ſtercorationes plantariorum frequentes atque pulvinorum, ut enim GALENVS *3. Epid. 1. conc. 14.* loquitur, cloacas latrinasque in hortos repurgant. Hanc in rem notabile eſt, quod Heſiodus ſtercorationes agrorum circa urbes damnet, ratus magis ſalubritatem aeris quam fertilitatem eſſe ſpectandam. Subſunt quoque aliæ cauſæ inſalubritatis, æque ſi non magis verendæ, ut zizaniæ, lolii, olerum, leguminum recrementorum, variorum vegetabilium in hortis rejectorum cumulatorumque putredines, qua de re funeſtum exemplum refert A. LVSITANVS *cent. 3. curat. 814.* Annumerantur his ab iis quotidianæ repetitæque irrigationes, quibus aeris humiditas inducitur, quare aerem eo nomine hortorum inſalubrem Galenus pronunciat, ſiccioribus vero naturis convenire eum FIDELIS *de Relat. Med. cap. V. p. 41.* ſcribit. His addunt multi culturam vegetabiliorum noxiorum, ut buxi, taxi &c. quam tamen utpote in regione temperata ſoloque ſubhumido nos adeo vix amplius timemus ac ne manducata quidem. Nec prorſus ſecundum alios alienum eſt, aerem in ipſis hortis eo modo etiam eſſe inſalubrem, qui earum reſpicit poſitum, ad fœcunditatem enim facit poſitus horto-

rum verſus meridiem & occidentem, quarum vero plagarum adſpectus ſanitati contrarius eſt, ſeptentrionalia & orientalia latera, quæ ſaluberrima ob frigiditatem plantis contrariam utplurimum vario modo vitilibus, dumis, vepribus, arboribus proceris &c. conteguntur, auraque reficiens impeditur & avertitur. In ſpecie quoque eos ſuſpectos magis habent hortos, quibus permultæ inſunt pergulæ aut ambulacra, quorum parietes ex dumis aut vepribus ſuperne committuntur ad radiorum ſolarium moleſtiam mitigandam, quia vapores ibi retinentur diutius. Addere quis poſſet, quod examina inſectorum frequentiſſima habeantur ibi & quod ex Anglorum ſententia, ſub maturatione fructuum horeorum effluviis multis fermenteſcibilibus, acidis, atmoſphæram implerent, quæ ad humores perducta ſimilem motum inducerent iis, unde inprimis dyſenteriæ, diarhœæ tunc temporis frequentiſſimæ & epidemicæ evenirent, quibus, qui in hortis & circa eos habitant, propius certiusque corriperentur. Inſuper hortulani morbis multis, febribus putridis atque malignis, purpuris, cachexiis, obſtructionibus viſcerum, hydropi, doloribus capitis, dentium, paralyſi atque ſimilibus obnoxii obſervantur. Conf. iterum RAMAZZINVS *de morb. artif. cap. XL.* Simile obſervatum reliquit P. ZACHIAS P. Q. M. *lib. V. tit.* 4. *Q.* 7. Conf. & modo adductus GALENVS *3. Epid. com. 14.* Eo & eorum collimat commentatio, qui *3. Epid. com. 13.* notant, Hippocratem notanter addidiſſe, ægrotum in Dealcis horto habitaſſe. Idem ſentiunt ac ſcribunt JCti prohibentes, ne quiſquiliæ olerum, leguminumque putredines habeantur. Vid. STRYK. *de Jure ſenſ. Diſſ. V. n. 35. ſq.* His pariter jungunt ſimilia in vicinis aquis macerationem lini aut cannabis (cujus tamen apologiam PASCHALIVS *inf. lib. 2. de cur. morb.* ſcripſit) aut ſparti & fimi intra ædes retentionem. Conf. & ſæpius adductus atque laudatus RAMAZ. *l. c.* SCHENCKIVS *Obſ. lib. 7. obſ. 8. de febr.* KIRCHERVS *ſcrut. peſtis Sect. 1. §. 1.* ut & SIM. PAVLI *in quatripart. botan. Petr. a Caſtro punctic.* aliique plures.

§. XV. Ejusmodi equidem allegantur ad aerem hortorum ſuſpectum reddendum, ſed juxta illud quod in liberiori aere ſint locati, ſubeſt ipſis in hortis quoddam, quod aerem quoque, ſi minus etiam laudabilis ſit, ſalvare ac corrigere poteſt: Arborum, herbarum, florumque ſuavium & præſtantium fragrantiam, aurantiorum, limoniorum, rorismarini, caryophillorum, jaſmini, roſarum menthæ, rutæ, nardi, lavendulæ, amaraci, ocymi, ſalviæ hyacinthi, narciſſi liliorum, rubi idæi, atque lauri &c. Vid. VERVLAM. *h. n. p. 954.* (ex cujus arboretis ſalubritas aeris

An-

Antiocheni collecta est,) atque similium, quorum oris atque temporibus nostris frequentissimus jam usus est, imo omnium vegetabilium gratum odorem recreantem & confortantem aëremque puriorem ac instaurantem atque efficacem reddentem (qui quidem non semper percipitur, bene vero a pluvia & imprimis mane vespertino & vernali tempore,) si nominaverimus rem ipsam certe indicavimus. Commemoremus porro repercussionem aëris ac ventilationem per arbores a parietibus, quibus circumdantur ac defenduntur horti, maxime, si vepres in altum ascendant, aut si ad septa arborum series sint positæ, aeris accessum admittentes ventilationemque juvantes, ibi enim putaret quis ventum semper lenem in partes spirare oppositas. Quæ præponderent rationes, videat æquus Censor. Est & alia aliqua adhuc salubritatis causa, quæ obtinetur fodiendo terram, ex qua, si solum solidius sit, & macrum magis, salubris atque reficiens odor in auras exsurgit, facile perceptibilis maxime iis, qui in terram procidunt & aliquantum manent ibi, ex quo vegetiores agilioresque, cibumque appetentes surgunt, quo nomine imprimis humus Ægyptiaca præclara est. Plura *vid.* apud. FER. IMPER. *Hist. nat. p. 289.* Hinc imprimis asthmaticis & phthisicis atque hecticis conferre probat BAGLIVIVS suadens ipsis ut arva colant iidem, *vid. oper. p. 387.* & BACO DE VERVLAM *H. N. cent. X. p. 954.* ubi viri amplissimi meminit longævi, qui mane semper ex gleba recenti, pura, odorem excepit. Mihi nondum memoria excidit, me in novellis Gallicis ante aliquot annos legisse, Regem Galliarum Lud. XIV. forte mortalis vitæ fastigio haud contentum ex multis per multa expertum, nullum genus hominum, iis, qui terram colerent foderentque esse vivacius, in horto, qui Versaliæ est, ejusmodi labores exercuisse quotidie.

§. XVI. Ut nostra contemplatio non debet saltem intra urbis suburbiique mœnia, aggeres, maceries, vacerras plancasque claudi, ita & in patulo campo ulterius spectanda est conditio rerum, secundum Hippocratis præceptum, volentis, ut universa terra consideretur, nudane sit, an arboribus consita, an densa, & aquosa, an aquis carens, & an concava sit, & æstuosa, vel alta & frigida. Urbem igitur eaque quæ ea complectitur loca, paulisper relicturos, nos statim vel invitos invitat & allicit amœnum illud Lipsiense nemus, sive illa, quæ a parte occidentali urbi proxime jungitur sylva, (der Rosenthal dicta) ad meridionalem & septentrionalem plagam arboribus proceris varii generis quercubus imprimis densa serie obsita, dumis ac virgultis copiosissimis intercrescentibus opaca atque umbrosa & in magnum spatium, in longitudinem multo

ma-

magis quam latitudinem extenſa. Ad auſtralem regionem qua unius horæ itinere itur hanc rurſus, ad occidentem protenſam iter facientes offendunt. Hoc nemus frondoſum, licet magnum oblectamentum Lipſienſibus afferat, in ſolo tamen cœnoſo, humido, (quod ordinario arboribus dives eſt,) ac paluſtri, aerem ſpiſſum, humidum, ſuffocatum, a ſole minus illuſtratum, turbidum, gravem & corruptum reddere magis poteſt, ſi eam medica cenſura feriat: Sub ſylvarum enim umbra variis exhalationibus ex ſoli indole excitatis, nec attenuatis, nec diſperſis aer imbutus manet, namque & ibi hyeme, nive liqueſcente, vere, autumno vero maxime ex pluviis frequentibus humiditates diutius ſubſiſtunt, lacunæ fiunt cœnoſæ, neque facile exſiccantur, ſed ſenſim aere calidiori accedente putredo concipitur, quæ putredinoſæ particulæ, per totum fere, (utpote in loco depreſſo condenſoque,) annum ibi detinentur, & ad civitatem vento ſemper imprimis ex occidente ſuperveniente feruntur. Per ſylvas etiam nebulæ non ejiciuntur, & ubi commorantur eædem, ibi & aer & aqua nocent. Inſuper & in vulgus notum eſt, loca ejusmodi ſylvis altis denſisque interdiſtincta frequentioribus humectari pluviis, aere humido circa illas collecto, alliſo, compacto, circumacto. Sic obſervaſſe refert *Excellent. & Clariſſ.* D. G. E. STAHLIVS *in Introd. in nov. Meteoroſcop. cap. IX. p. 75.* Circa Martisburgum & Lipſiam ſæpius pluvias decidiſſe; Halæ vero minime. Memoriæ proditum eſt paſſim, Antiquis in uſu fuiſſe poſitum, aerem ſylvarum ſucciſione purgare. Atque hodie adhuc loca paludoſa optime corriguntur, ſi opacæ ſylvæ demantur & per canales apertos perpetuo liber aquarum decurſus inſtituatur. Equidem ab aliis nec effluvia ſolum a ſoli vitio accuſantur, accuſantur quoque ea, quæ ab arboribus proveniunt ipſis in ſylvis creſcentibus. Sic de quercu forte, quæ numeroſiſſima hic ineſt quibusdam cauſa ſuſpicandi quædam erit, Helmontio qui credunt referenti *vid. Tim. peſt. p. 52.* ex numeroſa quercu in ſylva quadam exiſtente aerem aliquando lintea in proximis ædibus ſpirante auſtro, colore imbuiſſe flavo. Conf. & DIOSCORIDES *L. IV. c. XXIV.* BAVHINVS *Inſ. plant. L. a. c. III.* an autem prægnantem cauſam adeo habeant, videant ipſi, & annon numeroſa in ſpecie quercus effluvia potius ſalubria communicet, de qua exempla ex PAVLINI *erbaulichen Luſt. p. 543.* ut & de tilia, quæ hinc inde haud raro luxuriat, de qua & urbs noſtra quondam die Linden Stadt nominata eſt, petantur. Aſt ut offendiculum ita & juvamen aliquod aeri noſtro addit hæc ſylva, quemadmodum ex Dei omnis bonitatis fontis immenſa ſapientia & providentia, cuivis propemodum

terræ

terræ vernaculum pharmacum, vernaculis morbis oppoſitum, donatum eſt, nimirum, quod ea proferat ac alat magna in copia allium præſertim ſylveſtre, adeo ut & aerem atque atmosphæram per totam fere æſtatem admodum forti odore ejusmodi impleat, cujus ſale volatili proficuo aer ambiens ex parte corrigitur, & quod magnum in ſpatium longe lateque extenſa proceris atque frondoſis arboribus frequens ventos occidentales & meridionales nobis inſaluberrimos ex parte avertere poſſit. Si & paulo elatiori loco locata eſſet, ſimul ventorum orientalium & ſeptentrionalium circa urbem agitationem, reflectendo eos ut replicato motu peterent eam, augere poſſet commodius & utilius. Seorſim hic memoratur, ut quoddam in noſtra humo rarum, ſylva nempe abietina, hyeme quoque virens, quoniam in ſiccis, arenoſis & montoſis creſcunt locis, ad ſeptentrionale latus prope Breitenfeldiam clade Cæſariorum quondam nobilem ſita, quæ reſinoſa, balſamica adeoque ſalubria effluvia in viciniam mittit, vix vero tanta eſt, quæ aeris per ventos ſeptentrionales ventilationem impedire poſſet, neque vepribus & virgultis intricata, ſed, ut abietum indoles eſt, earum cacumina ſurſum aſcendunt, ut ſtemmata aerem transmittant liberius.

§. XVII. Situs cœterum, ſi ulterius in noſtra contemplatione & conſideratione procedamus, univerſæ urbis licet undiquaque per multa milliaria obtineat planitiem, liberos aeris agitationes admittentem depreſſior tamen ratione vicinorum & circumjacentium locorum, licetque ipſa in acclivi paulo loco poſita ſit: Si enim quis undique ſe convertat oculis, aut iter inſtituat, elatiorem ſenſim regionem videbit, excepta ſylva, hæc quousque etiam protenditur, humiliorem propemodum præ ipſa urbe obtinet ſitum. Depreſſior ejusmodi ac declivis ſitus, humiditatum collectioni atque effluviorum, cum aere majori commiſtioni difficiliorique ejectioni famulatur, atque aer ejusmodi in locis quaſi concavis a ſole contactus calidior eſt aperto, nec eo tamen minus denſior tanquam minus purgatus. Attamen is vix tantus eſt, qui aerem penitus concludat aut intercipiat adeo notabiliter, aut radios percutiat ſolares &c. Inſuper ex modo adductis & ex modo adducendis fit palam: Lipſiam ob ſitum ſuum hyeme habere ſolem, æſtate ex parte umbram, quæ pro optima locorum conditione ſemper eſt habita. Unde VARRO *L. I. de re ruſt. c. XII.* qui villam ſuam ad orientem poſuit converſam dixit ſe habere æſtate umbram, hyeme ſolem.

§. XIIX. Obtingit præterea, ut quotannis nec unica ſaltem vice præterfluentes fluvii circumjacentem declivem occidentalem & ſepten-

trionalem regionem inundent, quando a copiosis pluviis aut nivibus liquescentibus, aquæ præsertim ex altioribus & remotioribus locis, ex quibus affluunt, redundant in campos Lipsienses & maxime in sylvam ac prata adjacentia ibique persistunt diutius, ordinario autem totum latus sat spatiosum pratense & tantum non paludosum ad septentrionalem plagam & orientalem usque excurrens (die Gerber-Wiesen) per totum autumnale, hyemale vernaleque tempus aquarum colluvie inundatur. Quæ in solo per se palustri atque cœnoso pessima est conditio. Etenim, licet, exundantes fluvii agris fertilitatem, propter limum maxime, quem talis aqua secum vehit soleant impertiri, quod de Nilo veteres jam notaverunt, attamen stagnantes aquæ effluviis lentis ejusmodi replent atmosphæram & inde eo magis ipsa stagnatione ac mora pejores redduntur. Tunc & gramina non solum pro fœno defecta non exiguo damno corrumpuntur, sed & solum mucagine cœnosa piscibus & ranis forte ibi relictis corruptis & putrefactis commixtis obducitur, unde tandem putredinem concipit tellus, ingratumve pessimum atque nocivum fœtorem de se spargit & putridis exhalationibus, quibus nihil nocentius, aerem inquinat, ex quo putridi, maligni epidemici morbi facile procreantur neque alio tempore apud nos magis ejusmodi ingruunt. Relatum habemus tali acredine corrosiva infectas fuisse hasce aquas, ut ii, qui nudis pedibus eandem ingressi sunt ingenti atque molestissimo pruritu, ardore, tumore, tensione, pustulis rubentibus, atque adeo inflammationibus inde correpti fuerint, idque non solum in hominibus sed & anseribus, anatibus, canibus observatum. Dicto faciunt fidem, inundationes frequentes Nili (saluberrimi alias fluvii) totam regionem inundantes, frequenter pestem inferentes, si diu nimis, in terra etiam licet salubri persistant, ut paludosa exinde fiat & putrida tellus, & venti australes aut æstus accedant, ut immodicis vaporibus aqueis repleatur aer, & putridus evadat. vid. DAPPER *in Descript. Africæ p. 127. seq.* Atque inundationibus ejusmodi atticam pestem adscribit DIODORVS SICVLVS *Lib. XII.* Ab aliis multis observatum est per aquarum inundationes frequentes & magnos morbos subnasci imo novos atque malignos prodire, cujus rei exempla possunt legi apud BONFINIVM *Decad. 1. Lib. VIII.* BENED. SYLVATIC. *Consil. 14. cent. 1.* MONTANVM *Eph. G. N. Curios. anno IX.* ex RAMAZZINI *observ.* PECHLIN. *observ. XVII.* COBER. *de morb. castrens. D. III. obs. 5.* FOREST. *Lib. VI. de febr. & morb. epid. grassant. p. 162.* LANCIS. *Tr. de noxiis palud. effluv.* LIVIVM, VALLERIVM MAX. *&c.* Ab excell. atque longe Celeberrimo D. FRID. HOFFMANNO, Hallensi recen-

recensitum habeo, D. Schaefferum Practicum quendam Magdeburgicum solertissimum ex ventis orientalibus per inundationes Albis ad urbem Magdeburgicam accedentibus, purpuras petechias, atque ejusmodi febres exanthematicas atque malignas copiosas brevi insequuturas prædixisse observationibus per multas annorum series factis. Hinc omnes illæ civitates maris fluminumque inundationibus subjectæ, frequentem patiuntur pestem, ut Roma, Venetiæ, Ancona, Constantinopolis, Smyrna, Cairus, Alexandria & circa universum Archipelagum, totus item Danubii propemodum per Hungariam tractus, &c. Pessima circa has inundationes quoque causa est, & incolas proxime lædit, si aquarum inundationes in domicilia, in hypocausta ac cellas atque puteos redundant adeo, ut aquis tota sæpius repleantur hæc loca, cui incolæ suburbiorum Halensis & Ranstadiensis maxime sunt subjecti, quoniam variæ simul quoque impuritates ex sterquiliniis aliisque angulis eo abripiuntur longiusque ibi subsistunt, raroque aut nunquam evehuntur & recurrentes uda pavimenta ac parietes relinquunt ex quibus locis prodeuntibus vaporibus tetris, aer certius citiusque corrumpitur & corporum transpiratio adeo necessaria præpeditur, Hanc ipsam non minimam esse causam suspicor, nullibi urbis nostræ locorum frequentiores esse morbos incolis familiares ex putredine maxime oriundos & præsertim febres easque varii generis acutas, purpuratas & chronicas, apoplexias, paralyses soporosos affectus, pectoris destillationes, tusses, phthisin, pleuritides, peripnevmonias, rheumatismos, arthritides tumores œdematosos & similia mala, frequentioraque funera quam his ipsis in locis, maxime si postea ejusmodi colluvies venti frigidi flaverint.

§. XIX. Cum regio ipsa universa plana undique pratensis & ad orientalem & septentrionalem plagam fere campestris nuda atque aperta sit, calidior ideo censetur merito atque minus tempestatum variationibus subjecta, quibus obnoxia maxime sunt loca, quæ circumpositos habent montes. Cæterum tamen amœnissima & adspectu perjucunda est, quoque te vertas objecta variarum rerum facie acceptissimus tibi conceditur prospectus, mire oculos mentemque delectans ac recreans, & qui spectatores moratur. Pulcherrimum sane spectaculum virentissimam planitiem longe lateque patentem variisque quæ summa voluptate afficiunt, interdistinctam videri. Visuntur viridaria ac horti lectissimi, visuntur gemmantia prata, Hipponiensibus Brutiorum aut interamnæis in Umbria laudæisque apud Insubres graminum florumque ubertate haud inferiora, fluctuantes segetes, pascua, læta nemora, quæ Lu-

cania nemorosa his vix potiora ostendet, ariarum alitum concerta resonantia, visuntur fluvii, qui proserpendo regiones ambiunt ac rigant amoenitatemque augent &c. Attamen non quoque negandum, magna ex parte eam esse uliginosam & paludosam in meridionali & occidentali praesertim regione & non ad unius saltem milliaris spatium. Talis palustris regio juxta alia jam indicata etiam ob aeris inaequalitatem insalubris, nam circa meridiem calidior aer est, circa vesperam & per noctem imprimis autumno frigidior, quo nomine ideo etiam Hungaricus aer male audit. Ad orientalem vero plagam stratis interstincta est tellus firmioribus, arenosis, ficcioribus. Hinc vere praesertim & autumno matutino vespertinoque tempore fumi crassi & nebulae eaeque admodum spissae frequenter apparent, nam quo viscidior & crassior uliginosa terra eo spissiores ibi sunt nebulae. Seorsim hic nebula illa pessima memoretur quae bonam Lipsiam Anno M. DLXXX confoedavit atque affectos gravissimis deliriis conturbavit, citante Tab. Heidenreichio *in Chronico Lipsiensi p. m. 74.* Regio atque talis insalubrior est, si ad occidentem & adhuc magis si ad meridiem libere magis exposita sit, quoniam ventorum per se insalubrium, (quia nimirum humidi) per has oras spirantium augetur insalubritas, ut per ventos earum particularum atmosphaerae inhaerentium: Venti enim agitatione sua magna moleculas salino sulphureas, si quae jam adsint acuunt ac illas cum reliquis, corporibus hominum altius invehunt inprimuntque. Ideo e. g. eo nomine in Latio loca ob pomptinas paludes suspecta sunt maxime, atque omnis tractus in Italia ab Histria Ravennam usque, Samnii item regio campestris & tractus Beneventanus circa Telesiam, in Apulia circa Salapiam, in Campania Romana, Ostia & Terracina &c. potissimum autem ager Patavinus, qui aestivo tempore fere lethalis habetur vid. Donius *de restit. agri Rom. salubr. p. 86.* Ob hanc ipsam causam Hungaria insalubris quoque censetur. Ea propter & Fr. Valleriola *Locor. Com. Lib. II. p. 311.* cives Arelatenses adeo impense hortatur ac movet, ut paludes incolis infensissimae adjacentes exsiccentur, animum curamque intendant omnem. Hinc non adeo mala inventione, pessima tamen profecto intentione Clearchus, Tyrannus, ut cives occulto crimine tolleret e medio, sub media aestate educens exercitum castra civium in plano paludosoque loco, militum vero in altis, umbrosis, horridis aspectu montibus posuit interfluentibus aquis, longiusque expugnationem protraxit, donec cives exorientibus a vitio loci morbis perdidisset suos, notante Sabellico *Lib. VIII.* Aer quippe frequentius omnium a vaporibus ejusmodi qui con-

continue ex paludosis locis exspirant, humidis crassescit, qui inter mixtas sæpius fœdas habent impuritates salino sulphureas, acres, malignas, corruptas, putridas, ex variis exhalationibus certis temporibus per mixtionem productas, & per reactionem forte exaltatas, calore solis intenso, Cujusmodi illæ sint, apparet, dum rores atque pruinæ quandoque arborum atque plantarum fœcunditatem perdunt eisque variegatas maculas inurunt & eas corrugant corrumpuntque. Magis hoc confirmant observationes, referentes degustata vegetabilia tali nocivo rore, (qui frequens locis calidioribus & humidis Hungariæ, Siciliæ, Hispaniæ & Indiæ est) atque pruina imbuta, labiis atque faucibus ulcuscula, & nudis pedibus contacta, pustula excitasse. Conf. *Misc. N. C. Dec. III. an. 9. Obs. 93.* Hinc & nebulæ non raro odore gravi fœtido infectæ atque nocivæ habentur. Nullibi etiam adeo multos morbos endemios & epidemicos scorbutum maxime & alios similes imo malignos videbis, quam in locis declivibus, paluſtribus, densis sylvis frequentibus &c. Atque adeo aër pratorum insalubris censetur. Conf. RAMAZZINVS *de morb. artif. c. XL.* a quo varii morbi eorum, qui circa prata habitant, memorantur. Experientia vero exploratum est, paludes si exsiccentur & aquæ palustres deriventur, redire regioni & emendationem aëris & salubritatem, testatur hoc P. Sal. Divers. de sua patria & TH. IORDANVS *de pest. phœn. tr. III. c. II.* de agro pisano.

§. XX. Ex alio aliud sequitur vitium. Per regionem enim uliginosam fungorum & fœtidarum herbarum copia est, ac non solum ranarum, bufonum &c. multitudine scatet ea, sed & scarabæorum, muscarum, papilionum, aranearum, erucarum atque bruchorum edacium, in turmas sæpe edito stridore prodeuntium locustarum & culicum aliorumque vermium magnus est ea propter infelix proventus atque ejusmodi insectorum densa colluvies & intra ædificia speciatim & cimicum præsertim magna propago, quæ cubilia præsertim infestant. Ex insectis ejusmodi campestribus, quæ quandoque spaciosos agros quasi contegunt, fila meteorica vulgo dicta procedunt, quæ pascua sæpe animalibus noxia reddunt, quæ hic magno numero majorique quam qui alibi videtur, verno autumnalique tempore circumvolitant, arboribus plantisque adhærent, quæ quidem a Physicis vulgo ex soli glutinosi fibrosis particulis coalescentibus adscendere dicuntur, quod tamen conceptu difficilius est; Mihi vero ex propinquo examinanti observare licuit genus esse insectorum, minutissimarum araneolarum, quæ in agris ejusmodi atque pratis per gramina & stipites &c. telas suas arachnæas texunt ducuntque, quæ a

ventis dein abripiuntur perducunturque hic inde. In hujus aſſerti illuſtrationem & aliqualem probationem eam ſiſtam relationem, quæ invenitur *in Actis philoſ. Societ. Angl. ab* H. OLDENBVRGIO *collect. p, 665. Menſ. Octobr. A. 1668.* de araneis in Inſula quadam inter Bahamas quæ filant telas ſuas inter arbores ab invicem ſeptem octoque Orgyas diſtantes quas ventus ab una arbore ad aliam abripit, adeo craſſas ut avem magnitudine turdi irretiant. Terra enim ejusmodi uliginoſa, non modo ſi armatis inſpiciatur oculis, copioſa foliorum, ſeminum, florum, cauliculorum, radicum, herbarum putreſcentium ſe iſtis congeries ſiſtit, conf. LEIGHIVS *Actis Erud. Lipſ. Ao. 1701. p 512.* ſed & tota ſcatet vermibus, quod experimento fit palam, ſi hyeme fruſtum in calidum deportetur hypocauſtum. Inſectorum vero & malorum animalculorum copia, quæ in regionibus paludoſis ut v. gr. de Hungaria habetur frequentiſſime invenitur notam aëri haud bonam imprimit quod VERVLAMIVS exponit, vid. *Oper. pag. 923.* ea propter etiam Roma ac in Hiſpania Valentia ſunt famoſæ. De Hungaria modo nominata mihi in mentem incidit, me aliquoties legiſſe, ibi in certis præſertim locis ad Danubium ſitis muſcas invenire in magna quantitate, adeo venenoſas ut ſi equos aut boves ictu læſerint, eorum corpora præter modum inflari & intra paucos dies mori & ſi muſca talis quidam aures aut nares irrepſerit, animalia extemplo interire. Certiſſimum ſignum diu habitum fuit inſequentium morborum, malignorum imo non raro peſtis &c quando ingentia inſectorum examina obſervata ſunt. Teſtimonia petantur a IOH. DAMASCENO *aph. 132.* RIVERIO *obſ. 9. p, 697.* VERVLAM. *oper. pag. 923.* VALERIOLA *obſerv. Lib. II. p. 95.* Hæc cuncta ſale cauſtico gaudent & aërem ſimilibus nocivis impraegnant particulis, atque juxta alia mala phthiſin dein præſertim inducunt facile, quod exemplo eorum probatur, qui bombyces alunt & ſerica tractant. Hæcque in plantis copioſiſſima ovula ponunt, quæ dein homines iisdem manducatis ſimul in corpus aſſumunt. Major adhuc aëri labes impendet ſi moriuntur & putreſcunt ranæ, locuſtæ &c. cujus exempla paſſim reperiuntur multa, vid. PETRVS a CASTRO *de peſt. Neapol. & Genuenſ. p. 43. ſeq.* Ipſæ ſacræ literæ memorant quoddam *Exod. cap. VIII. 14.* AVGVSTINVS *lib. de civit. Dei cap. XXXI.* & OROSIVS *lib. V. cap. XI.* ſcribunt, in Numidia a locuſtis mari demerſis & inde a fluctibus in littus rejectis peſtilentiam ortam eſſe, quæ ingentem hinc inde hominum ſtragem edidit. Notabile illud eſt, quod annales noſtri referunt de magnis inſectorum examinibus ex Lithuania venientibus An. 1542. & 1553. & Poloniam, Sileſiam, Miſniam &c. infeſtanti-

ſtantibus. In recenti erit memoria, magna illa locuſtarum copia An. 1693. Miſniam, Thuringiam, Voigtlandiam &c. pervadens, quam in ſequentibus annis multi morbi maligni atque petechiales inſecuti ſunt. Hinc naturæ conſulti autumant (ut obiter hoc adjiciam) ex Dei ſapientiſſima providentia ſingulari, aves quasdam hirundines, rubeculas, corrucas, paſſeres &c. culices, muſcas aliaque ejusmodi inſecta captantes eſſe creatas, ut aërem iis purgarent.

§. XXI. Solum quoque de reliquo reliquum omne pingue eſt atque fœcundum & alendis frugibus mite, nusquam hic ſteriles dominantur arenæ, unde agri feraciſſimi alaudas opimas adeo undique laudatas alentes & ruris fœcundi, dives ibi copia, quæ pleno fluctuat arvo & concredita quæque ſemina multiplici reddit fœnore, nec interquietii (ut ajunt,) unquam indigent, quæ etiam loca ſemina non ferunt, pabulis opimis vigent atque luxuriant, ut ter quaterque falces patiantur. Felices ideo agri Lipſienſes felicis Arabiæ parum ſecundi aut Ægypti, Campaniæ, aut Siciliæ. Arboribus inſuper fructibus, plantis & herbis varii generis frequens noſtrum eſt ſolum. Lucroſum idcirco quidem eſt ac ea propter quidem merito laudandum, ſed & ob hoc ipſum non adeo ſalubre cenſetur, ut ex contrario arenoſum, aridum, montanum & ſterile quidem, ſed ſalubrius magis habetur. Id teſtantur Africæ regiones, vid. P. DV VAL. *Geogr. General. P. I. p. 210. &c.* & in noſtri Orbis Terrarum parte Marchiæ Brandenburgicæ, Voigtlandiæ, Helvetiæ, Rhetiæ ſeptentrionaliumque climatum incolæ, qui præ aliis Europæis juxta Anglos & Gallos ſunt ſani, robuſti atque longævi. Quippe talis viſcoſa & humida humus corrumpit aërem effluviis viſcidis, lentis, humidis, craſſioribus ſuis. Hinc Sardinia Inſula ut fertiliſſima laudatur, culpatur vero ut peſtilens. Hinc Romanæ eloquentiæ Parens, Cicero Q. Fratrem monet, ut valetudinem curet, memor, quod cum optime valeret, tamen eum in Sardinia eſſe. Atque in epiſt. Tigellium quendam Sardonum hominem eſſe ait, patria ſua peſtilentiorem. Atque ejusmodi mitis terra æſtate & tempeſtate ſicca facile ac cito aërem copioſo pulvere replet. Ex ſoli deinceps (ut obiter ſaltem hoc moneamus) indole ut aëri ita & frumentis oleribusque, herbis, plantis, arborum fructibus imo animalibus & cibis potibusque per conſequens quoque qui exinde parantur, vitium etiam ſubnaſci patet, v. gr. de paſcuis agro Lipſienſi interdiſtinctis hoc in vulgus notum eſt, oves in iis enutritas, ut viſcidioribus & pinguioribus intra trium annorum ſpatium ulceribus pulmonum & hepatis non raro vermiculis copioſis ſcaturientibus

morte

morte interire (sie fressen sich faul) ex quo indicio quondam quidam insalubritatem regionis æstimabant, VITRVVIVS enim ita scribit: *Veteres oppida & stativa castra condituri inspiciebant jecinora pecorum, quæ pascebantur in his locis, quæ si livida & vitiosa deprehendebant, solum vertebant, alio commigrantes.* Atque ex agris uliginosis, limosis, inquinatis & viscosis vegetabilia succrescunt, quæ simile nutrimentum deinceps concedunt. Cibi enim exinde parati ob frigiditatem, ut dicunt, ac humiditatem maxime sunt insalubres. Sic fructus, qui circa Phasin fluvium in Getarum regione nascuntur, omnes insalubres esse dixit HIPPOCRATES *lib. de aëre, aq. & loc.* conf. FERRANDI IMPERATI *Hist. Nat. Lib. VIII. c. XII. p. 284.* & LEMNIVS *in O. N. Mir. P. II. Lib. VI. cap. XIX.* Sub nimia enim humiditate putredo concipitur, seminaque inficiuntur, salina & sulphura caustica luxuriant & corruptio quædam insurgit. Hinc ejusmodi frumenta citius a vermibus arroduntur, citiusque situm contrahunt & corrumpuntur & liquores exinde parati citius acescunt. Verum frumenta, quæ in aridis & arenosis agris & collibus succrescunt meliora & a Medicis habentur. Pariter (ut plura non adducamus ne longius discedamus) vinum, quod, ut exploratum est in locis præaltis, circa fluvios sitis, sabulosis, lapidosis, aridis, salubrius longe est, eo quod planis a fluminibus remotis, pinguibus subnascitur locis, illud tenue atque subtile invenitur, quod per angustissima emunctoria citius transit, nihilque crassi heterogenei in corpore relinquit; hoc vero calculum obstructionesque varias viscerum producit, illud ejusmodi mala curat atque præservat. Nullum enim est dubium, terram, quæ vegetabilia alit ac fovet, succum, quem accipiunt per eorum radices & tubulos, suam quoque indolem, suas proprietates singulares impertiri. Imo ex solo gustu differentiam percipimus: Sic in Belgio ob solum præhumidum arborum fructus, plantæque minus sapidum referunt saporem, nec vulgo ignotum est æstatem siccam præ humido meliores sapidioresque fructus proferre. Confirmat hoc ipsum vegetabilia effluvia, eorum, quæ sub terra conduntur, alterare, sic v. g. notissimum est vineas Hochheimenses celebratissimas, quoniam magna ex parte continent carbones fossiles, vinum inde succinum quasi spirans concedere &c. Cochleæ porro, quæ in locis arenosis, montosis, circa vineas, reperiuntur longe teneriores & salubriores iis, quæ in terris limosis, censentur. Conf. LEMNIVS *in Occult. Nat. mirac. P. I. Lib. V. Cap.* Præferuntur etiam carnes ferarum juxta alias etiam ex ea causa, quod animalia domestica, quæ aluntur in stabulis impuris ac fœtidis, talem hauriant

aërem

aërem & quod ſimiles procreentur humores carnes quoque alterantes, conf. WIRDIGIVS in Medic. ſpirit. curioſa P. II. c. XII. Intereſt hujus, quod præter alia & HIPPOCRATIS teſtimonio Lib. de a. a & L. hauſtum habemus fructus, plantas, animalia, gemmas, mineralia, quæ in eo terræ tractu, qui orientem ſolem reſpicit, creſcunt, bonitatis, præ cæteris nota gaudere. Conf. modo cit. FERRAND. IMPER. l. c. c. IX. p. 280. Tandem etiam applicatione facta explicatius de noſtro ſolo ſimul perſpicere jam licet, quoniam eſt pingue, molle & nigrum, quod facile humeſcat ac diſſolvatur, facileque iterum a calore humorem extrudente areſcat: etenim ſi per paucas ſaltem horas pluvia cadit, cœnum mox abundat, rurſum ſi per paucos ſaltem dies ardor ſolis fervet, protinus exſiccatur, adeo ut pulverem copioſam mox ſpargat, cujus miſcela tunc elevatis nimirum in aërem pulverulentis & arenoſis particulis incommodus redditur, exinde enim & oculi & pectus atque pulmones læduntur, ſi copioſe illæ illabantur, & inſpirentur, de quo vitio Arabia deſerta ac loca vicina ut & in nova Hiſpania urbs Mexicana laborant, ut peregrinatores ſcripto teſtantur.

§. XXII. Circa aëris conſiderationem denique venti, qui aëris ſunt ſenſibilis agitatio & fluxus ab ejusdem mutato æquilibrio pendens, imprimis non ventis (ut ajunt) tradendi, quos Summus rerum Arbiter ac Moderator Deus, ad cuſtodiendam cœli terrarumque ſimulque aquarum temperiem dedit, (ut cum SENECA loquar *quæſt. natur. Lib. VII. c. XVIII.*) Quietus & non ſatis motus aër magis magisque noxia colligit & retinet effluvia, magis vel ex ipſa ſua ignavia corrumpitur & ad putredinem eſt valde proclivis, verbo venenum æmulatur, ut recte agitatus ventisve expanſus ſoleque attenuatus atque illuſtratus medicinam univerſalem: a motu enim plurimum habet ſalubritatis, quo quicquid ſqualidum eſt & inſalubre, ejicitur, qui quo agilior eſt eo magis a labe vindicatur aër. Notiſſimum eſt Auſtriam aut ventoſam (ventoſam autem eam eſſe atque generari ibi plures flatus abundantiæ nitri & ſulphuris exinde tonationibus plurimis factis adſcribit PAVL. de SORBAIT in *Operib. med. p. 380.* dici, aut venenoſam, (ob multos fœtidos vapores ex Danubianis littoribus & inſulis ſordidis exſurgentes) & de Avenione ſpeciatim habetur, morbos ibi, ſi non venti regnent, regnare, quale etiam de noſtris regionibus eſt obſervatum, quemadmodum IOHANN. FIEDLERVS, *in der Müglischen Chronica P. I. p. 88.* ſcribit, quod Anno 1382. per totum annum nullus ſpiraverit ventus, ex quo multi morbi epidemii inſecuti fuerunt. Hi namque ſunt ſcopæ terræ gentis humanæ ſe-

dis & domicilii, quæ eam ſimulque aërem everrunt & mundant, ut verba BACO de VERVLAM. *in præfat. ad hiſt. vent.* jam mea faciam. Igitur ſunt maxime attendendi, ſenſibiles illi aëris motus, quique ſenſibiliter aëris mutationem ſive in melius ſive in deterius ſæpius quoque inferunt, adductis ex aliis locis aut bonis aut malis qualitatibus: Omnis enim aëris conſtitutio a ventis potiſſimum dependet: ac ſi aër tantam potentiam poſſideat, tanto majorem ventus. Singula autem loca certis quibusdam ventis ſunt expoſita. Et ſunt quidam, quorundam imo multorum ſatis vernaculi quaſi venti, qui non adeo longe lateque vagantur, ſed proximum tantum feriunt locum & ad alios non facile transmittuntur, quique non immediate ſemper magis ab Univerſi cardinibus & ex longinquo procedunt, ac privatim quaſi regioni aut obſunt aut proſunt, ſic v. g. Scython Athenas, Japix Calabriam, Apuliam Apulus, Pamphyliam Chagneus, Galliam Circius pervadit, & Galliam in ſpecie Narbonenſem, Narbonenſis ideo dictus, Neomagum in Delphinatu urbem exagitat. De deleterio illo vento & Samiel & Bade Sambour dicto Arabiam adjacentesque regiones æſtivis menſibus conturbante TAVERNIER *in Itiner. Perſ. Lib. V. p. 301.* legendus. Cauſa horum eſt ſitus regionum aut urbium, quoad vicinos montes, ſpecus, valles, directionem venti præſertim producentes & turbantes, ut & aquas, maria, lacus, fluvios, ſylvas, ad ſolem ſitum, effluvia ſubterranea forte. v. g. Vaporibus reſolutis, in anguſtum aliquod ſpatium intra montes a nubibus coactus aër ſi cum impetu tranſit, aut ſi ventus, ex quacunque etiam ora ſpirat & in contraria parte montes aut denſas ſylvas petit objectas, tranſitum vero per eas non inveniens retrovertitur, in majus ſpatium disjungitur aucto niſu interjacentem civitatem redit &c.

§. XXIII. Equidem Lipſia peculiarem ſenſibiliorem & notabiliorem adeo ventum, aut ſtationarium aut periodicum aut continuum, qualis v. gr. in Zona torrida inprimis ſub æquatore obſervatur ab oriente proveniens regularemque dictum, aut certo anni tempore, certo die horaque, certo menſe aut anno revertentem, per certumque ſaltem tempus durantem, qui ſeorſim nominetur & deſcribatur, neſcit, cum neſciat montes, maria, flumina, littora grandia aut alia, quæ præcipue ejusmodi producere poſſent, & modo ſunt indicata. Nec adeo etiam ea id dolet, cum univerſalibus ventis ſint inferiores, quoniam ſunt ſegniores, non adeo agitati neque adeo expurgati. Ventos nam ſimiles eſſe fluminibus AVERHOES ait *2. Meteor. cap. 11.* qui excurrendo fiunt majores, accedente in progreſſu ſubinde materia, pabulo augmentoque a vaporibus &c.

His

His prælibatis ulterius diſpiciendum eſt, quibusnam ventis urbs noſtra frontem habeat adverſam quibusve averſam. Frequentiores ex irregularibus dictis apud nos primum occidentales quibus ut plurimum miſcentur meridionales demum, venti obſervantur, atque mane potiſſimum ſentiuntur, quod commune fere habent omnes venti circa aquas majores conflantes, ut advertit BACO de VERVLAM. *Hiſt. ventor. p. 449.* qui in noſtram temperatam regionem & quidem Lipſiam ſuper copioſiores paludes ſylvis obſitas per non unius milliaris ſpatium jacentes delati, in nubes denſas condenſantur & quaſi conglobantur, hinc & impetuoſiſſimi hi omnium ſunt & procelloſi, quique inſuper pluvias pariunt, & ſi cum ſeptentrionalibus junguntur, quod ſæpiſſime etiam accidit, vehementiſſime ſæviunt & damnoſiſſimos atque lugubres producunt effectus, ut arborum dejectionem, tectorum deturbationem, imo ædificiorum integrorum horrendam ruinam ac ſubverſionem, ſuntque humido frigidi, nebuloſi, pluvioſi, nubiloſi, copioſiſſimos enim ex Oceano Atlantico vapores aquoſos jam ingerunt, quos cum illis paluſtrium locorum noſtrorum propinquorum ac ex iis corruptis & pernicioſis miſcent atque coinquinant, pejoresque eos faciunt atque adverſos, unde catarrhi hisque conſimiles morbi inducuntur. Dein frequentes & ſenſibiliores ſunt nobis aquilonares, quorum ubique major eſt numerus, quia in hac plaga plus nivis & aquarum depellitur, quibus liberior, nullo interjecto notabili per multa itinera impedimento, patet aditus. Ex alto hi magis feruntur e terris nive glacieque contectis ac gelu conſtrictiſſimis ex mari glaciali prorumpentes, hinc aërem craſſiorem inferunt atque imbres largiores frigusque humidum progignunt rectilinei, elaſtici, frigidi, ſicci, ſereni, limpidi, ſubtiles, particulis nitroſis copioſis, utpote ſumme laudabilibus referti & violenti ſunt, æquales tamen & conſtantiores, adeoque intimius penetrant, refrigerant, ſtringunt conſtricti corpora, terram &c. ſicque impediunt ne tot atomos immittant aëri, ſiccant, putredinem arcent & excrementa & effluvia craſſa, humida diſſipant, repurgant, corrigunt, abripiunt. Cum enim humidæ particulæ reſiſtant minus ſublato æquilibrio dejiciuntur aëremque ſic ad ſalubrem redigunt modum, nubes fugant & ſerenitatem aëri, ſenſibus, animisque alacritatem afferunt, appetitum augent fibras roborando & inſtigando motrices, ſpiritus in corpore detinendo &c. Robuſtiores, ſaniores, coloratiores, vegetiores, langævosque reddunt homines &c. Hi ab HIPPOCRATE *lib. de morb. ſacro* ſaluberrimi omnium habentur, nam licet etiam in loco ſint paludes modo detur acceſſus Boreæ aër ab iis ut & orienta-

libus corrigitur. Ob hanc ipsam rationem juxta eam, quod mari proximæ sint, per cujus motionem perpetuam stagnorum putredo avertitur, & altiores VITRVVIVS *Lib. I. c. IV.* paludes circa Atinam Ravennam & Aquilegiam, ut & ORIBASIVS *S. Collect. c. III.* Ægyptiacas minime damnant, eæ namque simul exsiccantur, ex quarum exsiccatione exoritur ventus, is namque qui ex humiditatibus crassioribus, quales sunt paludosæ, generatur, diutius durat, ut observatio fert BAC. DE VERVL. *in hist. vent.* Adhuc GVILIELM. PISO *Hist. Nat. & Med. Lib. I.* Brasiliæ quandam regionem lacustrem licet tamen salubrem esse narrat. Hinc notante COELIO RHODIGINO *Lib. XX. c. XVIII.* in Lesbo insula incolæ ægrotantes extussi maxime, flantibus Coro austroque septentrionali superveniente, convalescunt citius. Constat observationibus, eas regiones ac urbes, quæ ventis septentrionalibus patent pauciores leviores que experiri morbos, conf. iterum VERVLAM. *H. N. p. 451.* PLINIVS *Lib. II. c. XLIX.* CELSVS *Lib. II. c. I.* RHAZIS *Lib. V. de re med. c. IV.* HIPPOCRATES *Lib. de A. A. & Loc.* pariter affirmat, incolas regionum, quas venti frigidi & sicci afflant, esse sanos atque vivaces, atque Aristoteles illas urbes his expositas saluberrimas pronunciavit. Apud nos idem experimur, æstate imprimis existente sicca & temperata, quæ ad spirituum animalium adeo utilium elaborationi omnium aptissima est, frequentibus ventis orientalibus & septentrionalibus paucissimos nobis esse morbos, paucissimaque funera. Quinimo in genere hoc affirmandum est. Æstate calida maxime & sicca, per quam nimirum transpiratio corporum liberior est, jugis & ordinata bene, humorum circulatio optimaque fibrarum constitutio, apud nos quoque pauciores dari morbos, ideoque hic minus illud ARISTOTELIS valet, quod per æstatem magis adversa valetudine homines laborent, vid. *Problem. XXIV. Sect. I.* quod quidem etiam alias & in multis locis verissimum est, sic apud LIVIVM legitur *Decad. I. Lib. IV. c. XVI.* pestilentiam olim ortam esse a siccitate æstatis, & *Lib. V. c. VIII.* similiter esse natam pestilentiam in agro Romano ex siccitate & caloribus nimiis; menses enim æstivi juxta alias causas ob ventorum requiem & exhalationum densitatem aërem habent magis caliginosum alioque modo minus convenientem. Atque ob defectum humidi blandi irrigantis solidorum corporum partium tonus nimis intenditur & rigidus evadit, & salia & sulphura fluidorum præter naturam exaltantur, volatilisantur, acuuntur, resolvuntur & effervescunt. E contrario autem quo magis æstate calida & sicca, Lipsiæ salubrius vivitur, eo magis humida & frigida etiam insalubrius, utpote aëre per se

humido

humido & crasso. Sequuntur in nostro ordine intermedii venti & ex his imprimis nobis notatur Euro-Boreas, hic quoniam occidentalibus & septentrionalibus intermedius est, vehemens, humido-frigidus est, procellas, imbres, grandines, nebulas, pluvias, nives, tonitrua, affert, æstate vero æstum temperat &c. Hunc excipit Africus, sive meridionalis qui inquietus est, nubilosus, nivosus, pluviosus, humidus, frigus temperans, fulgura tonitruaque inferens, atque nobis quoque præsertim æstate atque autumno insaluberrimus est. Quoniam urbs ita est sita, ut non per unius milliaris saltem spatium campi pateant ad solis ortum, liberior quoque subsolanis panditur accessus, quamvis raro puri esse soleant sed septentrionalibus sæpe mixti. Hi ex exsiccatis quidem proveniunt locis & per vastissima Asiæ spatia transeunt, calidi ideo sunt ficciores purioresque, & aërem intenso æstu exagitant alias; nobis vero non raro vernali tempore frigus inferunt satis intensum, quia ad nostram regionem supra Bohemiæ, Misniæ & Variscorum altos montes nive tectos proveniunt, secumque ex nivibus liquefactis partes subhumidas & frigidas advehunt, hinc & eo tempore pluvias per aliquot dies durantes efficiunt, hieme vero rariores nobis æque ac aquilonares impertiuntur nubes. Aërem enim considerare oportet, non tantum eum qui singulis locis incumbit, sed & qui ex discitis longe huc illucque versatur vel vi sua leniter fluente, vel ventis atque aëris impetu. Sunt insuper mites quoque atque æquales & temperatæ, magis attenuant quoque atque expurgant, indeque animantibus salutares habentur. Nec etesiis anniversariis illis refocillantibus æstuante æstate ventis iisque satis non raro frequentibus regio nostra destituitur. Notanter supra dictum est aquilonares nobis esse omnium sensibiliores, iis nam urgentibus ineunte vere maxime febres intermittentes, urinæ suppressiones, calculi dolores, alvi adstrictionem, ophthalmias, pleuritides, peripneumonias, raucedines, tusses, coryzas, catharrhosque alios & similes in sensibilioribus aut excitant aut certe exasperant contumacioresque reddunt, eosque ad ferventem protrahunt æstatem. Hinc & non inconsultum erit monere atque hortari, suadente aëris indole, corporumque constitutione eos imprimis, qui ab ortu habitus laxioris & mollioris, tenerioris atque sensibilioris sunt naturæ, quorum corpus humoribus serosis aliisque tumidum atque distentum est, atque plethora molestatur, vel qui doloribus omnis generis omniumque partium præsertim oculorum plerumque inflammationibus obnoxii sunt, & ad calculum, difficultatem urinæ & phthisin, hæmoptysin, apoplexiam, para-

lyſin, proni, ut & ex morbis gravioribus convaleſcentes, & ratione ſexus quidem fœminæ & ætatis pueri, ut conſulant ſanitati & ſaluti ſuæ, & vere ineunte imprimis atque autumno, ſub his, (quia ſunt aſperi nervis ideo inimici & violenti qui intimius penetrant fortiusque afficiunt, & inſenſibilem tranſpirationem impediunt, eaque ſuppreſſa præter alia ſi plethoram generant, fibras tendunt & ſtimulant & ad humiditates ſuperfluas fundendas ſenſibiles partes irritant, quo quidem per accidens potius iidem alias ſalubres nocere videntur,) proximum aëris contactum avertant, bene veſtibus ſe muniant neque incaute iis corpus exponant. Etenim ſi hominum corpora ab aura & ventis humidis & tepidis magis conſuetis laxata magis ſint atque aperta, repente exorientibus & furentibus rigidis ex Borea ventis citius, facilius pejusque læduntur. Inſuper aëris æqualitas ſat bene apud nos ſe habet, quæ æque ac bonitas ejus ſpectanda, quæ ut advertit BACO DE VERVL. in *Hiſt. Vent. M.p.517.* in loco manſionis mala, verum mutatio aëris in peregrinatione bona.

§. XXIV. Cæterum clementi ſat vultu reſpicit & bona utique temperie conſervat ac ſuſtentat Lipſiam, ut totam Miſniam Cœlum. Atque eſt melior longe noſtrorum locorum conditio, quam multorum aliorum; nec habet quidquam de quo ſeorſim conqueratur. Anni tempeſtates ſecunde inæquales; & æſtas & hyems modo ſat bene ferendo excipiunt ſeſe; calor longior frigore, hyems ei ſera rarior. Non eam æſtus cœli & aëris violentus & torrens exagitat; qui Lemptæ & Sarræ Africæ Ormuz æque exurit eremos, & qui uſum vetat veſtium, atque ſudores colliquativos provocat, nec Mauritanorum latibula ſubterranea eapropter deſiderat. Non eam aſperum ac ſævum gelu hyemale adſtringit, quo Novazembla & terra Corterialis riget. Non perpetuis ea ventis quaſſatur ut civitas Gonœſſenſis in Aetolia de quo loquitur SENECA in *Troade: an carens nunquam Gonœſſa vento.* Nec dies ob æſtum nec noctes ob frigus infelici repentina mutatione, adeo incommoda ſunt, ut quidem in Japonia, Italia, & præſertim Romæ, Braſilia item ac in vicina Sileſiæ, Hungaria ac huic annexa Transſylvania, ubi facies totæ ſudoribus de die continuis perfunduntur, de nocte pruina, rigent capilli. Non affligit eam malus Jupiter, qui Cimmerios, Arcticos & Antarcticos, Magellanicos contriſtat. Nobisque ob hanc cœli ſolique infelicitatem nulla hominum paucitas. Raro nobis flatus ſonitusque horribiles ventorum atque procellæ aut terræ motus metum incutiunt, raro cœli minæ, tonitrua, fulgura, fulminumque ictus & ignium cœleſtium ingluvies hanc regionem hancque urbem feriunt, quæ urbes alibi,

uti

uti v. gr. in Carniola vid. ILLVSTR. BAR. WEICH. VALVASOR *Topogr. Carniolæ* ſæpius fieri ſolet, ſylvasque concutiunt atque evehunt. Non frequentes & incommodi cadunt imbres paludes fœdas ingerentes ac conſervantes atque eluentes abripientesque terras. Neque ſolem nobis tegit aut avertit nebula continua, quæ Conſtantinopolim aut per hyemem maxime Angliam; ſed ſalubribus pluviis interdum irrigatur ac rore quidem fere perpetuo recreatur in quo ſaccharum dulciſſimum & occultus optimus vitæ cibus & naturæ noſtræ gratiſſimus latet. HELMONTIO perhibente *Tr. Imag. ferment. p. 33.* quoniam condenſatio aëris per ſe humidi & craſſi de nocte major extremam partem noctis magis rorifluam efficit. Lacus hic nullus pernicioſos halitus ſpirans hominibus pariter, ac greſſilibus volatilibusque animalibus exitioſus. Nulla caverna ſpecusque, aut terræ hiatus ex qua lethales ſpiritus exhalant, de quibus conqueruntur Itali, in Soracto oppido, & Sinueſſano Puteolanoque agro colle Luculliano & Hierapolitani. Non conturbatur atmoſphæra noſtra tempeſtatum, nubium & turbinum occurſu, concurſu, flexu & gyratione quales aëreæ colliſiones & diſruptiones ejusmodi cum graviſſimis tonitrualibus & fulminantibus fulminibus ſæpius ibi commorantibus, antequam loco moveantur & dimota diſcutiantur atque impetuoſis imbribus (Wetterſcheidungen) vicina quædam loca circa Numburgum & Portam (Schul-Pforte) quædam in ditione Vinarienſi aliaque alibi frequenter moleſtant. Cum enim in ejusmodi tractibus ſulphurei nitroſique halitus tempeſtates excitant frequentes, fit itaque poſtea, ut quo major atque vehementior ſit tempeſtas, eo fortior etiam & valentior requiritur propulſatio ventusque hinc adagitationem impetuoſior. Quare non prorſus vana ratione illas admittendas eſſe exiſtimamus, quoniam juxta hæc commemorata aëris commotio nubiumque preſſus tranſitus per montes convallesque, ut & ipſos in fluminibus turbines admodum alterari poteſt. Sic D. IOH. HEN. SCHVTTEVS in *Oryktogr. Jenenſi p. 19.* ſcribit: Salam fluvium certo quodam loco prope ipſum Numburgum notabilem turbinem afficere, adeo, ut aquæ fluctus forti alliſu littus quatiant valideque aërem ibi exagitent eumque ipſum in turbinem rapiat quo denſæ pluviaque plenæ nubes accedentes in Salam fluvium eique adjacentem terræ regionem copioſam pluviam effunderent. Cum inferis parum habet commercii ac neſcit plana Lipſienſis terra metalli fodinas & quæ ad eas pertinent varias uſtrinas terras exhalationes ſulphureas, narcoticas, ſalinas, acres, acidas, mercuriales, ſaturninas, arſenicales, terreſtres, ſpargentes & phthiſin, dy-

ſpnœam,

ſpnœam, apoplexiam, paralyſin, artuum tremores, morboſque varios contagioſos eosque malignos atque adeo peſtem inferentes. De quibus conf. Ed. Brown *Act. Angl. p. 33. p. 811. & ſeq.* quæ certe hic magis eſſent pernicioſæ ſi humidis & paludoſis & heterogeneis ejusmodi atmoſphæræ noſtræ effluviis miſcerentur & ſatis habet magisque gaudet forte, apportari ipſi aurum atque argentum, apportari dives lucrum per bene ſtabilita commercia rerum ſuoque exemplo clare comprobat, verum eſſe illud quod dicitur, auriferos montes, non aureas monſtrare regiones. Rariores hic ſunt epidemii morbi & ſi obvenere brevi & ſine ſingulari incolarum ſtrage ceſſarunt iterum: Peſtis, quæ Lipſiam afflixit aliquoties, non tam inclementi aëri adſcribenda, ſed per alios & veſtimenta ex aliis locis infectis labes transportata in Lipſienſes vulgata eſt, neque diu duravit neque urbem exhauſit atque infimam plebem ſaltem, quæ vix diætæ ſtudere aut nequit aut non vult, affecit. Tacemus jam amœnum atque gratiſſimum vivendi genus, atque conditionem ingenuam, qua vivitur hic, gentis genium ad omnem humanitatem compoſitum, feſtivitatem ac urbanitatem, ingenuam libertatem, cultum bonarum artium, propenſionem erga omnia honeſta, quibus animum multis modis paſcere, atque omni licita voluptate explere poſſumus abundantiam omnium eorum, quæ ad victum cultumque pertinent, & quæ in commendationem commoditatis & ſuavitatis venire queant, multa enim, quæ in deliciis haberi ſolent, & multis aliis negata, indulgentia almæ Naturæ indulſit, quæque forte non ſunt hujus regionis, importantur ubertim, ut frui cujuscunque fere regionis commodis, bonisque Lipſienſes poſſint, iis his velut communibus factis, adeo hic noſter locus omnibus humanæ vitæ deſideriis ſatisfacit; ut nova etiam delicatiſſimos Apicios ſtimulari poſſit. Nihil alibi usquam tam rarum carumque invenitur quicquam, quod Lipſienſibus non domeſticum etiam eſſe poſſit. Eximia eſt varietas voluptatum rerumque omnium condimentum. Mirum eſt, quantopere Lipſiæ ſuavitas, quam poſſidet, alliciat, atque adeo, ut qui aliorſum profecti Lipſiam adierunt, locum adeo decantatum illum delicatiſſimum fructum dulcis ſub adſtringentisque ſaporis guſtaſſe videantur, vixque inde ut ſeptentrionales in auſtrina loca delati ab auſtri Sirenibus, ut Mvndivs loquitur *de aëre vitali cap. II. p. 8.* abduci poſſint, licet patriæ fumus alieno igne luculentior ſit, (ut in proverbio habetur) quod Ulyſſis ſociis, quorum mentionem Homerus facit, in Africæ inſula, Gerbes aut Ptolomeo Latophagites dicta contigit, qui apud Lotophagos manere atque qui ſimul & ſemel voluptatem deguſtarunt

runt eam deinceps etiam consectari perpetuo decreverunt. Hoc certe Lipsiensis fortunæ decus paucis, paucioribus hoc commodum, paucissimis hæc suavitas data est. Dictu difficile est, quanta bonitatis & gratiæ divinæ affluentia in Lipsiam præ multis aliis Germaniæ urbibus opulentissime se effundat, ubique benignitatis Divinæ vestigia elucent. O felicissima Lipsia, terque quaterque beata. Hinc & de nostra urbe proverbio dicitur, plus in ea consumi quam acquiri. Incolæ Portugalliæ dicunt, quem Deus amaret, illi domum aut sustentationem Lisbonæ concederet, quod & Hispani de Hispaliensi civitate affirmant. Hoc merito quoque de felicibus Lipsiæ sedibus dicere fas est, cum pro quavis fere conditione hominum, commoda habeatur sustentatio. Notum apud nos atque notabile est, Percelebrem illum summæque existimationis atque autoritatis Lipsiensem JCtum, I. B. CARPZOVIUM, ex quo ex aula Dresdensi relicto splendidissimo ibi officio, rediit, albis Studiosorum eum accedentium adscripsisse:

Extra Lipsiam non est vita, & si est vita, non est ita;

aut: *Extra Lipsiam vivere est misere vivere.*

Verbo: Lipsia omnium delitiarum & elegantiarum humanarum epitome vocanda. Neque tamen effœminat atque enervat corrumpitque animos loci amœnitas nimia; ac felix uberque terræ proventus aut ad corrumpendum illorum vigorem & integritatem sua natura operatur aliquid, ut quidem ordinario ferme aliis alibi commune est in affluentia & copia rerum hebescit animus, & enervatur, necessitate ipsa virtus retinetur. Sic & inquit SENECA *Epist. I. Loca seria sanctaque eligere oportet, effœminat animos amœnitas nimia, nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio; sed loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit.* Sicilia quæ laudes fœcunditatis possidet non vulgares eamque M. Cato sapiens cellam penariam reipublicæ & nutricem plebis Romanæ nominavit; sed & testatur CICERO *de L. Agraria contra Rul.* Campanos semper superbos fuisse bonitate agrorum & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine; verum e contrario steriles loci, ingenia hominum ad exercitationem virtutum & variarum artium disquisitionem acuunt & duritie loci cœlique acrius animantur. Hinc & videmus, quod, ubi maxima loci inopia, sæpius tamen necessariarum omnium rerum affatim copia sit. Ideo hæc, ad quæ amor gratæ habitationis meæ locus abripuit, addere convenit, quod amœnitas loci & grata hinc ibique contenta vivendi conditio, ægritudinem quoque pellere possit, quia animus mire recreatur & anima contenta com-

municat atque operatur corpori vigorem ſanitatem ac vitam: Sic ampliant vitæ ſpatium homines pacati, contenti ac hilares. Si enim ſanitas, quæ formaliter certus ordo & motus eſt, atque conveniens actionum omnium corporis exercitium dependeat (dependet autem certiſſime) a libero æquabili & moderato ſanguinis & humorum per vaſculoſam compagem corporis circuitu, apparet, animum contentum & tranquillum ad hanc maxime facere, ea enim eſt in corpus animi vis, ut ſpirituum motum potentiſſime alteret; alterant hi vero cordis & arteriarum motus atque partium tonum & qualis hinc cordis atque arteriarum motus & partium tonus, talis quoque eſt circulatio, & quomodo ſe hæc, ita & ſe ſanitas habet. Notabile eſt, quod ex Celeb. SANCTORII *Medicina Statica v. Sect. II. aph. 49.* diſcitur in hominibus animi contenti, pacati & hilaris perſpirationem inſenſibilem, liberiorem & auctiorem eſſe pondusque corporis levius. Pulchra hanc in rem ſunt, quæ PLATO *in Charmide* BARDVS *in med. polit. p. 310.* & KVHNIVS *ad Laërtium p. 517.* habent. Experiuntur hinc ſubinde medentes ſi attentius & curioſius rem omnem perſpiciant, quantum in curatione morborum valeat, quando ægrorum animus bene compoſitus eſt atque pacatus. Non vana hinc eſt eorum ſententia, magnum eſſe præſervationis momentum, ſi tempore peſtis & ſub contagioſis aliis graſſantibus morbis, amicis, hilaribus atque contentis conſortiis fruerentur amici.

§. XXV. Non vacat jam obſervationes prolixas addere barometrico-meteorologicas &c. circa gravitatem, elaſticitatem, &c. ac conſtitutiones & variationes earumque cauſas & rationes tempeſtatum aëris Lipſienſis atque ventorum epidemicasque affectiones atque effectus exinde ſecutos per annos, tradere, hoc olim acturus forte an, ubi maturiori tentamine & experientia obſervationes inſtituere per ſingularia ejusmodi datum erit, quod laudabile & proficuum inſtitutum, curæ merito eſſet omnibus, ut vel nativitatis vel habitationis ſuæ ſolo, quæ accidunt penitius obſervarent, colligerentque, ita futurum eſt ut multa adhuc nobis non ſatis probata tam in phyſicis quam medicis, melius in apricum deducerentur, ut a veteribus jam Herodoto, Hippocrate atque Galeno hoc ipſum ſuaſum eſt atque obſervatum. Poſt horum tempora æſtumatio hujus atque tractatio fere jacuit. Quare tantum ex obſervationibus curioſis barometrico-meteorologicis tulerunt laudis, quantum in iis egregiam iterum induſtriam collocarunt varii Excellentiſſimi Viri, & quidem in noſtra Germania bina iſta eximia Rei medicæ lumina & columina eminent illuſtris nempe Dom. L. Schrœckius,

Acad.

Acad. Cæſareæ-Leopoldino Carolinæ Præſes. Et Excellentiſſ. Dn. Frid. Hoffmannus, Conſiliarius Regius & P. P. longe celeberr. Laudandi quoque hic ſunt celeberr. Collegæ Acad. Nat. Curioſ. in ſpecie Vratislavienſes, Roſin. Lentilius &c. In Italia a Sagaciſſ. Ramazzino primum hoc laudabile inſtitutum exſtitit, In Anglia Sydenham, Cok & Parker, Goad, in locis borealibus G. Krieger ideo commemorandi atque commendandi ſunt.

§. XXVI. Si hæc tandem omnia, per ſeries recenſita, ſub incudem, (ut ajunt,) revocemus atque utilia noxiaque tradendo invicem conferamus, ac pictores velut imitati, qui in facie bene exprimenda colores quoque condiunt nigro umbramque intermiſcent atque indolem vultus non negligunt & nævos quoque indicant juſte quibus ſimul expreſſis quandoque fit ut quidam etiam illorum pulchritudinem evehant magis atque exaltent, hanc effluviorum ac exhalationum ex adeo diverſis corporibus copiam, hunc foſſarum ſqualorem hocque ſolum uliginoſum & pingue hunc declivem urbis ſitum, ſi & aquarum indolem minus laudandam, hos ventos humidos nobis familiares frequentes nebulas atque nubiloſas tempeſtates, inundationes, aliasque loci conditiones & incolarum labores, & conſuetudines perpendamus, ſi experimenta inſtituamus per baroſcopia, hygrometra atque varios aquæ magnetes, ut ſalia acida meraciſſima itemque alkalia ſicciſſima &c. ſique item alia indicia colligamus, aërem hunc humidiorem & putridum indicantia inter quæ mucor viridis copioſus & muſcus tectorum tegulis, lateribus, ſuggrundiis &c. adhærens, qui Conſtantinopoli & Romæ tectis ædium copioſus adnaſcitur & effluviis humidis, & putridis aliisque morboſis non ſine cauſa adſcribitur. Conf. Pr. Della Valle *Itiner. P. I. p. 22.* ac ferramenta exiguo tempore rubiginem contrahentia muri nigro, flavo & viridi colore inquinati, cita pellium & linteaminum corruptio, tinearum cimicum &c. copia &c. numerantur, in promtu erit notare atmoſphæram hanc ſua natura & in ſe conſideratam eſſe in comparatione aliarum fœculentam, impuram, craſſam, gravem atque humidam calidamque, atque multoties mox pulverulentam ſæpius ac ſi rem ſine ſtudio & odio fateri, ut fas eſt velimus non adeo ſalubrem. Humidus & tepidus enim aër in ſe quidem minus conveniens & inſalubris ſi uliginibus craſſioribus fœdisque impuritatibus aliis ſimul commixtus, magis talis eſt, quod ordinario quidem accidit. Quod vitium ſi quando adſit inhabitantes certe poſſunt augere deteriusque reddere (ut curſim hoc moneamus) nimiis in domiciliis atque hypocauſtis & frequentioribus pro-

lutionibus & albariis inductionibus. Tametsi etiam ad conservandam sanitatem omnino pertinet, in ædibus atque domiciliis omnia bene repurgata servare, attamen ejusmodi superflua certissime nocent. Ex his caussis inter se collatis haud obscure jam colligere est, quomodo se habere possint hominum corpora eorumque partes tum solidæ tum fluidæ, atque in iisdem secretiones & excretiones, transspirationes &c. quæ pro varietate harum variæ sunt, aliter v. gr. ratione cœli se habent Angli, aliter Itali &c. Ejusmodi aër humidus nimirum & tepidus crassus, densus, heterogenitatibus continue exhalantibus inquinatus aqueis suis particulis anguilliformibus circumplicatis spirarum aërearum aut ætherearum, vim elasticam involvit, hebetat, & quasi extinguit, corrumpit, & prohibet, quo minus ea subtilis aëris pars quæ sanguinem volatiliorem reddit, intricata particulis vaporosis satis in pulmonibus separari possit. Præ omnibus aliis infelices dotes possidet inducendi ipsos morbosos affectus, moles puto corporum agentium augetur, corpora rigidiora evadunt arietantia ac in fluidiora quæ minus resistunt agentia, occasio laxatione nascitur ut poros atque meatus aliorum corporum cum attritione ingrediantur & aptitudo accedit motus augendi consuetos secessioque corporum promovetur. Ab eo speciatim pulmones afficiuntur male, respiratio difficilis redditur, majori justo cum vi illorum vesiculæ premuntur, sanguinis, seri reliquorumque humorum imo spirituum animalium motus & circulatio lenta magis ac præpedita (quod quivis in se ipso sentit tempestate nebulosa organa respiratoria plus premi,) & mixtio labefactata evadit, hinc stagnationibus & obstructionibus, quæ rursus obstructioni & circulationi sanguinis impedimentum adferunt, panditur via: Particulæ minus elasticæ, minusque activæ massæ sanguineæ permixtæ non tantas in depuranda ea ferunt opes unde retardatio. Cutis pori etiam & totus corporis habitus laxatur, dejicitur partium, fibrarum musculosarum, motricium, nervosarum tonus, non juste resolvuntur partes densiores & ad cutem deturbantur, rursus panditur via ut vapores noxii per apertos poros & cutis & pulmonum ad interiora usque facile possint penetrare, secretiones & excretiones impediuntur omnes, & humorum refluxus, humoresque densi, viscidi crassique redduntur, lympha vero præsertim crassior reddita acescit, unde & fugam capiunt partes balsamicæ & tubulos simul obstruit, hinc salia acria, salino sulphurea, excernenda, cumulantur & ex nexu suo facile extricantur & evehuntur etiam alias recondita, atque hæc corpora agentia extensionem majorem obtinent (laxatis sc. poris) quod in productione variolarum &

pur-

purpurarum apparet, ac tota maſſa humorum in vappam quaſi vertitur, & viſceribus labes imprimitur &c. vid. SANCTOR *in med. ſtat.* Nihilque magis inprimis ad putredinem diſponit, quam ejusmodi aër humido-calidus partium conſtituentium illarumque unionis mixtum conſtituentis disjunctionem, in qua corruptio conſiſtit inferens, dum poros invadit eosque relaxat. Satis igitur cauſæ eſt, aërem ejusmodi inſpiratione ſpiritus ſanguinem humoresque inquinantem multiformes ægritudines capitis gravitatem atque dolores, gravedines, epilepſiam, ſcorbutum, gingivarum & dentium vitia, exeſiones, vacillationes, nigredines affectum hypochondriacum, viſcerum obſtructiones, inflammationes, pectoris præſertim, ſopores, vermes, cachexiam tandem, hydropem, tumores pedum œdematoſos illorumque impotentiam, ſenſuum gravitatem, torporem, languorem, atonias, reſolutiones, apoplexias, vitia oculorum, viſus hebetudinem, auditus gravitatem & aurium ſuſurros, reſpirationem difficiliorem, præcordiorum anguſtiam aliaque pulmonum vitia, ſtomachum nauſeoſum, colicam, variolas, morbillos, purpuras, maculas, febresque varias intermittentes irregulares, imo malignas, petechias, arthriticos affectus atque rheumaticos, contracturas, defluxiones ſalſas, tibiarum ulcera, fluorem album, cutis impuritates puſtuloſas & ulceroſas, ſcabiem, diarrhoeas, prægnantibus vel ex levi occaſione abortum, multosque labores parturientium eosque periculoſos (unde HIPPOCRATES *lib. de a. a.* & l. hæc mala indicium etiam inſalubris aëris habet & ideo civitates orientem ſpectantes laudat: quod ibi fœminæ facile pariant,) & ſimiles plures morbos inferre. Aëri ejusmodi denſo gravique incubum & febres ſemitertianas Galenum atque alios apoplexias adeo frequentes, adſcripſiſſe legimus Conf. & BAGLIVIVS *in Praxi p. m. 126.* qui inter alia & criſes eapropter rariſſimas eſſe ibi, perhibet. PETRONIVS *de Victu Rom.* cœlo Romano humido ac ſi comparatio quædam ineatur noſtro in multis haud diſſimili inter cœteros tres potiſſimum morbos familiares capiplenium ſcilicet ſive aſſiduam capitis gravitatem, virium laſſitudinem & alvi ſiccitatem adſcribit. Ideo & Alexandria ut paludoſa, febribus maxime eſt opportuna adeo, ut ſiquis ubi etiam eam acceſſerit febre illico deprehendatur. Ideo Smyrnæ autumno febres ordinario epidemice graſſantur. Galli Lugdunenſes ſi Dumbenſen Provinciam paludibus frequentem adeunt, febribus eos ut plurimum corripi, conſtat. Pariter Montanus refert quod in Cypro Inſula prope Famagoſtam lacus quidem per æſtatem putreſcat, ex quo ordinario febres peſtilentiales exorirentur. Mantuani ob ſolum paludoſum

aëremque humidum thoracis hydropes familiares iis esse perhibent. Impotentia pedum nostratibus præsertim fœminis familiaris quæ incolas Athenienses olim vexavit aëri adscripta est. Qui prope aquas ac loca uliginosa habitant, dentium cariem citius percipiunt; in Ægypto vero ubi aëris clementia insignis raro vel dentes decidunt vel cariosi fiunt, ut narrat Radzivilius P. ac refert HELMONTIVS *Lib. de Alem. tart. in potu p. 250.* Porro aëri ejusmodi particulis præcipue acribus & salinis turgido humores corporis inquinanti arthridides frequentes, quibus Carriæ & Alexandriæ incolæ vexantur Cœlius Aurelianus Gravissimus scriptor adscribit, id quod etiam de Constantinopolitanis MERCVRIALIS *Var. Lect. Lib. I. Cap. XXIV.* refert: Et hæc dubio procul ratio est, cur in locis maritimis ut in Dania, Belgio &c. multos torqueat hocce malum, unde etiam vernali & autumnali tempore juxta HIPPOCRATIS effatum *Lib. III. Aphorism. 16. 17. & 20.* ejusmodi mala moventur. Herniam intestinalem terram limosam & aquosam causari auctor est FORESTVS vid. *Lib. I. Obs. 21.* Imo Strabismum, claudicationem, gibbositatem, luxationem vertebrarum spinæ dorsi atque adeo balbutiem (hinc & oraculum forte apud Herodotum balbutienti quodam dedit responsum, ut in Lybiam, regionem calidam se transferret) aëri ambienti soli acceptum referre alii non dubitant. Hi si non omnes plurimi tamen apud nos frequenter observantur morbi. Observatur & præterea Lipsienses esse uti in genere Misnici, qui eo nomine Svevis quoque comparantur in comparatione aliorum v. gr. Saxoniæ inferioris incolarum, imbecilliores, quæ corporum qualitas juxta reliquum quoque diætæ regimen aëri non minus humido-tepido tribuitur. Hinc & crises perfectæ apud nos raræ, quod regionibus inprimis quas aër aqueis & crassis impuritatibus fœdatus ambit commune est, utpote qui humores quoque corporis magis reddit impuros, ut ad debitum hoc despumationis officium raro aut nunquam pervenire possint. Quare BAGLIVIVS præsertim præter alios autores *Prax. p. 140.* non sine ratione rejicit, quod in Græcia perfecte & sæpissime crises succedant, quoniam ea aëris puritate tenuitate atque elasticitate gaudet. Hanc aeris nostri constitutionem certius peregre ad nos inprimis ex regionibus salubribus, montanis, arenosis, frigidioribus & siccioribus ex Silesia, Lusatia, Marchia Brandenburgica v. gr. venientes experiuntur; siquidem plurimi de pleno & turbulento capite & ventre conqueruntur referto & appetitu imminuto, multique morbos supra nominatos & ordinario fere scabiem pertinacem incurrunt. Hinc & apud nos præ aliis menses

Februa-

Februarius, (quia non raro jam tunc apud nos frigida tempestas remittit, tepore suo nives solvens & pluvias afferens) maxime Martius atque Aprilis ac autumnales, quoniam tunc humiditates abundant, accedente imprimis tepore, morborum eorumque perniciem apoplexiarum maxime catarrhorum suffocativorum &c. sunt feracissimi atque funesti. Atque experimur si maxime apud nos in reliquis etiam temporibus, habetur constitutio aeris diuturna, humida, tepida, austrina & tranquilla, ventisque salubribus carens, atque pluviæ continuæ, inundationes aquarum, (aucta sic nimirum nativa quasi indole) accedunt, aut sub ipso statim tempore morbos epidemicos, oriri atque febres &c. purpuras, (quæ hic inter endemios numerantur morbos,) frequentius haberi in iis & periculosiores, & quæ ut plurimum junguntur petechiis, aut sequenti etiam insequi certius. Observationibus enim multis constat, morbos epidemicos non tantum dependere a præsenti aeris, ventorum, tempestatum, constitutione ac mutatione, sed sæpius & jam prægressa. Namque sæpius videbis, aere existente optimo, morbos oriri, & malo bene se habere homines, & rursus, malo & diuturniori cœli statu, perplures interdum annos existente, licet convenientissima dein aeris constitutione morbos ejusdem moris ac indolis grassari, argumento, prægressum aeris vitium, humores atque partes corporis adeo contaminasse, ut difficillime ab insequenti bona temperie, inducta labes in integrum restituatur, emendetur, corrigatur. Namque & alienum non est, ut malus aer morbos parit, ita bonum, vitium a malo prægresso diuque ingestum in actum potius deducere, quam corrigere, maxime, si subito fortiusque mutatio in contrarium fiat, v. gr. ex austrina & humida, aeris constitutione regnante diutius, humores redundant, impuri evadunt, cumulantur in vasis, supervenientibus dein subito ventis orientalibus, & septentrionalibus violentioribus, fibras porosque stringentibus, humores p. n. collecti & serosi magis, imprimis in succulentioribus interiora ad vasa majori vi pelluntur iisque intruduntur, inde fit in partibus sanguineis intumescentia major atque infarctus, ex quo serum circulatione ex parte impedita ac turbata moram nactum secedit a reliqua humorum massa &c. & hinc illæ lacrymæ. Id quod modo diximus suo tempore HIPPOCRATES jam indicavit, ut colligere est *ex Aph. 13.* ubi dicit. Si vero æstas sicca & aquilonia fuerit, autumnus pluviosus, & australis, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tusses &c. Ad hyemem dicit, & non æstatem, aut autumnum, quæ tempora tamen vitiose constituta fuere. Similiter *in Lib. I. Epid. sect. 1.* non in autumno, mox

ac

ac in Thaso, Insula, pessima illa, quam ibidem pluribus enarrat, aeris intemperies inceperat, neque in hyeme, qua ea duraverat, sed primo in vere quibusdam obortas fuisse febres &c. Et tandem *sect. 2.* & alibi: Quum autem totus annus esset humidus & frigidus, & aquilonius, per hyemem plerumque sano modo degebant: ante ver autem multi quidem & plurimi morbi detegebant &c. Ante ver dicit, non autem autumno, aut hyeme antecedente, etsi sub utraque prava illa aeris constitutio viguerit. Imo dicit hyeme plerosque, & vere multos sano modo degisse. *In Aphorism. Sect. III. Aph. 22.* maniam ad morbos æstivos, qui autumno demum deteguntur refert. Effectus ejusmodi mutationum aeris & tempestatum in humidum & siccum & in calidum & frigidum optime & ulterius idem HIPPOCRATES ostendit *Lib. de a. a. & l. §. 25. & seq. & aphor. II. S. 2.* & *aphor. XII. Sect. III.* Certissime fluit exinde tempestates prægressas, ut caussas detegunt, ita in curatione morborum epidemicorum maxime esse considerandas. Vix mihi tempero, quin exemplum quoddam & curationem eo quoque dirigendam adjiciam: In Silesia ante aliquot annos circa curam febrium epidemicarum ex acutarum familia grassantium maculis variis stipatarum inter Medicos primum magna quæstio orta est, an venæ sectio adhibenda sit nec ne. Plures eam primum adhibuerunt sed infelici eventu, quam tamen alias proficuam fuerunt experti. Ex propinquo considerantibus constabat, cum anno prægresso constitutio aeris ibi fuerit humida, pluviosa, austrina, ventisque carens, diuturna, venæ sectionem plane inutilem esse imo lethiferam ob vires exhaustas, dispositionem inductam ad putredinem sanguinemque hinc esse corruptum magis, quam copiosum.

§. XXVII. Hinc etiam (ut ad aërem nostrum Lipsiensem iterum revertamus & quandam quoque ejusmodi observationem practicam indicemus) remedia quædam, nimirum humores figentia, concentrantia nostratibus maxime autem fœminis non semper feliciter cedunt, quod alias & alibi de aëre humido, crasso & gravi est annotatum, atque hinc v. gr. experitur chinam chinæ febrium intermittentium famosum illud antidotum Lipsiensibus nisi iis qui duriore victu aluntur stomachisque robustioribus gaudent atque durioribus laboribus quotidianis corpus suum exercent & cholerici temperamenti rarius conducere, præsertim si in substantia ac majori dosi qua Angli & Batavi solent, vel secundum Sydenhamianam & Mortianam methodum ac in substantia præscribitur; felicius vero tutiusque opitulatur ejus extractum essentia, infusum vino, electuarium. Observavi si vere, autumno & hyeme humido exhibeatur

tur tumores pedum œdematoſos atque adeo hydropem & contabeſcentiam exinde, ex facile ſequi & difficillimam eſſe in integrum reſtitutionem. Neque deſunt qui perhibent per experientiam quam ſimul afferunt edocti, capitis lotiones hic eſſe damnoſas, quod quidem quidam Autores de aliis Regionibus & locis humidis, ventoſis flatibusque expoſitis referunt, imo nonnulli idem de omnibus propemodum balneorum generibus affirmare volunt, quod ad ulteriorem obſervationem eſt perducendum. Siquidem etiam Lipſienſes ea perſuaſio tenet, ac ſi balnea ipſis non eſſent conducibilia, quare & apud nos hodie rara, ſed potius credo vanam eam tantum perſuaſionem eſſe. Porro læſiones capitis hic curatu admodum difficiles eſſe, trepanationemque utplurimum male cedere plurimorum experti aſſerunt, quemadmodum alii de aliis locis idem tradunt: Sic Chirurgorum celeberrimus A. PARAEVS *Lib. X. cap. VIII. p. m. 491.* refert vulnera capitis contumaciora & difficiliora curatu eſſe Pariſiis quam Avenione & e contrario vulnera tibiarum hic moleſtiora quam ibi, ac AMATVS LVSIT. teſtatur itidem vulnera capitis periculoſiora eſſe Bononiæ quam Raguſæ, *Cent. VI. cur. C.* Idem J. B. CORTESIVS in *Miſcellan. medic. Dec. V. p. 229.* & J. B. SYLVATICVS *Controverſ. IV. p. 22.* notant. Hæc quæ de aëre Lipſienſi modo diximus adeo vera ſunt ut conſtet infinitimis locis duobus ſaltem aut tribus milliaribus Lipſia ſejunctis diverſam harum rerum faciem eſſe. Grimma, Colditium, Leiſnicium, Eilenburgum, Wurzena ſpeciatim & exempli loco nominanda orientalem verſus plagam aliquot milliaria a noſtra urbe recedentia oppida, ob aeris inprimis & aquarum ſalubritatem per multa jam tempora percelebrata ſunt. Hæc & alia ideo argumento ſint, Medici & naturarum, locorum & regionum differentias intelligant videantque quid in unaquaque unicuique conveniat. Prudenter enim & exercitati in arte hæc probe conſiderant, quæ pro cœli ſolique ratione varia ſunt atque nunc hoc, nunc illo utuntur remedio, perſpiciuntque quæ hac in tempeſtate prodeſſe, in rurſus alia obeſſe poſſint.

§. XXVIII. Rebus itaque ſic ſtantibus, ut ad id iterum redeamus, a quo digredi paululum volupe fuit, de reſtituenda aeris Lipſienſis ſalubritate aut corrigenda interim ejusdem inſalubritate, cogitandum erit ſedulo, idque iterumque commendandum, atque adverſus noxas, quas inferre hominibus poſſit convenientibus remediis laborandum. Maxime cum Medicorum ſit arcere & compeſcere morbos populares hæc quoque aeris correctio præ aliis pro vario modo adeo impenſe per ſuffumigia & vapores balſamicos reſinoſos, ſulphureos ſalinos, volatiles &

H fixiores,

fixiores, item aqueos &c. a multis quæsita eſt & inſtituta. Laudamus imprimis foſſarum, quæ urbem circumdant, adeo jam diu optatam repurgationem circulationemque per eas limpidarum aquarum ac puteorum & canalium, qui in publicum uſum ſunt deſtinati atque excitati, exterſionem, ex plateis omnimodam quisquiliarum putidarum fœditatem, & ex tota vicinia ejectionem, ut & cellarum, quæ ſordibus redundaverint exterſionem ac exſiccationem. Ad quam purgationem etiam opus eſt, ut circa hiemis finem Februario puto ac Martio menſibus humiditates cœnoſæ a glacie liquefacta aut ipſi integræ inhærentes mature ac longe extra urbem evehantur, ne cœnum colligatur humiditatesque a liqueſcente ea augeantur. Ad eam non minus opus eſt, ut canales in plateis pro evehendis ſordibus contecti ſedulo vertantur, ne cœno obſtruantur. Conſultum quoque eſſet ne fœculentiæ variæ in culina, cubiculo alibique collectæ ſituque non raro corruptæ & putreſcentes & peſſime fœtentes in publicas vias effunderentur, neque fimus & quisquiliæ hinc inde tam in urbe, quam ſuburbiis in cumulis congeſtæ colligerentur diuque aſſervarentur, quod quidem quondam anno 1607. lege quadam publica vetitum erat; ſed in loca congererentur a ſuburbiis longius remota, ut & ne latrinæ tempeſtate calida & humida exiſtente evacuentur & evehantur, ſed hyemali ſaltem tempore, aere nimirum frigido ac ſicco. Huic munditiei urbis Romanæ ac commoditatibus publicis civiumque valetudini Tarquinius Superbus Romanorum Rex olim laudabiliter proſpexit, qui ejusmodi repurgationis cauſa cloacas laborioſo pretioſoque admodum opere, quamvis non ſine magno Quiritum tædio conſtruendas curavit, per quas ingentis molis fornicibus ſubterraneis efformatis corrivatisque ſeptem amnibus præcipiti aquarum curſu purgamentorum receptacula repurgata & in Tiberim omnes ſordes, quæ vias publicas infeſtare ſolent derivatæ fuerunt. Hac etiam de re a LANCISIO vid. *Tr. de noxiis palud. effluviis Lib. I. P. I. cap II. p. 67.* maximæ laudi Ludovico XIV. Galliarum Regi ducitur, quod nempe ut Lutetiæ Pariſiorum, quæ a luto antiquitus nomen accepiſſe videtur, viæ (publicæ) bene repurgentur, mandaverit. Hoc ſi decenter ſpes haud inanis enaſcitur, fore, ut catarrhi, pectoris varii morbi, febres rheumaticæ, intermittentes, malignæ aliique ſontici morbi, qui præſertim circa vernum autumaleque tempus incurrunt aut novantur, averterentur. Addamus & hoc quod vitium aquæ pertinet ejusdem nempe quæ ad potum & cibos coquendos recipitur, quod commode vel addito cornu cervi uſto, vel coctione, vel deſtillatione corrigatur, quo & commendanda

danda venit aqua pluvialis Menſe Martio præſertim collecta, quæ optima eaque quæ cum tonitru præcipue decidit.

§. XXIX. Commendandus autem hinc noſtratibus venit ex medicamentis eorum præſertim uſus, quæ energeticis ſuis partibus ſpiritus torpidos excitant, majorem motum iis conciliant, humores quietos, lentos, viſcidos, vappeſcentes atomis ſuis exiguis acuminatis incidendo & dividendo mobiliores reddunt, juxta univerſalia dicta laxantia nimirum, tempore præſertim hyemali, vernali & autumnali ex ſalinis præſertim aloeticis, rhabarbarinis, fol. ſennæ &c. quandoque adhibita ac blanda vomitoria æſtate magis. Ejusmodi vero illa ſunt ſpirituoſa, ſalia volatilia, macra & oleoſa temperata cumque aliis remixta, v. gr. ſpiritu nitri dulci &c. ſpiritus elixiria balſamica eſſentiæ ſtomachicæ amara, modica aromatica cinnamomum præſertim nuxque moſchata, antiſcorbutica, alexipharmaca bezoardica balſamus vitæ Hoffmanni, Tinct. antimonii tartariſata aut acris, omniaque in genere propemodum diaphoretica temperata antiſcorbutica, item vini bonæ notæ generoſi, Rhenani, Burgundici, & qui tam aeris quam aquarum pravitatem apprime corrigit ſpiritus vini, ſpirituum ardentium, tabaci item moderatus uſus. Non minus e re erunt infuſa & decocta calida veron. meliſſæ, ſalviæ, ſcord. trifol. fibrin. & ſimilia cort. ſaſſafras, aniſi ſtellati &c. & opulentioribus plegmaticis & ſenibus maxime radicis exoticæ Ninſi a Sinenſibus pro panacea & mortis & morborum averunco habitæ, ad ℨj. ℨjß usque ℨij theæ, coffeè, ſuccolatæ, & vinum aromatiſatum & calefactum (glüenden Wein.) Aquæ uſuales potabiles colentur & decoquantur. Sola quoque maſticata hic eximio ſuo fructu non deſtituuntur, ut cinnamomum, ſemen ſinapi, maſtiche, paſſulæ majores & minores & ſimilia, mane præſertim ſic uſurpata. Nec non quoad externa debite adhibita ſuffumigia ex reſinoſis, gummatibus, aromaticis ſvadenda ſunt. Confert quoque in camino luculentos ignes tempeſtate maxime humida inſtruere, ſerena vero & calida ſoleque illuſtrata patentibus feneſtris præſertim iis, quæ ad orientem ſpectant, portisque aliquem perflatum admittere. Verbo omnia tam interna quam externa hic locum habere poſſunt, quæ circulationem ſanguinis & humorum motum moderate augent, ſecretiones & excretiones blande provocant, & quidquid alieni vitalibus humoribus admixtum eſt, convenienter eliminant, naturam roborant, corruptioni, putredini, reſiſtunt, atque ſic omnem ad ſuſcipiendum contagium diſpoſitionem auferunt &c.

§. XXX. Præ omnibus cæterum aliis moderamen in rebus non naturalibus bene obſervandum, in victu imprimis & venere, utpote quæ maxime nocet, maximeque debilitat, ſi natura ad excretiones aeris vitio languida ſit. Circa illius rationem adhuc cumprimis cibi ſolidiores aſſati potius utpote qui tonum & firmitudinem ventriculo afferunt melioremque ſolutionem & nutritionem efficiunt, (melior enim pars elixarum carnium in juſculum abit, quare eæ concoctæ ut ajunt difficiles ſunt) atque bene ſaliti commendandi, maxime cum conſtet, in hoc in defectu magis Noſtrates peccare; quo melius & cibi & humores exinde præparati, chylus, ſanguis aliique omnes melius diſſolvantur, ſpiritusque animales melius eliciantur, melius diſtribuantur, conſerventur & a corruptione præcaveantur, calculus ſcorbutus aliaque cacochymiæ genera avertantur: Tantum enim abeſt ut ejusmodi mala, ſalſamenta inferant ut potius arceant. Conf. HELMONTIVS *de Lithiaſi p. 17.* Sale enim, quod condimentum condimentorum jure vocatur, & ſole, ut Plinius præclare dixit, nihil magis proficuum eſt. Ideo etiam, quod nempe cibos ſale non ſufficienter condiant, PH. GVIBERTVS *de tuenda ſanitate*, Pariſienſes reprehendit, & obſervaſſe ſe ſcribit plurimas hinc eſſe obortas ægritudines, & unam ex primariis cauſam hanc eſſe, cur Pariſienſes præ aliis renum & veſicæ calculis laborarent. Hiſtoriæ referunt gentes, quæ ſalem non guſtant, obtuſi ingenii & excordes eſſe. Parciores tamen ſint in carnium eſu. Vitanda inſuper ſunt flatulenta & humores incraſſantia, acida exceſſiva, item dulcia, pinguia, farinacea, placentæ &c. quibus Lipſienſes tamen maxime delectantur. Ejusmodi enim pinguia tanquam oleoſa facilius corruptioni & putredini obnoxia ſunt. Expertus ſæpius ſum varias ex exteris Regionibus præſertim ex Suevia & Franconia ad nos accedentes noſtras offas præpingues ægre ferre potuiſſe, ſed appetitu dejecto, nauſea &c. ac febribus ipſis affectos fuiſſe, quæ incommoda ex propria obſervantia demum cognoverunt: vitandæ vero omnium ſunt nimiæ & copioſæ compotationes & omnes luxuriæ, cupediæ, nimia ciborum præſertim intemperatorum copia, ſufficientem tamen potum aſſumant ut ſalia ſcorbutica temperentur per vias urinarias educantur, quare & lenia diuretica proſunt. Inter potuum genera conceduntur cereviſiæ variæ, quæ hic habentur, ut Wurzenſis, quæ bene ſapida eſt beneque nutrit, licet viſcidiuſcula ſit, Eilenburgenſis magis diuretica eſt magisque reſolvit & extenuat, quamvis quidam ob infrigidationem ventriculo inferendam ſuſpectam eam habeant, Lebigenſis diluit commode & diureſin convenienter movet,

Martis-

Martisburgensis stomachica est ut &, quæ vini simul aliquid Garlegiensis ad instar habet, ideoque palato maxime arridet Tucksteinensis, etiamsi stomacho aciditatem atque acorem contrahere videtur. Vitandum etiam omnimode jejunium; quoniam in jejunis vehementior aeris inspiratio & ad interiora admissio est, quare modo aliquot thee, cassée, succolatæ, calidæ sorbillationes aut frustum panis saliti, aut butyro illiti, matutinis horis antequam in publicum exeatur, assumtum, sufficiunt, Vitandus & aer frigidus matutinus, vespertinus & nocturnus, qui sua natura humidus & crassus, tunc magis nocet; omnis enim generis effluvia, etiam animata, quæ in locis paludosis frequentissima sunt, quæ per diem solis ardore ac potentia disjiciuntur & altius evehuntur, sole occiduo frigida facta tempestate magis condensantur atque cum humiditate quadam descendunt. Quare nocturnæ hic deambulationes magnum detrimentum afferre possunt. Pariter summo mane virulentum quoddam ros non raro in ejusmodi locis decidit. Ideo & modice gaudeant Lipsienses tempore æstivo in hortis suis præsertim in loco declivi & humido prope fossas & fluvios ac prata sitis, frequenter per noctem commorantes, obambulantes & dormientes, sibi, quoque caveant cum cura, ne aeri liberius præsertim mane ac vesperi, absente sole corpus suum committant, quo liberior perspiratio maxime inhibetur, ac præcalidæ bilioso sulphureæ atque salinæ excrementitiæ partes humores inficientes, intus retinentur, ex quo morbi graves & periculosi, febres omnis generis sæpe etiam malignæ & cachexiam spasmi hypochondriaci affectus præsertim & dolores inflammationes, hæmorrhagiæ epilepsiæ, rheumatismi, & id genus alia mala facile exsurgunt, in iis præsertim subjectis quorum sanguis multis corruptis & malis humoribus ex inordinata diæta jam est repletus. Quantum in locis calidioribus ut Hungaria & Italia æstate fervida aura horis vespertinis atque nocturnis sub dio degentibus noceat abunde notum est atque perspectum. Tunc enim aer refrigescit & humescit exhalationes condensantur ac colliguntur, ex alto decidunt facileque dein per poros corporis solis prius fervore adapertos se insinuant, ubi magnas multasque noxas ingerunt. Juxta hoc monitum illud quoque salutare ab Alex. Petronio *de Romanor. victu lib. IV. p. 245.* iis qui in diætis suburbanis villis & vineis suis circa urbem Romanam frequenter se exhilarant, datum, Lipsiensibus quoque, qui voluptatis gratia, hortos & villas suburbanas adeunt, considerandum sisto; dicit ibi enim: *Sæpe in vineis istis aer nocere consuevit, quia homines consuetudinem in omni victu mutant. Nam soli sese citra*

 tempus

tempus exponunt intempestive multumque non solita comedunt, bibunt aguntque crepusculo sub dio cœnant, subinde plerumque sudantes, vineam perambulant postea noctu domum revertuntur. Paulo largius somno potius indulgeant, quam nimiis vigiliis & nocturnis ingenii laboribus & lucubrationibus animi pariter ac corporis robur frangant ac spiritus animales dissipent, dormientibus pedes & coxæ bene contectæ sint. Frictiones corporis sæpius instituantur & inunctiones ex nervinis salinis spiritibus, oleosis, balsamicis, ex lavend. melissa, majorano, roremarinó &c. in vertice, temporibus, nucha & collo præsertim. Cubicula prosunt dormitoria ab humo longe remota, serena, repurgata, sicca, spatiosa & alta ventisque siccioribus exposita, in quibus tempestatibus humidis & nebulosis igne luculento excitato aer alteretur & depuretur, ac per noctem fenestræ clausæ serventur, quare non satis commoda, si salubritatem quidem respicias, interiora ac angustiora illa Alcoven vocata, quoniam a luce & aere libero nimium sunt remota. Aere enim puro ac temperato fruamur, ut cum maxime quando somnum capimus æque quando cibum potumque assumimus atque corpus exercitiis movemus, quia magis tunc aerem in interiores recessus corporis, pulmones, ventriculum, imo sanguinem recipimus. Ut & rectius valeat mens in corpore sano, modicis convenientibusque excitent motionibus, & exercitiis corporis; præsertim ii, qui alias agunt sedentariam vitam, & meditationibus seriis diuturnis occupati, qui arti plus invigilant quam sanitati, quorum negotia otium sapiunt, quibus calor nativus non excitatur, & vigor non acquiritur, milites quasi imitati, qui media etiam in pace supervacuis laboribus se exercent ut sufficere necessariis possint; Quemadmodum Plato duas has artes civitatibus necessarias esse judicavit, Gymnasticam scilicet & Musicam, hanc animorum, illam corporum nutricem. GEORGIVS BAGLIVIVS multæ memoriæ clarissimus urbis Romanæ incolis, cujus cœlum nostro quoad multa simillimum & æque humidum minusque elasticum esse, antea diximus, ad præcavendos morbos populares, equitationem præ aliis exercitationum generibus, tanquam arcanum sedulo commendat, *vid. ejus lib. I. Prax. med. §. 4. p. 138.* Vires tandem quantum fieri potest, conservandæ, & ne, ut Celsus loquitur in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur. Diætæ enim imprimis convenientis studio id efficimus, ut in regione etiam alias intemperata bene longeque vivamus, quod in Italis præ aliis deprehendimus, atque ideo illorum industriam exactam accuratamque rationem, quam in hoc collocant ac exhibent laudamus merito. Speciatim pro iis, qui suburbia

bia inhabitant, alluviei aquarum obnoxia hoc monendum esset, ut post ejusmodi colluvies omni modo humectatas ædium partes usque iterum resiccatæ fuerint, relinquant accenso interim igne exsiccent, subterranea loca, cellas ab humiditatibus sordidis repurgent, suffumigia per omnes ædium partes exsuscitent, quorum materiam plebi hæc loca inhabitanti commodam & optimam præbent, cornua, ungulæ & segmenta e coriis præparatis relicta igni injecta, aut sublimes potius incolant.

§. XXXI. Optime & sibi, vitæ & sanitati suæ consulunt, quoniam aer non semper emendari potest; (emendatur autem aer in locis præsertim humidis, paludosis, stagnosis & concavis perdifficile aut nunquam) qui frequenter aerem urbanum, qui ordinario in ædibus & plateis retentus densior, crassior & impurior est, ob densum nimirum incolarum congeriem, opificiorum tetros halitus densosque fumos, quibus ordinario est stipatus, eum rusticano, qui solutus & apertus levis & ventilatus, multis exhalationibus peregrinis expers, a solis cæterorumque forte siderum calore & lumine explicatus magis est, mutant. Melius adhuc agent ii imprimis, qui de appetitu ciborum prostrato digestioneque & nutritione difficili conqueruntur, morbis chronicis & contumacibus præter naturali spirituum constitutione detenti, in affectus hypochondriacos & pulmonum vitia proni aliique valetudinarii & quibus alias noster aer minus convenit, æstate atque autumno commoda tempestate peregre abeant, seque in loca, quæ sereno, puro, libero sicco & aquis claris salubribus fruuntur & præ aliis in montanos quosdam tractus ad tempus quoddam recipiant, cumque aere vitæ dispositionem & concatenatarum curarum mutent simul, ut ex quo ibi recreati novi quasi hospites domum redeant. Celeberr. LANCISIVS *lib. de advert. Rom. cœli qualit. Cap. IX. §. III.* De Romanæ urbis incolis ac accolis refert: si post solstitium æstivum spirante maxime austro, tam male se habeant, ut, nisi ad montes confugiant, facile e vita decedant. Mirum quippe est, quantopere aeris cum aere mutatio, itinere facto seriorum cum otio, corpus pariter ac animum excitet, firmet & recreet: atque habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil, quam in rem EROTIANVS belle ait: *Migratio interdum medicina, & in morbis mutatio loci sæpe salutifera.* Præter hunc & passim alia loca egregia apud HIPPOCRATEM *lib. IV. Epidem. Sect. V. t. 19.* AVICENNAM *lib. I. tit. 4.* SENEC. *de tranquillit. animi & quæst. nat. lib. III. c. III. epist. it. 85.* STRABONEM *lib. V. p. 238.* occurrunt. Mihi præ aliis placet CICERONIS *lib. de Clar. Orat. cap. XVI.* & ille *ad* GALLVM *lib. VII.*

Epist.

Epist. 26. quæ tamen jam ob chartarum angustiam transcribere nolo. Exemplo sint Angli, qui ex vitio atmophæræ suæ in phthisin sunt proni; hi quandoque itinere in Galliam & præsertim Avenionem facto aut immunes ab ea diutius manent, aut optime ab ea penitus liberantur. Ita qui in Hispaniola Americæ Insula & vicinis Insulis morbo ab aëre loci insueto corripiuntur advenæ, hoc unico remedio sanitatem recipiunt, si alta loca adeant montosa, ac si per mensem unum aut alterum ibi commorentur. Videbis hinc Imperatores, Reges, Principes Magnos atque Magnates pro anni temporibus atque tempestatibus mutatis, loca, itinera faciendo mutare & quas frequentes cœli mutationes Regibus Hispaniarum leges antiquæ imponunt. Legesque id ipsum jam olim hoc institutum fuisse apud CVRT. *l. 5. c. 8.* TREVNERVM *ad Cluverium p. 172.* NEANDR. *in Præfat. ad Erotem. græc. lingu. p.* 44. ATHENAEVM *Lib. XII.* inter quæ exempla illud nimirum notissimum est, Reges Persarum Susis hiemasse, æstatem degisse Ecbatanis, per autumnum versatos fuisse Persepoli, ac reliquam anni partem in urbe Babel. SCIPIO AFRICANVS dicere solitus est, eum repuerasse, quoties ad Cajetam se contulisset, & conchas cum Lælio, Amico collegisset suo. Ex variis longeque plurimis insuper literarum monumentis passim constat, veteres, si aër ipse emendari nequeat, aërem commutandum diligenter suasisse. Sic apud CELSVM legitur *Lib. III. Cap. XXII.* phthisieos in Ægyptum navigasse & apud GALENVM *Method. Med. IV. V. & XII.* Tabias profectos esse. Navigationem in Cyprum desperatis quibusdam morbis detentis profuisse testatus est ALEXANDER BENEDICTVS *IX. Prax. XXXII.* Catarrho falso pertinacissimo cuidam afflicto in metu tabis Murani habitationem suasit I. B. MONTANVS in *Consil. 156.* & I. C. CLAVDINVS *Consil. XXI. & LIII.* Alia testimonia præsertim ex recentioribus Autoribus collecta inveniuntur apud D. WOLFF. in *observ. med. chirurg.* Valet etiam hic, quod CELSVS dixit *Lib. III. Cap. I.* Pessimum ægro est cœlum, quod ægrum fecit. In aliis quoque morbis qui ex aëre non nati sunt, æque commigratio utilis est, de quo item multæ hinc inde prostant observationes, ex quibus singularis illa HILDANI est, quæ modo exemplo sit *p. m. 935.* de homine quodam ultra annum gravissime ex vulnere quodam ægrotante & a primo statim die itineris aërisque mutati insigniter, sicque deinceps indies melius habente. Ita VESLINGIVS *in Not. ad Prosp. Alpinum Cap. IX.* ait. vidi sæpe pessime affectos & in ossa ipsa fæde sæviente veneno morbo cum extrema alibi omnia frustra tentata essent in Ægypto citra magnam præsidiorum vim, noxiam luem evasisse. Insulæ Bourbonicæ,

bonicæ, ab ægrotantibus in eam delatis ſunt cultæ, ubi recuperaverunt ſanitatem ac fœcunditatem. Notæ mihi ipſæ quædam fœminæ Lipſienſes ſunt, altera affectioni hypochondriacæ, altera albo fluori obnoxia, quibus Lipſiæ ſemper male eſt; in Marchiæ vero Brandenburgicæ & Luſatiæ inferioris certis quibusdam urbibus, ubi quotannis per aliquot tempus commorantur (utpote regionibus ac locis arenoſis, ſiccisque aëre, eapropter etiam ſalubriori) ſemper ſe habent optime; imo, quod curioſum, obſervatum eſt, reduces Lipſiam ſaltem appropinquantes protinus iterum mala ſenſim redire ſentiunt ſua. Atque ſcio multos, qui Lipſiæ commorantes de vertigine, capitis doloribus, anxietatibus, laſſitudine, appetito imminuto &c. ſemper conqueruntur, in vicina ſaltem oppida, aut Dresdam, aut in Luſatiam aut Sileſiam &c. provecti, nihil horum incommodorum ſentiunt. Si aliud adhuc forte exemplum deſideres. De B. D. Grapio Theolog. Roſtoch. quondam eximio proſtat vid. *Roſtoch. literat. pag. 192.* cum ſemper Lipſiæ valetudinarius eſſet ex conſilio Medicorum Lipſienſium aërem Lipſienſem cum Roſtochienſi commutavit, ex quo mox convaluit meliorique valetudine deinceps fruitus eſt. Hoc enim medio ac remedio permutatum & inſuetum licet aërem nova quædam natura molitur conamina, quibus ſibi conſulere intendit, ſuumque ſcopum feliciter attingit, quando hunc aërem per gulam potiſſimum & nares in ſe admittit ſanguinis ſic per pulmonis preſſionem ſuſcipit, tranſpirationemque inſenſibilem per poros cutis alteratam experitur.

§. XXXII. Ut ut hæc ſunt & quæ correctione ac remedio opus habent, non tamen deſunt varia, quæ ad ſalubritatem aëris potius faciunt, quæque de ea teſtantur. Quare declarandum arbitror, juxta alias paſſim traditas ſalubritatis cauſas ex variis, inſalubritatem aliis maxime corrigi ſubvenientibus; corrigitur vero optime juxta ſolis ſtatim exorientis illuſtrationem, cui acclivis ratione circumjacentium verſus hanc cœli plagam ad meridionale latus uſque ſe extendens urbis poſitus, feliciter expoſitus eſt, ventis orientalibus & ſeptentrionalibus noxiam vaporum copiam disjicientibus, ſerenantibus corruptionis vindicibus per ſitum urbis ſic etiam opportunum liberius admiſſis a quorum afflatu potius aëris ſalubritas merito deducitur ut modo eſt indicatum, qui dominantes ſalutem conſtantem promittunt. Qui & jamjam cauſam meam juxta alia alibi jam indicata agere & de excuſatione mihi gratulari videntur, ne injurius in Lipſienſem aërem videar. Quo frequentius igitur hi tempeſtatibus quoque convenientibus noſtram urbem accedunt eo

magis ſalubritatem quoque atmoſphæræ ingerunt. Hinc humorum, qui in nobis ſunt validior circulatio & a corruptione & putredine conſervatio; & eorum quæ extra nos ſunt, noxiorum correctio & ejectio. Sic & v. gr. Cairus Provinciæ ægyptiacæ caput quotannis febre peſtilentiali ab hyeme ad æſtivum ſolſtitium miſere vexatur, quæ tamen eteſiis ventis accedentibus ceſſat. Conf. MVNDIVS *in operibus p.* 47. ALEX. PETRONIVS *de victu Rom. Lib. IV. p.* 245. Si Romæ æſtate aquilo aut Favonius flaverint, Romanarum vinearum aërem non inſalubrem eſſe cenſet. Sic Venetorum urbs in ipſo medio ſtagno locata & morbis ſæpius preſſa, perflantibus vero eam ſeptentrionalibus ventis ſenſibiliter mitigantur & depelluntur. Adeo hoc quoque verum eſt, ut apud Medentes noſtrates etiam in confeſſo ſit, mutatis ventis ſubito mutari in ægrotantibus imprimis affectus atque ejusmodi effectus, in convaleſcentiæ ſtatu ſuccedere rem notabiliter in melius &c. Juxta enim Hippocratem lib. de flat. mortalibus vitæ & ægrotis morborum aër potiſſimum eſt autor & dominus. Nec hæc inſuper ſuo deſtituuntur effectu; fruuntur enim incolæ vegeta ſat ſanitate & longævitate quæ certe bonam notam in urbe aliqua prodit. Siquidem paſſim non pauci apud nos inveniuntur, qui vitam vegetam & ſanam in ſeros, Pylios atque Cumæos annos extendunt, octogenarii, qui nonageſimum & centeſimum annum atque adeo ultra attigerunt, & vivendo adſcenderunt, ut ex annuis, ſchedulis, obſervationibus & annalibus conſtat ut videre eſt in VOGELII *Annal. Lipſienſ. p.* 15. 17. 43. 73. 538. 561. 665. 723. 730. 737. 821. 894. 966. 998. 1065. HEIDENREICH *Chronic. Lipſ. An.* 1592. *p.* 198. MATH. MERIANI *Topogr. Super. Saxon. p.* 121. Inter macrobios Lipſienſis præ omnibus aliis memorabilis eſt Joh. Hutterus Aedilis qui ætatis ſuæ 114. anno mortuus eſt vid. SAL. STEPNERI *Laur. Lipſ. p.* 155. *No.* 596. Porro quoque ad aëris ſalubritatem cognoſcendam ſunt nobis aliæ adhuc notæ, inter quas corporis habetur habilior habitus, hinc Croto Italiæ civitas ob athletarum multitudinem ſaluberrima viſa eſt. Præterquam quod aër quoque chylificationem adjuvet, uti per experimenta ope machinæ papinianæ facta videmus; humidus efficit pulchra corpora candida & tumida, opima, macilentaque reſtituit, ſub hoc nutritio felicius abſolvitur, quoniam hæ aeris particulæ ſolidorum expanſorum & laxatorum poris ſeſe facilius inſinuare poſſunt, quo & via ſanguini & cum ea partibus nutritiis paratur, & occaſio expanſioni & appoſitioni naſcitur. Hinc Proſper Alpinus affirmat ſe non alibi tam pingues homines vidiſſe quam in urbe Cairo, adeo, ut & mares æque opimas mammas ac fœminæ habeant, ob

aerem

aerem humidum ex inundatione Nili redundantem diætamque humidam, quam servant ac refrigerantem. Amplius dicendum est ejusmodi aerem (humidum) prodesse quatenus siccitatem corporum quæ calorem nimium eundemque infensum producit, emendat. Hinc jussit GALENVS *Meth. med. Lib. X. C. VIII.* ut gratum aeri refrigerium concilietur, aquam frigidam de vase in vas transfundere atque domum ea undique respergere. Unde & scimus omnes nos in aere humido majus frigus sentire quam in sicco. Strabones, herniosi, claudicantes, gibbo deformati, hic si caussam curiose perquiras, non tam aeris & aquæ vitio, quam nutricum & gerularum suarum supinæ negligentiæ & ruditati & aliis evidentibus caussis, potius sæpissimeque sua hæc incommoda ab ineunte ætate debent. Alias quoque corporum deformitates oppido raras hic offendes, quales capitones, buccones, labeones monstrant. Habentur & aeris commodi signa, laudabilis Lipsiensium temperies utplurimum sanguinea notabili sæpius, maxime in fœminis phlegmate permista, cutis bene colorata & florida satis, non rubicunda nimium, quæ Celso suspecta, quoniam sanguinem nimis calidum indicat; nec adeo pallida, flava & lurida, quæ omnium pessima; sed suavis & visui grata ab Hippocrate commendata. Iis præterea accensetur vocis claritas, hinc ipse Phasia nos hominum omnium gravissime loqui ob aeris crassitiem & aquam palustrem dicit; e contra incolæ Bliterræ Galliæ urbis gratissima omnium loquela gaudent, quam bonitati aquarum adscribunt. At nostratibus non solum volubilis est lingua satis, nec os seratum, unde affabilitas grata & sermo clarus atque decorus. Fœcunditas item mulierum, vid. O. RVDBEKIVS *in Atlant.* ex his signis non excluditur, qua prærogativa fœminæ Lipsienses jure non excludendæ veniunt. Acuta tandem incolarum & festiva ingenia ad studia & artes aptissima, suaves mores & elegantes, animi vis cum prudentia conjuncta, quæ omnia de Lipsiensibus uti in genere de Misnicis merito deprædicari possunt, his annumerantur quoque eorum mores & qualitates laudatissimas longius deprædicant DRESSERVS *in Isag. hist. P. V. & de urbib. p. 391. & p. 389.* CAMERARIVS *in Arithmolog.* ALBINVS *in Chron. Misnensi Tit. XXIII. fol. 318. & in Annal. f. 174.* HEIDENREICH *in Chron. Lips. p. 32.* Hinc PLATO in *Timæo* ac in *Menexeno* Atticam terram esse ingeniorum fertilitati præcipue accommodatam autumat, atque Crotoniatarum locus saluberrimus olim habitus fuit, etiam hoc nomine quod brevi temporis spatio quamplurimos produxerit, tum atletas, tum philosophos seu corporibus pariter ac animo præstantes viros. Hodie adhuc a Geo-

 graphis

graphis hoc argumento China ac Insulæ Orcades inter alia loca celebrantur. Ut enim & aer & aqua & terra & tempestas differunt, ita etiam hominum formæ & mores. Conf. qui de moribus gentium scripserunt celeberrimi Auctores IOH. BRILAJ. SCIP. CLARAMANT. Aliique. Audiamus modo hac de re HIPPOCRATEM loquentem *lib. de aëre, aquis & locis, in fine: Magna enim ex parte hominum formas, & mores regionis naturam imitari reperias: ubi enim terra pinguis est, & mollis & aquosa, aquæ vero valde sublimes, ita ut æstate sint calidæ & hyeme frigidæ, quæque ad anni tempora probe habet, ibi homines carnosi sunt, articulis non discreti, humidi, labores non ferentes, ac utplurimum pravi animi. Quin etiam segnes sunt & somnolenti, & ad artes crassi, neque subtiles neque acuti. Ast ubi regio nuda est, non munita, aspera, quæque hyeme prematur & sole exuratur, ibi duros, graciles, articulis discretos, carnosos & hirsutos homines cernis & qui ad aliquid agendum natura sunt industrii & vigilantes; mores autem habent superbos, in iram proclives & pertinaces, magisque feritatis quam lenitatis participes, eosque ad artes acutiores & solertiores & ad res bellicas gerendas meliores deprehendes.* Quin & reliqua omnia, quæ e terra producuntur, terræ ipsius naturam sequuntur. Atque maxime quidem contrariæ naturæ & formæ sic se habent, ex quibus conjectura ducta, si reliqua consideres, minime aberrabis.

§. XXXIII. Hæc est commodi incommodique sicuti fere ubique ita & apud nos miscela: Etenim nulla plaga est, cujus felicitatem nulla flagellat calamitas, nulla adhuc urbs in loco adeo salubri constituta est, si etiam Locridem Crotonemque Italiæ oppida mihi nomines, quæ saluberrimæ omnium urbes semper ob miram aeris salubritatem, quam PLINIUS *II. Cap. XCII.* deprædicat, & refert, ibi etiam pestilentiam nunquam serpsisse, habitæ sunt (unde vetus proverbium: Crotone salubrius) quæ a morbis & morte sit immunis, nullaque ita munita est, ut cladem fatumque excludere posset. Ipsa Macrobiorum regio dicta, quam Æthiopia continet, ideo olim adeo celebrata, eam inhabitantes tandem non sine omni prorsus morbo e vita sustulit. Difficile reperies civitates, quibus positus situsque a Medicis desideratus, atque omnibus numeris absoluta hæc felicitas contigerit. Difficile videbis agrum, quem vis major novercantis fortunæ nulla conturbet; quæque suas & rosas habeat & spinas; neque usquam cælum sine nube apparet; quævis fere regio, imo quævis civitas suos patitur morbos, quos endemios vocant, & a conditionibus certis aeris, ventorum, aquarum, telluris, fructuum &c. oriundos & juxta alios solis atque stellarum aspectibus. Non omnia enim optima ubique obtinere possumus, sed prosperitatem semper ali-

qua

qua comitatur labes atque injuria. Ipſa felix Arabia a ſvavibus & ſalubribus odoribus, quos longe lateque ſpargit, aliisque vitæ commoditatibus ita nominata, ſed eadem peſtilentibus morbis ex gravitate aeris contractis male impedita, ac China apud omnes audit amœniſſima, ſed & eam multa pericula multæque miſeriæ ſubinde obruunt. Madritum Hiſpaniæ Metropolim ſerenus aer, tenuis & ſalubris ambit, ſed non raro infelix infrigidans ventus ex Gallicia veniens & incautum, dum blanditur, lædit, manus pedesque reſolvit. Atque aliæ regiones alia habent de quo conqueruntur: Ægyptus, fertiliſſima illa regio, ab aeris ſalubritate, ſitus commoditate, ſoli bonitate, aquarum Nili nobiliſſimi fluminis fœcunditate, ſatietate, hilaritate & deliciis, quas affert, per tot ſecula adeo commentata. Crocodilos quadrupedes, immanes & peſſimos flumine pariter ac terra infeſtos timet eorumque devorationes dolet &c.

§. XXXIV. Jam æſtumantibus hæc, conſtabit, aerem Lipſienſem non adeo eſſe inſalubrem, ut a plurimis equidem habetur & creditur; magna enim ubique eſt & frequens Lipſiæ verſantium, non advenarum ſolum, ſed civium etiam querela, ad florentiſſimæ Lipſiæ felicitatem nihil præter aeris ſalubritatem poſſe deſiderari. Intueamur igitur eum ut providum parentem, qui vitia & interitum præcocem, niſi impediretur, a ſuis avertere ſtudeat alumnis. Et ſic habes, Benevole Lector! urbem Lipſienſem, Lipſienſia loca, aerem, terram, aquam, habes valetudinem, habes remedia.

* *

II.

DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA DE SALVBRITATE SILESIAE.

PROOEMIVM.

HIPPOCRATEM, qui merito ſummus Medicinæ Parens ſalutatur, ut ob multa præclara, quæ reliquit, Medicinæ dogmata, quæ non finxit, ſed invenit, & non apicibus, ſed nervis eſt metitus, omnes admirantur, in eo præſertim iterum iterumque laudandum cenſeo, quod

non modo ſtudium phyſicum & Anatomiam & Chirurgiam Medicinæ jungendam commendavit, atque naturæ proceſſum, modum & ductum in curatione monſtravit, eumque ut ſequantur ubique Medentes eſt hortatus, ſed & quod ex victus, aëris, tempeſtatum, anni temporum, aquarum, locorum varietate ac mutatione, mutationes quoque & alterationes in humanis corporibus & originem variorum morborum deduxit ſcitiſſime & quibus vitiis certæ ætates hominum, temperamenta, ſexus, Regiones, Climata ſint expoſita, explicavit. Inter cætera hinc maxime *Liber de A. A. L.* & ille *de morb. vulg.* eminent, magnamque utilitatem donant. Hæc ut percognoſceret varias Regiones itineribus factis, adiit ipſe, & indolem conditionemque, affectus atque ſucceſſus, ejusmodi permulta loca ſcrutatus eſt diligentiſſime. Sequutus hunc & laudabiliter GALENVS, qui pariter varias peregrinationes terra, marique diſcendi cauſa ſuſcepit atque ſolicitum diligentiſſimumque etiam rebus in minimis ſe exhibuit. Optandum eſſet, ut poſteri Phyſici & Medici horum eminentiſſimorum in Medicina Virorum etiam in hoc utiliſſimo ſtudiorum genere obſervandi ſedulitatem fuiſſent ſecuti, longe hodie feliciores eſſemus in aëris, ventorum, aquarum locorum eſſentia, indole, proprietatibus &c. exponendis quæ adhuc in multis valde ſunt abſtruſæ. Hos itaque Anteſignanos eximios Medici quoque ſequantur & curæ merito omnes habeant, ut Chorographia medica jucunda non modo ſed & utilis inſtauretur, perficiatur, tantoque magis, quanto ardentius hæc deſideratur. Congruunt ad hanc rem verba SENECAE *quæſtiones naturales tractantis: Quod*, inquit, *erit pretium operæ? quo nullum majus eſt. Noſſe naturam. Neque enim quicquam habet in ſe hujus materiæ tractatio pulchrius, cum habeat multa futura uſui, quam quod hominum magnificentia ſui detinet, nec mercede ſed miraculoſo colitur.* Nobis hac vice communis iſtius Medicinæ Præceptoris Hippocratis præceptis exemplisque aliorum quam & potiſſimum ſuaviſſimæ Sileſiæ gratiſſimæ dilectiſſimæque Patriæ dulcis ſc. miro amore gaudentibus eam eſſe ſuam vera æſtimatione jucundaque memoria, atque adeo ſæpius eam repetendi cupidine, quæ firmiter inſident animo, voluptateque maxima repetitur ductis, curioſa contemplatione natali ſolo digna debita ſolvere atque commoditatem & ſalubritatem proſperitatis certe haud infimam partem paucisque aliis bonis anteferendam, his literis celebrare ratio conſtat, ac tantum non religione quaſi jubemur atque Minerva Hygea dixit in aurem, imo juſſit. Inſtituamus proin bonis verbis optimam Sileſiam ſalutantes curioſæ peregrinationis (quanquam feſtinatione & in tranſitu

quaſi)

quaſi) iter, ac in eo non modo Sileſiæ limites, ſed & interiores receſſus, eorumque conditiones, aërem, aquam, terram, incolarumque victus item conſuetudinis rationem &c. ut vel potiora potius & breviter magis quam prolixe & ornate proferamus, quæ ad Sileſiæ exinde faciunt ſalubritatem. Veniam itaque concedat nobis B. L. ſi parum meditationis compoſitæ, parum elegantiæ inibi inveniantur, ac ſi omiſſa quædam annotentur aliqua ſaltem docebuntur, quæ eam docebunt & nos jam ſatis habeamus eſſe hic Sileſiæ, eſſe Patriæ noſtræ Chariſſimæ quoddammodo ſalubritatis documentum. Quod ſi fruſtra laboraverimus hoc ſaltem effecerimus, ut plura & meliora cogitandi atque ſcribendi anſam dederimus, & ſi poſſibile maturiorem aliquando nos fructum edamus. Jam igitur divina ope non ſine ſuavi animi ſenſu rem ipſam aggrediamur.

§. I. SVaviſſimæ Sileſiæ prærogativarum adeo multa illuſtria concurrunt & affluunt argumenta, ut tanto confidentius laudes quasdam Nobiliſſimæ huic Provinciæ debitas, præ aliis multis & jure quidem tribuere poſſimus. Tanta certe Summi & Clementiſſimi Numinis in Sileſiam Clementia eſt, ut totam multifaria atque ampliſſima longe coronet augeatque benedictione. Nemo enim hic facile quicquam deſiderabit eorum, quæ Regionem amœnam, gratam atque acceptam commendant. Hac certe nulla fere Provincia domi foriſque celebrior eſt, quæ cœli indulgentia, ſoli clementia, ſitus opportunitate, ubertate frugum omnibusque aliis donis & muneribus, Cereris, Bacchi, Pomonæ & Venatricis Deæ Dianæ, nec non metallorum reconditorum, commerciorum cum exteris & diſſitis longiſſime mercatorum pretio, urbium, arcium, vicorum multitudine, magnitudine, ingeniis, moribus & ſtudiis incolarum &c. cum aliis facile comparanda. Nil jam attinet, ut ſingulæ Sileſiæ eximiæ dotes ac opportunitates ad cultum hominum & abundantiam longius petantur, cum ad aliarum artium ordines id attineat. Etiam proprio nitore corruſcat atque floret per ſe laudibus ſuis ſupra laudem poſita inſigniſſima celeberrimaque Sileſia, ut ejusmodi prædicatione parum videatur acceptura ſplendoris, digna quæ ab aliis ex aſſe celebretur; illud tantum, quod jam muneris noſtri eſt noſtrique inſtituti magis, officii & gratitudinis jure monente ſequamur, & quod in quolibet loco primum propemodum in laudem gloriamque vocatur, quoniam Generi Hominum ſanitate ac commoda vita nil dulcius exoptatiusque eſt unquam, vitalem nempe ac perennem illam ſalubri-

lubritatem, qua præ multis aliis Regionibus gratiſſima patria gaudet, ſcripto memoremus.

§. II. Attribuimus vero ſalubritatem omnibus iis rebus naturalibus congrue ſe habentibus, ut ſunt aër, venti, aquæ, fluvii, terra, arbores, plantæ, herbæ, quæ ſub terra conduntur, animalia, alimenta, eſculenta & potulenta, medicamenta, quæ ſanitatem ſ. omnium in corpore humano actionum integritatem, quæ in convenientia motus atque mixturæ partium fluidarum, & in congrua ſolidarum conformatione, robore atque organis viisque liberis aptisque conſiſtit, juvant, præbent, ſtabiliunt, ampliant præſentem, atque reſtituunt & inſtaurant labeſcentem læſam atque amiſſam. Quoniam hæc magnam potentiam in harum temperiem & motum obtinent. Quæ ejusmodi ſint in Sileſia jam æſtimemus ut innoteſcant eadem.

§. III. Atque locorum ſalubritas, quæ hominibus, animalibus, imo & vegetabilibus ſalubritatem quoque dat & integritatem potiſſimum ab aëre qui & de telluris, ac aquæ participat indole dependet, quare ab eo recte incipere poſſe videmur. Immenſum hoc fluidum, diffuſum undique, omnia complectens omniaque pervagans, quod ſine intermiſſione inſpiratione haurimus, corpora quævis ad intimos usque receſſus penetrat & afficit motu ſuo continuo, varie, pro variis, quas continet, particulis craſſis & tenuibus, terreſtribus, humidis, ſalinis, ſulphureis &c. Si igitur bonis iisdem utilibus ſubtilibus ſpirituoſis æthereis temperatis concinne quoad humiditatem, ſiccitatem atque ejusmodi, quæ calorem frigusque &c. inferunt, quæque jugiter moventur, eſt præditus, actiones in corpore vitales omnes conſervat integras diu, i. e. ſanitatem ſua ſalubritate & vitam concedit; hinc jure veteres ſcitiſſime aërem occultum vitæ cibum, ſpirituum pabulum, animam ore hauſtam & auctorem omnium, quæ corporibus accidunt, habuerunt. Contra ſi vitiatus eſt, a vitioſis, impuris, craſſis, vappidis, inertibus, intemperatis, humidis nimis, ſalinis, ſulphureis, impuris, fœtidis, acrioribus, malignis contagioſis &c. totam Oeconomiam animalem afficit, pervertit, conturbat, ac deſtruit &c. Luculentum hujus rei ſuppeditant teſtimonium, morbi populariter graſſantes, quorum communis indoles communisque origo a nulla alia cauſa commodius certiusque deduci poteſt, quam a communi univerſalique medio, in quo verſamur, aere. Atque ſi tanta vis per ſe aëri ineſt afficiendi, multo magis venti, qui ſenſibiles imo ſenſibiliſſimi ſunt aëris motus, atque ipſum potiſſimum alterant varie, majorem adhuc poſſident potentiam, quoniam fortius allidun-

alliduntur fortiusque atque intimius penetrant. Hinc si vehementissimus ille est, mirandos imo horrendos videmus effectus, maris vastissimi molis & fluminum fluctuationes & inundationes, arborum dejectiones, ædificiorum deplorandas ruinas; quorum omnium tristia exempla non ita pridem atque non simplici vice audita oculisque comperta habemus.

§. IV. Varia sunt, quæ aërem alterant eumque vel in melius, vel in deterius mutant, &c. Situs positusque locorum quoad solem, Cœli plagas Ventorum exortum, aquarum, fluminum, marium, telluris, montium, sylvarum, subterraneorum quoque, aliæque ipsorum locorum conditiones, & quæ inibi crescunt atque inveniuntur, maximæ hac ipsa in re, imprimis sunt considerationis, quoniam hæc omnia atomos in aërem atque atmosphæram nostram propius mittunt. Etenim aër non nisi velut terræ & aquæ lanugo est, ex multifariis adeo effluviis conflata & vastissimo spatio cœlum inter terramque diffusa. Pro his non omnes terrarum tractus & loci similes, sed pro harum varietate varii sunt, quoniam & non omnes ab omnibus semper atque ubique æqualiter afficiuntur, sed dantur variæ vicissitudines & causæ, quæ impediunt aut promovent effectus alias certe subsequuturos, daturque certis finibus coercitum earum pondus & motus, ut non ultra ferantur &c.

§. V. Felices igitur, terque quaterque felices istæ regiones, quæ felicem & opportunum situm ac positum salubremque aërem obtinent, salubriaque alunt & proferunt. Felices beatique gaudeant incolæ, qui talem felicem terram inhabitant, quoniam per medium hoc corpore pariter ac animo valent, ac valent diutius. Hac felicitate nihil felicius a Deo mortalibus datum est. Silesia vero quoque habet ejusmodi, nec unum, sed plura, de quo sibi jure gratulari potest. Namque eam benigno sat vultu respicit totam cœlum. Si situm spectemus in orientem commodissimam cœli plagam vergit, atque speciatim dicendo, minus longe in latitudinem ad meridianum & occidentale latus, quam recta regione spatiosam ad orientem atque septentrionem, temperato, subfrigidiori paulo, sed non ideo insalubriori climate totam locatam regionem videmus. Hinc temperies atque vicissitudo, quæ hominibus, animalibus pariter & vegetabilibus perquam accommodata est: Aer enim temperatus, temperatis naturis saluberrimus est, & nulla qualitate excedens, qualis vernalis omnibus convenit, omnes temperato, sereno reddimur hilariores. Non ut Africam violento sole Silesiam torret, & licet magna portio autumni pariter & veris, hiemi accenseatur atque eam

longiſſimam anni experiatur, ut univerſa propemodum Germania, tamen non riget aſpero & perpetuo, ut ſeptentrionales regiones, gelu. Nec aſſiduis procellis, ut Gallia turbatur. Nulla paludum gravi nebula inficitur. Non malo premitur Jove, qui Cimmerios, & Magellanicos affligit. Non afflat eam urens quidam ventus ſolo halitu exceptus enecans, qualis interdum ex aſſyriis babyloniisque eremis exit, quem Samiel vocant. Non ea pericula, eæque miſeriæ eam impetunt, quam quidem Chinam, felicem alias regionem, cui nunc ignis cœlitus immiſſus totos pagos, tota oppida, atque urbes totas, imo provincias devorat, nunc inundationes & diluvia diglutiunt, nunc terra diductis ſuis faucibus abſorbet. Non terræ motibus, ut Italia, terretur. Non beſtiarum terra fluminibusque infeſtarum, & vel ſolo nomine terrentium, laniatus non dolet. Nec dies ob æſtum, nec noctes ob frigus adeo incommodæ ſunt, ut in vicina Hungaria. Solem non tegit aut avertit Sileſiis nubiloſa nebuloſaque tempeſtas continua, quæ per hyemem maxime Angliam, cœlorum matulam a quibusdam ideo dictam, obſcurat. Nulla hic aquarum fœditas, nullus hic lacus, nullus hic ſpecus, nullæque cavernæ, halitus lethales, ſpirantes. Fungi, qui Sileſiis copioſum ac gratum edulium præbent, non venenati ac exitioſi ſunt ac quidem in Dania vid. BARTHOLINI *Acta med. Haffn. Vol. II. p. 294. Obſerv. CXVI.* Non moleſtant Sileſios, culicum inſectorumque, aliorum denſa examina, quæ Guiennam Galliæ aut Careliam Sueciæ provincias. Non terrarum tractus informes, difficiles, cultu adſpectuque triſtes ac horridos monſtrat Sileſia, quales Hiſpaniæ plagæ ad pyrenæos montes imprimis, (unde quidam in Hiſpania mori optaverunt ſibi) ſed ejusmodi, qui oculos non modo mire delectant, ſed & animum reficiunt. Neſcit felix Sileſiæ terra morbos endemios notabiles; morbi epidemici contagioſi quoque ibi ſunt rariores, & ſi quidam quandoque fuere, non diu tamen graſſati ſunt. Potius amicæ ſunt Sileſiæ, roſcidæ æſtatis, noctes dulciſſimum vitaleque ſaccharum afferentes, amicique ſuaves eteſiæ, quia nivibus liquefactis in jugis tauricis longinque & montibus hungaricis, bohemicis & moravicis propius accedunt, oriundi, flatu nimium æſtivum æſtum temperantes, ut alias jam amœnas dotes taceamus, quibus quiete atque ſecure fruitur, & uberrimam ſine omni periculo aut omnium commodorum colligit meſſem.

§. VI. Qua parte oriens eſt ex parte adhuc Poloniam Majorem dictam, planam regionem, (quæ etiam a planitie nomen accepit, Slavonica enim lingua planities Polo vocatur) ex parte quidem altos ſarmaticos

montes

montes decurrit. Per illam venti orientales omnium ad valetudinem, ut ordinario, ita maxime Silesiis accommodati, liberius accedunt, quoniam subfrigidi sunt & sicci beneque temperati, sole super eam quotidie oriente, calorem & frigus aptissime moderante. Nec adeo obstat, neque Silesia lugeat, quod horum salubrium ventorum alia ex parte ab Hungaricis altissimis montibus accessus impediatur, cum potius humidi, ab Hungariæ vastis paludibus elevati transvectique vapores, per hos ipsos excludantur, sanitati vitæque nocivi. Hungaria enim ob hunc soli squalorem & visciditatem aërisque humiditatem maxima ex parte insalubris habetur. Hinc BALBINUS *Miscell. R. B. lib. I. c. V.* notanter advertit, Imperatores ac Reges quondam Bohemiæ, ut Sigismundum, Albertum II, Uladislaum II, Ludovicum II, Ferdinandum I, Maximilianum II, Rudolphum II, Matthiam cum conjuge sua Anna, Ferdinandum II, in Hungaria & Austria (de qua notissimum illud est: Austria aut ventosa aut venenosa) ægre se habuisse semper, adeo ut coacti fuissent has regiones cum Bohemia sæpius permutare, ubi infirmi etiam pristinam valetudinem brevi recuperassent.

§. VII. Meridiem versus perpetuo in longitudinem partim montibus Bohemiæ altissimis, (quos sudetes Ptolomæus dixit, qui partem vastissimæ herciniæ sylvæ relictam esse putantur, quorum maxima pars Riphæi aut Riphæi, a Riphato forte Gomeri filio Riphæorum Principe vocatur, qui locum quorundam mendacio fecerunt, quippe traditum est, cum Diis hic olim gigantes pugnasse, unde gigantei sunt nominati) complectitur, partim Moraviæ sylvæ Gabretæ Lazio dictæ, summis montium cacuminibus tota cingitur; etenim hic tractus ad Bohemiam, Moraviam Hungariamque versus ad meridionalem & occidentalem nimirum plagam se extendit. His densis sylvis simul obsitis non solum ferventior & magis molestus solis ardor lenitur ac temperatur, sed & (quod adhuc ultilius est) forti quasi propugnaculo adversus meridionalium ventorum malignitatem Silesia defenditur, his cohibiti ad interiora non penetrant. Nam notissimum est ventos meridionales omnium nobis esse insaluberrimos, quoniam sunt humidi & calidi, impuri, lentissimi, (unde & plumbei non male appellantur) atque sublimia vix ascendunt; adeoque non elevant vapores, ut potius detineant eos. Ex horum indole memoratis facile cognoscent animum advertentes, hos esse sanitati & vitæ infensissimos, quippe non modo debitam elasticitatem debilitant pessime, sed & omnes fibras partium solidarum motrices, carnosas, tendineas, nerveas de suo tono dejiciunt, laxando nimis ac de-

 struendo,

ſtruendo, ut plus juſto dein ab affluentibus onerentur, extendantur præter modum, humores quoque ipſos, imo ſpiritus animales corrumpunt, vappidos reddunt illorumque motum circulatorium inhibent, & quoniam hæ ambæ corporum partes inter ſe mutuam ſic quaſi ſerram trahunt, labem illatam communicant & per hanc ad impuritatum retentionem, ſtagnationes, corruptiones atque ad cachexias, ſcorbutum, tumores, epilepſiam, paralyſin, ſenſuum conturbationes, ſegnitiem, affectus ſoporoſos, memoriæ debilitatem, ſurditatem, dolorem capitis, viſus caliginem, guttam ſerenam, catarrhos cerebro ingenti repleto humore & ſimiles nec non ad inappetentias pravasque digeſtionis cauſas ac tandem quoque ipſam putredinem & malignitatem concipiendas reddunt aptiſſimas. Malam hanc indolem exinde acquirunt. Scilicet: Licet calore magno inficiantur propter ſolis deſcenſum, radiis ad perpendiculum magis ferientibus, atque ex præcalidis Africæ locis & Libyæ aridis arenis proficiſcantur, tamen dum mediterraneum tranſeunt mare vapores calore elevatos ſecum abripiunt nobisque inferunt ad nos delati; nam venti qui terræ ſiccivapores ſunt, non ſolum indolem referunt eorum, a quibus proveniunt, ſed & eandem illorum, per quæ tranſeunt. Horum labem non modo in microcoſmo, homine, ſed & animalibus, brutis atque in toto macrocoſmo variis luculentis argumentis percipimus, ſic aves, hirundines, galli &c. imprimis aquaticæ, mox vel inſecuturam humidam tempeſtatem, quam ordinario ſecum afferunt, prænunciant, dum plumas, alas roſtris fricant & explicant, inſolitasque & moditationes & actiones edunt & cantus &c. ſic granaria, cellæ &c. meridionali auræ expoſitæ citius ſuam bonitatem perdunt citiusque & fructus, ſemina &c. vermibus exeduntur, vina, cereviſiæ &c. quæ inibi aſſervantur, corrumpuntur, imo ædificia huic expoſita detrimentum ruinamque citius minantur, ut plura taceamus.

§. VIII. Ad occidentem Bohemiæ ſaluberrimæ quoque Regionis & utriusque Luſatiæ limitibus, ad Marchiam usque circumſcribitur. Qua parte adhuc limites Bohemiæ, alta montium juga itidem protenduntur, qua parte Luſatiam imprimis inferiorem ſpectat & novam Marchiam Brandenburgicam denſæ ſylvæ hinc inde, terris & agris arenoſis aridis magis, ſunt interdiſtinctæ, quæ ventos occidentales impetuoſos, procelloſos, nubiloſosque humidos quoque, pluvias copioſas & nives ex Oceano atlantico advehentes, (hæ enim particulæ humidæ in vapores prius ſolutæ, dum ad frigidiora noſtra loca perveniunt, ibi denſatæ æſtate pluvias, hyeme nives concedunt) parum quoque ſalubres, impediunt,

diunt, quo minus libere Silesiam accedere, eamque transire possint. Quoniam & per Lusatiæ Inferioris & Marchiæ oras transeunt, in quibus copiosæ arenæ jacent, a regionum harum siccitate, humidi hi venti in transitu temperantur. Ejusmodi enim regiones siccæ, aëre gaudent saluberrimo, incolasque sanos alunt atque longævos, quippe aër non adeo siccus & moderate calidus adeoque non multum a recta temperie recedens, humorum motui conservando & spirituum elaborationi omnium aptissimus est.

§. IX. In Septentrionem, secundum longitudinem ad Majorem Poloniam ad Neo-Marchiam Brandenburgicam usque in magnum salubritatis momentum se explicat. Cum enim in longitudinem hac in plaga universa Silesia extendatur & Polonia pateat latissima & vastissima, æqualis, arenosa & sicca, quæ demissiori in loco, Silesiæ respectu posita est, nullique montes interjaceant notabiles, liberum ventorum septentrionalium admittit aditum, adeo ut nulli in Silesia sint frequentiores, quod de Marchia Brandenburgica itidem idem dicendum est. Hi vero ab ipso HIPPOCRATE jam *Lib. de Morb. Jac. conf. & Lib. de A. A. & L.* saluberrimi omnium & merito quidem habiti sunt, nec ab illa sententia alienus Aristoteles est. Licet enim ob remotiorem solis cursum frigidi sint sicci & violenti & ex parte incommodi, æquales tamen sunt & constantiores: per experientiam enim constat, homines, quos venti ejusmodi afflant, & has regiones incolunt, coloratiores, vegetiores, robustiores, saniores, longævosque, paucioribusque morbis obnoxios expositos atque levioribus conf. & PLINIUS *Lib. II. C. XLIX.* CELSUS *Lib. XI. C. I.* RHASIS *Lib. V. de re med. C. IV.* BACO DE VERUL. *H. N. p. 451.* præ aliis esse. Nam ex alto deorsum feruntur, rectilinei magis & vividi particulas salinas, nitrosas, advehentes refrigerant, stringunt terram & corpora omnia, quæ tenet, & hoc ipso impediunt, ne atomi forte nocivæ ex variis & inumeris adeo corporibus humidæ, crassæ, excrementitiæ, putridæ &c. cum aëre misceantur, & si infectus iis est aër, dissipant, abripiunt, repurgant, corriguntque eundem. In hominibus pari modo, fibras roborant motrices earumque tonum firmant atque restituunt ac armant, ut fortius impellant humores, ut impelli dein & fortius ab humoribus rursus queant. Spiritus animales laudabilissima corpora, in corporibus detinent earumque dissipationem jacturamque inhibent &c. quibus mediis circulatio humorum, eorumque depurationem, a quibus sanitas vitaque animalium pendet omnis, debita & integra servatur atque redditur promtior, omnesque actiones instituuntur meliores, sicque ut aëri serenitatem af-

 ferunt,

ferunt, ita hominibus corpora ſana, ſenſus mentesque alacres reddunt atque præſtantes.

§. X. Cauſa ſalubritatis Sileſiæ quoque primaria & univerſalis magis eſt ejus ſitus poſitusque altus: quo altiori enim excelſoque loco, loca ſunt locata, eo puriori, tenuiori, ſicciori atque ſalubriori fruuntur aëre. Noſtra Sileſia vero Regni Bohemiæ altiſſimæ Regioni vicina, altum quoque in Germania obtinet ſitum: Hinc & adeo multi fontes fluminumque ſcaturigines & rudimenta atque incrementa ex ipſa Sileſia & ejus limitibus profluunt. Eorum enim, quos primæ hic magnitudinis vocare liceat, primum Viſtula eſt, quæ in Teſchinenſi Ducatu initium ſumit. Albis hunc ſequitur, unus ex nobiliſſimis Germaniæ fluviis, qui circa Ducatum Jaurovienſem ex ipſis, montium ſudetorum radicibus ad Bohemiam Saxoniamque utramque devolvitur. Ipſa Odera amnium Sileſiæ maximus per mediam Sileſiæ decurrens e limitibus Oppavienſis Ducatu procedit. Mediæ magnitudinis amnes, qui hic naſcuntur, ſunt, Niſſus in Comitatu Glacenſi atque alius ejusdem nominis Luſatiam rigans prope Ducatum Jaurovienſem. Bartha in Baronatus Militienſis confinibus. Boberus ſive Hebrus & Viſtricius in Ducatu Svidnicenſi. Quiſſus cum Catto Iſera, Upava Zakeloque in Jaurovienſi, Olava in Monſterbergenſi. Morava & Deſna Moraviam tranſiens ad fines Oppavienſis D. Weida in Baronatu Wartenbergico. Bilus ad Niſſam, Stobra ad Bregam miſcetur Oderæ, Sprotta ad Sprottaviam Bobrum influunt in ipſa Sileſia profluentes. Infimæ magnitudinis fluvii ortum ex Sileſia trahentes, multo ſunt plures hic non longius recenſendi, ut & jam innumeros rivulos atque torrentes, limpidos atque cryſtallinos in nominatos nedum incolis ipſis ſatis notas taceamus. Longam eorum ſeriem potes videre in HENELII *Sileſiogr. ren. P. I. a. p. 566 usque 593.* Nec ſolum Sileſia in univerſum ſumta altius locata eſt, ſed & ejus urbes, oppida, arces & ædificia & pagos in editiori loco in collibus & montibus in quibus aër, COLVMELLA teſte *Lib. de re ruſt. Cap. IV.* calore & frigore temperatus eſt & defœcatior, majori ex parte, excitaverunt Majores.

§. XI. Atque ipſæ dein Sileſiæ aquæ, fontes, fluvii, rivi atque torrentes non minimum ſalubritatis Sileſiæ ſymbolum conferunt, quoniam atmoſphæram reddunt ſalubrem. Si enim aër non totus conſtet ex aqua calore reſoluta ex multorum Chymicorum ſententia, certiſſimum tamen eſt atque exploratum, aërem immenſas particulas aqueas elevatas continere, ut argumentari exin liceat, talem quoque aërem eſſe, qualem aquam atque aſſenſum ſimul Vitruvio præbere, qui ex habitu corporis inco-

incolarum pulchro & deformi naturas aquarum illius regionis exploravit. Omnes vero hi rivi fere perennes, gelidas, limpidas, claras, pellucidas, cryſtallinas, guſtui gratas, dulces atque a priori poſteriorique comprobatas ſalubres undas, quas nec in vicina Hungaria Danubius, aut Nilus forte nec Tiberis aut Arethuſæ fons apud veteres adeo decantatus, meliores, & ut alii loquuntur, nectare ſcatentes, & aëreo melle fluentes trahunt atque evehunt, ex arduis & montoſis, ſaxoſis & glareoſis locis manantes & per terras bonas dulci ſtrepitu excurrentes, talis eſt etiam aqua qualis terra. Inſuper quoque celeri ſat curſu feruntur, quoniam ex altiſſimis montibus profluunt, ubi & plures rivi accedunt & per anguſtatas montium eorum ſæpe petroſorum fauces quaſi ad celeriorem curſum coguntur. Per quam aquarum per ſe ſalubrium velocitatem, ventus ſemper quidam lenis efficitur, ambientem atmoſphæram movens ac ventilans, ſicque ad ſalubritatis modum redigens. Ambo enim, ſi non moveantur, mox capiunt vitium, motu autem conſervantur, corriguntur, aliaque corpora corrigunt &c. Convenientiſſime hinc CARDANUS pronunciat *L. II. Cont. c. in Hippocrat.* inquiens: *Flumina velociter currentia aërem attenuant faciuntque corpora tenuia, macilenta, mobilia &c.* Ideo Danubius, Rhenus, Tigris, Malmiſtra in Cilicia a celeritate, qua defluit, celebres amnes inde celebrantur, ut e contrario Phaſis omnium lentiſſimus damnatur referturque accolas ejusdem Regionis totos pallidos eſſe atque inflatos, ideo quoque Padus apud Italos audit male; ſi vero ſic moveatur aqua particulis & effluviis ſub vaporum ſpecie elevatis adeoque tenuibus, aeri atmoſphæræque communicatis eum refrigerat & humectat, ut effluvia peregrina tempeſtate imprimis ſicciori, ſqualida ac calidiori, ventis experte, maligna & noxia immutentur atque figantur &c. Hujus rei exemplum in orbis terrarum urbe Romana habemus (ut alia non memoremus loca, ibi enim inſalubris aer eſt omnis, juxta Tiberim vero habitantes minus habent, de quo conquerantur. Unde etiam circa fluvios agri ſolent eſſe fœcundiores, quia humidiores, molliti oblimatique ad ferendum; ros enim deſideratiſſimus ex vaporibus collectus de nocte delabens ſubtili ſuo ſucco laudatiſſimum præbet nutrimentum vegetabilibus. Præter hoc aquæ claræ leves & puræ quæ optimæ atque adeo ſalubres ad cibum potumque adhibitæ ſanitatem integram conſervant aut reſtituunt, ut e contrario craſſæ atque impuræ lutulentæ, paludiferæ, quæ quovis etiam modo aſſumtæ difficile egeruntur neque nutrimentum debite diſtribuunt variaque vitia & ægritudines maxime calculoſas concretiones contrahunt, ac ſi rem penitius penſitare ve-

limus

limus affirmemus necesse est, aquam majorem corporibus alterationem ipso aere inferre, quoniam aqua, aliquo in loco diutius manet, cum aer de repente hinc vel inde evagetur. Est & aliud harum aquarum emolumentum haud vile, quod earum incolæ, pisces sanitati dein accomodatas escas præbeant. Notior est res, quam ut explicatiorem commemorationem desideret. Pisces in aquis limpidioribus & puris glareosis & fluviatilibus captos, gustui suaviorem, firmiorem, salubrioremque carnem concedere iis, qui ex cœnosis, tepidis, viscidis, turbidis, lentis, impuris, stagnis, & piscinis habentur, quorum caro mollior & viscidior est. Hinc fluviatiles & maxime saxatiles omnes, truttæ, funduli, &c. quorum in Silesia uberior est proventus interque dapes manet eos gloria prima, saluberrimum dant cibum. Ex his adductis fit palam, non unum in modum aquam facere ad salubritatem, unde recte RHASIS *Lib. I. de Reg. princ. Cap. II.* asseruit, nihil esse præter aeris puritatem magis pertinens ad sanitatem, aquarum salubritate.

§ XII. Hæc plurimorum amnium laudabilis est conditio, de paucissimis saltem si eos perspectes curiosius, scrupulus quidam tibi posset oriri. Nec etiam inficiari possumus, Bartham mediæ magnitudinis saltem, lentum pigrumque & tepidum magis fœculentumve alias piscosum valde esse fluvium, quippe multiplicia aquarum divortia facit & sæpius se longius diffundit ac terras adiacentes camposque inundat & interdum diutius quoque ibi persistit extravagatus. Hæc quidem inter malas caussas referuntur, quoniam quandoque multæ inde relinquuntur paludes & lacunæ cœnosæ, solum nimiis humiditatibus imbuentes cœnosaque mucagine obducentes, cui deinceps accedente tepore, putredo infertur, quæ ingratum fœtorem & exhalationem putridam de se spargit aeremque afficit male, copiosorum insectorum examinum generationi non raro inservit, quæ aeri labem sive vivant, sive moriantur (viva effluviis causticis, quibus scatent, mortua putredinosis) malignam contrahunt. Observationes circa hanc rem institutæ confirmant, multos semper morbos malignos, contagiosos, imo pestem, copias Insectorum insequutos fuisse. Testes si requiras (ne plures nominemus) adeas JOH. DAMASCEN. *aph. 132.* RIVERIVM *obser. 9. p. 697.* VERVLAM *p. 923.* VALERIOLAM *obs. Lib. II. p. 95.* Quid quod? ipsa Silesia seculo superiori simile a locustarum copia pervadente est experta. Atque non ignotum est, has aquarum inundationes morbos provocare frequentes ac graves, imo novos, malignos, putridos, contagiosos, ipsamque pestem, ut multorum ferunt observationes. Evolvi igitur possunt BONFINIVS *Decad. 1. Lib. VIII.*

VIII. SYLVAT. *Consil. 14. cent. 1.* DIOD. SICVL. *Lib. XII. Eph. G. N. C. an. 9.* ut & MONTAN. VAL. MAX. &c. Faciunt quoque his fidem omnes illæ urbes, quæ frequentibus inundationibus obnoxiæ sunt ut Roma, Constantinopolis, Venetiæ, Ancona, Smyrna, Cairus, Alexandria, & in Archipelago pleræque &c. Hæc licet vera sint omnia, tamen non adeo verenda & ideo salubritas tractus quem alluit, nedum totius Silesiæ suspecta reddenda est. Siquidem hic fluvius & in mediocritate subsistit & per tractum Trachenbergensem & Wolaviensem duntaxat decurrit; hoc enim egresso Odera accipitur. Atque longius quidem quandoque se diffundit, sed rigat tantum prata ac agros ac non ibi squalores, ut alibi accidit, deponit, sed refluxis aquis solum rigatum quidem sed purum iterum conspicitur. Ad hoc, venti septentrionales, quibus ad hæc loca liber aditus patet, sicci & frigidi noxam, si quædam etiam adest, corrigunt commode. Hinc legimus, quod ob hanc causam VITRVVIVS *Lib. I. Cap. IV.* paludes circa Atinam, Ravennam & Aquilegiam minime metuat, neque ORIBASIVS *S. Coll. C. III.* Aegyptiacas ideo damnat. Asserit ad hoc ac in hujus ulteriorem probationem COELIVS RHODIGINVS *Lib. XX. C. XIIX.* in Lesbo Insf. ægrotantes ex tussi maxime, austro coroque flantibus, superveniente Borea convalescere citius. Quippe hi venti accedentes humiditates exsiccant omnes, ex quarum exsiccatione quoque dein lenis exoritur ventus, (quoniam ubi aquarum copia est, ibi ventorum patria) & per hunc aeris ventilatio, aeris salubritati inserviens, efficitur. Lacus in Silesia ita sunt comparati, ut circulationem quandam subterraneam habeant, ut de binis istis in Lignicensi diœcesi constat, vel ut fluvios eos percurrant, quales sunt in Schwibusiensi, Wolaviensi circulo &c. Quoniam sic undæ moventur, non possunt esse aeris salubritati adversæ, nec tanti ipsi etiam sunt, ut tantam noxam alioquin possent afferre.

§. XIII. Huc etiam spectant aquæ, acidulæ, thermæ & fontes salutares, vi sua medicata ad medicinam facientes. Horum quam plurimi in Silesia reperiuntur. Alii celebritatem jam dudum acquisiverunt, alii forte hodie ideo saltem ignobiliores, quod nondum satis cogniti sint atque perspecti; alii dein olim laudatissimi hodie ab antiqua iterum recesserunt gloria, an per injurias temporum, an hominum incuriam, an virium deperditionem, incertum. Ex fontibus salutaribus adhuc noti sunt inprimis fons Regius prope Boleslaviam ad Boberum & a celebr. OPITIO *Lib. IV. Sylv.* carmine celebratus. Hermsdorffensis prope Goldbergam & ad Frankensteinam ille, olim famigeratissimus, hodie

L vero

vero minus frequentatus, sulphur & alumen imprimis vehens. In Duc. Nissensi alium, A. Calagius celebris Silesiæ Poëta *epigram. Lib. V.* descripsit. Adeatur de hoc *Silesiog. renov.* N. Henelii *P. I. Cap. V. pag. 598. seq.* Salsula dicta ab arce Furstenstein vix horulæ itinere sejuncta pariter mire laudatur in ventriculi & intestinorum imbecillitatibus ex tono destructo & laxitate enatis, in malo hypochondriaco, calculo, ventris doloribus, hydrope, phthisi & hectica, cachexia, scorbuto &c. Hodie perfrequentis usus est fons ille salutaris Lignicensis in multis ægritudinibus apprime præsertim in arthritide proficuus Vid. *Annal. Physico-Med. Vratislav. A. MDCCXVII. M. Augusto.* In Ducatu Jaurovienſi in pago Sendorff ad radices montium sudetorum videndus fons (der Kirch-Brunn) in suffusione oculorum illorumque hebetudine, colica scorbutica flatulenta aliisque ægritudinibus huc usque comprobatur. Prope Hirschbergam in Pago Straubitz, quidam fons reperitur (der Schwefel-Brunnen) ob odorem sulphureum, quem refert, ita vocatus, aqua ejus gratissima ad potum est, & laudatur ab incolis atque a Medicis, probatur imprimis in febribus tertianis continuis, ardentibus, viscerum infarctu, doloribus nephriticis curandis, præcavendis, & in pluribus forte corporis vitiis avertendis, dignusque, qui ad majorem usum perducatur. Alius quoque hic fons ad radicem montis quem den Hausberg vocant ad Boberum Zakelumque confluentes, datur, Quekensi Boleslaviensi illi modo laudato non inferior, cujus aquæ produnt omnes bonitatis & salubritatis notas ac dotes, quondam celebratissimus fuit adeo ut miraculosus dictus fuerit, siquidem & hodie ab incolis corrupte der Mörkel-Brunn, loco Miracul-Brunn nominatur. Nec obliviscendus est alius salubris in vicinia fons, sed omni laude commemorandus qui in ditione Seiffersdorffiana scaturit, atque alius prope pagum Kuntzendorff circa Fridebergam qui singulari frigiditate se commendat & ambo aquam perquam puram, pellucidam sapore, admodum grato & dulci præditam vehunt. Schwenckfeld *in Catal. stirp. & fossil. Siles. p. 357. seq.* binorum acidulorum fontium quos vocat Bierbrunnen mentionem facit, quorum unum non procul a Quisso, fluvio juxta pagum Fegesbeutel alterum in pago Liebswerda undas emittit suas & utrumque febribus & calidioribus morbis mederi perhibet. In Ducatu Olsnensi in pagis Securfine & Wersingrave fontes soterii balneo potissimum inservientes adduci quoque merentur. Ad Silesiæ fontes salutares hodie adhuc, ut quondam Fons St. Johannis fervidus intra ipsos sudet. Mont, in confinibus annumeratur, cujus meminit Schwenck-

FELD

FELD *in stirp. & fossil. Silef. Catalogo p. 404.* nec non HENELIVS *in Silesiograph. P. I. p. 613.* arthriticorum, calculosorum, asthmaticorum, paralyticorum convulsionibus, luxationibus & omnibus pene frigidis morbis laborantium refugium ac solatium. Acidularum plures sunt, ut illæ in Ducatu Carnoviensi, Gurenses in Jauroviensi, Tanhausenses & Reichenovienses; in Svidnicensi, celeberrimæ vero omnium sunt, quæ in pago, cui nomen inditum est Altwasser, scaturiunt. In Comitatu Glacensi, qui Silesiæ quoque quondam pars fuit, vid. JOH. DVBRAVIVS *rerum bojemicarum Scriptor. L. VIII.* ut & GOLDAST. *de jure Bohemiæ Lib. I. C. XV.* plures adhuc reperiuntur, inter quos tamen primatum fere obtinent & quæ peregre transferuntur, Saltzburnienses, Reichenavienses, Oberlanginaviensesque.

§. XIV. Nec desunt Silesiis calidæ salutares aliæ scaturigines, quas etiam Summus & Benignissimus Creator Deus Ter. Opt. M. ultro gratisque ad hominum sanitatem custodiendam restituendamque dedit. Thermæ Hirschbergenses sunt longe lateque celebratissimæ, eo nomine insignes, binis separatis scaturiginibus scaturientes quarum altera ad Illustriss. Excellentiss. Dn. Comitem de Schaffgotsch &c. alter ad Cœnobium pertinet. Has Præses in peculiari dissert. exposuit. Vulgo Thermæ Landekcenses Silesiæ adhuc adscribuntur, calore tamen Hirschbergensibus longe inferiores, adeo ut dubitet BALBINVS *in Misc. Hist. Boh. Lib. I. Cap. XXIV.* an thermæ jure vocari possint quod & de fonte Sti. Johannis modo nominato propemodum esset dicendum. Vis siccandi, extenuandi, abstergendi, roborandi iis tribuitur, & in spasmodicis, convulsivis affectibus, contracturis, arthritide, visus debilitate, oculorum diuturnis pertinacissimisque doloribus, ventriculi, Intestinorum, renum & vesicæ vitiis & imprimis mulierum sterilitate commendantur. Plura de harum virtutibus apud D. A. FR. KREMERVM in peculiari Tract. & Celeberr. Vratislav. Collegas Acad. N. Cur. Leopoldino-Carolinæ *in Hist. Morb. Vratisl. An. 99. p. 33. seqq.* possunt videri. Ejusmodi sine dubio plures fontes soterii reperiri possent, si curiosi scrutatores diligenter suam collocarent operam: orandi igitur atque hortandi sunt omnes Ingenui, ingenio, doctrina arteque præstantes Silesii, quorum magnum numerum Silesia genuit, ac alit, ut Patriæ ejusmodi dotes salutares ex dignitate ulterius investigent, promoveant, amplient.

§. XV. Hæ primariæ causæ salubritatis hæc firmissima vitæ fulcra sunt quæ modo recensuimus aer nimirum & aqua quæ ad mentem Plinii sapore, odore & consistentia illum referat. Nam si rem, ut par est momentis suis ponderamus, duo hæc sunt, quæ motus vitales in corpo-

re noſtro, in quibus vita & ſanitas atque actionum omnium integritas verſatur, efficiunt, conſervant atque tuentur, quippe vitæ & ſanitatis fundamentum in eo poſitum eſt, & cardo totius vertitur, ut tam ſpirituum animalium natura, craſis, motusque conveniens ſit, quam ut omnis generis humores in corpore noſtro non interrupto impeditoque motu itu, tranſitu redituque per debita expeditaque vaſa circulentur, adeo ut arctiſſimum vinculum intercedat utrisque, his ſalvis, his integris vita ac ſanitas integerrime quoque ſe habent manentque, his læſis ambæ mox quoque læduntur. Ex omnibus autem iis, quæ ſpirituum generationi, conſervationi, impulſioni & ſanguinis atque humorum circulo perenni extrinſecus inſerviunt, adeoque ſanitatem præſtant ipſo aëre aquaque nihil datur præſtantius nihilque magis eſt neceſſarium. Aëris acceſſu ne per momentum quidem carere poſſumus, hic proximum ſpirituum eſt elementum. Aqua ſanguini, omniumque corporis H. liquorum laudabilium fluxilitatem ad vitalem motum adeo neceſſarium concedit &c.

§. XVI. Proxima terræ cujus naturam ac conditionem aquæ quoque aſſumunt, ex qua profluunt, Sileſiacæ conſideratio. Hæc rurſus ad ſalubritatem ſimul conferendam aptiſſime ſe habet, nam neque generatim loquendo humidior juſto neque aridior, ſiccior, ſterilisque &c. ubique fere deprehenditur, utiliſſime in commune commodum, optime mixta variisque interdiſtincta ac temperata, levis ac rara. Etenim planities plurimis in locis præſertim ad meridionalem & occidentalem plagam montibus quidem excelſis de reliquo vero hinc illic collibus potius ut & qua ſeptentrionem ſpectat in Ducatu Olsnenſi ſuperbit. Mite ſat alendis proficuis frugibus ſolum eſt, & amica hinc arvis Sileſiis Ceres, præſertim Uratislavienſibus, Bregenſibus Strelenſibus, Glogovienſibus, Carnovienſibus, Francoſteinenſibus &c. Quare hoc quidem reſpectu de tellure ſileſiaca certe non dicendum eſt, quod de Orgeleto oppido Burgundiæ Comitatus dicitur: quod ejus incolæ habeant campos ſine graminibus, fluvios ſine piſcibus, montes ſine nemoribus MER. COSM. *P. II. L. III. Cap. XLVII.* Nec tamen tota nimis pinguis eſt atque viſcida, quæ ſalubritati poſſet obeſſe, quoniam, ut apud Medicos in confeſſo eſt, ejusmodi ob lenta craſſaque effluvia, que aëri ſemper immitit, non poteſt eſſe ſatis ſalubris. Exemplo Sardinia Inſ. ſit, de qua notiſſimum eſt, eam fertiliſſimam eſſe, ſed & inſaluberrimam, quare Cicero, a quo romana eloquentia exſtitit, Q. fratrem monet notanter, ut diligentiſſime valetudinem curet, licet optima utatur, cogitet tamen ſe

in

in Sardinia esse, atque hinc quoque quendam Sardoum Tigell. hominem patria sua pestilentiorem in epistolis nominat: Taceamus quod hæc ipsa ejusmodi licet fertilissima tellus proferat vegetabilia alimentosa & fruges non adeo salubres & sæpius frumentacea & esculenta venenata ut lolia temulenta & fungos deleterios &c. atque rorem vermiculosum &c. Vel in vulgus notum est, frumenta v. gr. quæ in agris & collibus siccis qui non rari hinc inde in Silesia sunt, succrescunt, rarius a vermibus corrodi, rariusque situm contrahere atque corrumpi, atque liquores exinde paratos rarius acescere, pollinem & tandem panem quoque longe subtiliorem, tenuiorem, leviorem adeoque salubriorem concedere iis, quæ in agris humidioribus, limosis, viscosis subnascuntur. Exinde quoque colligitur Silesiacam terram, quia bene temperata, frumentorum quoque salubritatem in cibis tandem adhibitorum afferre hominibus. Nec inanis hæc saltem est conjectura, sed fidem experientia implet, siquidem per totam fere Silesiam bonus, palato gratus, levis, rarus bene nutriens paratur panis secalinus æque ac similagineus. Nemini Silesiorum & vicinorum facile præ aliis ignotæ sunt, Landshutensium & Uratislaviensium similæ adeo celebratæ & panis sic dictus bis coctus & Schwidnicensium ac Hirschbergensium panes similaginei (Zweilinge) & varii generis placentæ. Nec in postremis est, quod Silesii ubique fere locorum pollinem parare soliti sint molis aquaticis, quæ pnevmaticis, tenuium & æqualium magis partium, farinam & talem quoque dein panem concedentem, adeoque salubriorem, conficiunt. Ex frugum generibus multifariis illud adhuc nominandum, quod Silesiæ fere peculiare est, Schwaden dictum, graminis mannæ semen; hoc enim milio, oryza longe facilioris digestionis bonæque nutritionis est, ut enim subtilitate ita & salubritate illam antecedit, id eo non sanis solum sed & ægrotis & valetudinariis pro usu familiari & cibo commendandum.

§. XVII. Amplius dicendum est terram Silesiacam arboribus fruticibus, plantis, herbis, ac floribus aromaticis, resinosis, balsamicis, bona effluvia spirantibus adeoque valde salutaribus salubritatem aëri quoque addentibus & quæ ad valetudinem tuendam quovis modo adhibita admodum proficua sunt, feracissimam esse atque luxuriare. Ex his enim æque atmosphæræ salubritatem metiri licet, quoniam non modo hæc & illa ejusmodi vegetabilia blande ac bene temperata gaudent aëre, sed & succo nutriuntur sat diluto, molli, resinoso satque alioquin laudabili. Latus campus hic panditur de illis verba faciendi, quæ ambrosios ut ajunt spargunt odores & tam salubria in aërem effluvia mittunt,

quam quæ ad ſalubritatem inter alimenta & medicamenta adhibita hominibus ſymbolum ſuum conferre poſſunt. Sed quoniam tractatum, nec mediocrem de his conſcribere quis poſſet, plura non addamus, & B. L. ad SCHWENKFELDII librum, quem de *vegetabilibus Sileſiæ* conſcripſit, remittamus. Hic ſaltem abietes, fagos, betulas, pinos, quæ totæ antiſcorbuticæ, arbores cæduis ſylvis exoriuntur, quarumque eximia & perennis viriditas eſt, reſinoſa & balſamica vis, ut nec bruma ſæviente eæ algeant, areſcant & deleantur, & pauca in Medicina vegetabilia crocum, lupulum, angelicam, gentianam, ſerpentariam, carlinam, ſerpillum, acorum, calamum aromaticum ac bina iſta quarum alterum agris Sileſiacis ſpeciatim Lignicenſibus, Olavienſibus, Strelenſibus & opimis Uratislavienſibus præſertim, alterum montibus ſudet: quaſi propria ſunt, bulbum nempe majalem & rubiam tinctorum & illam quidem illi quam Selandia profert præferendam quoque in medicina laudatiſſimam ſingularique vi præditam (ut comeſta animalium oſſa rubore tingat,) quibus Sileſia abundat, ſi nominare vellemus, confecta res eſſet ſatis. Quibus modo addamus Caryophylla Uratislavienſium ob fragrantiſſimum præ aliis omnium odorem præſtantiſſima, quare & ad pulveres ſternutatorios aſſumuntur hincque in exteras regiones transvehuntur. De arboribus adhuc in Sileſia frequentibus betulis & pinis his oris notandum venit, illas vernali interdum tempore pulverem citrinum non inutilem ac bonum fumare ut pluviæ mixtus pluviam ſulphuream referat, aut terra ſubtili lutea pluiſſe videatur, de quo alias etiam videndus CRVGNER *im chymiſchen Tannenbaum;* talem pluviam & in aliis locis obſervaverunt alii, exemplum vide apud AGRICOLAM *lib. V. de ortu ſubter. p. 552.* Seorſim dicendum, in ſylvis Niſſenſis Ducatus comam ſubtilem rubellam ſaxis & lapidibus adhærere moſchi odorem referentem, quæ a nonnullis ſpeciatim pro arcano in calculo veſicæ habetur, quamvis alii vitriolo temperato hunc odorem adſcribant. Ejusmodi quoque lapides odoriferi violarum ſuaveolentium ſpirantes odorem, in Ducatibus Jauravienſ. & Svidnicenſ. montoſis in locis præſertim in montibus Rphæis & circa arcem Kinaſt ipſas thermas Hirſchbergenſes ſpectantem magna in copia inveniuntur. Interim addendum adhuc convenit, ſimul, herbas plantasque ſalubres ex humo ſalubri creſcentes & paſcua & pabula ſalubria pecudum domeſticarum & agreſtium, ferarum ut & altilium, nec non reptilium, limacum &c. carnes ſalubres quoque concedere, quæ in cibis deinceps ſapidas eſcas & ſalubre nutrimentum præbent; æque ac frumenta fructus, plantæ, herbæ & olera ſalubri in ſolo creſcentia &

piſces

piſces in aquis capti ſalubribus, quæ omnia jam apud Medicos ſunt in confeſſo, adeo ut jam non neceſſe habeamus longius petere hujus rei probationem. Unicum duntaxat teſtimonium addamus, quod de vervecibus Galliæ Narbonnenſis QVERCETAN. *Diæt. Polyh. S. III. c. IV. p. 430.* refert: Hos in ſterilibus atque thymi tantum ſerpilli & id genus odoriferarum herbarum feracibus paſcuis educatos, carnes ſapidiſſimas & ſaluberrimas atque lanas etiam pro conficiendis veſtimentis optimas præbere, quod & in Sileſiam noſtram, quadrat apprime, ſiquidem & lana Sileſiaca tenuis & præſtantiſſima eſt. Nec ſilenda eſſe volumus vegetabilia varia eaque exotica, quæ ex hortorum cultura proferuntur, ſiquidem ubique locorum non modo in pomariis frugiferæ arbores & in viridariis olera ſaluberrima omnis generis magno proventu ſuccreſcunt, ſed & ab artis inſtructiſſimis hinc inde flores & arborum fructus expromuntur, quales ad uſum cultumque atque delitias comparati alcinoi horti quamplurimi, ambulacris, pergulis, fontanis, diætis &c. amœniſſimis exornati ad urbes atque oppida, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque prædia, monſtrantur, ut Uratislaviam, Niſſam, Saganum, Hirſchbergam; Hirſchbergenſesque thermas, Leobuſium, Freiburgum, Glogoviam minorem, ad pagos in Circulo Uratislavienſi Brock, Goldſchmiden, Carolatum, in Ducatu Glogov. Sibyllen Ohrt, in Ducatu Olsnenſi, in Svidnicenſi, Sylvam Petri ad pagum Profen in Ducatu Jauroviensi, adornati aliisque plures longius non recenſendi ac collaudandi. Hic quoque mentio licet brevis facienda eſt foſſilium, & quæ ex terra oriuntur, huic titulo adſcribenda veniunt. Terras ſigillatas ſeu axungias ſolis ac lunæ ſi nominaverimus Sileſiacas adverſus varios morbos in foro medico uſitatiſſimas ſatis jam erit, inter quas & celebratiſſimæ ſunt terræ ſigillatæ Strigovienſes a Joh. Montano celeberrimo Medico primum inventæ atque deſcriptæ & a Sennerto terræ lemniæ & melitenſi prælatæ, quippe copioſam ſubtilem oleaginoſitatem in ſe continent, pro acrimonia & ſpiculis ſalinis morbificis malignis venenatis infringendis, & in affectibus cordis, febrilibus, malignis, dyſenteria, diarrhæa, morſibus animalium venenatis, peſte &c. apprime utilem. ETMVLLERVS in *Schrœdero dilucidato* ſpiritum auri ei adſcribit. Poſt has Lignicenſes, Goldbergenſes, Schwidnicenſes, Jaurovienſes, Jenewizenſes, Seichavienſes, Brechelwizenſes, Haſalienſes, Kupferbergenſes, Reichenavienſes, Maslovienſes noviſſime inventæ &c. laudandæ. Nec ſcio, an alia ulla regio, adeo plures ejuſmodi terras proferat. Ex his Strigovienſes præſertim figuli varia teſtacea vaſa in commodum uſum ut

urceos,

urceos, ollulas, patinas, ſcutellas, lagenas, pocula &c. efformare ſolent peregre quoque evehenda. De mineris hoc ſaltem jam addere libet quod D. FRIBENIVS *in Ephem. N. C. Germ. D. I. Ao. VII. p. 283. in append.* refert, in Sileſia æque ac in Hungaria & Bohemia nempe inveniri mineras ſulphur auri volatile pariter ac fixum concedentes. Taceamus jam de magnete, carbonibus foſſilibus circa Waldenburgum, oppidum Svidnicenſis Ducatus ac Gotsbergam, ac ad fines Bohemiæ ad Boberi fontem inveniendis, item, gypſo, lapidibus calcareis, marmoribus &c.

§. XVIII. Nec intermittamus de cereviſiis Sileſiacis dicere atque innuere, iis non ſolum guſtui gratis, ſed & ſanitati admodum conducibilibus non adeo craſſis, viſcidis, nec ſulphureis, vaporoſis, ferocibus & temulentis caputque gravantibus Sileſiam abundare, cum ex levioribus & purioribus aquis, bonis frugibus, & in laudabili aëre a quibus gratiam & ſalubritatem recipiunt decoquantur, nec lupulo nimis ſaturentur, quæ & ſubtili gratoque acore linguam titillant & digeſtionem, diluitionem & diſtributionem alimentorum & nutritionem maxime promovent, addunt, faciliusque per vaſa tranſeunt & excernuntur. Quædam quondam celebratiſſimæ fuerunt, multæ adhuc hodie ideo maximo in pretio habentur. Omnium primaria hoc nomine adhuc fere hodie eſt Strigovienſis de qua vere dici poteſt, quod Philip. Melanchton de cereviſia Belgrana in Miſnia dixit: Belgrana eſt omnibus ſana. Sequuntur Uratislavienſes, Schœps (de qua Celeb. D. H. Muhlpfortius integrum tractatum conſcripſit Conf. & HENELIVS *in Breslograph. renov.*) & Lammel dicta ut & eæ quæ in Cœnobiis Sti. Vincentii, Adalberti & Dorotheæ coquuntur, item Olavienſis quæ copioſiſſima ad ipſam Uratislaviam vehitur. Lignicenſis triticea, boni nutrimenti, Goldbergenſis & Haynovienſis quæ ſingulari levitate & diuretica virtute ſe commendat, caput nullo modo gravat, & quæ alias longinque, ideo eſt tranſvecta. Ea quæ ad radicem arcis Gradisbergenſis adeo æſtimata eſt ut quondam ad aulam Lignicenſem transvecta fuerit. LVCAE *Chron. Sileſiæ p. 1239.* Proximæ his ſunt multæ aliæ in Ducatu Jaurovienſ. Boleslavienſis, quæ ex famigeratiſſimo fonte Quekenſi paratur, & ideo in panegirico Sileſiæ a Pancratio Vulturino, Patavii olim edito celebrata, & Girsdorffenſis, Boberroersdorffenſis, Spillerenſis, Voigtdorffenſis, Seiffersdorffenſis nec non Glogovienſis, Svidnicenſis & Steinavienſis, olim alias adeo decantatæ. In Ducatu Bregenſi Bregenſis & præſertim Arcis dicta, Schwanizenſis, Ketzendorffenſis jam Karolimarckenſis, Mankſchuzenſis, Croſſnenſis vini æmula Teſchinenſis adeo decantata & a vicinis Hungaris

præſertim

præſertim quæſita Maznoz vocata ac Oppavienſis, quæ primo loco nominanda fuiſſet, martiana dicta, cujus tanta commendatio eſt, ut referente Hagecio ſæpius tam præſtantiſſimi medicamenti, quam boni alimenti expleat vicem; ut plures alias ſileamus, laudandæ ſunt. Hoc quoque ſcire licet, Sileſios quantum mihi equidem notum eſt, polentam ex qua dein cereviſiam decoquunt, ut plurimum & ſæpius igne torrere, quod optimum eſt, rarius aëre, quod minus laudabile; cereviſia enim ejusmodi ex polenta aëre torrefacta parata crudior eſt & obſtructiones &c. nauſeam potiſſimum gignit. Ex cereviſiis dein cibos quoque parant utiliſſimos eosque varios nec non medicamina eaque alimentoſa, gratiſſima, atque juſcula ſimplicia, cum butyro & pane dulci, oleo, cum ovorum aromatumque ſeu croci, cinnamomi ſeminisque cumini & ſimilium additione. Multis in locis Poloniam & Bohemiam verſus præſertim ſuperioris Sileſiæ cereviſias condiunt, radicibus, ſeminibus, herbis, floribus, quo non modo valentiores fiunt illæ, ſed & efficaciores & pro variis morbis ſanandis admodum conducibiles, ut ſunt ex abſinthio, ſtomachicis & hepaticis ſalubres, meliſſatæ, ſalviatæ cephalicis utiles, heleniatæ pulmoniacis & aſthmaticis commodæ, laurinæ & juniperinæ calculoſis, hydropicis colicisque proficuæ. Ad cereviſias magis accedit potus, multis Sileſiæ oris haud infrequens ex branca urſina coctione ac fermentatione, qua ſaporem gratum acidiusculum contrahit, paratus, proficuus ac bonus, quem Sileſii a Polonis ac Litthuanis acceperunt. Quo non modo potus loco ordinarii atque ad juſcula conficienda, ſed & in febribus ferventioribus, medicaminis, utiliter utuntur. Grunbergenſia vina, Croſnenſia, Guravienſia, Bethanienſia, Carlatenſiaque &c. ut & Winzigenſia, Parchwizienſia quamvis hæc bonitate illis inferiores cenſeantur, licet palato equidem ob acerbitatem non arrideant & venalia ideo opus habeant ſuſpenſa hedera & de quibus vulgo dicitur, quod plus ſint quam vappa; tamen cum contra arthritidem, podagram, calculum ſcorbutumque &c. commendentur ſanitati non æque ſunt adverſa. Nam in vinorum delectu, medico reſpectu, non tam regionis, neque grati palato ſaporis ratio eſt habenda; ſecundum tritum illud proverbium Germanicum Ferdinando I. Roman. Imperatori uſitatum: Nach eines frommen und tapfern Mannes Herkommen und eines guten Weines Heimat mus man nicht genau fragen. Sic v. gr. vinum omne in deliciis alias habitum, ſive ſit Hungaricum, ſive Rhenanum, Moſellanum &c. ſive etiam infimæ claſſis nomines & quod a delicatis reſpuitur, quod in locis peraltis, ſaxoſis, aſperis, ſalebroſis, aridiſſimis

crefcit, fanitatis conſervatione, podagræ calculique (communium pediſſequorum) &c. præſervatione longe præfertur eo, quod in locis pinguibus, lutoſis, terreſtribus magis & a fluminibus remotis ſubnaſcitur. Ideo vinum auſtriacum, quoniam permultis in locis in planis agris ac in viſcido ſolo ad inſtar fere frumenti creſcit, non poteſt eſſe ſalubre, ſed arthritidem fixam, calculum, obſtructiones viſcerum internas cauſatur; illud vero quod in montibus præaltis & aridis proxime ad Danubium ſitis profertur, ut Nusdorffenſe &c. bonum & ſalubre eſt. In Hiſpania circa Madritum & in Andaluſia vinum quod creſcit, minus dulce eſt atque auſterum, ſaluberrimum tamen præ aliis omnibus vinis Hiſpanicis dulcibus habetur. Sic notum vinum Jenenſe ob hanc rationem ſapori æque ac Sileſiacum minus gratum, peregre transfertur etiam ad illa loca, quibus Rhenanum atque Franconicum uberrime affluit, ubi contra podagram & calculum, quos a dictis metuunt, loco remedii bibunt, de quibus teſtatur celeberr. SCHELHAMMERVS *de natura p. 229.* quod nimirum vina Jenenſia recentia cruda ſint, vetuſtiora vero calidiſſima & craſſa, tartaroque ditiſſima, quod autem arthritidem non producant, ut nemo unquam indigenarum & qui a peregrinis abſtinet ea laborans oſtendi potuerit, & quondam jam GREGORIVS GROITSCHIVS in *Salæ fluvii deſcriptione*, vina ſalica præſertim Jenenſia nobilia & præcipua laude digna cenſuit. Quippe ejusmodi licet crudiora tamen tenuiora ſubtiliora, aquaſiora ſunt atque plus ſalis minus olei & ſulphuris minusque viſciditatis ut quidem vina ſect, frontiniac & multa ex hungaricis & educibilem, quamvis uberiorem præ aliis longe continent tartarum, ceu futuri calculi pabulum, qui pro varietate vinorum ſe varie habet omnis & vel ad lapidis vel luti vel calcis naturam accedit. Tartarus vero vinorum Sileſiacorum non adeo eſt ſpirituoſus ac aliorum, ſed craſſior magis qui in prima & ſecunda digeſtione facile ſeparatur, per alvum & urinam ſecedit ſimulque alias materias craſſas ſecum excernit, hinc magis diluunt, ſitim ſedant, abſtergunt, humores pituitoſos & bilioſos temperant, tollunt ac ejiciunt promte, & per anguſtiſſimos canaliculos citius faciliusque tranſeunt, ſomnum placidum procurant &c. nihilque craſſi, heterogenei multorum magnorumque morborum rudimenta ac incrementa in corpore poſt ſe relinquunt. Vina enim quæ continent plures partes phlegmaticas & tartareas, acidulas, citius & facilius ex ſtomacho exeunt ac virtute laxante & diuretica pollent minus inflammant, humores & magis ſingulis hominum temperamentis conveniunt; quæ vero plures oleoſas ſulphureas poſſident forti odore &

ſapore

sapore imbuta non tam facile per corpus transeunt sed diutius manent, sanguinem augent & plethoram ingenerant corpusque exagitant atque exsiccant sicque caput potius quam renes petunt, spiritibus vini in vasis manentibus. Atque morbi tartarei ut podagra & calculus ex emunctoriorum obstructione proveniunt & viscositatem ac densitatem pro fundamento agnoscunt, arthritis etiam plerumque a ventriculi debilitate, spirituascentiæ sanguinis defectu, circulo segniori ortum suum ducit, vinum autem tale dilutum magis per renes morbificam materiam educit, ventriculi quoque vitia emendat, quare qui ejusmodi vina bibunt, non colligunt in stomacho & intestinis massaque sanguinea ejusmodi. Ad hoc vina talia austera & acida corroborant stomachum laxum, minus officiunt cerebro, ut quidem dulcia, hispanica &c. adstringunt & minus calidos inebriantes & temulentos fumos exhalant. Talia etiam sunt vina in Misnia Jessensia & Gombergensia in pura arena nascentia, Bensheimensia & Auerbacensia in strada montana. Hujus quoque notæ est vinum Tigurinum, quod tamen a Celeberr. J. J. SCHEVCHZERO laudatur atque commendatur *in der Naturgeschichte von Schweitz P. I. p. 19. & 21.* &c. Veteribus ejusmodi vina jam erant maxime commendata & oligophora dicebantur. Ipse HIPPOCRATES *de rat. victus* in acutis præfert ejusmodi vina & dulcia damnat, quod hæc tumores hepatis & lienis augeant & sanguine copioso ac crasso pares has infarciat. Experientiam de nostris vinis Silesiacis (si apud te valeat) allegat COLERVS in *Oecon. rurali & domest. Lib. II. Cap. CXXXIX.* Alia adhuc sc. experientia mihi jam occurrit, quam quidam celebris his oris Practicus mihi transcripsit, quod vinum Crosnense in specie in cordis palpitatione mira præstet, quæ virtus alias mosellanis maxime attribuitur. Laudatio nostrorum vinorum insuper quoque exstat apud celebr. C. B. BEHRENS in *select. diætet. p. 365. §. 32.*

§. XIX. Addendum & commode convenit cibis vesci Silesios in universum utplurimum salubribus, atque ejusmodi, qui bene nutriunt: Compertum namque est: alimenta magis in uno loco quam in altero & differre inter se quoad nutritionem majorem aut minorem pro locorum varietate, quod diserte THEOPHRASTVS docuit *Lib. VIII. de Plantis Cap. IV.* & dixit: Athletas in Boeotia vix tritici sextarios ternos absumere, qui athenis quinas comederent. Ejusmodi desumuntur ex pecudum & avium sylvestrium, montanarum, campestrium & domesticarum, imprimis turdorum, alaudarum, perdicum, attaginum, caponum, pullorum gallinaceorum, gallopavonum, leporum, cervorum, aprorum &

piſcium ſaxatilium, truttarum, apuarum, (Gründlinge) percarum, mullorum, thymallorum, gobiorum fluviatiliorum, aſchiorum, luciorum præſertim cancrorum &c. carnibus, & qui aliis præferuntur, ſiquidem Sileſia alit ejusmodi ſat magna in quantitate exquiſitiſſimique ſaporis talesque quales Claudius Aeſopus Hiſtrio, in Africa inveniſſet. Vid. Bodin. in *Theat. N. Lib. III.* & quæ in commoda & promptum venientia forte deſunt, ipſi ex vicina Bohemia atque Polonia importantur. Aves, paluſtres ut anates atque anſeres magis reſpuuntur in Sileſia. Carnes imprimis agninæ, vervecinæ, bovinæ & vitulinæ recentes ſapidæ ibi ſunt & laudatiſſimæ, & frequenti in uſu ſunt ut & hædorum caſtratorum & caprarum juniorum carnes, ſal tam volatile quam fixum augentes, unde vigor ac vivacitas. Inter hæc eſculentorum genera farcimina, lucanicæ Schwidnicenſes & Jaurovienſes, ut & Hirſchbergenſes & Greiffenbergenſes, quia palato admodum gratæ maxime laudantur. Suilla caro, quam Hippocrates *de rat. vict. in acutis S. IV.* optimam & præſtantiſſimam dixit, plebis & opificum menſæ familiarior. In ſpecie dicendum eſt, quod verveces in parte præſertim Sileſiæ cis Oderam educati & enutriti, multo in pretio ſint, adeo, ut etiam multæ greges eorum in vicinam Saxoniam educantur, ſiquidem non modo ſapidiores eorum carnes ſunt, ſed & ipſi majores, ſaniores & longæviores, nam oves noſtræ Saxonicæ, miſnicæ, quæ utplurimum in paſcuis & agris planis, declivibus & humidis aluntur, ſæpius ægrotant, & vel duorum annorum ſpatio moriuntur. Nec deſunt alia, quæ in victum frequentem Sileſiis veniunt bonitatis ac ſalubritatis nota prædita obſonia, olera fructus, endivia, braſſica rubra (qua loco medicinæ populus Romanus DC. annos uſus eſt, teſte Plinio *Lib. X. C. IX.*) ut & naſturtium paluſtre, chærefolium, cichorium, ſiſara, rapæ recentes ac ſiccatæ, raphanus major minorque, petroſelinum ejusque radices, quæ ſalubria vegetabilia partim pituitoſam, craſſam materiam reſolvunt, partim humectant, lubricant, expectorant, diaphoreſin, alvum & veſicam ſtimulant, partimque aperiunt atque alio modo egregie proſunt &c. In Sileſiæ montoſis in locis Svidnicenſis Jaurovienſisque tractus caſei parantur caprini, mollium, ſubtilium rariorumque partium & delicatiſſimi, quos Joh. Langius laudavit eosque imprimis pro ſecretione lotii aptiſſimos cenſuit. De caſeo notum apud eruditos alias ex Plinio eſt *N. H. Lib. XI. C. XLII.* Zoroaſtrem in deſerto per annos 20. caſeo ſaltem vixiſſe, ita ut ſenectutem non ſentiret. Panis pinſitur fere ubique horum locorum ex ſiligine a ſuo furfure bene ſeparata beneque candida beneque fermentata

atque

atque mediocriter ſalita paulo acidior, ſapidus ac optimum alimentum præbens, qui & alvum temperate ſolvit cui haud ſimilagineus ex hordeo nimirum paratus, reſpectu bonitatis, cedit. Ex illo cereviſiarium (panem) utile nutrimentum, præſertim macilentis & exhauſtis, frequentiſſime noſtri aſſumunt. Panes autem ſaccharatos & mellitos inter bellaria ca cupedias eosque vino ſublimato imbutos, ſæpe numero admittunt, non ſolum ob gratum ſaporem ſed & optimum nutricatum, ſaluberrimum pro tuſſientibus, aſthmaticis aliisque pulmonum affectibus frigidisque ſic dictis ægritudinibus multifariis, uſum. Ut inſignes in Sileſia cibi, ita & eos præparant Sileſii, ut ſanitati bene ſint accommodati: modicis quippe aromatibus, inprimis zingibere, croco non ſatis laudando, nuce moſchata, ſalvia, majorana, laurifoliis & baccis, roremarino, aniſo, fœniculo, allio, baccis juniperi, non equidem pipere nimio aliisque nimium irritantibus, ut Hungari ac Poloni vicini, de quibus vulgo dicitur: Sie freſſen und ſauffen Feuer, quia ſcilicet vino generoſo uſtulato, ac pipere, allio, cepis & ſimilibus delectantur, ſaleque recte condiunt eos, quantum nimirum diſſolutioni, digeſtioni, & diſtributioni alimentorum, excluſioni recrementorum, flatuum diſcuſſioni, & conſervationi a corruptione, ſanguinis generationi & diſſolutioni, ſpiritumque animalium ſecretioni ſufficit. Inter cibos etiam amant imprimis ſaccharum, mel quod nectar divinum a Virgilio appellatur, in quo quia plurimum ſalis dulcis univerſalis, ad vitam longam non parum momenti afferre jam dudum credidit antiquitas, atque butyrum recens, & lacticinia, paſſulas majores & minores, amygdalas, limonia condita cappares, quæ ſanitati proficua obſonia ſunt, ſiquidem mel potenter viſcidum reſolvit, putredinem arcet, nutrit, temperat, laxat alvum, urinam prolicit, excretionesque omnes ſtimulat, longævos facit. Fertur ſolo mellis odore Democritum Philoſophum per dies aliquot produxiſſe vitam. Atque PLINIUS narrat *Lib. VIII. C. XLV.* & *Lib. VI. C. XXVIII. & XXX.* gentes ſolo lacte viventes ſanos longævosque eſſe, CARDANUS pariter *de ſubtil. Lib. IX. de animal. pag. 656.* vitam longam lac facere perhibet GALENUS *Lib. V. de ſanit. tuend. c. 7.* mentionem facit viri cujusdam, qui ultra centum annos vixit ſolo lacte nutritus. Lactis commendationem quoque colligimus ex Tacito, Juſtino, Cæſare, Saluſtio. Helveti atque Belgæ lac in deliciis habentes idem loquuntur, qui ſani, vegeti ac corporis proceritate & robore præditi, conſpiciuntur. Butyrum pariter recens cum pane ſumtum bene nutrit, acidum & acre inprimis viis egregie temperat, anxietates præcordiorum, vertiginem, capitis

dolores, virium exſolutiones avertit & præcavet, morboſa aëris effluvia deſtruit, & ideo in conſtitutione aëris epidemica multum valet. Inter potuum genera hic juxta cereviſiam, quam frequentius roremarino, caryophyllis aromaticis, cinnamomo, cort. citri & ſimilibus condiunt, hungaricum vinum bonæ notæ ac creticum vinum dulcedine ſua vincens, hydromel Polonorum, Lithuanorum, Hungarorum, Boruſſorum, Ruſſorum gratiſſimi ſaporis, ut ſæpe pro malvatico eo bibatur calidæ tum ratione mellis tum aromatum qualitatis hincque ad diureſin diaphoriſin alvumque movendi, ſputum item educendi & pulmones emolliendi abſtergendique vim, commendabile hincque iis, quorum ventriculus nerviet cerebrum, tenaci tartaro implentur, quem incidit admodum, utile: Hinc iſta mulſa compoſita Hippocratica pocula dicuntur. Inferioris vero conditionis hominibus juxta aquam bonam, cereviſia ſecundaria, ſerum lactis caprinum ſupra omnem laudem poſitum ob abſtergendi, acrimoniam deſtruendi, diluendi, temperandi & aperiendi obſtructos viſcerum reliquarumque partium meatus, vires, vinum aduſtum juniperinum &c. ſanitati ſat conducibiles potus frequentiſſimo in uſu ſunt. Amant & præ aliis cibos aſſatos & paululum duriores, qui ventriculum firmant, & habitui corporis robur addunt. Quæ alimenta enim ſecundum Hippocratem de alim. ægre immutantur, ægre diſſipantur & quæ facile apponuntur, facile conſumuntur. Aſſata enim præſertim præter robur, quod ventriculo addunt, melius molleſcunt, & digeſtione ſolvuntur, leviorem que licet parciorem materiam præbent; vim elixorum vero in jusculum maximam partem abire, jam Galenus de *Alim. Facult.* obſervavit, unde juſcula nutritiva, carnes vero concoctæ non ita faciles fiunt, oleoſum enim principium aſſatione ſui juris fit, ex admixtarum partium vinculis evolutum & igne exaltatum. Ex reliquis eſculentorum generibus uſitatiſſima ſunt ex tritico non ſex corticato & juſcula furfuracea, quæ ideo præſertim laudanda, quia tunicam inteſtinorum villoſam egregie abſtergunt. Loco medicicinæ domeſticæ ipſis ſunt præſertim naſturtium aquaticum, rob ſambuci, quod theriaca Germanorum merito vocatur & ſorbi baccarum &c. A ſalſamentis, oleribus ſimilibusque prandium (quod Celsus voluit *Lib. I. C. II. de Med.*) & carnibus cibisque aliis paulo durioribus incipiunt, juſcula ſequuntur. Inferioris conditionis homines æſtate ſemper cœnam lactuca (incipiunt) De reliquo cibatum ſaluberrime in tria tempora partiuntur, jentaculum, prandium & cœnam non pauci tamen & merendam adjiciunt atque illud quidem (prandium) undecima ordinario,

rio, perſæpe decima antemeridiana hora inſtituitur, quo hoc commodum ſibi parant, ne æſtate flagrantis ſolis meridiani ardor appetitum perdat, atque ventriculo digeſtionique officiat. Quem morem etiam antiqui ſervabant: nam medio die ordinario fere dormiebant. Præter hæc acidulis delectantur quia obſervant, quod ii, qui iisdem frequenter utuntur longevitate gaudeant. Potionibus inſuper frigidis, ad quas non ſolum homines ſed & bruta quævis innato deſiderio feruntur, quasque neceſſitas & deliciæ commendant magis quam calidis ſunt adſueti; nec ita male quidem, quippe calidi potus glutinoſiores nutribiles partes nimium attenuant, fluidiores & tenuiores reddunt; frigidi vero bilioſas cruditates deſtruunt, condenſant colliguntque laudabiles partes. Cœterum in victu & amictu magis ſimplicitati nitori tamen & munditiei ſtudent nimiumque luxum damnant atque guloſos odio habent. In cœteris denique diætæ partibus laudabilem quoque conſuetudinem ſervant; ſic v. gr. juxta frequentes ac quotidianas ablutiones manuum ac faciei collutionesque faucium gelida aqua balnea calida & frigida & corporis exercitationes, per modicos labores, ambulationes, quandoque honeſtas ſaltationes atque tripudia alioſque varios luſus qui motionibus corporis ſunt conjuncti breviaque recreationis gratia itinera, per equitationem maxime ut & curru vectionem frequenter ſuſcipiunt, quibus ad ſanitatem conſervandam, valetudinem recuperandam & longævitatem efficiendam nihil magis neceſſarium nihilque magis utile eſt. Ipſos quoque recens natos tepida ſæpius abluunt diutiusque faſciis arcte involvunt ſemperque fere in cunis & geſtatione agitant. Hyeme trahis libenter vehuntur & torpidum corpus gelu excitant. Non ſolent diem ignavia transmittere aut chartis luſoriis, ſomno &c. indulgent tamen interdum honeſtæ lætitiæ, quando cauſa monet, quandoque tempora poſcunt ſecundum illos verſiculos:

Tum coit excuſſis concors vicinia curis.
Explicat & frontem, riſus ſermoque modeſtus,
Dulciaque unanimi ſtudio convivia ſervant
Nulla dies alias ſterili conſumitur luſu.

Frequenter quoque in ædificiis & conclavibus ſuis ſuffumigia ex baccis & ligno juniperi inſtituunt. &c.

§. XX. Si ulterius cauſas ſalubritatis particulares magis ſcrutari vellemus, aliæ plures nobis ejusmodi præſto eſſent. Sic v. gr. non in poſtremis eſt, quod multis in locis, oppidis Ducatuum Jaurovienſis &

Swid-

Swidnicensis, inprimis Hirschbergæ, Landshutæ, Schmidebergæ, Greiffenbergæ, &c. & circumjacentibus pagis, pro linteaminibus candefaciendis, quibus necessitas pariter ac utilitas, his oris, exterorum non veteris modo, sed & novi orbis mercatorum & amplissima commercia & pretium fecit, frequentes & quotidianos ignes struant ex lignis abietum, pinorum, fagorum, juniperi & similium, resinosis & balsamicis, qui non solum aerem purgant, sed & ipsum eiusmodi balsamicis resinosis, oleosis, subtilibus, salinis volatilibus spirituosis, acidulis, quæ salubria sunt, imprægnant effluviis. Per ignem enim corrigitur aeris quies, gravitas & intemperies, ut in foro medico notissimum est, saluberrima ea esse loca & tuta a morbis grassantibus, putridis, malignis, peste &c. manere, in quibus multi accenduntur ignes. Vix mihi tempero quin unicum saltem exemplum adducam: Fertur, pestem quæ Anno 1556 in Venetos est multa hominum strage vulgata, Insulæ 2. Mill. Venetiis remotæ Muran. incolis pepercisse ideo, quia omnes artem vitriariam tractassent & fornaces hinc quotidie instruxissent. Non solum etiam Jauroviensi & Svidnicensi, sed in aliis, ut in Mezboriensi Districtibus &c. multæ fornaces quotidie succenduntur ab iis, qui vitra conficiunt. Alibi & Pyracmones, Brontes, Steropesque, vulcanios in ferrariis officinis, quæ atmosphæram ab omni contagio tutam semper tueri dicuntur, ut Girsdorffii, Schmidebergæ, in Saganensi, Meziboriensi &c. ditionibus tractant labores. Ne alios hinc inde longius ignivomos caminos memoremus, ad quos pertinent etiam in Ducatu Glogoviensi in loco Neusalz inde dicto, & in Oelsnensi in pago Ossen &c. salis coctura &c. In Jauroviensi & Svidnicensi multis in locis, Kauffungæ, Seittendorffii, Rursdorffii, Lauterbachii, Kammerswaldæ, Apendorffii &c. fornaces calcariæ multæ habentur, in quibus calx ex saxis calcariis fortissimo igne paratur &c.

§. XXI. Hoc quoque salubritatis momentum adducamus, quod ab ipsarum urbium, oppidorum & ædificiorum & conclavium habitudine, dispositione & constructione desumitur. Licet oppidorum Silesiæ domus magna ex parte ligneæ sint, eæ tamen firmos crassosque parietes habent, qui contra aëris quasvis injurias, inhabitantes satis tutos præstant atque immunes, quæ ædium conditio loco notabilis præsidii est: hinc Cartaginenses, ut se contra aëris ventorum, imbrium & maris halituum inclementiam magis munirent, parietes pice obducebant. Multæ etiam lapideæ sunt, quæ optima quidem domorum conditio est: Siquidem civitatum majorum ædificia ex lapidibus tota fere exstructa

sunt

ſunt, eaque parietibus craſſioribus inſtructa, quæ hinc aërem non transmittunt & concamerationes non raræ, quoniam lapides in Sileſia hinc inde, maxime montoſis in tractibus magna copia eruuntur. Sunt quoque in univerſum propemodum ædes privatæ Sileſiacæ, ſpatioſæ, laxæ & amplæ in longum latumque patentes, quorum faſtigia recta inſurgunt, neque tecta prominent, ſic aërem neque ſuperiori, neque inferiori parte concludunt, ſed libere transmittunt. Sicque etiam in iis conclavia ac cubicula eundem in modum ſunt comparata, ampla nimirum ſpatioſa & alta majoribusque feneſtris ornata. Plateæ in civitatibus bene ſunt ordinatæ utplurimum rectæ & latæ, ut aëre ventisque debite perflari & effluvia heterogenea, quæ quotidie affluunt ventilari atque ejici poſſint, frequenterque per eas interfluunt rivi, ſordes & excrementa eluentes ſecumque abripientes. Hoc nomine præ omnibus aliis celebres, Sileſiæ Caput, Uratislavia & Niſſa, Swidniciumque nec non Leoberga, Boleslavia, Olavia, Brega, Lignicium, Croſna ſunt, quæque hac gloria urbi Panormitanæ, Lutetiæ Pariſiorum aut Lintzio Auſtriæ, Bremæ aut Flensburgo, Lubecæ, Erfurto Regiomontioque in Boruſſia vix ceſſerint, quæ omnia ad ſalubritatem civitatum faciunt multum. Confer. *Diſſert. Præſid. de Aëre Lipſienſi §. 6.* Inſuper Sileſii munditiei in habitationibus ſuis atque plateis ſtudent, ut ſordes frequenter ejiciantur atque decenter, ob quarum fœtorem putredinoſum multi putridi morbi atque peſtilentes non raro ſunt exorti. Exempla petantur v. gr. de Vienna Auſtriæ a GERBEZIO *in Chronol. Med. p. 125.* De Lutetia Pariſiorum & Toloſa Gallor. DIMERBROKIO *de peſte p. 154.* PALMARIO *in epiſt. & præfat. in Libr. de febr. peſtil.* de Conſtantinopoli ab HEBERER *Lib. II. Servit. Ægypt. c. XLVIII. p. 303.* Hinc hac in re veteres Romani cautiſſimi erant, refert enim Halicarnas: apud eos conſtitutos fuiſſe Ædiles plebis, quorum officium fuit, ut munditiei urbis proſpicerent atque curarent, ne aëri per vias publicas, cloacas, aquæductus, qui adeo ſumtuoſiſſimi erant, immundities quædam accederet, quam legem ſalutarem etiam Jure Conſulti adhuc retinent atque injungunt, vid. *Gloſſ. in l. XXI. §. 1. ff.* STRYK. *de Jure ſenſ. D. 5. c. II. n. 32. &c.* Hinc hunc laudabilem morem ut ſervent a Magiſtratibus utpl. publicis legibus cautum eſt, ne impuritates in vias publicas ejiciantur, quam legem diligentiſſime imprimis Bregenſes obſervant, vid. *Topographiam* allegatam *Sileſiæ p. 136.* Ad hoc commodum facit diſpoſitio pagorum in Sileſia, qui diſperſas hinc inde domus habent, ad quas fumi ex fimi cumulis & pecudum ſtabulis &c. in vicinia congeſtis, non attingunt &c.

N §. XXII.

§. XXII. Neque desunt multæ salubritatis in Silesia notæ, ex quibus a posteriori magis eam, humores bene solutos, dilutos, temperatos, bene mixtos partesque solidas laudabiliter se habentes, cognoscere possumus. Nam fruuntur Silesii, ut plurimum bona constantique sanitate. Sunt vegeti, proceri, alacres ac perveniunt ad summam virentem vegetamque senectutem Nestoreosque annos; Conf. Fr. Lvcae *chronic. Siles. p. 2139.* nam ut eleganter Hippocrates dixit *Lib. de flat.* mortalibus vitæ ægrotis vero morborum potissimum aër est autor. Inter longævos Silesios præsertim eminet nobilitate ac virtute Clarissimus Georgius de zedlitz, qui 108. annos felicissime attigit, numerosam sobolem post se reliquit siquidem 185. nepotes, abnepotes & atnepotes, vidit An. 1550. mortuus, atque Familia Kretschmeriana Hirschberga oriunda ac florentissima, ex qua Pancratius Kretschmar 78. ejus Pater Jacobus Kretschmar 90. avus ultra 100. proavus 120. annos vegeti ac sani attigerunt. Nec hic obliviscendus est, Macrobius ille dictus Uratislaviensis, M. Georgius Seidelius. Inter horum exempla quoque notabile quoddam occurrit de rustico quodam in pago Rothe prope Oelsnam, cui cum annum 64. ageret cani defluxerunt & capilli sublutei iterum & anno 78. suæ ætatis dentes denuo pronati sunt vid. Sinapii *Oelsnogr. P. II. p. 414.* quare Silesii æque ac Angli, Galli, Bononienses & in India Musicani, Scribi, Cyrni, Brachmanes & quidam ex Septentrionalibus populis, Macrobii dicendi. Morbi acuti & contagiosi raro videntur in Silesia, etsi alicubi locorum oriantur haud late serpunt aut diu regnant, sed brevi iterum evanescunt. Neque adeo morbis chronicis & diuturnis pertinacibus detinentur Silesii etsi detineantur iis atque aliis potius ex prava, immoderata atque perversa victus ratione, nimioque excessu, quam ab aliis causis per se laudatissimis sunt deducendi. Attamen eorum corporis habitus sæpius ad plethoram inclinat, hinc & multos carnosos, opimos athleticaque constitutione conspicuos homines paucissimos tamen, quos admodum quadratos non sine vitii indicio nomines, offendes. Hinc & hæmorrhagiis narium, pectoris cephalalgiis, rheumaticis, hystericis, arthriticis, epilepticis, febrilibusque moliminibus, affectibus catarrhalibus, phthisi ac calculo potissimum obnoxii sunt. Præditi & sunt Silesii concinna & eleganti decoraque partium corporis compositione & habitu externo corporis optimo atque formæ bonitate naturali, venustate, robore, colore faciei, ut plurimum candido, nitido, vivido paulullum rubicundo & florido, imprimis, qui montosa & alta loca incolunt (adeo ut suaviorem colorem ibi sensim acquirant alii) vul-

tuque

tuque leni cum capillis candidis & flavis ut plurimum, rarius fuſcis, rariſſime nigris ut & vocis claritate (hinc Hippocrates Phaſianos præ aliis graviſſime loqui ob aëris craſſitiem & aquas paluſtres dixit) adeo, ut vel ex vultu & hoc decore membrorum ſtatim colligi poſſit, quam elegans animus inhabitet eos. Gaudent hinc etiam Sileſii laudabili corporis temperamento ſive particularum ſanguinis illa varietate, temperatione & motione, quæ incolatus regionum ſive aëris, aquæ & locorum atque juxta hæc victus rationem & conditionem ſequuntur, in quo blandus ſanguis abundat; in effrenos tamen motus minime pronus. Atque parum cum Clariſſ. Curæo ac Uratisl. Collegis cenſeo abeſſe, quin ad ſanguineo cholericum, ſi valde temperatum id exiſtimes, Sileſiorum temperamentum accedat, illud ſcilicet, in quo ſanguis ſubtilis & fluidus ſatis, pori & interiores canales & vaſa, per quæ ille movetur modice, ampla reliquæque partes ſimili modo ſat ſpatioſæ atque extenſæ, non nimis conſtrictæ, neque nimis relaxatæ ſunt, adeo ut vividus, moderatus ac bene temperatus, fortis tamen magis quam lentus exinde oriatur ſanguinis humorumque motus, ita in ſpecie, ut juvenes illo, ſenes hoc magis conſpicui ſint, rariſſima certe omnium melancholica temperies. Indicium ſalubritatis quoque mulierum fœcunditas præſertim habetur, de qua fœminæ Sileſiacæ quoque jure gloriari poſſunt, ut alias ſalubritatis regionum jam non longius adducamus notas, quæ de Sileſia prædicari quoque poſſent.

§. XXIII. De ſalubritate Regionum haud dubitanter ſuſpicari licet, ſi non modo corpore, ſed & animo valeant incolæ, quæ & utraque valetudo ſecum amice conſpirat atque rectus animus corpori ſanitatem vitamque tribuit, aut ut eleganter Seneca expreſſit: ampliat ſibi ætatis ſpatium vir bonus. Ingenium certe dependet magna ex parte conſtitutione & diſpoſitione corporis, quæ ordinario adſcribitur conſtitioni & diſparitati terræ & climatis, aëris qui inſpiratur, aquarum quæ bibuntur & eſcarum quibus nutriuntur & mores atque animi affectiones quantum ad timiditatem, audaciam, voluptatem &c. ſpectat, regioni reſpondent. Hac de re HIPPOCR. jam loquutus eſt *Lib. I. de diæt a Sect. 32.* perhibens aëris regimine homines ſapientiores & ingenioſiores reddi & *Lib. de flat. Sect. 20. §. 3.* opinatur prudentiam in ſanguine conſiſtere, atque Galenus variis in locis idem demonſtrat & ſcitiſſime explicat: temperamenta, ſive rhythmi iſti certi atque determinati motuum vitalium, a proportione inter partes ſolidas, & fluidas corporum humanorum dependentes, quæ regionum conditionem atque incolatus ſequuntur ad peculiares

mores & inclinationes diſponere, quod & eleganter ſatis OVIDIVS II, *de Pont. el. 7. 15.* expreſſit:

Temperie cœli corpus animusque juvatur.

Qualis enim aër, cibus & potus, tales etiam ſunt humores ac ſpiritus, qui ex his ſuam ſumunt originem, ac quales hi ſunt ad tales etiam mores feruntur homines: hinc nota notiſſima illa regula: Natura facit habilem. Ab inſalubri aëre & victu animus quoque turbatur, aëre enim v. gr. craſſo & humido, conſveta & debita evaporatio capitis totiusque corporis impeditur, impuritatesque excernendæ retinentur, quæ dein cum ſanguine iterum unitæ totam humorum craſin & temperamentum cerebri præſertim obnubilant atque deperdunt, ex quo ſpiritus craſſi inertesque exſurgunt, conf. HIGHMORVS *Lib. III. anat. diſquiſ. P. I. c. IX. p. m. 22.* In paluſtribus, uliginoſis, declivibus, planis locis degentes, corpore animoque minus præſtantes; in altis, montoſis, aſperis, ſiccis ex utroque valentiſſimi, fortes, bellicoſi, acuti ingenii &c. habentur, de quo in noſtra Europa, vel ſola Helvetiorum Natio teſtatur. Videbis alios alibi multos craſſo ad inſtar Bœotum in aëre natos, inter arcadica pecora nutritos, in regione aëreque thebano educatos, alios a mendaciis fallaciisque Cretenſium non abhorrentes, Siculis, Sardis, Ætolis, Numidis, Chiis, Cappadocibus, Cilicibus Argivis, Brutiis, Mauritanis pejores & Jonibus, Abydenibus, Medis, Arabibus, Tarentinis magis molles & effeminatos & Aſiaticis libidinoſiores, Campaniis magis elatos atque ſuperbos, aliosque inconſtantia perfidiaque notatos &c. unde ſine dubio factum eſt, quod ſecundum illud: omnes Inſulanos eſſe malos, PLATO 4. *de Lege,* ut civitates 80. Stad. a mari diſtent, voluerit. Rurſus alios alibi ex Attica, Ægyptiaca, Arabica, Syriaca tellure, quæ ſicca, arida, ſalebroſa, & ſaxoſa, & ubi aër ſubtilis & aquæ leves, profectos reperies, qui puriſſimo tenuique cœlo fruuntur, & ex quibus alias per longas temporum ſeries adeo multa tantaque egregia, acutiſſima atque felicia ingenia Heroum, Doctorum, Sapientum prodierunt. Noſtris adhuc temporibus ob hanc ipſam rationem in noſtra Germania Tirolis, Carinthiæ & Stiriæ ſuperioris &c. vid. GERBEZIVS in *Chronol. med. p. 23.* in Hiſpania Biſcajæ, Galliæ Provinciæ Lemovicenſis &c. incolæ ſtupidi habentur. E contrario veteres quondam communi velut conſenſu Aſiaticos facilitate morum & humanitate cæteros ideo ſuperare contendebant. Hodie plurima in noſtra Germania loca, Gallia atque Anglia præſertim hanc laudem, hancque gloriam ſibi vindicant.

Hæc

Hæc cum Silesia nostra apprime quadrant, & cœlum Silesiacum beatissimus ingeniorum pater nominandus. Quemadmodum enim felici ac commodo situ gaudet salubresque fruges atque fructus profert &c. quod per series hucusque est recensitum, ita & morum facilitate atque rectitudine aperta inhabitantium celebratur. Nam Silesii, ut perspectum est, probitate & jucunditate morum, ingenua & integra mente, candore, æquitate, veracitate, comitate, suavitate, integritate, facilitate, lenitate, urbanitate, humanitate, affabilitate, amabilitate, propensione in omnia honesta, præditi sunt, & pietatis, religionis cultusque divini amantissimi & observantissimi, adeo, ut quidam superstitionis plurimos eorum nota mallent notare. Facile quidem irascuntur, sed facile iterum placabiles neque vindictæ cupidi, neque odia amicitiæ titulis velant, mira facilitate tolerant etiam difficillimos. Vera bonitatis antiqua simplicitate, a blandientis seculi lenociniis longe remota, cujus vix alibi dicitur nomen, & fidei veterum Germanorum sunt observantissimi, secundum versum:

Moribus antiquis restat Romana Virisque.

Siquidem paucis tractant negotia verbis atque nuda boni viri verba multis apud eos æquiparantur, juramentis & plus plurimis scripturis & maximis sigillis valent. Certe, si unquam alibi, in Silesia, sincera & antiqua fides atque nuda veritas. Amicitiam non utilitate sed fide colunt. Ingenia bona at sinistra nata fortuna stipendiis liberalibus libenter juvant ac felicitant, quorum permulta hinc inde in exteris etiam regionibus collocata sunt. Munifici pariter volentes sunt atque donis benignitatem apponunt, liberalitatem tamen ingeniosam esse quam prodigam volunt. Summis suis Magistratibus obedientissimi sunt & fidelissimi. Cæterum & vivunt libenter sua sorte contenti, honoresque non ambitiose postulant & anxie quærunt, sed cum modestiæ laude exspectant oblatosque tamen non pertinaciter recusant. Amant Divino præcepto apud MARC. *VIII. v. 8.* IOH. *VI. v. 12.* alibique inveniendo obedientes continentiam & frugalitatem ac parsimoniam, quæ magnum est vectigal, quidem sed sero in fundo qua, quæ labore quæsita sunt tanquam parta tuemur atque augescere facimus, rati quod & in parcitate sit lucrum, unde apud eos proverbium notum: *Der ersparte Pfennig sey redlicher als der erworbene;* Neque tamen avari sunt habendi, ut quidem quidam hanc virtutem in illud vitium iisdem vertere volunt, potius reputantes, quod nec minori teneantur culpa, qui per avaritiam seponunt,

 quam

quam qui abjiciunt per luxum & licet quidam iniquissimi censores nostram gentem gulosam esse dixerint, censuræ tamen hujus malevolæ eam vindicatam studiumque calumniandi jam castigatum invenies in HENELII *Silesiograph. renov. P. I. Cap. VI. p. 682. & pag. 680.* Verecundia & pudore in vita, vultuque conspicui sunt, quam ob rem rursus sinistri censores non intactos eos morositate, torvitate, ruditate ac stupiditate falso censent. Ut fortitudo etiam iis & jure quidem adscribitur ita tamen temeritatem fugiunt & res suas domesticas diligenter indefesso labore tractant. Tarde & cunctantibus consiliis ad severitatem concitantur; sed excitos longa tempestas & hominibus digna exercet. In omnibus acrem indolem, quam a natura obtigerunt, ratione temperant animumque omni fortuna æquabilem servant. Ingenioque docili conjuncta industria & improba solertia valent nec aspera modo ardua reformidant. Ad literas & bonas artes liberales musicam (cujus cives oppidani Patschkoviæ Ducat. Niss. præ aliis admodum studiosi deprædicantur in HENELII *Siles. Renov. p. 424. Parte I.*) Eloquentiam & poësin præsertim Germanicam, quæ a Silesiis unice exstitit, excolendas, sunt proni. Herbariæ quoque rei præ aliis cum vicinis Bohemis æstimatores & cultores nihilque hominibus necessarium ac utile pariter atque jucundum censentes, quam Dei gratiam in vegetabilibus admirando propriis subvenire usibus, adeo ut matres quoque filiolas in campos secum deducant, omnesque herbas, quas exspatiando offendunt, monstrent, nominent, usum explicent, æstimationemque illarum & curam commendent. Sic & literarum studia multifaria studio habent, atque ea itineribus, quæ in exteras longinque regiones instituunt libenter, exasciare moresque simul optimos exprimere, non neglecta prudentia ac solertia satagunt, eosque dum se receperint domum, diligenter retinent potius quam modo simulant. PHILIPPVS MELANCHTON *in Comment. Siles.* apud CL. THEOD. CRVSIVM *in Miscel. Siles. Ao. 1722. edit. p. 7.* æquissimus nostratium hominum censor, quondam apud Henricum Ducem Silesiæ Ligium palam testatus est: nullam gentem plures eruditos Viros in tota Germania quam Silesios, & in nulla alia Germaniæ parte plures ex populo discere & intelligere doctrinas. Nec non artium mechanicarum egregie illorum docilia ingenia capacia sunt. Artem simulandi dissimulandique sine tamen fallacia eos callere dicitur. Amant munditiem & elegantiam in amictu sine fastu. Peregrinos ad accessum aut notitiam, consortium convictumque liberaliter admittunt hospesque hic bene manebit, aderit hospes hospitalis, humanus. Gaudentque aliis benefecisse,

feciſſe, oſtendunt ſe libentius factis quam verbis, non oſtentatione neque innani ſimulatione. Atque in Sileſia ubique ſæpius nihil molle deprehendes, imprimis in educatione liberorum, maxime in tractibus ipſius montanis. De fœminis ſeorſim Sileſ. hoc habetur, licet, ut Mich. Neandri verbis utar: Veneres & puellæ ſunt tales, ut vel ſilicem ſubigere poſſent ad amandum, tamen pudicitiam ſervant ſine labe. Id teſtimonium addit Chronici Norimbergici Autor, ſexum fœmineum in Sileſia venuſtum eſſe & affabilem, ſine tamen pudicitiæ labe (quamvis ad voluptatem veneream, quidam illum inclinantem dicant) ſcribens: Facies enim illarum color ſucci plenas & ſolidas alabandicarum roſarum ac alborum liliorum condecorat, roſeaque labella gratiam conciliant, ut hinc vividiſſimæ videantur, ea propter Gallorum reſpuunt genium, qui pulchras exiſtimant quæ palleſcunt, potius Germanorum ſententiam præferunt, qui pulchritudinem in eo potius ponunt, quod & ſanitati magis congruit, ſi genæ candore lenique rubore imbuantur. Vox clara & tenera, qualis in orientalibus civitatibus annuente Coo, eſſe ſolet. Iis inſuper jure hæc laus tribui poteſt, quod non ſolum rerum domeſticarum ſuarum diligentiſſime curam agant, & quod laborioſiſſimæ ſint, adeo, ut virorum quoque labores viceſque obeant. Vratislavienſes ſpeciatim fœminæ apud juſtos rerum æſtimatores tam ex corporis pulchritudine, animi virtutibus, quam arte coquinaria, multum laudis tulerunt. conf. CVRAEI *Chronic. Sileſ. P. II. fol. 24.* Illorum virorum omnibus togæ artibus Clariſſimorum Sileſiorum non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteros effulgentium & nobilitatorum, qui magna numero numerantur & qui inter reliquos eminent, ab eruditis hominibus hinc inde & paſſim recenſio facta eſt atque laudatio. Quorum catalogum ſi perquirere velles, vix oppidum in Sileſia erit, quod non plures eorum, Claros ſuos Varrones, Quiritesque &c. genuit; quos & quantos modo putes, Wratislavia, Hirſchberga, Boleslavia, & Leoberga fœcundæ bonorum ingeniorum matres dederint? quam ultimam ſeorſim ideo Clariſſimus Fechnerus ampliſſimo carmine celebravit. Conf. præter alios celebres Viros Sileſiographos HENELIVS ejusdemque *Sileſiographia renovata* quam & JOH. CASP. EBERTVS *Cervim. Literat.* Nec pace quam ferre poſſunt Sileſii ſaltem, ſed & bello atque armis egregii domi forisque ſunt clari, quorum multa quoque proſtant exempla, quare non amplius attinet, ut longius de fortitudine Sileſiorum afferamus probationes. Bellicoſam nationem Sileſiacam ſemper fuiſſe ex Hiſtoriis patet, quæ referunt veteres Sileſiæ Incolas, omnes illas regiones, quas

Albis,

Albis, Sala, Viſtula, Danubius alluunt, atque adeo quæ ad mare glaciale usque excurrunt, forti armataque manu ſubegiſſe. Hanc laudem Matthias Hunniades, Rex & Bertius iis tribuit, quæ notabilia teſtimonia, quia hic ob chartarum anguſtiam vix locum inveniunt, legantur in Henelii *Sileſiographia Renovata P. I. p. 690. & ſeq.* Phil. Melancht. cujus ipſa verba iterum poſſunt legi apud modo laudatum Henelivm *l. c. p. 679.* Sileſios & Miſnenſes ejusdem genii & ingenii eſſe quondam opinatus eſt. Aſt, quo ferar? Alii potius Sileſiorum laudes computent atque ad vivum depingant.

§. XXIV. Evidentes hæ potiſſimum cauſæ ſalubritatis Sileſiæ ſunt, dari poſſunt forte adhuc plures, ſive ejusmodi earum, quas privativas vocare malles, quibus mala a noſtra Sileſia prohibentur, ſive poſitivæ, quibus ſalus ipſi exhibetur & quæ forte ſub halituum inviſibilium ſenſibusque alias vix patentium forma, ſive etiam a ſuperioribus, ſive inferioribus locis ad aërem veniant, atque tales, quæ non ſtatim ac ſemper, neque vel diligentiori altiorique ſcrutinio cognoſci & detegi poſſunt. Sic refertur a Plinio *Lib. II. Cap. XCVI.* Locridem atque Crotonem ſaluberrimas urbes ob ignotam quandam cœli benignitatem conſtanti ſalubritate gaudere peſtemque ſenſiſſe nunquam; viciniam autem ſæpiſſime. Subeſt in multis locis quoddam ejusmodi, quod nec dici, nec ſcribi poteſt: ut igitur in ſalubritate conſideranda experientia quoque in auxilium vocanda ſit. Plura de hac re leguntur in *Diſſert.* allegata Præſidis *de aëre Lipſ. §. II.*

§. XXV. Cum in his paragraphis quædam propoſuimus, quæ ad ſalubritatem regionum facere poſſunt, in aprico jam eſſe nulli dubitamus, Sileſiam inter ſaluberrimas regiones, & in quibus ſaluberrime vivitur, numerari jure poſſe. Namque inſunt illi quæ proſunt, quæ juvant, quæ delectant, aëre, aqua, tellure & locis & quæ in iis reperiuntur in commune velut inhabitantium commodum atque ſalutem amice conſpirantibus. Felix igitur Sileſia reputanda eſt, Campi Elyſii felices & omnibus deliciis affluentes in Sileſia (Elyſia antiquitus ſecundum plurimorum ſententiam, etiam bono omine dicta,) ibi reperiundi. Hæc fortunata terra eſt, cujus eximiæ dotes, Inſularum Canarienſium fortunatarum dotibus facile æquiparandæ eſſent. Laudat maxime Plinivs Cretam Inſulam, *v. Lib. IV. C. XII.* & Pavsanias *in Achaic.* Joniam ob cœli clementiam & ſalubritatem, qua fruuntur, maximam. Extollunt alii ideo Hiſpaniam, Braſiliam alii, Alexandriæ tractum, alii rur-

rurſus alias regiones ſalubres, nos merito Patriam noſtram extollimus, quia ſalubritas eam extollit.

§. XXVI. Hæc laudabilis univerſæ Sileſiæ in univerſum conſideratæ conditio eſt. Si ad ſpecialia rurſus deſcendere & Sileſiæ loca ac civitates contemplari libeat, inter hæc diverſitatem quandam, ut diverſi quoque ſunt ſitus locorum, prout nimirum in montibus, collibus, aut vallibus, in planitie, in humida aut arida terra, ad fluvios, paludes, lacus &c. ſunt locata, ut ubique locorum fieri aſſolet, ſi ſine ſtudio & odio rem fateri volumus, quamvis non adeo notabilem deprehendemus. Nam nulla regio ex omni parte eſt æque beata ac felix, ac omnium proſperitates ſemper aliqua alias comitatur labes. Sic optimæ Vratislaviæ aliquo ponitur in vitio, quod in palude exſiccata ſit collocata, & quod adhuc variis paludibus juxta ſolum humidius viſcidum atque cœnoſum circumdata ſit, quod littus Oderæ fluvii depreſſum & inundationibus ideo aquarum obnoxia regio, quod aër tepidus & humidus vaporibus obſcuris & fœtentibus frequentibus obnubilatus atque craſſior, aquaque fontana limpida atque clara ſapidaque rarior quodque diæta ibi accuſanda quoque veniat, quæ variis morborum generibus præſertim congeſtoriis, ſeroſis, malignis, febrilibus exanthematicis, rheumaticis, apoplecticis atque paralyticis vitæque brevitati commoda molliori lautaque potiſſimum vivendi ratione anſam præbere facile poteſt. Ex quibus fontibus cauſis febres varii generis graviſſimæ, nephritis, arthritis & ſimiles aliique morbi ibi frequentiſſimi eſſent. vid. *Topographia Sileſiæ* M. MERIANI, *p. 129.* Similiter D. JOACH. CVRAEVS in *Chronic. Sileſ. P. II. f. 43. ſeqq.* ſcribit: Eleutheropolim Sileſiæ frui quidem ex ſua natura integra ſalubritate, aſt paludes quasdam limitare eandem, in quas opifices varias ſordes conjicerent, ex quo aër fœtoribus inficeretur ac corrumperetur, qui alioquin nimis frigidus & penetrans eſſet, quare & incolis, præſertim fœminis, utplurimum phthiſis, malum endemium ac lethiferum eſſet. Aſt hæ cauſæ partim hodie ſunt mutatæ ac averſæ aut haud difficili negotio emendari & præcaveri forte poſſent, partim non tantæ, quæ Sileſiæ ſalubritatem deſtruere totam & noſtrum de ea aſſertum evertere aut ſaltem dubium reddere poſſent. Siquidem etiam hodie Vratislaviæ optime vivitur, cum enim hæc urbs in læta planitie ſita ſit, ac ideo ventis præſertim ſeptentrionalibus pateat, iidem omne vitium, ſi quoddam ex ſoli natura exſurgeret, iterum valide depellunt & totam atmoſphæram ibi in ſalubrem redigunt modum. Equidem: Jaurovienſem & Svidnicenſem, Munſterbergenſem,

Niſſenſem, Oppavienſem, Teſchinenſem Ducatus, cum ſaluberrimis Sileſiæ, imo & Germaniæ Provinciis, ne audacius quid dicamus, conferamus, vix poſſumus dubitare. Quicquid ſalubre in aliis ſeorſim cenſetur, in his collectim omnia pene videntur, vix oppidum ibi, vix pagus eſt, in quo non ſingulare quid ejusmodi inveniatur. Altiſſimi hi omnino ſunt & montoſi, interjacentibus tamen campis paſſim latis & lætis, apricis convallibusque amœniſſimis, nullo facile ardoris æſtusque ſolaris impetu nimium agitantur, torrentur aut uruntur. Hyeme equidem gelu acerbius paulo propemodum tanguntur nivesque etiam æſtivas ſæpe experiuntur; aſt clementiores tunc & ut plurimum ſine damno, ſed ideo non inſalubriores cæteris ſunt, quoniam in duram glaciem ſplendidamque cryſtallum nives congelantur molles & diffluæ & occluſis magis terræ poris excluſisque craſſioribus & heterogeniis impuris, vappidis, humidis, effluviis, ſemper lætior atque defœcatior refulget atmoſphæra ibi, ſiquidem & in frigidioribus locis vegetiores, longævioresque reperiuntur incolæ candentibus nivibus montibus varietate delectantibus eos, ac ſalubritate conſervantibus. Ad hoc contra frigus optime ſe munire ſciunt Sileſii pellibus, quarum uſus in tota Sileſia, frequentior & maturior eſt, quo vicinos ſuos, Polonos imitantur, unde & proverbium de noſtris monticolis ortum jocoſum, quo dicitur: Sie legen zwey Tage vor Johannis die Peltze ab, und zwey Tage nach Johannis legen ſie ſolche wiederum an; quo indicatur quod corpus decenter tegere norunt. Remedium ſane prophylacticum adverſus varios morbos non infimum habetur, quam verno tempore, tarde hyberna veſtimenta & tegumenta corporis, deponere ac minuere, autumnali vero tempeſtate cito matureque induere atque augere. Speciatim thoracibus & amiculis pectoris ac ventriculi regionem probe tectam quisque domi forisque habet, bene gnarus, nihil hisce corporis partibus magis inimicum quam frigus eſſe, eſſeque loco tranſpirationis juvandæ, promovendæ conſervandæque ex qua impedita febres, imflammationes aliaque innumera mala inſurgunt, certiſſimæ tutiſſimæque præſervationis. Per totam vero æſtatem temperata tempeſtas eſt, verno alias tempori fere ſimilis, ad quod etiam multum contribuunt ab hyeme relictæ & ſenſim liquefactæ nives, quibus ſic ſuaviter aër temperatur ac amœnitate ſua homines recreat ac reficit, atque omnes anni partes pari ſalubritate percurrit. Nolo amplius adducere atque probare, ſed potius credendum pro cujusvis placito relinquo, quod quidam afferunt atque affirmant atmoſphæram in montibus ſudet: maxime juxta alia montana

tana Silesiæ loca, circa Goldbergam, in tractibus Münsterbergensibus & Nissensibus montanis &c. & circa eos totam effluviis aureis atque argenteis ex reconditis ibi mineris effluentibus magnum & incomparabile salubritatis momentum refertam esse. Hinc & corporis animique viribus & longævitate præditos, erectos & sola canitie senes ad instar Apenninorum montium generant aluntque præ cæteris, quales fere in omnibus locis montanis spectantur, quod Plato jam olim retulit. Exinde intelligitur quantum sit montes accolere. Nec nostri monticolæ apoplexiis frequentioribus & peripnevmoniis &c. afficiuntur, aliis familiaribus. In his tractibus omnes urbes & oppida speciatim Schwidnicium, Leoberga, Stregovia, Boleslavia, ab MART. OPITIO supra laudato carmine commendata, &c. a puro, sereno & salubri aëre, cœlique clementia, a gelidorum fontium scaturigine aquis limpidissimis & salubribus in Silesiæ Topographiis a celeberrimis illis viris Schikfusio, Henelio, Lucæ aliisque passim conscriptis per series laudantur. Laudanda vero seorsum veniunt patriæ Hirschbergensis diœcesis vicina loca, quæ & Thermas Hirschb. complectuntur, quique delicias jucundioris regionis cum omnigenis salubritatis momentis habent conjunctas & lætitiam quandam ingenitam. Conf. *Præsidis Dissert. de Thermis Hirschbergensibus §. 1. & 2.* Finitimum oppidum Schmideberga, tria milliaria ab Hirschberga recedens, pariter ob aëris salubritatem celebratissimum est, adeo, ut ad posteros notum sit, hoc nunquam peste aut aliis morbis contagiosis tactum fuisse. Incolæ ejus quidem & accolæ alias strumis & scrofulis colli, endemio quasi malo notati erant, sed ex quo aquæ ex certis quibusdam rivulis ex metallifodinis profluentibus usus cessavit, non amplius hodie ac quondam experiuntur ejusmodi. Plura de pluribus ejusmodi addamus chartarum angustia vetat, nam diximus saltem quædam, cum restent plura laudanda. Salva sis diu, suavissima Silesia, calamus Te deserit. Tu vero, Candide Lector, excuses, quæ mala sunt.



* *

III.
DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE INCOLATVS MONTANI SALVBRITATE,

PROOEMIVM.

Plurima magnaque ſunt argumenta, montium in prima jam creatione a Deo T. O. M. Sapientiſſimo hujus univerſi Effectore, conditorum, incolatum commendantia. Haud certe poſtremum eſt illud ac multum dignitatis concilians, quod ſacra teſte pagina Deus ipſe montibus ſit delectatus, & quod quandoque ex altis in terram deſcendens, in iis utpote qui cœlo ſunt propinquiores, utplurimum verſatus ſit, homines advocaverit & omnia fere ſua myſteria in iis celebraverit, atque ſua immenſa beneficia hominibus exhibuerit ac donaverit. In monte enim poſt diluvium arcam Noæ non ſine divina ſua directione depoſuit; in monte legem, humano generi profuturam, ſolenniter promulgavit, & cum Moyſe loquutus eſt. In monte ædem ſibi Sacram a Salomone Rege ædificandam, in qua Deus exauditurus erat ſupplicantium vota, magnificentiſſimo curavit apparatu. Juſſit Deus Abrahamum ad montem aſcendere ac ibidem filium ſacrificare ſuum. In montibus Salvatorem noſtrum optimum, de quo SALOMON vaticinatus eſt. *Cant. II, 8. ecce ille venit ſaliens ſuper montibus ſaltans ſuper collibus*, cum diſcipulis ſuis atque aliis ſæpius verſatum eſſe legitur; cum ſive prædicare, ſive pro genere humano orare, ſive beneficia illi conferre atque benedictionem elargiri, ſive corporis ſui glorificati revelare præſtantiam, ſive ſacroſanctum ſacrificium, paſſionem & mortem (in monte Calvariæ) offerre ſalutemque æternam nobis recuperare, ſive ſolennem in cœlos aſcenſionem celebrare Ipſi conſtitutum eſſet. Juxta montem ſepultus eſſe voluit & benedictio a Domino promittitur in adſcenſu ad montem Domini. DAVIDES Rex montes nominat a quibus auxilium Ei venit.

Pſalm.

Psalm. CXXV. v. 1. Quid quod, ipſa vita Beatorum æterna æquatur conferturque cum monte, ut ex *Ep. Pauli ad Hebr. XII. v. 22.* claret. Paſſimque præterea ſacris in literis quorundam montium celebris memoria eſt, ut montis Griſim dicti *Deut. XXIII.* Gilead. *Geneſ. XXXI.* Carmeli, Horebi, Libani &c. Sic & Jeſaias Propheta, montem adſcendit & ibi preces fudit ac in montibus Sancti adorarunt Patriarchæ. Montana elegit Abraham, Loth vero planitiem. Cœlum Beatorum ſedes cum monte Sion comparatur, infernus abyſſus vocatur. Ut hinc non incommode forte, mos ille ethnicorum, divinitatem quandam in montibus admirantium & forte ſentientium, ac ſi non alibi quam in montibus melior deorum cultus inſtitui poſſet, in imitationem vere credentium verſus, derivetur, montes colles, valles, diis ſuis conſecrandi, ſibique multos fingendi deos deasque tutelares monticolas, Oreades & Hamadryades, Faunos, Satyros, Sylvanum Jugatinum, Collatinum, Vallonianos ipſum magnum Panem quos pineo ideo etiam ſerto ſymbolo montanæ dotis decorisque redimitos facie, pedibus caprinis (quoniam hæc animalia montes amant) pinxerunt, Nympharum item omne genus locorum montoſorum amore retentum ibi conſidere dixerunt. Ita Apollini Cynthium, Cybele, Cybelum, Veneri Idalium Taygetum excelſum Laconiæ montem Spartæ imminentem & Cythereonem Libero Patri Baccho dicatum legimus, atque etiam Dianæ venationum deæ montium amantis lætiusque ibi feras inſequentis, ſacrum fuiſſe, ex CALLIMACHI *Hymno in Dianam verſ. 188.* diſcimus, paſſimque in antiquis monumentis librisque ac nummis memoria templorum fanorum delubrorumque in montium verticibus Jovis ἀκραίε colligere eſt: In his tractibus pariter variæ cryptæ ſubterraneæ religioſæ ſunt inventæ ut in Marca Anconitana Italiæ, ſpelunca Pilati in Gallia ad Viennam, cluſeau prope Miremontium, ſiquidem ATH. KIRCHERVS *in Mundo Subterr. & Itinerar. Hetruſco Lib. VIII. cap. XI.* harum cryptarum incolas adducit. Atque in bicipiti Parnaſſo & Helicone Pimpla Aonumque & Pieriæ cacuminibus elatis Muſarum Virginum, muſicæ aliarumque artium inventricum & tutricum, ſolitudinis amantium ſedes fuit atque ſeceſſus a ſtrepitu turbisque remotus, cujus amœnitates multis nominibus celebrantur. Apud Romanos Septimontium dies feſtus erat Decembri, menſe celebratus, quod in ſeptem montibus nempe Palatino, Capitolino (alias Tarpejo & Saturnio) Quirinali, Aventino, Cœlio ad Saburam, Eſquilino, Viminali, ſacra fierent. Veteres ethnici deos monticolas non modo valde ſuſpiciebant ſed & eos

 omnium

omnium potentiſſimos verebantur: Legimus enim *I Reg. CXX. v. 23.* Aſſyrios cum Regibus Iſraëlit. bellum gerentes, coram Rege ſuo Benhadad pavidos, formidine cladis, ſic conqueſtos fuiſſe: *Ihre Götter ſind Berg-Götter, darum haben ſie uns abgewonnen, o daſs wir mit ihnen auf der ebene ſtreiten müſten, was gilts wir wolten ihnen abgewinnen.* Ecquis non miratur ingentis molis montes, quorum culmen nubibus cœli occultatur & abſconditur? Ecquis non miratur ſaltem ſed & rimatur, Veſuvium in Calabria, Heclam in Islandia, Aetnam in Sicilia &c. diverſis vicibus ſaxa, glebas, cineres flammasque & fumos imo igniferos torrentes ex ſuis, viſceribus exhalantes & eructantes. Quis non ſingulari attentione montes novos, derepente exortos, rurſusque aliorum interitum, memoratur? Montoſis in locis certe rariſſima & admiranda, quæ Dei, qui nihil unquam fruſtra fecit, mirandam potentiam, ſapientiam ac gratiam oſtendunt, inveniuntur &c. Profecto ſi quid in regno naturæ attentam conſiderationem meretur, montes omnino ſunt: Montium enim non ſolum grata elegantia ac decus quod terræ conciliant ſed & inſignis uſus ac ſumma necesſitas ut ii ipſi præ aliis eminent, qui tanquam oſſa terræ fulcra fundamenta & catenæ, quæ, illius ſingula membra utilisſime connectunt & tanquam ubera formoſæ almæ matris concinnam elegantiam cum ſtructura, tum natura efformatam addunt atque ſimul multa commoda fœnerantur inter quæ divites auri argentique &c. venæ non poſtremum ſunt ac fontium fluminumque exortus, ut ideo dubium ſit, an planities, an has Dei Creatoris, res creatas magis neceſſarias pariter ac eſſe utiliores. Hinc notabile eſt Moſen antiquiſſimum ſcriptorem regionem Populo Iſraëlitico promiſſam exinde etiam laudaſſe, quod montes vallesque, inſint: dicebat enim populo Iſraëlitico ut legere eſt, *Deuter. XI. v. 10. 11. Das Land dahin du kommſt, es einzunehmen, iſt nicht wie Egyptenland, davon ihr ausgezogen ſeyd, da du deinen Saamen ſæen und ſelbſt träncken müſteſt wie ein Kohlgarten: Sondern es hat Berge und Auen die der Regen vom Himmel träncken muſs.* Atque conſtat ſane montium quos ideo Sapientiſſimi Omnipotentis & Gratioſiſſimi atque amantis hominum Architecti elegantiſſima pariter ac utiliſſima opera eſſe Xenophon eleganter dixit, non minor etiam utilitas, quam præſtant planitiebus adverſus omnem procellarum impetum; cujus præſertim Lybia teſtis eſſe poteſt, quæ ob montium defectum tot in ſolo experitur, hominum a ventorum vehementia & arenarum copia, oppreſſiones & ubi ut Hippocrates dicit de victus *rat. Lib. II.* Homines latenter exſiccantur, quot vix in ſalo contingunt naufragia, atque immanes, horrendasque oceani & flu-

minum

minum inundationes. Rurſum ventos alibi utiliſſimam illam aëris commotionem nunc producunt montes nunc augent, nunc infringunt atque imminuunt, nunc omnino repellunt, atque ab eorum violentia valles defendunt. Nec non inſerviunt non ſolummodo regionum fines diſtinguendi ſed & fortiſſimis muniminibus ſecuræque tutelæ ac rectiſſimo refugio hoſtiles inſultus excludendi, quod HERODIANVS *Hiſtor. Lib. II. c. XI.* & POLYBIVS *Hiſt. III.* ſcribunt: Eſſe Alpes nimir. inſuperabile Italiæ munimentum atque murum quaſi ac propugnaculum. Hocque non ſolum faſtigio ſuo præſtant montes atque reconditis ſuis receſſibus, ſed & anguſtis faucibus, clauſtris atque clauſuris. Helvetis hinc v. gr. montium juga munimenta ſunt tutiſſima quorum ope maximis etiam exercitibus hoſtium parva manu reſiſtere poſſunt. Adhuc admodum probabile eſt quondam ut ſe tam contra hoſtium inſultus quam peſtis contagium ſe tutos atque immunes præſtarent catervas hominum in hos abditos receſſus inacceſſis culminibus, rupibus opaciſque ſylvis munitos ſe recepiſſe eosque diu inhabitaſſe, quemadmodum Judæi olim Caſpios montes adierunt ac Philippi III. Hiſpan. Regis tempore ferocium genus quoddam hominum eſt inventum atque Crantzius ſcribit quod anno DCCCC in Tranſylvania ex montanis tractibus ignoti ejusmodi coloni prodierint. Hi non ſolum delectamenta ſunt atque refugia, ſed etiam exuberans penus ad cultum uſumque varium hominum pabulumque pecudum atque inſtructisſima pharmacopolia, remedia omnis generis & quæ alibi non progerminant, proferentia. Quam maxime etiam montium incolatum commendat ſumma eorum ſalubritas, quæ hominum ſalutem, incolumitatem ac vitam, maxima Dei, quæ hominibus concesſit dona, fœneratur, unde Rex & Propheta David juſtis hominibus in monte Domini habitationem promittit, quam locutionem Helmontius interpretatur, longævos in optimo monte victuros. Qua de re ut ſemper nos montium faſtigia præ cœteris aliis terræ conditionibus, & admirationis & amœnitatis delitiarum commodorumque, plurimum habere exiſtimavimus & nobiſcum exiſtimant quoque plurimi, fuſius de hoc paulo agere, præſentis jam eſt inſtituti, quod & rei operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi, quantum ingenii vires permittant, in hoc pergrato argumento pauxillum laboris ponamus & montes excelſos contemplemur eorumque incolatum ſalubrem commemoremus. Divina modo hoc ſecundet bonitas, animitus precamur! Condonabis autem B. L. ſi ordine interrupto hic fuerint forte congeſta, ut etiam montium, de quibus agitur forma irregularis conſpicitur ac in ſitu velut

lut ordinis neglectus, qui quandoque etiam varietate quadam interjecta sine tædio legitur & si circa montium potius radices saltem, versati simus, ipsos montes nondum supergressi. Neque enim nos illi sumus, qui neque montium altitudines in statera appendere possumus, neque magnos promittere montes atque eos fumo repletos dare, ut ajunt, volumus.

§. I. Tellus, quam benignissimum in coelis Numen inhabitandam mortalibus dedit, ab isto summo rerum Creatore mirificum in modum sapientissime varia ratione in multifarium creaturarum commodum est interdistincta & non eodem modo ubique se habet, sed variæ conditiones ejus spectantur. Atque unaquæque regio diversas habet proprietates, ut neque virtus coeli eadem etiam omnibus ratione immittitur, neque a cunctis coelorum partibus eadem dimanant. Sunt nempe loca maritima, sunt littoralia, insulæ, terræ continentes, campestres, sunt pratenses, sunt tractus sylvestres. Hic nudæ, illic arboribus proceris obsitæ regiones, nunc siccæ & aridæ fontium aquarumque penuria laborantes, nunc humidæ & paludosæ inveniuntur. Ibi rursus demisso humilique loco, aut plano atque æquali, alibi elato locata loca, atque collibus montibusque insurgentibus interdistinctis spectabis. Hæc regio loca conclusa, alia patentia, hæc aprica, alia umbrosa monstrat. Hæc violento æstu torrentur terræ spatia immo exuruntur, alia aspero constringuntur frigore. Hæc ventis secundis illa adversis afflantur, & rarius alia aliis frequentius procellis exagitantur, atque non raro conquassantur immo pervertuntur. Hos districtus molesta non modo, sed & nociva nebula tectos, alios continua pluvia madidos videbis. Hos bono aspectu gaudentes, illos malo exosos, ac Scolon Asopiæ pressos experieris. Hos lætus irradiat Phoebus, alios cimmeria obscurat densa caligo & monstrat Aphannas. Hic Arabiam felicem, odoribus suavissimis spirantem, illic Judæam Asphaltiten foetentem videbis. In hoc grato & amabili hilarique vultu bono & sano, in alio foedo, squalido, exsucco elumbique & tristi incedunt facie habituque conspicui. Hos exhilarant claræ profluentes aquæ, illos adverso stagna inquinant halitu. Hæc grato humus salubrique cibo & potu pascit alma mater incolas, alia contristat, immo necat iniqua noverca. Verum non omnes terrarum adeo diversas conditiones, non earum tractus omnes peragrare & enarrare longius, sed jam optimos tantum celebrare nobis constitutum est. In his & circa hos commoremur ergo paululum, quia optimi sunt, &

& corpus & animum recreant, & ſanitatem vitamque concedunt, conſervant, & augent.

§. II. Omnium autem optimus ad valetudinem, vitam, ſanitatem & integritatem hominum, qua nihil exoptatius feliciusque iis in his terris Deus Ter Optimus Maximus dedit, maxime accommodatus eſt ſitus poſitusque acclivis, altus atque elatus, qualem habent regiones & tractus montoſi quibus humus ſuperbit ſupra alios porrecti, a quo regionum ſalubritas maxima ex parte dependet, cujus conditio talis eſt, ut non facile alia aliorum locorum eam ſuperet immo æquet, quas alibi ſparſim, hic junctim reperies, omnes ſalubritatis cauſas, quæ perennem ſalutem apportant & morboniæ locum eſſe non facile patiuntur, quoniam ibi ſingula quæ arctiſſimum inter ſe commercium habent, cœlum, aër, aqua, terra ſubterranea, arbores, plantæ, herbæ, flores, vegetabilia & animalia, quæ ibi creſcunt & educuntur & quæ in alimentum dein inhabitantibus cedunt, quæque alias in ejusmodi ſcrutinio, in conſiderationem veniunt, in commune quaſi bonum atque emolumentum monticolarum amice conſpirant. Licet & oppida & pagi quidam in vallibus jaceant, ſolum tamen ibi eſt ſatis ſolidum ac exſiccatum fœdisque exhalationibus expers, cum palam ſit, valles montium planitie eſſe altiores. Quia vero non eadem ubique potentiſſimi ſolis, non aëris & ventorum eſt vis, cum etiam multifaria dentur, quæ eam mutant & alterant, debilitant, minuunt, ac impediunt & quæ etiam effluvia ſua a toto evoluta ipſi immittunt, quæ dein in eo tanquam vehiculo afferuntur ac ingeruntur. In qua conſideratione circumſtantia atque interjecta inprimis adducuntur. Ex quo v. gr. etiam eſt, quod quibusdam in locis & ſaluberrimus ventus non æque conducat. Sic refertur ab autoribus, in Hiſpania, excepta ſola Murcia, orientalem ventum, nobis Germanis alias optimum, plerumque eſſe incommodum ac Judæis ſeptentrionalem fuiſſe infenſum. Ideo etiam ſitus montium felicitas perficitur, ſi circa mediocritatem ſubſiſtant habitabiles montes & quibus undique conceditur liber aëris atque ventorum aditus, qui valles, arenoſas aridas habent ſubjectas, ut eo nomine præſertim v. gr. celebres ſunt montes Barbariam cingentes, qui non aliis majoribus circumpoſitis ſunt præpediti, ſi meridiem verſus & occidentem eminentes montes & ſaltus editiores habent, qui frigidiorem ſiccioremque auram efficiunt & eorum impetum cohibent, intercipiunt, non transmittunt tanquam forti vallo oppoſito. Licet etiam ipſi non adeo hic noceant etiam ſi liberius appellant, quia jam temperatur immo impeditur, cohibetur multum eorum vis per ipſorum

locorum montanorum aliorumque v. gr. ſylvarum &c. conditionem atque affectiones & ſi rurſus ab oriente & ſeptentrione ſpirantes ventos frigidos & ſiccos, declivis poſitus admittit &c. Limitatur autem ea fateor & ut nihil diſſimulem, ſi montes ad auſtrum vergunt, ſi valles ſubjacent humidæ & paludoſæ, vapores frequenter & nebulas immittentes, adeoque aërem humidiorem reddentes, ſi aliquo in loco anguſtus tantum aditus pateat ventis, qui ob anguſtiam ibi loci cum impetu irruant, nimium fortiusque ferunt, turbant & exſiccant &c. Ad ulteriorem hujus rei deſcriptionem referamus locum apud DIETERICVM *in Jatreo p. m. 1412: Urbes in montibus apertioribus, quas aër ferit vehementior, ſalubriores merito habentur, ſed ſi montes montibus, collesque collibus jungantur per flexuoſa intervalla obſcurarum vallium, ſæpe mephitis exhalationum, urbes incommodat, ut inſalubriores ſunt civitatibus, quæ in declivibus vallibus ipſo in luto jacent. Appoſite hoc contentione urbium Haſſiacarum, Marpurgenſis & Gieſſenſis ex D. Dan. Horſtii manuductione poteſt monſtrari ſcribentis teſtisque eſſe poſſum; ipſe ego utrarumque urbium incola pluries infeſtatum fuiſſe montanum Marpurgum morbis peſtilentibus, quam depreſſam ſitu Gieſſam. Sæpius febricitat ſepticollis Roma quam ὀρεινὴ Heidelberga.* In hanc quoque rem non intempeſtivum hic erit referre, quod HIPPOCRATES habet *de Diæta L. II.* vicinos nempe montes ſemper efficere, ut venti ſint, illinc ſpirantes parum ſalubres, verba ſunt ſequentia: *Quibus in locis aquilones montes vergunt, in his aquilones perturbationes & morbos pariunt, ac rurſus: Quicunque venti relictis montibus ad urbes accedunt, non ſolum ſiccant, ſed etiam turbant ſpiritum, quem inſpiramus & corpora hominum morboſa faciunt.* Equidem alias communi veluti ore in ſanitatis longævitatisque atque ſtaturæ magnitudinis, conſideratione, vita in antris atque ſpeluncis præ vita in montibus magis adhuc eſt æſtimata atque prælata, quod antro Epimenidis quondam indicare voluerunt. Aſt ſi omnes conditiones ſpectare vellemus anceps adhuc judicium eſſet, cui hæc gloria potiori jure eſſet tribuenda, de quo autem jam non longius erimus ſolliciti.

§. III. Etenim depreſſa, demiſſa, declivia, humiliaque, collibus montibusque eminus magis circumſepta & concava loca multa ſcatent ſorditie, humiditates immiſſas copioſiores colligunt a vicinis affluentes & inundationibus fluminum præterlabentium inundantur, & pene ſuffocantur, pluviis ſæpe maleolentibus humectantur, paludibus fœdis confœdantur, denſis inſectorum examinibus moleſtantur, putridis exin effluviis conſpurcantur peſſime & corrumpuntur, ventorum liberum aditum & ſolis radiorum neceſſarium acceſſum & ventilationem excludunt,

unde

unde ventis vacant, exhalationes ejiciendas concludunt & retinent; unde aër humiditatibus, impuritatibus ac tepore noxio & crassitie imbuitur ac vappidus fit, adeoque insalubris, qui talem indolem corporibus quæ ambit communicat & ingerit, ac elaterem vividum fibrarum omnium infringit atque inertem reddit, unde segnior atque impeditior fit transpiratio, excrementitiæ salino-sulphureæ sordes intus retinentur, quæ pessimam sanguini & humoribus inducunt intemperiem, quæ matrem multarum earumque gravium ægritudinum, fœcundam se præbet. Et hinc morbis varii generis, pessimæ notæ, malignis, febribus intermittentibus, irregularibus, cachexia, hydrope, œdematibus in pedibus, scorbuto, asthmate variis exulcerationibus, sanguinis egestionibus debitis salutaribus per menses & hæmorrhoides imminutis, scabie, immo morborum principe peste, afficiuntur incolæ. Rursus aperta, plana, æqualis, campestris, atque pratensis regio incommoda magis ob calorem æstate majorem ægre ferendum, (quoniam aut nimis exposita est radiis solis aut illorum geminatorum & reciprocatorum repercussioni, locis ita dispositis,) virium & vitæ prædatorem, habetur. Si qui etiam venti perflant, non adeo temperant eum, aut alia ratione adeo notabile emolumentum afferunt, quia magis sunt languidi, tepidi & vaporosi. Ea propter nives non raro in montium fastigiis per æstatem citius vero colliquatas ad radices & in demissioribus locis videbis. Unde febres & morbi continui, acuti, ardentes, diarrhœæ, dysenteriæ, choleræ, iliaca passio, hæmorrhagiæ effrenes &c. ibi frequentius reperiuntur. De pratensibus regionibus speciatim bene monet experientissimus RAMAZZINVS *de Morb. artif. cap. XL.* quod eæ non satis sint salubres & varios morbos recenset eorum, qui circa prata habitant, ac legem adducit, vi cujus prohiberi possit, ne vicinus agrum suum pratum faciat, de qua lege JCti judicent. Conferatur & ZACHIAS *Q. M. L. Lib. V. Tit. IV. n. 14.* De aliis terrarum & regionum conditionibus non plura jam afferamus, in sequentibus simul forte tradendas.

§. IV. Salubritatis atque longævitatis causa est primario & proxime aër, communis ille sanitatis vitæ pariter & morborum mortisque faber, autor & dominus, cujus plena sunt omnia, plenumque corpus humanum. Huic tantum tribuit antiquitas, ob effectus præstantissimos, ut divinitatis illum nomine insigniverit eundemque Diogenes Apollinaris Deum appellare non dubitaverit. Nihil enim in tota rerum natura invenitur, quod præter animi pathemata & sic dicta venena, tam subitam tamque fortem mutationem, motibus & functionibus in corpore nostro

 efficiat,

efficiat, quam aër mutatus, quoniam & maxima ejus neceſſitas eſt, adeo, ut ne per momentum quidem eo carere poſſimus & qui omnia ambit omniaque pervagatur, etiam intimos receſſus non intactos relinquit, ſic etiam indeſinenter per adeo multos patulos poros inter reſpirandum deglutiendumque maxime etiam cum cibo & potu, quos aſſumimus, ad corporis interiora pertranſit, atque tenuia ac ſenſibus vix perceptibilia effluvia, quæ cum aëre feruntur, ac cum eo ſive conducibilia ſive noxia promiſcue etiam in intima penetralia ingeruntur, cujus rei teſtimonium addit experimentum illud, per quod ſulphur vulgare & antimonium in ſpiritum fumantem redigitur adeo penetrantem, ut argentum in ciſtis ligneis aſſervatum, undique bene obturatis & clauſis tectisque, fuſco colore imbuat, aut ſi quando mercurium inunctum, omnes partes pervadere, aut cantharides in emplaſtro in meatibus urinariis, dolores excitare experimur, quod Boyle primum eſt expertus, *Tr. de ſubtil. effluv.* Permagni ideo, (quoniam humorum motum afficit & mixturam alterat,) ad hominum ſanitatem & incolumitatem conſervandum ntereſt, quali fruantur aëre: puro, ſereno, tenui ſalubri valent diu, impuro, corrupto craſſoque minus convenienti, languent, ægrotant ac citius moriuntur. Aër vero omnium ſaluberrimus eſt, qui craſſis, vappidis, humidis, fœtidis, putridis, acribus, verbo, minus convenientibus particulis expers eſt, ſed purus, ſimplex, ſerenus, ſatis fluidus & elaſticus, temperatus bene, vel ut Hippocrates *Lib. I. de Diæt. §. 8.* loquitur, qui ignis & aquæ habet temperamentum, qui craſſiuſculum aërem in ſedatas pluvias diſſolvit, qui tenuis, ſiccus, laudabilibus effluviis, ſale quodam volatili, in quo ut ait Robertus *de fluctibus Cap. V. Lib. I. de Urom.* ſinceri deliteſcunt & reſident vivifici cœlorum influxus, turgidus atque gratis, ſuaveolentibus, ſpiritus recreantibus impr&ægnatus, frigidiuſculus, paulo gravis pauloque ſic gravis ac ſtringens, elaſticus & liber eſt. Æſtas, regnante aëre tenui, & ſereno, ſicco ac hyems frigido, gravi, elaſtico magis ſiccoque aëre prædita præ vere & autumno nebuloſo, nubiloſo, humido, pluvioſo, ſaluberrima tempora ſunt. Eo facilior ejus vis ac actio eſt, quo liberiori acceſſu ad loca conceditur, ut corpora quævis libere permeare & afficere jugiter poſſit. Ejusmodi aër intra corporis penetralia admiſſus, humoribus immixtus, imprimis reſpiratione intra pulmones receptus calore, tenuitate, gravitate, & elaſticitate, humores molliter expandit, eosque & ſimul partes ſolidas optime movet, illorum progreſſum harumque actionem adauget, ſanguinem circulantem per eas urget, propellit, promovet ad cor, tanquam fontem alioquin langueſcentem & emoritu-

rum.

rum. Atque aer juxta vim suam hanc elasticam & gravitate, qua pollet, & simplicissimo & agilissimo ætheris elemento, quod vehit, ut & multis effluviis accessoriis, quæ suo ambitu detinet & solidas, quæ filamentis sunt contextæ, quæ premi se patiuntur iterumque resistunt, magis minusque pro varia textura & structura, roboris conditione afficit ac premit, eoque elasticam & expansivam vim in sanguine quasi in æquilibrio servat, ut nisus & renisus utrarumque æquabilis sit.

§. V. Ejusmodi, qui nimirum allatas jam possidet dotes, præ aliis est aer montanus & ideo totus vitalis, aerem benignum semper recentans & sic volatilisationem cruoris humani summopere juvans. Quoniam enim montes & loca, urbes, oppida, pagi, ædificia quæ iis sunt superadstructa vel in summitatibus atque jugis illorum, vel ad latera sæpius atque & circa eos locata eminentiorem obtinent situm, a terrarum colluvie recedentem, per quem aeris liber accessus ad ea, nullo interjecto obstaculo patet, meat ac permeat ea, ac afflat. His enim in locis lenis semper, sæpius validus spirat ventus, qualem etiam ordinario loca maritima præsertim Anglia sentiunt, qui atmosphæram optime ventilat, & effluvia impura & nociva forte eo delata, agitantur, ventilantur, disjiciuntur ac extruduntur. Per eundem & temperatus bene minus deprædatorius, qui omnibus convenit, ibi aer est apte gravis atque non nimis calidus verno alias tempori similis; siquidem & æstuosa æstate ipsa aëris ventilatione fervor svaviter lenitur & adhuc copiosis etesiis aliisque a liquefacta copiosa nive refrigerantibus gaudet, qui immodice æstuantibus solatio ac refrigerio sunt; Aprica etiam sunt, ut sol illustrare ea ac motu suo aërem movere magis possit, is purpurante statim aurora & vesperascente cœlo bis de die lustrat ea, quæ præ aliis patent tota, aëremque mox nunc tepidum reddit, nunc fuligines dissipat nocturnas. Purus hinc est, serenus, siccus, sudus & tenuis, elasticus. Ea enim montium conditio est, ut pro vario positu situque utilissimam illam aëris commotionem nunc producant iidem nunc augeant nunc omnino repellant atque ab eorum vi forte nociva, qui subjacent loca, defendant atque vel sola umbra obtegant simulque a caloris nimio, magno sanitatis & longævitatis emolumento, præmuniant. Pluvia quidem debite & frequenter rigantur loca montana, sed ea non remanet diutius, & defluit. Frequentius rore recreantur, in quo saccharum dulcissimum & occultum optimum vitæ cibum & naturæ nostræ gratissimum latere dixit HELMONTIVS *Tr. imag. ferm. p. 33.* Is ut legere est *Oper. p. 743.* de se ipso scribit quod aliquando uno mane in Alpibus tantam suavitatem

aëris inspirati sentierit, quem ante vel post tota vita nunquam. Effluvia crassa, graviora ob ponderositatem & humida, palustria, fœtentia, putrida, contagiosa, adeoque nociva, rarissime ruunt in altum atque eo usque non facile ascendunt, neque etiam cum aliis, qui in superiori magis aëris regione, volitant, connubium possunt inire, sique quædam adscendunt per motum aëris liberiorem ac fortiorem omnia dissipantur, ut non diu inhærere possint, hinc & pestis aliique morbi contagiosi non facile ad elata loca perveniunt. Datur enim certis finibus (nempe usque dum ad illam propulsa sint aëris regionem, quæ cum iisdem æquali gaudeat gravitate) tantum coercitum eorum pondus & motus, ut ultra non ferantur, quemadmodum videmus fumum in auras ascendentem sensim evanescere; aëris enim superioris major moles incumbit & inferiorem aërem coarctat, & si hanc rem exacta æstimatione metimur, comperimus, vapores singulos vix ultra dimidium milliare germanicum ascendere; quamvis alii perhibeant eos ad quatuor (milliaria) in altum ruere. Hinc in maximis & summis montium quorundam jugis, ut de Olympo Thessaliæ, multi cum Aristotele, alii de aliis, ut Atho Macedoniæ, Atlante Africæ, Pico Tenarrissæ, Monte Veneris in agro Patavino, Periacaco Americæ, &c. narrant, ob nimiam aëris tenuitatem, subtilitatem & siccitatem, quæ neque ad respirationem animalium (quatenus cellulas pulmonales non satis expandit, sed hinc inde collapsas eas relinquit molesto anhelitu, trajectione per eos sic impedita) neque ad sanitatem & vitam apta est, æquilibrio sublato aereo, sive æquali, aeris resistentia spiritum trahere adscendentes nequeunt, nisi humidas spongias ante os teneant. Historiæ referunt, per excelsa aliquorum Americæ montium cacumina peregrinantes, repente una cum equis, ob hanc causam exspirasse, si fides habenda; ego quidem adeo exsiccatum ac tenuem aerem etiam in excelsissimis montium cacuminibus nondum mihi concipere possum, ut partibus ad vitam sustendandam dicatis prorsus careat, quamvis lubens concedam, quod ibi venti ac imbres nulli observentur. Hoc eo facilius mihi patior persuaderi, quod expertus est Josephus a Costa, qui, referente Boyleo *Nov. Exper. Phys. Mechan. p. m. 137.* Tenarissæ montis apices, altos Peruviæ montes illorumque imo totius terrarum orbis editissimum Pericacum, transiens, una cum sociis vomitu violento & sanguineo est correptus, nonnisi iterum aeris mutatione compescendo, qui tamen spongiis madidis non opus habuit, sed sine iis hos altissimos montes ascendendo superavit. De Madrito idem referunt, ibi adeo subtilem & tenuem esse aerem, sanitati & vitæ incolarum nocentem,

tem, ut, ad corrigendum hunc & craſſiorem reddendum, varias fœculentias craſſas in plateas conjiciendi, ſummo ſtatim mane, neceſſe habeant, quæ vero a meridie exſiccantur immo abſumuntur in halitus atomosque reſolutæ. Ubi enim levior juſto aer eſt, improportionatus animalibus eſt, ſiquidem æther ſe expandit nimium, neceſſaria preſſione ab extra negata, in ſuperficie corporum, unde internus aer majori niſu ac vi ſeſe expandit, vaſa ampliat ſimulque renitentiam debitam eorum notabiliter minuit & ſanguinem, humores & ſpiritus præter modum rarefacit, ex qua rarefactione atque expanſione non modo cutis intumeſcit rubet ac humeſcit ſed & vaſa præter modum diſtenduntur & disrumpuntur, ut contenti liquores proſiliant, Hinc ejusmodi varii morbi & ſymptomata proveniunt, hæmorrhagiæ, hæmoptyſes, febres continuæ, ardentes, ſcorbutus calidus, quem vocant (ob ſalia in ſanguine hærentia ab efferato æthere acuata) dolores variarum partium capitis, imprimis (ob diſtenta ſubtilia vaſa dentium, artuum epilepſia, (ex acrimoniæ volatilis in ſubtilisſimas & ſumme ſenſibiles nerveas, fibras & nervos impetu irruente & vellicatione.) convulſiones, vertigo, vigiliæ involuntariæ, ſyncope, cholera, inflammationes, bubones, carbunculi, ſudores colliquativi, diarrhœæ, dyſenteriæ, exanthemata cutis, petechiæ aliaque plura ejusmodi mala. Nec ut ad prius pauliſper iterum redeamus, loca elata, a præterfluentibus fluviis aquarum inundationes adeo nocivas, putridas atque malignas ejusmodi partes, vermium copioſisſimum proventum ac inſectorum denſam colluviem &c. uberrime atmoſphæræ ingerentes, patiuntur. Cum & frigidior in locis montoſis ſemper ſit aer, elaſticus magis eſt, quod jam ad liquidum ſatis perductum exiſtimamus; cumque per eluitionem validiorem ex alto aquarum loca ſubjacentia non modo repurgata atque nitida, ſed & ſicciora adeoque ſalubriora reddantur. Vel ex his jam liquido conſtat, ejusmodi aerem omnes in corpore actiones integras conſervare atque augere, i. e. ſanitatem & ſalubritatem corpori & integritatem menti, ſua ſalubritate impertiri; vitia vero contracta emendare, ſic LEONH. FIOROVANTVS *II. P. Aphoriſm.* notat, quod læſiones atque ulcera crurum montoſis in locis facilius citiusque ſanentur, quam in planis atque campeſtribus ob frigidiusculum ac ſicciorem aerem. Nec vana hinc ratione exiſtimant, qui vel conjectura JOSEPHI. *Antiquit. Jud. I. Cap. V.* ducti, homines a diluvio primum regiones elatas atque montanas, tam ob commoditatem & amœnitatem quam ſalubritatem inhabitaſſe, usque dum eorum multitudine aucta circumjecta demiſſa loca quærenda adacti fuerint ob eandem ra-

tionem

tionem notatur ut PLVTARCHVS habet *Quæst. Roman. p. m. 216* templa olim non nisi locis excelsis quibus luci erant juncti, majoris salubritatis orantium causa, fuisse exstructa. Illustris BACO de VERVLAMIO *Hist. Vit. & mort. p. 536.* hinc proximam vitæ longævæ in antris atque speluncis vitam, in montibus merito ponit.

§. VI. Plures montosis in locis dantur causæ salubres, quæ partim ipsam aeris salubritatem augent, partim alio modo reliquas salubris diætæ partes explent atque constituunt. Rectissime RHASIS monuit *L. I. de Reg. princ. C. II.* nihil esse præter aeris puritatem magis pertinens ad sanitatem, aquarum salubritate. Proxima itaque modo aquæ, quæ in montosis tractibus per tot mæandros & canales occultorum fluviorum scaturit, provolvitur, manat atque hauritur, consideratio fit, quæ & facile in aerem transit evecta atque resoluta, ac ad potum & cibum incoquendum adhibetur, quam & quotidie assumimus & cujus usus ad nutritionem, sanitatem ac vitam conservandam adeo necessarius est, quoniam per eam intime varia ac diversa sanguinem & nutritionem constituentia corpuscula miscentur, nec non modo nutritionis, augmentationis, sed & excretionis omnis, utilissimum negotium instituitur atque omnis humorum motus vitalis perficitur; quare interest multum, qualis sit ea. Hæc ex fontibus ipsis & scaturiginibu,s quarum aquas, quas montes acceperunt, prius transcolatas, temperatas, depuratas (quo diutius enim & longius atque profundius per puræ magis terræ poros ejusdemque ingenti pervagatæ tractu, descendunt, & a particulis fixioribus, crassioribus, limosis mediante filtratione, liberantur & defæcantur, eo puriores redduntur) & bene quasi digestas & coctas motuque celeri ac valido, per silices arenam puram, saxa rupesque provolutas præcipitesque actas atque allisas adeoque attenuatas levesque reddunt & tribuunt quæ aliis tribuunt, ut dicitur, melius dulciusque hauritur. Hæ enim ibi copiosissimæ sunt & confluunt, ut rudimenta & incrementa unice dent ac addant largissime, quæ deinceps satis sunt multas amplissimas regiones easque dissitas irrigando. Ejusmodi rei testimonium jam affert ORIBASIVS *Lib. Collect. Mat. Cap. VIII.* sequentibus verbis: *Colles & montes, ad bonas aquas eructandas, potiores sunt humiliore & planiore solo, nam & puriores, & tenuiores dulcedineque suaviores aquas emittunt.* Hæc certe optimas notas, quæ alias requiruntur, possidet uberrime, aqua montana, v. g. cito calefit, cito evaporatur, solis aut ignis calore citoque refrigeratur &c. Ex locis altis, saxosis, glareosis magna promanans in copia, liberiori aeri exposita manet & eximias dotes secum affert hominibusque offert gratis ad usum.

Hæ

Hæ pellucidæ, gelidæ, leves, tenues, subtiles, dulces, claræ, limpidæ, crystallinæ, argenteæ (ut Apulejus effert) & vel in media æstate gelidæ, visui gustuique pariter gratæ, amoeno fluctu prorumpentes undæ, non possunt esse non laudabiles, quibus meliores & jucundiores Cydnus, Melas, Hales, Gorthynius, Choaspes Susam præterfluens Conf. HERODOTVS *Lib. I. Cap. CXXXIIX. p. 76.* Eulæus, Alpheus adeo ob id decantati fluvii vid. PLIN. *Lib. VI. C. XXVII. L. XXXI. C. II.* SOLINVS *L. LI.* aut aquæductus ex Tiburtinis montibus in urbem Romam aquas Marcias dictas Conf. TIBVLLVS *Lib. III. Eleg. VI. v. 58.* S. JVL. FRONTINVS *de Aquæduct. Rom.* & JOH. POLENI *in eum Comment. p. 152.* ut & RAPHAEL FABRETTVS *de Aquis & Aquæduct. Veteris Romæ Diss. II. p. 109.* vix vehant, atque aquæ destillatæ alias chemica arte aut pluviali, quæ secundum Hippocratis testimonium lib. de aere, aquis & locis, optima ob dulcedinem, levitatem subtilitatem & putritatem, est æquiparandæ. Etenim aquæ de terra quam perfluunt indolem & gustum assumunt & referunt. Ejusmodi aqua adhibita maximopere refocillat ac recreat, nullos in ventre flatus & tormina excitat, ventriculum magnis haustibus etiam pota non gravat & debilitat, facile per omnes vias distribuitur atque per vasa lactea in massam sanguineam & per minutissima etiam vascula transit, transpirationem & urinam provocat, alvum lubricat, appetitum excitat, bene digerit & dividit, solvit etiam in subtilissimis canaliculis hærentes humores, qui impedimento sunt, pituitosos, lentos, crassos, obstruentes aut constringentes & acres vellicantes temperat ac edulcorat eosque per sua emunctoria simul educit, facile transit & calculum imprimis & arthritidem, lienum intumescentias, passionem hypochondriacam & iliacam imprimis præcavet. Si dein in integros fluvios confluunt, (siquidem omnes fere majores amnes ex magnis montium jugeribus ortum suum trahunt Albis, Nissa ex monte Giganteo, Rhenus ex Alpibus, ex Suevicis jugis Danubius, ex Pinifero M. Moenus, Egra, Sala, Nabus &c.) ac exinde colliguntur rivuli atque torrentes, qui vel in media æstate non tepescunt ac media hyeme non conglaciantur, aërem & atmosphæram, undarum motu excitato, ex præcipiti, per arenarias vias profluentes saxeosque scopulos alluentes, agitant, placido & leni vento exinde enato. Eæ vero undæ, quæ per campestres & planas, lutosas terras manant, lento gradu procedunt, aquam trahunt turbidam, impuram, salsam, crassam & male olentem. Quemadmodum etiam aquæ ex vivis montium fontibus fluentes fortiori cursu actæ prolabentes molarum fortius movent rotas, quam quæ lentæ, constrictæ quasi paludibus

& impuritate cœnosaque putredine impeditæ difficilius moventur difficiliusque movent. Audiamus de his CARDANVM *L. III. contrad. Flumina velociter currentia aërem attenuant faciuntque corpora tenuia, macilenta, mobilia &c. cœnosa vero & quæ tarde moventur, ut Phasis & Padus, corpora minus valida reddunt & sana. Quoniam aër aquarum attenuatis & sursum elatis vaporibus alitur atque augetur & humectatur, infrigidatur atque sic ardentissimus solis æstus æstate temperatur commode simul alia peregrina effluvia & noxia, acria maligna figuntur, immutantur, dejiciuntur & sic atmosphæra quoque depuratur in magnum emolumentum movent, ventilant atque attenuant egregie.* Præter harum aquarum salubrium dotes, quæ in potu, ut & dein in cerevisiis ex illis paratis atque in coctis cibis ut & parandis medicaminibus præbentur, & hæc est, quod in victu concedant pisces omnium saluberrimos saxatiles ob carnem sapidissimam, suaviorem, firmiorem, duriusculam, minus viscidam quam afferunt cocti, truttæ, funduli &c. qui in locis saltem montosis habentur, siquidem & alii, v. g. lucii, carpiones, percæ &c. quæ in his aquis capiuntur, ob id præferendi sunt iis, qui in piscinis, stagnis, fluminibus cœnosis, tepidis, turbidis, quæ in planis regionibus & humidis utplurimum visuntur, sunt enutriti, hi enim præbent nutrimentum magis viscidum & crassum. Hoc GALENVS testatur *III. de Aliment. Cap. XXX.* In Tyberi pisces pravos ali: Quemadmodum enim ubi lucidior est & purior aër, ibidem homines & cætera animantia, inculpata magis valetudine fruuntur, pari quoque ratione, quo aqua purior erit ac melior, eo pisces suaviores magisque probati erunt. Idem dicendum de fluviatilibus cancris, qui delicatissimi ibi sunt, quos vel Aesopus vid BODINVS *in Theatro n. 1. pag. 3.* meliores non optaret sibi. Illustrat hæc WILH. PISO *Hist. N. & Med. Brasil. L. I.* longævitatis & incolumitatis causas aquæ adscribens sequentibus: *Dum aër, olera, fructus, animalium carnes, aquarum naturam sequuntur, per continuam generationem eo deveniunt, ut hominum temperies fere sit qualis aquarum.* Verbo: aqua ex montibus scaturiens amnibus aliis præferenda.

§. VII. Juxta aquas, quæ, sive ex communibus ubique fontibus & puteis hauriuntur, sive ex scaturiginibus per torrentes & rivulos promanant; aliæ quoque singulares aquariæ dotes hinc inde montosis in tractibus, magno Dei T. O. M. beneficio, innumeræ non raro reperiuntur, quæ licet simplicem aquam referant, singulari tamen tenuitate, spirituositate, puritate & claritate se commendant. Hinc tales in vitrum aquæ effusæ, bullulas multas emittunt. Rursus alibi prosiliunt fontes salutares, qui notabiliori magis vi medicata, majorive ingredientium

numero & pondere præditi, ut vitrioli, ſulphuris, aluminis, ſalis &c. hominum infirmitatibus medentur; quales aliquot recenſentur in Sileſia reperiundi in *diſſertatione Præſidis de Sileſiæ ſalubritate §. 13.* alios alibi plures ejusmodi in locis invenies. Notiores acidulæ ſunt, ex quibus in noſtris regionibus celebritatem imprimis acquiſiverunt, Schwalbacenſes, Egranæ, Selzenſes, Tincſteinenſes, Wildungenſes, Pyrmontanæ, Spaadanæ, in Sileſia in Pago Altwaſſer ut & Giren, Tauhauſen, profluentes &c. quibus etiam accenſetur fons in vicinia noſtra Lauchſtetenſis. Ejusmodi in variis tractibus montoſis ex ſuperfluo Dei beneficio, numeroſi maxime habentur, quæ vero, ob eorum frequentiam & multitudinem, vix æſtimantur, ſiquidem in genere hoc tenendum eſt: dato aliquo in loco uno fonte tali, aut acidulas aut thermalem aquam concedente, circa hanc regionem dari quoque alios multos ſimiles, licet quandoque viribus inferiores. Sic circa thermas Carolinas ſpatio V. milliarium plus quam CC. fontes aciduli numerantur, licet vel incolis ſaltem III. vel IV. noti ſint, qui in uſum vocantur. Notiſſimi ſunt thermales fontes, quales in Germania noſtra celebratiſſimi ſunt Carolini, Teplicenſes, Hirſchbergenſes, Emſenſes, quos præſertim non immerito cum GREG. NAZIANZENO *Dei gratuita munera appellaveris pauperibus æque ac divitibus libera, qui omnem artem humanam in ſanandis morbis longe ſuperant*, Divina plane præſtantes. Sunt vero iſti officina, quibus alma natura ipſa medicinam facit, & artis ſuæ majeſtatem infinitis miraculis confirmat, quanta beneficia iſtis aquis, putas, debemus? abdito tam ſtupendo naturæ miraculo. Hi omnes ſalutares fontes ex montoſis locis proveniunt, adeo vix tales in planis reperies.

§. VIII. Aeſtimato aere & aqua, in ejusmodi ſcrutinio utique & terræ obſervatio neceſſaria eſt, quia exterior ejus cortex variis exhalationibus impræ gnatus, ſuccisque diverſis diſtemperatus ſic ambos afficit, atque de indole propria participes, facit. Mirum ſane eſt, quam multifaria atque diverſa natura atque indoles ſoli & terræ ſit, quod ex odore, colore, conſiſtentia, textura, poroſitate, raritate, craſſitie & ex multis experimentis in deſtillatione aliisque chymiæ proceſſibus ac mechanicis laboribus obviis probari poteſt & in ipſis vegetabilibus, quæ nutrit, ſe exerit. Terra vero montoſis in locis, quoniam hi vertices, ſolis radiis ventisque expoſiti ſunt exſiccantibus, imbres percolat, transmittit, atque tantum intra ſe ſucci vice continet eos, utplurimum, ſicca, macra, arenoſa, ſaxoſa, ſabuloſa & argilloſa, rariſſime lutoſa & viſcida; nunquam vero humida præter modum eſt. Hu-

miditates enim omnes defluunt & in locis declivibus, humilioribus & planis, bibulis, potius colliguntur. Quinimo differentia vel odore colligi poteſt. Recens enim gleba eruta ex terra montana, odorem ſuavem acidulum reficientem & confortantem, cujus commendatio magna apud BAGLIVIVM in *Op. p. 387.* & FERRAND IMPERAT. *Hiſt. Nat. Lib. XIIX. p. 289.* extat; naribus admota, ſpirat, de quo etiam Aegyptiaca humus imprimis commendatur. vid. ORIBASIVS *Collect. C. XVII.* confer. & BACO DE VERVLAMIO *H. N. cent. X. pag. 954*, ex terra vero pinguiori, molliori & uliginoſa, qualis eſt pratenſis atque campeſtris deſumtum fruſtulum terræ, gravem atque adverſum magis redolet odorem. Hyeme ſpeciatim ſolum montanum diuturnibus nivibus eſt opertum quæ velut pelles, calorem ejus fovent ac quaſi fermentant fertilitatemque promovent. Nec nebulis ideo craſſis perpetuisque obnubilatur, tegitur atque ſenſibiliter male afficitur. Nec ſilenda hic ſunt, quæ ex terra eruuntur, inter quæ juxta metalla terras ſigillatas ſalia, quibus ſecundum illud tritum: ſole & ſale nihil utilius, ſaltem adduxiſſe ſufficiat.

§. IX. Cum & inter ſigna regionis præſtantiam declarantia ſit illud, ſi ſata in copia, eaque majora proveniant ſique boni ſaporis ſint, diuque durent, atque herbæ ibidem plures, boni odoris & abſint venenatæ & tetri odoris plantæ, ſi fructus magni, ſuaves & minime corruptioni obnoxii ſuccreſcant, iam de herbis, plantis, oleribus, fruticibus & arboribus, floribus, fructibus, vinis &c. omnis generis laudatiſſimis, quos humus montana profert, quosque planities non oſtendit quique meliores præſtantiores præ aliis cenſentur ſeorſim mentio fiat atque laudatio, præ aliis modo commonefaciendo, aerem montanum utpote purum, ſubtilem & vegetum cum ſucco vegetabilium nutritio ex terra ejusmodi quam optimam jam nominavimus, proveniente, adeoque per ſe etiam bono ac bene digeſto, ſe intime miſcere atque inſinuare, ipſique majorem ſubtilitatem atque energiam conciliare eaque magis ſalubria reddere. Conf. modo laudatus FERRANDVS IMPERATVS *Hiſt. Nat. Lib. VIII. Cap. XII. p. 284.* LEV. LEMNIVS in *O. N. M. P. II. Lib. VI. Cap. XIX.* ut alios taceam, qui de ejusmodi rebus teſtantur. Sic e. gr. Senna quæ in Britannia ſuccreſcit Alexandrinæ admodum diſſimilis eſt; ſicque montium Helvetiæ juga quædam vinum exhibent ad Hiſpanici naturam accedens ſed capiti vehementer infeſtum, cum montium iſtorum viſcera ſulphure abundent. vid. ROB. BOYLE *in Tent. phyſiol. p. m. 33.* Atque quemadmodum ordinario montoſa vallibus interdiſtincta loca opacarum ſylvarum admodum feracia ſunt, quoniam alimenti copiam habent uberri-

mam

mam, quod ex aquarum ſcaturiginibus, imbrium frequentia, & nivium ubertate ſenſim liqueſcentium atque defluentium, per poros terræ hinc inde adducitur, ita patet imprimis, eam non abundare modo, ſed & eſſe prodigam, ut plurimum herbis, plantis fruticibus, arboribus gummoſis, reſinoſis, balſamicis, antiſcorbuticis, quales ſunt abies imprimis, fagus, pinus, betula, Cedrus, larix, cornus, carpinus, caſtanea, aquifolia, quæ loca præſertim montana & ſiccas arenoſasque amant terras, quod ſalutare principium nec bruma ſæviens vix poteſt auferre, unde & hyeme illud poſſidentes comam alunt, nec diverſo colore eam mutant, ſed perpetua viriditate ſuperbiunt eæque magis piceæ & reſinoſæ ſunt quæ in montoſis locis ſuccreſcunt. Hæ arbores etiam præter ordinario effluvia vernali interdum tempore pulverem ſulphureum, citrinum proficuum fumant, ut pluvia mixtus, pluviam ſulphuream referat, aut terra lutea pluiſſe videatur. De quo alias videndus KRVGNERVS im *Chymiſchen Tannen-Baum.* AGRICOLA *Lib. de Ort. Subterr. Lib. V. p. 552.* Clariſſ. J. J. SCHEVCHZERVS *Meteorol. & Oryctographia Helvet. p. 14.* Hæc quando commentor verba PLINII, quæ habet in *Præfat. Libri XXIV* mihi ſuccurrunt: *Ne ſilvæ quidem horridiorque naturæ facies medicinis cavet, ſacra illa parente rerum omnium nusquam non remedia diſponere homini ut medicina fieret etiam ſolitudo ipſa.* Hæ cum aliis fruticibus, ſambuco, acacia, junipero, herbis, ut beccabunga, naſturtio aquatico &c. plantis, fructibus, floribus odoriferis & aromaticis, non modo aſpectu jucundis & optime coloratis, beneque tinctis, graminibusque bene virentibus, (a quorum egregio colore indicium ſalubrioris quoque regionis deſumſit ORIBASIVS *IX. Collect. C. XVII.*) ſuaviter fragrantibus, maximaque penetrantia præditis, angelica, ſerpillo, origano, carvo, hormino, liliis convall. pulegio, polio montano, caryophyllo montano, chamæd. millefol. tanaceto, ſtœch. citrina viola &c. quorum ibi magnus eſt proventus, quam vel Colchidis regiones, Hammoniusque ſaltus majorem monſtrarent, juxta comam illam lapidibus adhærentem, moſchi & violarum odorem fragrantem referentem, (quales lapides hinc inde montoſis in copia inveniuntur, ut & de Sileſiæ ejusmodi oris nobis conſtat,) ad valetudinem tuendam, ſaltem in ipſo loco natali ſuccreſcentia ac radices figentia, proficua vegetabilia ſunt, quoniam effluvia continuo grata, ſuaveolentia, ſalubria, energetica, aeri immittunt, atmoſphæramque replent & meliorem reddunt, attenuant &c. atque animalibus, quæ ſpiritibus robur addunt, blandum maſſæ ſanguineæ, motum concitant, viſciditatem corrigunt, incidunt, attenuant, ſpirituaſcentiam promovent, ut

ſic in cerebro, volatiles particulæ, majori in copia poſſint ſecerni. Ob hæc etiam pura & ſuavia effluvia, quæ hauriunt ruricolæ, imprimis saniores, vegetiores & longæviores ſunt, iis qui civitates civibus frequentes inhabitant, Confer. Wvrdigivs *de Mod. ſp. C.* Hoc nomine præ cæteris Campania, Delphinatus, atque India Orientalis, celebratiſſimæ regiones ſunt, ut & ſpeciatim floriferus omniumque deliciarum plenus mons Nalban in Perſia. Ob hanc florum fragrantiam ægros ad Tabianum montem ideo commendabilem miſit Galenvs vid. *I. Method. 12. Nam dicit: quoniam ſponte per agros naſcuntur, & agreſtis lotus, bulbus, & hedera, & cythius, aliique his ſimiles frutices.* Hæc vegetabilia omnia montoſis in locis creſcentia, ordinario longe præſtantiora ſunt, ut ſcite aſſerit & rationes addendo fuſe explicat, multus in hoc argumento diligens & acris rerum naturalium Cenſor. J. J. Schevchzervs *in den Natur-Geſchichten des Schweitzer-Landes P. I. p. 64.* plantas in Helvetia majores poſſidere vires, iis, in Germania, Italia, Gallia, Belgio, Anglia provenientibus. Hic referatur etiam, in locis montoſis, altis, ſiccis, rarius quam in locis planis, humidis, pinguibus, tempore imprimis vernali, (quod ut plurimum effluviorum malorum & heterogeneorum eſt ferax,) accedente ſubito ſolari æſtu, frequenter evolvi effluvia putrida, rore cauſtico, & vermiculoſo, fruges, herbas, plantas, & arbores inficientia earumque non modo frondes, folia, flores, gemmas, fructus, ſtemmatumque ipſorum fibras & tubulos erodentia, intimius ſe inſinuando, ut marceſcant & pereant, efficiunt, quod vitium rorationem carbunculationem, vermiculationem vocant. Vegetabilia ejusmodi malis tacta ab hominibus animalibusque in cibis aſſumta, cardialgias enormes, tormina ventris atrocia, faucium inflammationes, febres acutas malique moris, dyſenteriam, & morbos alios malignos procreant. Taceamus de aliis ſalutaribus montium dotibus, inter quas, non in poſtremis eſt vinorum præſtantia, quæ, quo montes & vineæ in quibus creſcunt vites, ſalubriori aëri amicæ altiores, apricæ, ſabuloſæ, ſaxoſæ, aridæ ſunt, eo magis æſtimantur. Nec longius adducamus ea, ad victum quoque pertinentia, & quæ domi ipſis naſcuntur, vitæ & ſanitati admodum proficua, & familiaria monticolis opſonia, lac & præſertim caprinum quod copioſum ita quoque optimum in montoſis tractibus habetur, & lacticinia veteribus jam ſanitati conducibilia habita, unde Ovidivs *Faſt. L. IV. v. 36.*

Lacte mero, veteres uſi, memorantur, & herbis
Sponte ſua, ſi quas terra, ferebat, ait.

Succus betulæ & ſerum lactis caprini pro potu fere ordinario ſunt. Sic

Valva-

VALVASOR *in Gloria Carniol. P. I. L. III. p. 254.* adducit, in Carniola (regione montoſa) incolas potum ordinarium admodum ſalubrem ex baccis juniperi præparare. Neque denuo recenſeamus eximiam virtutem, quæ ex terris maxime montoſis effodiuntur, ut ſunt lithanthraces, terræ medicamentoſæ, ſigillatæ, &c. De hac ſoli bonitate Helicon, Bœotiæ mons, maxime a Pauſania in Bœoticis laudatur, quod ibi omnia hominibus ſalutifera ſint, ut & ſerpentum virus infirmetur, atque adeo, ut ſi quem ſerpens momorderit, is ubi aliquod ejusmodi ad id medicamentum nanciſci potuerit, facile periculo liberaretur.

§. X. In ſpecie tamen hic adhuc dicamus, collinis ac montoſis in tractibus omnis generis frumenta provenientia, ſi in granariis ad futurum uſum reponantur ac aſſerventur, non adeo facile ac adeo cito ſitum contrahere, corrumpi & excedi a vermibus, atque ſi liquores exinde parentur, eos non adeo citius aceſcere ac ſubtiliorem dare pollinem, ſubtilioremque & leviorem (adeoque digeſtioni magis conducibilem panem,) iis, quæ in locis planis, declivibus, humidis, paludoſis creſcunt. Ex qua corruptione ſalia & ſulphura peregrina, cauſtica, vaporoſa, ſubtilia, volatilia contrahuntur, quæ ſua virulentia nocent. Nec ibi facile inveniuntur zizaniæ illæ, veteribus jam cognitæ & deſcriptæ, ut ex THEOPHRASTI ERESII *Hiſtor. plantar. Lib. VIII. Cap. V.* GALENI de *Aliment. facult. Lib. I. Cap. ult.* aliisque colligere eſt, quæ ſubinde inter avenam, hordeum, triticum & ſecale frumentum nec una ſaltem ſpecie ſuccreſcere ſolent, & quæ in locis planis & humidis frequentiſſime ſuccreſcunt, & de quibus Scotiæ Sabaudiæque incolæ maxime & præ aliis conqueruntur, ut lolium temulentum a Caſpare Hoffmanno nominatum, & gramen loliaceum a RAIO *Hiſt. Plant. Lib. XXII.* deſcriptum, & ſecale corniculare nigrum dictum. Arva plana, humilia & humida horum zizaniæ generum proventu adeo infelicia ſunt, ut compertum ſit, ſi ſementum fecerint agricolæ tempore imbrifero triticum maxima ex parte in ea degeneraſſe, ſed & eadem ſemina terræ ſicciori acclivi, atque montanæ temporeque non nimis humido commiſſa, in triticum rediiſſe. Hæc non modo minuendo frugum proventum ruricolis deteſtabilia ſunt, verum etiam ſanitati & vitæ hominum admodum adverſa atque nociva, ob ſulphur enim quoddam craſſum, quod poſſident, impurum, vaporoſum & narcoticum quoque vim narcoticam poſſident, & venenatæ prorſus, & cauſticæ & vaporoſæ indolis ſunt, ut etiam alia ejusmodi narcotica & viroſa, vegetabilia, hyoſcyamum, ſolanum furioſum datura, opium &c. de quibus exempla varia a J. D. WEPFERO in *hiſtor.*

cicut.

cicut. aquat. petantur, quæ manducata præsertim calida quovis modo assumta, cum chylo in succum quoque & sanguinem mutata atque invecta, nobilissimas corporis humani partes, nervos præsertim atque spiritus animales aggrediuntur ac lædunt, tonum illorum destruunt &c. functionesque illarum mire perturbant, pessimaque symtomata inducunt. Ex quorum uberiori miscela, si cum genuino frumento in cibis misceantur aut cerevisias (quæ pergrati quidem coloris & saporis & fortiores exinde fiunt) simul & panes ingrediantur, mox ab assumtione, nauseam, vomitum, cephalalgias vehementes, balbutiem & loquelæ totalem abolitionem, vertigines, torpores, tremores, stupores, sopores, temulentiam, (temulentum lolium ideo dictum) & non raro deliria, spasmos, convulsiones, contracturas atque incedendi brachiaque movendi impotentiam, colicas passiones, epilepsias, præcordiorum angustias, cardialgias, inquietudines, vigilias, singultus, frigidos sudores, animi deliquia, diarrhœas, dysenterias, choleram, externe ulcera maculas, & tubercula ardentia aliaque prava symptomata excitant eaque sanatu difficilia, quales observationes invenies apud GALENVM *Lib. I. de aliment. Facult. c. XXXVII.* in *Miscell. N. C. D. II. A. VIII. obs. 173. A. III. obs. 186. an. IX. & X. obs. 93. p. 171. & Append. An. 1712. p. 48. seq.* & apud SCHOCKIVM *de Cerevisiis cap. XIX.* SCHENCKIVM *obs. med. Lib. VII. p. 133. de ven. ex plant. observ. 4. p. 880.* ZACVT. LVSIT. *de P. med. Hist. Lib. V. Hist. 21. fol. 871.* J. WIERVM *de præst. dæm. Lib. III. c. XIIX.* THEOPHRASTVM *Lib. VIII. H. P. c. V.* VALENTINI in *diss. de Novell. publ. usu & abusu in reb. phys. & med.* Præsertim semen hujus lolii manducatum visum lædere & lusciosos reddere dicitur, hinc servus apud PLAVTVM *Mil. glor. A. II. Sc. III.* alterum sic cavillatur:

Mirum est lolio victitare te tam vili tritico
Quid jam? quia lusciosus.

Et OVIDIVS *Lib. I. Fast. v. 691.* testimonium affert his:

Et caveant loliis oculos vitiantibus agri.

Nec ignota sunt ea proverbia, quibus lolio victitare dicuntur, qui aut hebetiori visu laborant, aut socordes, temulenti ac somnolenti subinde sunt. Imo observatum est, quod exinde atque adeo epidemica mala, pericula gravissima & maligna varia deinceps symptomata producta sint, quales morbi endemii & epidemici quondam Hassiam universam graviter afflixerunt, quos Inclyta *Facult. Med. Marpurg. 1597.* descripsit. Iisdem

dem caufis a doctis hominibus adfcripti funt morbi populariter graffantes, qui fuperiori feculo Varifcorum tractum, Lufatiam & Mifniam pervagati funt. Confer. *Ephem. N. C. Dec. III. A. VI. obf. 234. & Cent. V. obf. 82.* Atque armenta jumentaque non poffunt hoc nocivum vegetabile perferre, de quo ridicula hiftoria fuccurrit, quæ legitur in *Eph. G. N. C. D. II. an. 3. Obferv. 186.* ibi eam refert DN. IOHANN. IACOB. WAGNERVS his verbis: In mentem hoc mihi tunc revocabat lepidam hiftoriam, quam prope Tigurum A. 1342. contigiffe apud F. Joannem Victoduranum, Minoritam σύγχρονον legi, cujus αὐτόγραφον in Bibliotheca Tigurinorum Civica affervatur, quam hunc in modum vapulante licet Prifciano in Hiftoria fua recenfet: *In villa quadam apud Thuregum equus quidam tantum de lolio commedit, quod a Domino fuo putatus mortuus extra villam vectus fuit & excoriatus, qui tandem poft fomni confummationem evigilans, domum rediit & Domino & aliis hominibus, eum cernentibus, fluporem incuffit.* Plura qui de ifto lolio infelici legere cupit, legat Differt. Clariff. D. D. R. I. CAMERARII *de Lolio temulento infcriptam Tubingæ.* Hinc jam probe monet GALENVS *Lib. I. de alimentor. facult. c. XXXVII.* hortaturque eos, qui faluti publicæ præfunt & rei frumentariæ provident, atque molitores, piftoresque, ut frumenta prius ejusmodi nociva & deleteria fedulo feligant, cribrisque feparent. Quod falutiferum confilium fit omnibus merito commendatiffimum. Attamen (ut obiter faltem hoc addam) œconomi & hoc ipfum temulentum lolium in fuum quoque ufum convertere norunt, fiquidem, præterquam quod non fuibus noceat, fpeciatim gallinaceo generi in optimum alimentum venit, & illo molito ac pifto paratur pafta faginandis caponibus & gallis Indicis aptiffima ac idonea, a qua mire impinguefcent, quamvis ab hoc paftu per totum diem in foporem quafi deducantur. Idem de fungis deleteriis in locis planis declivibus & humidis fæpius reperiundis, coloris nigri miniati punctulisque diverfis coloribus notatis, dicendum eft, qui manducati præcordiorum oppreffiones, vomitus cardialgias, tormina ventris, diarrhœas, dyfenterias, fingultus, partium tremores, epilepfiam, convulfiones, frigidos fudores, animi deliquia, infaniam fimiliaque alia graviffima, maligna & lethalia fymptomata, imo mortem repentinam inferunt, qualia exempla leguntur apud J. SCHENCKIVM *in Obf. Med. Lib. VII.* STALPART VON DER WIEL *Cent. I. obf. 40.* HILDAN. *Cent. IV. obf. 35.* PLINIVM *in Hift. Nat. Lib. XXII. cap. XIII.* GALEN *Lib. II. de med. facult. c. LXIX.* Atque adeo talia peffima fymtomata ex folo manuum contrectatione foloque odore accidiffe, quædam obfervationes teftantur. Amplius hic

R fe

ſe occaſio offert dicendi, quod obſervamus, rorem vermiculoſum vegetabilibus eſculentis inhærentem, ſæpius in locis planis, humidis & fœcundis, rarius montoſis, aridis ac aſperis inveniri, quæ maligna vermiculoſa propago cum eſculentis aſſumta, dyſenterias aliosque morbos malignos producit, præſertim notabile eſt, quod ſi armenta ejusmodi veſcantur, lue longe lateque vulgata intereant atque in ovibus maxime & præſertim in earum hepate copioſi vermiculi reperiantur.

§. XI. Perinde (quoniam animalia etiam bruta pinguia magnaque cum viſceribus integris regionis præſtantiam declarant) de montivagis pecudibus altilibus, feris aliisque & alitibus quæ & plurimæ ejusmodi optimum aërem qualis montanus eſt quærunt, ut attagines, gallinagines, tetraones, turdi, palumbes, ulterius ſe habet, eas in locis montoſis optime nutriri ac increſcere, quod de vaccis helveticis vulgus quoque noſcit. Sic notat SIBBALDVS *Scot. Illuſtr. p. 22.* ſcribens: *Obſervatu dignum, quod in locis lacui (in Straglash ad locum, dictum Glen Canich, inter celſiſſimi montis cacumina ſito, qui nunquam eſt ſine glacie,) proxime adjacentibus ſemper vireat gramen, quaſi perpetuum ibi ver eſſet, idemque gramen pecudes una tantum ſeptimana melius paſcat, & pinguiores reddat, quam ullum aliud gramen id præſtare poteſt.* Ideo & oves in Anglia, præ aliis multis præferuntur, non ſolum, quod lanam ſed & quod carnes attinet, quoniam, in collinis & aridis locis paſcuntur, ut POLYDORVS VIRGILIVS in *Hiſtor. angl.* advertit, quodque VIRGILIVS in *Georg. Lib. III.* jam indicavit, dicens: oves a paſcuis in locis planis & humidis jacentibus arcendas eſſe. CARDANVS pariter *Lib. VII. de rer. Differ. XXXI. Cap.* ſcribit, carnem vervecinam in regione peruviana ſapidiſſimam eſſe, quoniam ex altis ſiccioribusque locis depromitur. Pariter carnes porcorum montes incolentium & glandibus nutritorum præferuntur ſecundum ipſum GALENVM *Lib. III. de Alim. fac. Cap. XIII.* Et apud Medicos, ſecundum Ariſtotelis monitum, in confeſſo eſt, illas (pecudes) quæ in paſcuis montoſis, ſubaridis, firmisquæ ſaluberrima pabula, gramina, herbas, & plantas proferunt, nutritas & ſaturatas quæque hinc parum biberunt atque vel ætherea ſaltem aqua vitali refectæ, juxta aëris hujus ſalubritatem atque motum quo aſcendendo deſcendendoque exercentur, ut vegetiores, vivaciores & robuſtiores corpore, ita ſaniores eſſe, illarumque mactatarum carnes ſalubriores, quam earum, quæ in pratis humidis educuntur ac ſaginantur. Ex ejusmodi enim pabulo confectus chylus per omnes vias & vaſa facilius diſtribuitur & relictæ tandem, partes, uberius per glandulas ſeparantur. Sic in vulgus notiſſimum eſt,

oves,

oves, e. g. enutritas in planis declivibus, humidis agris & pascuis, non ultra tres annos vivere: Pereunt enim dein ex ulceribus pulmonum & aliorum viscerum, quod & de agris Lipsiensibus nostris a plebe confirmatur. Ex animalibus sanioribus, salubrius quoque lac mulgetur, salubrior caseus paratur, sapidiores non modo, sed & salubriores carnes mactata concedunt. Sic QVERCETANVS *Diæt. polyh. S. III. c. IV. p. 430.* de vervecibus Galliæ Norbonensis refert, eos in siccis thymi, serpilli & similium odoriferarum herbarum feracibus agris, pastos, carnes sapidissimas & saluberrimas præbere (quia & eorum lanæ meliores inde evadunt). Ast in locis declivibus, planis, humidis, (ut modo est adductum) insalubribus, educati, morbidi fiunt, & carnes similes, simileque hominibus mactatæ præbent alimentum & putredinem a morbo inductam quæ ordinario sui est multiplicativa, inhærentem iisdem corporis succis, qui ad putredinem per se sunt valde proclives quoque affricant. GALENVS *Lib. de atten. diæta Cap. VI.* inquit: *Apri suibus domesticis in cibo sunt anteponendi & Lib. VIII. Meth. med. Cap. II. ex ipsis suillis carnibus optima est montana, cujus causam Lib. III. de Aliment. Facult. C. XIII.* hanc esse tradit: *Domestici sues humidiores sunt quam agrestes, tum aëris in quo degunt humiditatem, tum vero etiam ob vitæ ignaviam; qui vero in montibus degunt multum exercentur & fatigantur, præterea in aëre sicciore vivunt, qua propter eorum caro est durior nulliusque propemodum pinguidinis aut paucissimæ particeps, & alimentum quod inde provenit, minus habet excrementi.* Hoc & indicat WILHELM. PISO *Hist. Nat. & Med. Bras. L. I.* dum advertit sequentia: *Experientia constat multa quadrupedia pisces & aves in cœnosis & paludosis locis viventia, non idcirco, adeo in Brasilia atque ejusmodi oris postponenda esse montanis & fluviatilibus, sicut plerumque fit in septentrionali Europa, quod in hisce regionibus calidioribus eximia aëris temperies & serenitas, correctoris vicem quasi subire videatur, circa naturam ejusmodi animalium.* Hujus rei exempla passim legas & audias licet. B. AMMANNVS in *Irenico p. 177.* revocat animum ad ejusmodi calamitatum memoriam, quæ convictorio Lipsiensi culpa œconomi acciderunt. Tales quoque ATH. KIRCHERVS notat in *scrut. de Peste p. 97.* Simile & referunt (ut plura non addam) *Eph. N. C. D. I. A. VI. obs. 91.* In hanc rem notabile est: Veteres olim locorum captantes salubritatem, pecoribus immolatis, quæ in iis pascerentur, ubi oppida constituere aut stativa habere concepissent, ex jecinore, aëris qualitatem conjectasse: nam si livescens vitiosumque in pluribus compertum esset, insalubritatis videri argumentum, putabant, pabuli & aquarum ratione, ut advertit conceptis sic verbis IOH.

IESSENIVS *Anat. Prag. p.* 44. Pariter & cochleæ & limaces montoſis in locis atque vineis ac longe a paludibus diſſitis odoriferas herbas depaſtæ, in uſum ſalubriorem veniunt. Paucis modo verbis adhuc de materia, qua conſtant hinc inde montes, optima agam: de ſalſa ſcilicet & nitroſa, ut eſt mons altus ad Roſſanum in Calabria, qui ſalis copia dives eſt & in Hiſpania ex mero ſale montes ſunt teſte Catone Majore apud AVL. GELLIVM *Lib. II. Cap. XXII.* & in Polonia prope Vieliſcam OLAO M. *Lib. XIII. C. V.*

§. XII. Præter hæc varia hic quoque accedunt, quæ egregium ſalubritatis momentum ingerunt, & quibus loca montoſa propemodum fruuntur unice, ut v. gr. non immerito poſſumus afferre, quod ſcilicet in his ut plurimum multæ officinæ, hinc inde, ob commoditatem lignorum ſint ſtructæ, in quibus quotidie copioſa & magna vi lignorum, ignes accenduntur, quoniam locorum & regionum etiam vitia, vel ignis vel aquæ beneficio corriguntur: Tales ſunt officinæ ferrariæ, vitriariæ, calcariæ, carbonariæ & in quibus fornaces diu noctuque pro foſſilibus excoquendis, alumine, vitriolo &c. atque linteaminibus candefaciendis, (quibus Sileſiæ & Luſatiæ ſuperioris præſertim tractus montani celebrantur) fumant. Atque in his locis, cum frequentiores ſint arbores hæ balſamicæ & reſinoſæ, ita hæ hic in hunc uſum vulgo veniunt, quarum ligna concremata, ſalino oleoſas, ſulphureas, volatiles, balſamicas particulas impertiuntur, unde & copioſam fuliginem in caminis colligunt. Nam ignis luculentus per ſe atmoſphæræ quietem, gravitatem & intemperiem alterat, & reſpiratione in ſe ſuſcipiendum aërem ventilat & exturbat omnes vapores noxios, humidos, craſſos, heterogeneos, putridos, malignos & ipſi communicat partes laudabiles, balſamicas, oleoſas, ſalinas, volatiles, ſpirituoſas, acidas, putridas, figentes ac corrigentes. Poloni & Weſtphali, (ruſtici) in ſuis domiciliis & caſis, tectisque ſaltem vix cohærentibus, inter pecudes, porcos, ſuper ſparſi fimi cumulos, ligna camino undique patulo accendunt, eoque magnaque ex parte ſal hoc oleoſum volatile pleno ore hauriunt, adeo ut totum ſpatium ſpiſſus & exteris iter facientibus, moleſtiſſimus repleat fumus & vigoroſiores, longævioresque vivunt, iis, qui ædificia ſpectabilia, & exquiſita calcem fœdam ſpirantia, inhabitant. Perſpectum ſatis eſt, cum vitium aëris omnium optime, vento & igne corrigatur, quantum valeat ignis luculentus & tempore peſtis accenſus in plateis ac ædificiis. Hoc omnium potentiſſimo remedio Hippocrates Athenas peſte liberavit, dum proximam ſylvam cremari juſſit. Non pigebit ad majorem illuſtrationem

comme-

commemorare quod ad posteros adhuc commemorabile est, sc. peste in Venetos anno 1556. magna hominum strage grassata, insulam Muranam, duarum saltem milliarium spatio Venetiis remotam, liberam plane ac intactam mansisse, cujus incolæ artem vitrariam tractantes, quotidie in fornacibus ignes accenderunt.

§. XIII. Hæ potiores salubritatis sunt causæ, quæ ab aëre, aqua & terra desumuntur. Hinc in hanc sententiam HAMDOLLAHI CASSVINENSIS in *Hist. Nat.* terræ Ispahannæ salubritatem prædicans, (ut refert & interpretatus est WELSCHIVS *de ven. med. p. m. 204.*) Si in uno loco jungerentur terræ Ispahannæ & borealis ventus Hæratæ & aqua Chovorezmæ non contingeret homines unquam mori. Aliæ dein circumstantiæ considerandæ veniunt, ut vivendi est modus & consuetudo, quæ montosis in regionibus, sanitati integræ & longævitati maxime est accommodata, inter durum & molle media, qua a teneris, quod multum est, corpora firmant. Frigus atque calorem apud monticolas optime reciprocare dixeris quo contra frigidioris pariter & calidioris aëris injurias, harumque alternationes valde sua corpora firmant morbisque exinde provenientibus non adeo facile obnoxia sibi parant. Videbis hinc interdum vel media hyeme, parvulos pueros indusiis saltem indutos, cœterum nudos, in nive ambulantes atque ludentes, & non raro in torrentibus lavantes, neque ullam noxam in iis deprehendes, a perspiratione insensibili impedita, inductam, catarrhos & similes affectus procreantem. Videbis rursus monticolas per totam etiam æstatem ac fervente Sirio flammeum in hypocaustis fervorem optime sustinere, in quæ hyemali tempore congelati mox irruunt & vice versa. Victus quemadmodum secundum adducta ex sanitate admodum conducibilibus constat, ita etiam ut plurimum simplex est, adeoque magis salubris, & frigida magis quam calida potus genera placent. Nec etiam contemnendum emolumentum, quod ex sola locorum montosorum contemplatione juxta oculorum optimam atque salubrem exercitationem perpetuo mens capit & ea recreatur, corpori quoque deinde profuturum. Certe enim ad gratiam conspectus, decorem, pulchritudinem & elegantiam conferunt montes, qui quasi minantur altitudine sua in cœlum juxta illud MARONIS:

- - - - - - *Geminique minantur*
In cœlum scopuli.

Pergama non tristia incolunt monticolæ. Tristis locorum facies, animum contristat, deprimit, languidum reddit, unde quidam in Hispania

(ob triſtem faciem, horridum aſpectum, triſtes cogitationes & mundum ſpernentes inſpirantem, vitæque tædium, deſideriumque mortis) mori, ut naſci in Italia (ob aëris ſalubritatem) in Gallia (ob lætam amœnamque ejus faciem) vivere ſibi optaverunt. Nam mira hic undique locorum amœnitas eſt, quæ & Theſſalica Tempe, Thermopylas, & Taurum montemque Libanum atque circa Aleppum, Alexandriam Antiochiamque regiones in Aſia, ac eas circa Romam & Florentiam conſtituunt. Mirum etiam eſt, quantopere amœnus proſpectus, qui circa montes & loca excelſa optimus eſt, quæ ſupra alia omnia eminent, ut ferri oculi in longum latumque poſſint, oculos, mentes ingenuas & ſapientiæ ſtudioſas oblectet, recreet & excitet, immo ad cœleſtia vocant, terreſtris hujus paradiſi ſpectacula, corporis animique oculis contemplantium. Atque neſcio, quo pacto altitudine mens alta meditans ac ſpectans extollatur gaudio rapiaturque in ſumma ſummi Architecti, Dei conſiderationem, videturque montes e terra ideo eſſe porrectos, ut homines hortentur imo cogant ad attentam ſui contemplationem. Hæc mentis recreatio corpori quoque benefacere poteſt, dareque ſanitatem, vigorem ac vitam. Eſt enim ea in corpus animi vis, ut animalium ſpirituum motum alteret potentiſſime, qui cordis & arteriarum motus, atque ſolidarum partium tonum alterant, pro quarum habitudine ſe ſanitas habet. Ibi enim ut plurimum rident omnia, varietas amœna quæ delectat, & varia ibi amœnitas & hilaritas ſeſe offert oculis mentique immo ingerit ſeſe ac admirandæ raræ, multifariæ rerum ſpecies videntur undique. Eſt autem cum omnium rerum viciſſitudo & varietas, tum vel maxime ſenſibilium jucunda. Circumjacentium regionum deliciæ, ſuaviſſima quadam jucunditate vel invitos invitant, ac ſpectatores morantur. Quis non lætis & hiantibus oculis videat hæc omnia? Quis non ſummam hic voluptatem ponat? Quis enim ſenſuum hic ſua non fruitur voluptate? Spectantur enim tot uno pene adſpectu terrarum tractus etiam diſſiti, ſi viſum diſpergere velis, ac oculorum intendere aciem, infraque ſupraque quaſi in theatro longe lateque omnia atque mundi totius elegantiam, circulo quaſi concluſam, ut in alio tanquam mundo, ore ſublimi erectoque vultu & inferiore forte ſuperato & cœlum ac ſidera ſimulque ſubjacentia & inferiora contemplari atque perſpicere & circumſpicere licet. Spectantur undique montium eminentium moles & vertices atque faſtigia, adeo, ut de iis dicatur, quod caput inter nubila condant, quæ hic recto inſurgunt dorſo, illic veluti ſinu quodam flexuque vario curvata, in diverſas cavitates dividuntur, quæ

in

in circumjecta loca quantamcunque accepere vocem, multiplicato ſono referunt. Spectantur aprici & jucundiſſimi colles, ſpectantur humiles valles amabiliſſimæ, pratenſibus aquis lucentes. Monſtrant ſeſe inacceſſa montium præcipitia, illic arduæ rupes, hic ſcopuli prærupti, velut ex induſtria pendentes. Hic viæ atque acceſſus ampliantur, illic anguſtantur, mox cacumina. Inter hos ſe produnt ſpeluncarum mirabilia atria excavata, quæ operoſa hominum induſtria exſtructa eſſe, ut domicilia præbeant, videantur. Elucent his interdiſtinctæ ſuaves planities, virentes, denſæ & opacæ ſylvæ, proceris & frondentibus arboribus frequentes refertæ, ferarum vario genere, nemora umbrifera, facta quaſi ad ambulationum voluptatem & grato diverſarum avium oſcinum cantu reſonantia. Paſcit oculos tam varia viriditas pene in diverſos colores diſtributa, atque ea per varias commutationes lucis & umbræ multifarie variatæ regiones. Propinqua virore nitent; remotiora velut cœrulea incumbentis cœli facies opacat. Arrident fluctuantes & germinantes ſegetes fragrantibus herbis floridæ, & nitentia prata & paſcua læta, quæ denſi pecudum greges inerrant atque occurrunt obiter cervi & pro oculis mira luxuria vagantur. Viſuntur campi amœniſſimi; viſuntur hic fontes ex fornicibus ſuis ſenſim & blande profluentes, illic ſalientes, & cum pleno multoque agmine erumpentes. Ibi confluentes, lacus, ſtagna, rivuli atque torrentes ſuavi cum ſtrepitu per ambages interfluentes, flumina integra, qui curſum ſuum circumflexum in proximos campos derivant, eosque rigant, conſpectui patent. Viſuntur oppida, pagi, arces, hæ interdum vetuſtate memorabiles, hæ novitate ſeſe oſtentantes ſplendidæ, &c. Atque adeo uno proſpectu uno eodemque loco, uno eodemque tempore, ſingula anni tempora & videbis & ſenties. Summa hinc inde montium dorſa media etiam in æſtate quandoque nive glacieque contecta ſplendent & frigidi venti conſtringunt, nivesque magno ſæpe cumulo cadunt, infra hanc regionem ver cum paſcuis perpulchre viridantibus atque herbis plantisque vernalibus floribusque ornatis habebis, in vallibus tandem fruges matureſcentes jam conſpicere licet. Hoc intuitu loca montana totius univerſi compendium haud inconvenienter dixeris, in quibus ſummus rerum Opifex in cumulum quaſi congeſſit, quod alias per longos terræ tractus diſtribuit. Quare nihil pulchrius nihilque acceptius montoſis locis effinxiſſe Alma Natura videtur. Quæ delitiæ advenas ita titillant, ut, quo accedunt ſæpius, eo recedant illibentius, & ſpectando diu expleri vix poſſint: Non mirandi igitur cauſa eſt, cur Heraclitus, Epheſius planities ac urbes contem-

ſerit

ſerit atque moleſtas cenſuerit, montes habitationi ſuæ elegerit herbisque ſaltem ibi creſcentibus ſe aluerit. Quod ad ambulationes per loca montoſa attinet, licet laborioſæ interdum magis ſint iis, quæ in planitiebus inſtituuntur, ſanitati tamen conveniunt magis, quia aſcendendo plus exercentur, tolluntur & tenduntur muſculi, omnes, fibræ, nervi, viſcera, omnesque partes, & circulatio humorum & ſpirituum animalium influxus melius fortiusque inſtituitur. Atque deſcendendo dein magis placent, quæ ſine labore & fatigatione fiunt, & ſic aſcendentes descendentesque alternatim exercentur, & hi muſculi etiam adſcendendo exercentur, & laborant, alii quieſcunt & feriantur; aſcendentis enim manifeſte genua defatigantur, deſcendentis vero coxæ, quoniam corporis onus genibus incumbit in deſcenſu femoribus; ſiquidem ad hoc ARISTOTELES in *Problem. v. 1.* ſcribit: *Ambulantes per inæqualia loca minus defatigari, quam per æqualia* & C. CELSVS de *Med. Lib. I. Cap. II.* idem innuit, ambulationes quæ aſcendendo & deſcendendo fiunt, eſſe laudabiliores, quoniam varietate hac univerſum corpus movetur, quod utique ſalubre, niſi corpus debile ſit & pedes affecti. Meretur legi de hoc J. A. BORELLVS *de mot. anim. P. I. Probl. 160. p. 193. ſeqq.* & HELMONTIVS *Oper. p. 352.* Hinc & ii, qui montes altos ſæpius aſcendunt deſcenduntque exemplo eorum, qui alpina itinera faciunt, præ aliis robuſti ac vegeti ſunt. Et licet adſcenſus in montes moleſtus difficilisque videatur, ſuperatis his tamen magna delectatio mox accedit.

§. XIV. Hæc omnia fide ipſorum eventorum ubique comprobantur, & experientia teſtis & vindex eſt. In aëre montano verſantes bene dormiunt, bene appetunt, bene digerunt, beneque egerunt. Non equidem per difflationem & tranſpirationem, ſed per diureſin magis (quæ egeſtio certo modo ea præſtantior eſt) atque alvum expurgantur, aër enim calidus ſubtilis humidus in venis ac humoribus corporum contentus expanſus ab externo, frigido, graviori incumbente in ſua expanſione alteratur, quo contrario in ſe in vicem niſu motuque eoque plus minusve propemodum æquali (pro altitudine nimirum montium levitas ac ſubtilitas aëris ſe habet) circuitus humorum promovetur, tranſpiratio vero per poros cutis ex parte inhibetur, ſpiritus animales ſubtiliſſimique halitus retinentur intus, ſicque vires corporis conſervantur integræ. Hæc aëris extenſio experimento illo declaratur atque probatur, quando veſica ſuilla aut bubula in valle non remiſſius inflata atque filo conſtricta ad ſummum altorum montium cacumen portatur, veſica ad majorem extenſionem inflatur. Per quam mature adoleſcunt, ſeneſcunt tarde, canities

&

& calvities rara eſt, & viridis ſenectus non aliter ſe habet ac ſi fervor Juvenilis algore ſenectutis repreſſus, temperatior efficeretur, (ut verbis WILH. PISONIS *Hiſt. nat. & med. Braſil. L. I.* utar,) Inter monticolas ubique fere conſpicies tanto in numero longævos, ut territorium Macrobiorum montes, dici mereantur. Iidem præterea ordinario ſunt ſani, alacres, vegeti, robuſti, qui quasvis cœli injurias ſecure contemnunt ac perferunt, proceri ſtatura, habitiores, pulchri, florida, vivida, ac bene colorata & nitida facie, candida cute talibusque capillis conſpicui, ſucculenti minus tamen pinguedine ſuperflua farti, atque artubus lacertoſis, carne firma, compactiori, vaſis amplioribus, verbo, laudabili temperamento ſanguineo, aut ſanguineo cholerico ut plurimum, & concinna, & eleganti corporis forma, membrorum conformatione atque compoſitione præditi. Rariſſime inter eos deformatos, claudos, ſtrabones, luſcioſos, gibboſos offendes. Alibi infantes nati debiles ſæpius ſunt & ex multis morborum generibus moriuntur, quæ labes aëris & mala nutritio producunt, vix atttingunt virilem ætatem & per totam vitam languent. Pulchre de hac re PALLADIVS loquitur *Lib. I. tit. 3.* inquiens: *Qui optimum aërem inſpirant, colore ſunt bono, firma illis capitis ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus ac fauces commeatum liquidæ vocis exercent. Et rurſus: Somnos ibi capies ſuaviores, & animum a viſis inſomniis nequaquam perturbari contingit. Quin immo autores hanc præſtantiam, non modo in hominibus, ſed & in brutis advertunt, quorum catuli & pulli meliores, præſtantioresque habentur, quam in aliis regionibus nati, minus ſalubribus.* Atque hinc compertum habetur, loca montoſa rariſſime aut nunquam morbis contagioſis, putridis, malignis, peſte, tangi, immo valetudinarios & morbis chronicis pertinaciſſimis detentos, & quos alia remedia in integrum reſtituere vix poſſunt, ad hæc perlatos brevi convaleſcere, & præſtare loca montana certiſſimum aſylum languentium: Hectici, phthiſici, hydropici, hypochondriaci, ſcorbutici, aliique viſcerum debilitate laborantes, hic imprimis ſunt nominandi. Sic urbis Romæ quondam incolæ rheumatiſmis perpetuo vexati & pulmonum ulceribus correpti, ad loca editiora mittebantur. vid. GALENVS *Lib. V. Meth. C. XII.* Ita advenæ, qui in Hiſpaniola Americæ Inſula atque vicinis morbo endemio ab aëre loci maritimo & non adſveto corripiuntur, hoc uno medio ac remedio ſanitati reſtituuntur, ſi per menſem circiter unum & dimidium alterumque montes, adeant. Huic aëris ſalubritati Helvetii adſcribunt, quod ad loca remota profecti, noſtalgia & febribus periculoſiſſimis afficiantur. vid. Clariſſimus SCHEVCHZERVS *Helvet.*

Hist. Nat. P. I. p. 12. & in den Natur-Geschichten des Schweitzerlandes. P. I. pag. 57. Atque hæc ex multis adhuc Authorum, qui de montibus illorumque incolatu præclare ſentiunt, obſervationibus & teſtimoniis ſunt comperta. Hinc etiam incolatus montanus veteribus jam fuit commendatiſſimus. Hinc & ſpeciatim ORIBASIVS *IX. Collect. C. XI.* Sublimia loca omnibus thoracis affectibus & teneriorem ibi aërem, capite laborantibus & omnium ſenſuum inſtrumentis accommodata humilia vero ante dictis haud idonea eſſe, dixit. Coincidit fere AETIVS qui in *Lib. III. C. CLXIII.* hæc verba profert, *Aer ille qui in montoſis altisque regionibus eſt, & nullam auram ſuſcipit, commendandus eſt erecta cervice ſpirantibus, & tabidis & omnibus thoracis & capitis affectibus &c.* Apennini montes a ſalubritate incolarum & longævitate ubique celebratiſſimi ſunt, ac valde memorabiles. Compertum quoque habemus, altas & montoſas in Germania noſtra, ipſique propinquas regiones, ut Saxoniæ, metalliferas dictas, Variſcorum, Bohemiæ, Sileſiæ, Luſatiæ, Helvetiæ, Rhætiæ &c. ſaluberrimo aëre gaudere atque alere incolas ſanos atque longævos. Bruſchius ſcribit: univerſam Nariſcorum regionem elatam, circa montem piniferum, quatuor flumina Mœnum nimirum, Nabum, Egram & Salam effundentem in finibus Palatinatus ſuperioris & Bohemiæ ſitum (Fichtelberg) Bonſideliam & Weiſſenſtadium &c. ideo ſaluberrimam totius Germaniæ eſſe, quod & Maximilianum I. Glorioſiſſ. Mem. Rom. Imp. affirmaſſe, fertur. Aegyptus ideo ob poſitum quem obtinet in orbe terrarum altum, ſaluberrima regio ſemper eſt habita, de qua Plato dicit in Timæo, quod nunquam diluvium, quod olim reliquum orbem inundavit, ſit experta. E contrario Belgium, Arcadia, Syria &c. humiles regiones, ob aërem parum ſalubrem ſuſpectæ non immerito & variis morbis ſubjectæ redduntur. Ita ſatis ſuperque conſtat obſervantibus, in demiſſis & concluſis, humidis locis ſive mari propinqua ſive ab eo longiſſime remota ſint ea, præſertim regnare ſcorbutum & phthiſin, hydropes, febres purpuratas, malignas &c. Idem & alibi PLATO retulit, ſe in altiſſimis regionibus inveniſſe valde longævos, qua de re *Leg. Lib. IV.* urbes totas in locis ſublimibus & in circulum conſtitui voluit, ut munitiores & mundiores fiant AVICENNA *XXI. Dec. 2. C. II. & caut. l. Num. 105.* alta loca certa ratione ſemper eſſe frigidiora & magis ſalubria ibique diutius homines vivere ac laborum patientiſſimos eſſe dixit, ac ARISTOTELES ait *14. Probl. 7.* qui alta loca apertaque incolunt, tardius ſeneſcunt, qui cava & paluſtria ocyus. Similiter ORIBASIVS *IX. Collect. Cap. II.* montana loca ob ſiccitatem maxime ſalubria deprædicat. PLIN.

Lib.

Lib. VII. C. XLIIX. a Mutiano graviſſimo Authore acceptum, recenſet, in Tmoli Lydiæ montis cacumine, quod Tempſin vocant, incolas 150. annos ordinario vivere. Solino jam commemorante etiam ERASMVS FRANCISCI *im auslændiſchen Kunſt-und Sitten-Spiegel*, ſcribit: Quod Athos celeberrimus ille inter Macedoniam Thraciamque mons, incolas alet ſanos, vegetos ac valde longævos. v. BAQVIERE *ſen. Med. p. 22.* Extat etiam hanc in rem perelegans locus apud JOHAN. BAPTISTAM DONIVM *in Lib. de reſtit. ſalubr.* agri romani, dum ait: *Illud perquam dignum notatu eſt, ea maxime loca temperatiſſimo aëre frui ac longævos homines progignere, quæ elata quidem ac ſublimia, ſed non prææltis ac perfrigidis montibus edita, verum quæ longiori terrarum faſtigio latenter aſſurgunt, ut in multarum regionum mediis & a mari procul recedentibus ſpatiis, quorum altitudinem flumina illinc in diverſum dilabentia oſtendunt, ut in Umbriæ tractu circa Spoletum, ubi Apennini juga modice attolluntur. Ibi enim, ſi uſpiam in Italia, vivaciſſimi homines reperiuntur.* Pulchre etiam montium ſalubritatem demonſtrando prædicat JOH. BAPT. VON HELMONT. *Tract. mons Domini p. m. 743.* ſequentibus: *Naturaliter, intelligo, in montibus malignitate endemia carentibus, eſſe aerem puriſſimum, procul a fæce & corruptione remotum, ab erroribus, & defectibus ſegregatum, & propter frigora depuratiſſimum ab omni inquinamento; verum etiam ibidem eſſe locum, quorſum per magnalis continuationem, expeditiſſima cœleſtium irradiatio eſt; Quia ætheris puriſſimi potatio. Memini enim, uno mane me jejunum ſenſiſſe in Alpibus ſuavitatem inſpirati aeris, quam ante vel poſt, tota vita nunquam. Certum eſt etenim, quod Omnipotens tantum gippum in natura non fruſtra condiderit, certumque eſt, omnes mundi divitias e montibus erui. Deinde optimi fontes atque celeberrima flumina nobis e montibus, ratione declivitatis verſantur. Denique omnes nationes monticolæ durioris ſunt corporis vitæque vegetioris, aliis, qui campos amœnos colunt. Qui effectus ſuis cauſis conſtant, quippe ſuavior puriorque aer ibi inſpiratur, & Gas omne ſuis privatum ſordibus, redit in materiam puram aquæ.* Poſitis his, atque ſatis ut opinor evictis, elucet, quam futilis illorum, ut LVCRETII & TH. BVRNETTI vid. eius *telluris Theor. ſacra Lib. I. Cap. IX.* opinio ſit, qui perhibent, montes eſſe inutiles, horridos omnique elegantia & venuſtate deſtitutos.

§. XV. Atque adeo etiam eædem memoratæ conditiones, aer imprimis animos hominum mire afficiunt, alterant, commutant, atque faciunt ad mores, qui temperamenta hominum, ut hæc illos ſequuntur, ut qui de moribus gentium diffuſe ſcripſerunt animadvertunt: Americanos barbaros eſſe & incultos, Africanos aſtutos & fraudulentos, Aſia-

 ticos

ticos molles & inflatos Europæos fortiores omniumque cultiſſimos. Quo nomine Galenus noſter maxime laudandus, quod nempe animam multorum morborum cauſam, ſtatuerit, quando paſſionibus vehementioribus commovetur, & quod temperamenta ad peculiares mores & inclinationes diſponant, in qua doctrina multum atque diligentiſſimum ſe præſtitit cenſorem, quam ab HIPPOCRATE accepit, qui *L. I. de Diæt. ſect. 32.* aëris regimine homines ſapientiores & ingenioſiores reddi poſſe, teſtatus eſt, unde & *Lib. de flat. ſect. 20. §. 3.* prudentiam in ſanguine conſiſtere, ſcitiſſime opinatus eſt. Quales enim aëris, ex ſoli conditione varie temperati qualitas, aqua, cibus & potus, quæ ore naribusque adtrahuntur & aſſumuntur ſanguinique miſcentur, tales etiam ſunt humores & ſpiritus animales & quales hi, tales etiam animi inclinationes. Purus, ſerenus, temperatus bene & tenuis aër, ventis orientalibus & ſeptentrionalibus alteratus, vernalis, tenuis cibus & potus, tenues etiam & volatiliores dant humores & ſpiritus, qui ad mentis regimen convenientiſſimi ſunt atque accommodatiſſimi, & homines ideo ſunt ingenioſi, acres, expediti in omnibus ſuis actionibus &c. Atque vice verſa argumentatio valet. Cœlo humido, putrido, caliginoſo, nebuloſo, impuro, tonus partium laxatur, libera tranſpiratio inhibetur, particulæ craſſæ, impuræ, excernendæ, remanent in maſſa humorum, unde ea impura redditur, ſecretiones & excretiones ſufflaminantur, ſecreta conſpurcantur, craſis humorum & ſpirituum obnubilatur &c. Palam enim certe eſt, ut quemadmodum plantas, ſemina &c. ſic hominum mores ad regionis habitum mutari. Victuque pariter craſſo, fœculento, ſimiles quoque humores & ſpiritus generantur, & exinde homines torpidiores, ſtupidiores & tardiores redduntur. Hinc veteres quondam, communi velut conſenſu Aſiaticos facilitate morum & humanitate cœteros ſuperare contendebant, atque hinc atticam, ægyptiacam, arabicam, ſyriacam tellurem adeo feracem felicemque fuiſſe tantis multisque egregiis ingeniis, Sapientibus, Doctoribus, Heroibus producendis atque alendis. In hanc rem MEVRSIVS tradit *de Fort. Athen. C. III. p. m.* 22. Supra urbem Athenas totius Græciæ magiſtram terrarum palladium, templum diſciplinarum, & commune quoddam ſapientiæ oraculum, aërem purum tenuemque & ſalubrem, unde ingenia ibi etiam acutiora fuiſſe. Locridem & Crotonem etiam ſaluberrima loca olim eo argumento ſunt habita, quod brevi temporis ſpatio, quam plurimos produxerint tum Athletas, tum Philoſophos. E contrario rurſus aëri humidiori, putrido, craſſo adſcribitur, quod Arcadiæ, Bœotiæ regionis-

nisque Thebanæ incolæ adeo male eo intuitu audiant, & quod hodie Galliæ Provinciæ Lemovicensis, Hispaniæ Biscajæ & Germaniæ Tyrolis, Carinthiæ superioris, Styriæ incolæ, de quibus vide GERBEZIUM in *Chronolog. Med. I. pag. 23. &c.* hanc censuram incurrant. Omnes insulani mali jam dudum & qui magnos fluvios & mare accolunt, mercaturæ dediti, ab avaritia, mendaciis, fallaciisque non abhorrentes, habebantur. Unde notanter PLATO *Lib. IV. de Leg.* civitatem a mari LXXX. stadiis distare voluit, siquidem & Cicero maritimos versutos & Ligures montanos suapte natura duros & agrestes esse dixit. Romam ideo olim Reginam Orbis Terrarum fuisse, & forti animo, prudentique consilio barbarorum horrida ingenia superasse, quod in egregia regione exstructa sit, VITRUVIUS *L. VI. Architect. C. 1.* affirmare non dubitavit. Neque P. PETIT. *Disp. de Amaz.* Amazonum solertem fortemque animum, climati, quod inhabitaverunt, adscribendum esse, ambiguum habet. Ob hanc rationem & in specie ob eam, quæ victum respicit, Galli, qui victu faciliori, leviori, jusculis nutrientibus, potu dilutiori, aqua & vino utuntur, susque deque habent Germanos eosque eo nomine les esprits de bierre, (ob crassum & fœculentum potus genus) appellant, ut & in hos satis iniqui censores sunt Joh. Bodinus, Joseph. Scaliger, Perronius Cardinalis Dominicus Bauhours aliique exterorum plures. ADRIANUS BAILLET Germanos ad eruditionem non, nisi per immensos labores pertinacemque patientiam, posse pervenire, *in Jugem. des savans*, scribit; contra quos tamen ex dignitate sunt defensi a Morhofio, Schurtzfleischio, Cramero, Richey aliisque hic non recensendis. At homines, qui montana, alta, excelsa, aspera, sicca inhabitant loca, ingenio gaudent diverso illorum, qui loca plana incolunt, atque præ omnibus aliis corpore & animo valentissimi sunt, integritate mentis atque candore, acuto ingenio, animoque forti & bellicoso, ad labores alacri, ad artes proclivi &c. præditi, quod existimo jam multis per multa loca indiciis & exemplis esse compertum. Certe non solum Diana, virgo montium nemorumque custos, sed etiam Pallas atque Apollo montibus saltibusque inerrant. Nec ideo est, quod altitudo, quam paulo ante notavimus §. nimirum XV. corporum monticolarum ingenio & virtuti aliquid deroget, alias vitio vel Julio Cæsari atque Scipioni Africano excelsa quoque statura esset vertenda: Ut enim plerumque arces & palatia excelso loco posita incolunt summates viri, ita & natura ipsa monticolarum procera statura conspicuorum magnis montibus domicilia corporum digna plerumque metatur. De iis hoc jam HIPPOCRA-

TES teſtatus eſt *Lib. de aëre, aquis & loc. text. 58.* Tale teſtimonium & legitur apud FIDELEM *de Rel. Med. L. I. cap. XIII. p. 68. Illud etiam ſatis conſtat, in montoſis atque aſperis regionibus, plebem ac ſecundæ ſortis homines plurimum inter alios poſſe, ac prævalere: nec nobilibus primatibusque facile cedere: plus enim in his valere corporis vires, quibus vulgares præſtant: in planis vero Magnates ſunt potiores ac magis dominantur: Nam aptior is eſt imperandi locus. Præterea, qui aſpera incolunt loca & quæ nihil ferunt niſi multa cultura & magno labore quæſitum, quales Ligures a Cicerone (in Lege agraria) memorantur, duri atque agreſtes ſunt. At qui agrorum bonitate, & fructuum magnitudine urbis aut ſalubritate & rerum copia perfruuntur, ut de Campanis idem affirmat, ſemper ſuperbi ſunt atque arrogantes &c.* Certe hoc fere exploratum habetur, quod ubicunque bonitate agrorum & fructuum abundantia præcellit, ibi quoque vitiorum & omnis pravitatis meſſis ſuccreſcat plerumque copioſiſſima, quo nomine Umbri quondam famoſiſſimi erant. Marius Pompejus, Julius Cæſar, celebratiſſimi illi Romanorum Heroes, habitationes in altis montoſis locis elegerunt ſpretis urbibus magnis & civibus arctis, in quibus ne voluptatibus, quæ ibi ut plurimum regnant, vario modo caperentur. Cyrus Perſarum R. nolebat montoſam aſperamque regionem cum campeſtri & molliore commutare, ratus, ſe velle duros homines & laboribus accommodos. PLVTARCHVS in *Reg. Apoph.*

§. XVI. Enim vero, ut omnem pene alias felicitatem quædam flagellat calamitas & ubique fere quædam quaſi mellis & fellis conjugatio eſt: Ita vulgo etiam montium incolatui ponitur in vitio, accolas non modo ſæpius tempeſtatum varietates ſubitaneas, atque in uno ſæpius die, mox exceſſivum æſtum, mox intolerabile frigus experiri, quibus repentinis viciſſitudinibus, aër Conſtantinopolitanus imprimis etiam eſt ſubjectus, ut habet P. DE LA VALLE *Itiner. Part. I. pag. 22.* ſed & frigidiorem & acrem moleſtumque Jovem, nives copioſas ſæpiusque æſtivas atque pruinas non bene ferendas pati, a quo duriori frigore conſtrictivo partes nervoſæ membranaceæ, notabiliter lædantur, tranſpiratio impediatur & innumeris atque velocibus mutationibus exponatur, humorum impetus & copia ad caput, pectus, artus, & partes extremas pellatur, unde rebelles fiant ſtagnationes, humorum & vaſorum obſtructiones, periculoſæ cephalalgiæ, apoplexiæ, pleuritides, peripneumoniæ, vertigines, affectus ſoporoſi, paralyſes, oculorum lippitudines, rubedines, obfuſcationes, tuſſes, rheumatiſmi & fluxiones, arthritides, dolores acuti &c. Ulterius quidem contendunt, hæc loca effluviis acrioribus,

ſali-

ſalinis, ſulphureis, impuris, acidis, venenatis, malignis ſæpius afflari, quæ ex mineralibus effluunt, & circa montes aſcendunt, gramina etiam depaſcentibus. Quæ exhalationes, interdum referente BECHERO *in Phyſica ſubterr. p. 71.* per aliquot milliaria pertingunt. Denique aſſerunt, ut plurimum loca montoſa radiis ſolaribus nimis eſſe expoſita, qui ſua præſentia, reflexione ac effluviorum terræ ſicciorum elevatione moleſtiam creent atque exæſtuationem magnam, ut Chimæra Lyciæ juxta illud HORATII:

Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ
Divellet unquam - - - -

Monticolasque aquas bibere minus ſanas nivales conſtringentes, ex quibus ſcrophulis fœdis notentur. In hujus rei exemplum atque probationem montium Pyrenæorum, Alpium, accolas, Stiriam, Carinthiam, montanas Hungariæ civitates, imprimis Cremnitium, metalli fodinis celebratiſſimum, & Sileſiæ Schmidebergam, oppida circumjacentesque varios pagos, ad ipſorum montium ſudetorum radices ſitos, inhabitantes recitant, qui exinde his aliisque morbis afficerentur.

§. XVII. Equidem etſi concedamus, quod in locis montanis aër frigidior ſit atque aſperior ob lateraliter incidentes ſolis radios, qui hic ſe minus expandere ac colligere poſſunt, aëre etiam rariore ætherem libere transmittente, campeſtribus, ubi cuncta gelu rigent canaque nive, pruina, glacie grandineque teguntur, atque haud raro, mediis etiam in canicularibus, ventis perflantur, adeo frigidis, ut contra illorum injuriam in hypocauſtis calefactis refugium remediumque quærant, hyememque præcocem ac longiorem patiuntur, ut quidam horum locorum aſperitatem SILII Poëtæ verbis exaggerare ſatagunt:

- - - - Cœlum intercipit umbra.
Nullum ver uſquam, nullique æſtatis honores.
Sola jugis habitat diris ſedesque tuetur,
Perpetuas deformis hyems: illa undique nubes
Hac atras agit & mixtos cum grandine imbres
Jam cuncti flatus ventique furentia regna
Clivoſa poſuere domo, Caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.

Ejusmodi præ aliis dicuntur de montibus Riphæis, de Argio, Sythone, Peta, Crinone, Scarſo & Sula in confinio Suédiæ apud OLAVM M.

Lib. II. Cap. XIII. IOH. JACOB. WEPFERVS in *Obſerv. de apopl. p. 260.* ſcribit: Accolæ montis S. Gothardi in Helvetia ſingulis fere annis experiuntur ignavius tranſeuntes primum ſopore opprimi atque dein totos congelaſcere, ſpiritum animalium culpa, quos primum pati dormiendi magna neceſſitas docet. Frigus tamen hoc ſiccum eſt & purum, exſiccans & confortans, per contractionem agens, quod hic adeo ſimpliciter & directe non nocet, ſi modo non prorſus intemperans ac ſi non improvide admittatur, & veſtibus ſint homines bene & debite contra illud muniti ac tecti, ut potius proſit & conferat ad ſanitatem, agilitatem, mentis & corporis, ac longævitatem, quia calorem, ſpiritus animales, vires ne difflentur, poros opſtipando cohibet, ſed intus potius detinet, condenſat, conſervat & auget, corruptionem atque putredinem avertit excrementitiorum humorum accretionem inhibet, viſcerum ſecretiones promovet, corpora reddit mobiliora, expeditiora, elaterem fibrarum, fluida impellentem, roborat, tonum & robur partium præſtando. Quivis enim in ſe ipſo percipit, tempore hyemali, aëre exiſtente frigido & ſicco, corpus & animum eſſe alacrem ad quasvis functiones obeundas & perficiendas aptiſſimum. Videmus etiam, quando excedit aëris qualitatum naturalis, ſecundum tempora conſtitutio, vel quando hyems humore & frigore æque ac æſtas calore & ſiccitate exſuperat, morbos ſuccedentes per tempora minus periculoſos eſſe; ſecus quando hyems calida & ſicca exiſtit, æſtas vero hyemis naturam induit, tunc morbi ingruentes majori pernicie homines afficiunt. Sicuti HIPPOCRATES *Sect. III. Aphor. 11. 12. 13. 14.* explicuit. Quare factum eſt, (ut paulisper huic contemplationi inhæreamus) ut incolas ſeptentrionales præ aliis feliciores & beatiores dicere neceſſe habuerit GOCLEN. *de Vita prorog. p. 20.* Inſuper nives æſtivæ æſtum æſtivum temperant commode, adeo hæc mira cœli inclementia indulgentiſſimæ Naturæ lenientis beneficio liberaliter penſatur. Terræ pori magis conſtringuntur, & effluvia craſſiora, humida, impura, avertuntur & detinentur. Hoc nomine Orcades Inſulæ etiam memorabiles ſunt. POLYDORVS *Lib. I. & H. Boeth. in Scotia.* Jam dudum HIPPOCRATES prædicavit *Lib. de aëre, aquis & loc.* incolas regionum, quos venti frigidi & ſicci afflant, diuturnioris vitæ quam alios eſſe. Notiſſimum quoque eſt ſeptentrionales populos Suecos &c. eſſe præ aliis robuſtos atque firmiora habentes corpora & animi etiam mores ad tolerantiam magis formatos, ſtatura proceros, ſanos atque longævos fœminasque in ſpecie admodum fœcundas (haud leve aëris ſalubris indicium.) De iis enim OLAVS

RVDBE-

RVDBECKIVS in *Atlantica* refert: in Suecia tantam hominum esse fertilitatem, ut fœminæ ordinario VIII. IX. X. XII. imo XIV. nec raro XIIX. XX. XXIV. XXIX. & XXX. pariant infantes, atque vivere homines ordinario LXX. LXXX. annos, nec insoliti quid esse, illic videre homines C. & plurium annorum. Hanc fœminarum fœcunditatem inter indicia salubris aëris quoque reponit W. PISO *Hist. Nat. & Med. Brasil Lib. I.* Sic enim scribit, Brasiliæ aërem laudans: *Fœminæ non deformes ab octennio ultra sexagesimum annum supra fidem fœcundæ, immo septuagenariæ infantes lactantes visæ sunt, facili negotio & nemini obstetricante pariunt, rarissime abortientes*, Quamvis minime negandum, quod non parum etiam ad summam harum rerum valeat longa, imo veluti connata, consuetudo. Nec rursum pruinæ loca montana adeo offendunt, potius rore quotidiano eoque miti, pingui, tenui, sale subtili, volatili, nitroso, impraegnato, insigni roborante virtute prædito, humectantur & recreantur, quod saccharum utilissimum & occultum, optimumque vitæ cibum, & naturæ humanæ gratissimum ex HELMONTII sententia *Tr. imag. ferm. pag. 33.* continet. Hinc & BACO DE VERULAM. ut legere est *Hist. Nat. Cent. VIII. p. 917.* suadet, si in usus medicos ros majalis colligendus esset, in montibus illum esse quærendum, quoniam multum is dissipatur, antequam ad valles perveniat. Largi imbres, frequentes, felices & tempestive decidentes æstum nimium temperantes & extemporaneos & novos torrentes facientes, ibi atmosphæram, si quid caustici effluviis forte insit, depurant & corrigunt optime. De iis enim ex historiis constat, pestilentiam frequentem in Ægypto cessare protinus, in media æstate imbribus nimirum assiduis decidentibus, a quibus ideo & notanter salubritatem Brasiliæ deprædicat, quod ea multis imbribus irrigetur, supra multoties laudatus WILHELMVS PISO *Hist. Nat. & Med.* Videntur & videantur etiam sæpius circa montes forte editiores nebulæ, quod inter alios Silesii de monte Giganteo suo norunt; de quo dicitur, quod caput intra nubila condat; nihil tamen & hoc impedit, quo minus hactenus affirmatum teneamus, quod vel hoc ipsum aëris levitatis indicium sit, siquidem effluvia minus a premente aëre impediuntur. Ipsæ enim rariores sunt & tenuiores, nec diutius ibi hærent, sed exoriente operanteque sole, brevi iterum solvuntur, discutiuntur ac abeunt serenaque tempestas iterum exhilarat, quando in campestribus planisque locis pluvia frequenter, largiter atque præter modum humectat. Altissimi rursus montes neque ventos neque pluviam experiuntur, quemadmodum Athos ingens Thraciæ mons, de quo Pomponius Mela tradidit, in aris, in ejus

vertice exſtructis, cinerem in eodem cumulo ſemper manere. Rurſum montium, aër æſtivo tempore aliquando damnoſus eſt ſecundum Platonem in Thymæo, nempe quando ſiccitates maximæ oriuntur, tunc enim, ut ipſe aſſerit, tutius eſt, circa fluvios degere, quam in locis editis & aridis. SENNERTO item facile annuere poſſumus, *Inſtit. Med. L. IV. P. I. c. II.* ſcribenti: *Loca metallica venenoſam ſæpe & malignam auram exſpirant, & de acrioribus & cauſticis, quæ ſæpe ſpargunt, effluviis, quæ arſenicalia, ſaturnina, & mercurialia vocant, participant.* Item pari aſſeveratione affirmamus, ob hæc accolas, varia mala varioſque caſus, vertigines, colicam eamque convulſivam, cordis palpitationes, luridum faciei colorem, lipothymias, phthiſin, tremores & dolores artuum vitæque brevitatem experiri: Verum enim vero, non de omnibus incolis atque accolis, ſed de iis maxime, qui ipſos metallarios labores tractant, aut qui circa has officinas habitant, non de omnibus ejuſmodi locis, neque de omnibus temporibus, neque de omnibus effluviis metallicis hoc intelligendum eſt. Nam ſi eadem blanda ſint, temperata, acidula, adeo non nocent, ut potius proſint, quippe ſpirituoſæ & acidulæ particulæ volatilitatem atmoſphæræ augent & putredinem præcavent, ex quo magnum ſalubritatis aëri momentum accedit. Nolumus equidem ſeorſim & longius hic probare atque laudare effluvia aurea atque argentea, ob quæ multi ejuſmodi loca horumque locorum atmoſphæram iiſdem refertam ratione ſalubritatis adeo extollunt, ut conſtat atmoſphæram tractus montium Sudetorum Bohemiam inter atque Sileſiam, Carbathicorum, Alpinorum, Pyrenæorum item Piniferi ideo laudari, ac ſi tota eorum aurea atque argentea eſſet, atque ubi naturale aurum & argentum potabile quaſi gratis haurire quis poſſet. Qui velit, legat *die Beſchreibung des Fichtel-Berges p. 134. ſeqq.* Hinc ad fertilitatem vegetabilium faciunt eadem, ſiquidem, ut perſpectum eſt, illa loca pulcherrimos producunt fructus & cito matureſcentes, plantas, herbas & flores balſamicos. Atque compertum eſt, ab ejuſmodi exhalationibus obduci ſuperficiem terræ, calce quadam ſubtili, quæ pluvia accedente, leniter incaleſcit; quæ incaleſcentia terræ fœcunditatem & atmoſphæræ ſalubritatem majorem fœneratur. Hoc argumentum exponit BASILIVS VALENTINVS *Lib. de metalli fod. & ear. orig. C. V. & VII.* non indiligens harum rerum cenſor, qui in *Cap. XXIII.* rationem cauſamque repetit, quamobrem Hungariæ regio tota metallifera, frugum omnium fertiliſſima, & (alioquin ſi cætera eſſent paria, ſi paludes, quibus ea admodum frequens eſt, non adverſarentur &c.) ſit ſaluberrima. Porro cum non deſint, qui perhi-

perhibent, loca montana maxime tempeſtatum variationibus eſſe obnoxia, quia Hippocrates dixit: Mutationes temporum parere morbos, & in ipſis temporibus magnas mutationes aut frigoris aut caloris eſſe. Tempeſtatum vero æqualitates magis experiuntur regiones planae atque campeſtres, quam ob rem loca ſub Æquatore ſita atque vicina, adeo ſalubria deprædicant plurimi, (merito ne an ſecus, jam quidem non dirimemus) Aſt ea tantum loca ſunt ideo ſuſpecta, quæ circumpoſitos certo modo habent alios montes, & quæ paluſtria ſimul ſunt, in quibus circa meridiem calidior aër eſt, circa veſperam & per totam noctem frigidior imprimis autumno, quam ob rem Hungaria imprimis accuſatur. Fulgura etiam atque tonitrua, montanis in locis crebriora, quia ut metallorum ita & ſulphuris quoque venæ ſunt ibi frequentiores atque ejusmodi evaporationes hic diſſipantur, illic iterum colliguntur collectæque firmius detinentur ſicque fortius quam alibi effectum ſuum edunt & cum magno fragore incidunt, corruſcant ac intonant &c. Verum monticolæ ea vehementius adeo non metuunt, ſed potius atmoſphæram bene temperatam atque a nimio æſtu liberatam, a fumis purgatam atque ſic bene depuratam & liquidiorem, agitatam ſalubribusque particulis ſubtilibus, nitroſis & ſulphureis impregnatam, exinde ſibi certiſſime promittunt; ſiquidem & ordinario fere imbres ſalutares hominibus pariter ac vegetabilibus admodum proficuos fertilesque ſimul effunduntur. Nec alia ejusmodi meteora lucida hic etiam ſatis frequentia ob eandem rationem a vana ſuperſtitione intactis ſunt ſuſpecta, ut dracones volantes, dicta, & ſtellæ cadentes, quæ materiam gelatinoſam, quæ cœli flos appellatur & in pratis, agris aliisque locis, mane ante ſolis ortum adhuc reperibilis eſt, exoriente enim ſole liqueſcit, ex qua medicinam magnarum virium quidam parare ſolent, vid. *Eph. G. N. C. An. VI. App.* BORELL. *Cent. III. obſ. 4.* PARACELSVS *de vita longa Lib. IV. c. II. & VIII.* item *de ſignat. rer. nat. l. 9.* Siquidem & vecordes ſaltem ſpectra diabolica qualia olim Sphinx in montibus Thebanis & hodienum Riebenzahl in monte Giganteo Bohemiæ eorumque tumultus ac illuſiones atque tinnitus Aegipanorum Satyrorumque loca montana ſolitaria atque non habitata, inhabitantia formidant, æque ac mugitus ac ſtrepitus indices futuræ tempeſtatis, quales aſſiduo Paonis Chinæ mons edit. Verendæ quidem hic quandoque & quibusdam in locis montanis ſunt haud exiguæ illæ ſtrages globorum niveorum, quas SCHEVCHZERVS *in den Natur-Geſchichten des Schweizerlandes T. I. p. 147. ſeq. & in Stœchiograph. P. I. p. 145. ſeq.* adducit; ſed ſunt etiam cautelæ quibus his obviam

iri poteſt. Metum etiam cuivis facile incutere & incolatum montanum periculoſum reddere poſſunt montium caſus, inter quos cumprimis memorabilis eſt, qui celebre illud oppidum, Plurium & pagum Schillanum in Rhætia derepente defodit, cujus mentionem injicit modo Laudatus SCHECHZERVS *l. c. p. 127. ſeq.* conf. & FORTVN. SPRECHER *in Hiſtor. motuum & bellor. Rhetiæ p. 63. ſeq.* rariores tamen hi caſus ſunt quorum contingentia plures non deterrent.

§. XVIII. Ambabus licet tandem largiamur, experientia edocente, monticolas quosdam quandoque apoplexiis & peripneumoniis, (quas & alias aëri arenoſo adſcribunt, unde & in Nova Hiſpania, imprimis in urbe Mexicana frequentiſſimas eas eſſe referunt, vid. GOTTFRIED *Hiſt. Antiqu. P. III. p. 608*) & præ aliis eſſe obnoxios; Quod vero maxime ſaltem de illis eſt intelligendum, qui circa metalli fodinas habitant, aut potius ejusmodi labores tractant, (metallarii enim præſertim iis laborant) metalla & lithargyrium imprimis fundendo & fumos ſaturninos, antimoniales, mercuriales, vitriolicos, aluminoſos, arſenicales & malignos improvide ore excipiunt. Quanquam non negandum eſt, ipſorum tractuum montoſorum conditionem, quandoque ad hæc mala aliquid contribuere, ſi nimirum ita ſunt comparati, ut radios ſolis frequentes nimis reflectant, quibus ſi ibi degentes caput nudum præſertim diutius exponant, facile periculum hoc incurrere poſſent; nec abs re eſt, hæc mala iis facile accidere, qui auræ frigidiori, qualis magis montana eſt, corpus calefactum, imprimis labore & exercitiis, incaute exponunt. Ad utrumque accedit, quod utplurimum monticolæ ſanguinei & plethorici ſunt, qui ſtatus humorum ad ejusmodi fere eſt proclivis. Sed contra hos caſus facile datur præſidium, modo indicata ſi prævideantur. Strumæ & ſcrofulæ colli potiſſimum adſcribuntur aquæ, quæ ex certis rivulis promanat & natos ibi fontes ſæpe inquinat, vel quæ ex nivibus colliquatis magno impetu a montibus defluit, a cujus potu ſi abſtineant non facile a reliquis cauſis metuenda eſt noxa, quod mihi notum exploratumque de patria eſt: in iis nimirum locis, quorum ſupra modo mentio facta eſt, incolæ ſtrumis & ſcrofulis colli quondam notati utplurimum erant, ſed ex quo ab uſu certorum quorundam rivulorum, ex metalliferis montibus, abſtinuerunt, non adeo frequentes ac quondam eas experiuntur. Hanc aquam cum ſubjecit Præſes examini, limpidam & claram ſaporis & odoris fere nullius deprehendit, ex decoctione & evaporatione vero pinguis, & flaveſcens ex nigricante limus

eſt

est relictus, acrem constringentemque linguæ imprimens saporem. Prompti tandem concedamus quoque, quod ambulationes per montana loca attinet, epilepticis & vertiginosis, has maxime esse verendas, quoniam sic facile certeque paroxysmos sibi conciliare possunt.

* *

IV.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE THERMIS HIRSCHBERGENSIBVS.

PROOEMIVM.

DEus in omnibus suis operibus plane mirabilis est; maxime vero in hoc universo Deus T. O. M. mirandam omnipotentiam, sapientiam, providentiam, summam rectricem manum atque gratiam suam, quas hominibus, quos perpetuos sapientiæ divinæ spectatores esse voluit, monstravit atque largitus est, celebrasse, in aquis videtur, quæ & ex merito pensitantibus plenæ sunt mysteriorum divinorum, adeo, ut vel simplicem aquam simplicem, seu innanem æstimare simplicitas ingenii esset: Si modo adeamus Librum librorum, Scripturam puto Sacram, præcipua & miranda ibi inveniuntur hujus rei exempla, quæ non tam ad cognitionem historicam, quam ad summi atque sapientissimi Creatoris reverentiam commemoro. Aqua ex petra producta solo baculi Mosis contactu, ut sitienti populo subveniret *Exod. XXVII*, 6. Aqua amara in dulcem mutata. 2. *Reg. II*, 20. Piscinæ prope Aream templi Salomonis virtutes. *Joh. V.* Vis cœlitus concessa Jordano a lepra mundans. 2. *Reg. V*, 10. 14, Fons Siloha cœco visum restaurans. *Joh. IX*, 7. Divisio maris, ut transitum concederet Populo Israëlitico. *Exod. XIV.* Diluvium. *Gen. VI. VII.* Mutata aqua in nuptiis Cananæis in vinum. *Joh. III.* Transmutatio fluminum, lacuum in sanguinem &c. *Exod. VII*, 20. uberrima hujus rei argumenta sunt & documenta. Quanta quæso aquis prærogativa, quanta dignitas accessit! dum de illis legi-

tur, quod Spiritus Dei *Genes.* I. in prima creatione ferebatur supra aquas, & dum aqua Sacro - Sanctum Baptismatis fœdus hoc salutiferum, nobis Christianis instituere & regenerationem ad æternam vitam largiri Deo T. O. M. placuit, declaratque: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Conveniens satis S. AVGVSTINI lectio est *decatacl.* C. *III.* talem aquæ virtutem deprædicans: Aqua Baptismi non solum corporis sordes mundat, sed animam a peccato quoque liberat: Quin immo Deus ipse in verbo suo tanquam fontem salientem se manifestavit *Jerem. II, 13.* Si historiam naturalem prælibare paulisper velimus, mira ubique contemplanda in aqueo regno sese offerent, Majestatemque summam sapientissimi Creatoris exinde præclare elucescentem admirari laudareque argumenta sunt & stimuli. Si consideramus aquarum saltem originem, distributionem, conjunctas & sæpius prodigiosas proprietates, effectus & usus, nihil magis necessarium, nihilque magis utile ac admirandum reperimus. Aqua enim a qua omnia variarum in natura mutationum causa existit; omnia repurgat, magno fœnore ditat, innumeris multifariisque creaturis scatet, & sine aqua nihil crescit, aut nulla generatio, fœcundatio, nutritio vel auctio in omnibus naturæ regnis celebrari potest; nihil sine ea vivit, nulla sine ea humorum vel sanguinis progressio in vasis animalium, vel secretio, aut inutilium excretio perficitur; verbo, si pro utilitate juste æstimetur, nullis naturæ aut artis opibus valore cederet. Quis non miraturNili excursionem stato semper tempore & ordine procedentem, præclarum providentiæ divinæ signum, aridas & steriles terras irrigando & fœcundando? Quis est adeo a religione, quis ab humanitate adeo alienus, qui non singulas pluviarum guttas Benignissimi Dei mirabilia dona existimet? Quis intuetur fluxum & refluxum maris, qui non statim in admirationem rapiatur? Etsi omnia admiratione digna circa aquas, fontes & flumina animo volvere & literis consignare velimus, ingens sane volumen ea vix caperet, quare coactus mihi tempero, ut illa silentio jam prætermittam & nihil quam hoc addam: non indignum esse Christiano, qui reputet: Singulos fontes ostendere Dei T. O. M. magnitudinem. Scite PLINIVS, prodigia hujusmodi propemodum humana fide superiora suspiciens, inquit *L. XXXI. Hist. Nat. C. II.* Si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte majora esse miracula. Accepimus apud ethnicos multam aquarum dignitatem fuisse, oracula & numina ibi habitare, Græcos Latinosque putasse, quare sacram illam nominabant, atque omni reverentia dignam HESIODO Auctore *Oper. & dier. 256.* habebant

bebant ut & de Aegyptiis legimus Vid. COEL. RODIGINVM in *Antiquis lect. L. XXVII. L. V.* illos aquam adoraſſe, conſperſamque in populum vitia delere crediddiſſe. Eandem virtutem Perſæ aquis Mithræ, Græci Hiſſi, Juſtinus, Virgilius, Curtius, Romani generatim aquæ Mercurii adſcribebant. Divinum cultum tribuebant Cares fonti Salmacidi, Syracuſani Aretuſæ, Samii fonti Junonis, Græci Hippocrenes, Romani Blanduſiæ & Chamænarum & ſacrificia offerebant. Lacedæmonii ſtagnum non procul ab altaribus Aeſculapii, Phrygi Mæandrum & Marſiam fluvios, Aegyptii Nilum, Indi Gangem pro ſacris habebant, Romani quovis anno Id. 3. Octob. ut ex Varrone accepimus, Fontanalia ſua celebrabant, fontes ſertis cingebant, & in aquam flores ſpergebant, hinc natum illud: Si aquam hauris, fontem corona. Atque adeo jurantis ſponſione facta ad ejusmodi fontes perjurii ultores accedebant, ut Ariſtoteles de Acadino, Solinus de Sardiniæ, Philiſtratus de frigido Thyanæ fonte notant. Credebant etiam, quod dii & ſidera nutrirentur vaporibus ex mari & fluminibus aſcendentibus. Quare optime monuit Heſiodus, ut ne quisquam aquam tranſcenderet, niſi effuſa prius devotione precum.

Si denique ad fontes ſoterios & thermas accedimus, quam miram aquarum dignitatem deprehendimus in illarum natura, calore, effectibus! Quis eſt, qui illas non mirabiles plane dixerit? Sacras illas jam olim Ariſtoteles nuncupavit; alii ex priſcis ethnicis ut morbos ad iram deorum immortalium referebant, ita & ideo deorum manus illas vocabant, & eas maxima reverentia velut deorum munera adire relicto aut ſacro & voto ſolebant. His fontibus ut morborum domitoribus Ephydriades præeſſe putabant; Calderianos Junoni, Granios Apollini, Borbonicos Mammonæ, Albulas Hyegeæ, Cluſias Aeſculapio ſacrabant. Immo inter Chriſtianos quoque obtinet, ut a Divis nomina gerant: Nec immerito GREG. NAZIANZ. *L. II. Theol.* hæc balnea Dei gratuita munera appellat, pauperibus æque ac locupletibus communia & libera. Et profecto, ubi artis opus deficit humanæ, natura hic loco artis eſt, immo longe illam ſuperat. Nam ſi vera fateri velimus, optimam medicinæ partem hoc aquarum genus conſtituit, divina plane præſtat in morborum curatione, & quæ ab aliis remediis fruſtra expectantur, ubi omnes etiam auxiliorum apparatus vix ſufficiunt, divinum auctorem Deum T. O. M. agnoſcens atque non nihil ex benignitate miraculorum divinorum participans; unde & illud ultima appellatio Medicorum dicitur. Hæc officina eſt, in quibus Natura ipſa medicinam facit, artis ſuæ Majeſtatem infinitis miraculis quot diebus declarat atque confirmat.

Inter

Inter ejusmodi primas facile hodie numerantur Thermæ Hirſchbergenſes grato & dulciſſimo patriæ ſolo memorabiles; eas idcirco dignas habui, quas curatius conſiderandas aggrederer. His auſibus Deus T. O. M. veritatis & bonitatis fons inexhauſtus ex alto clementiſſime indulgeat.

CAPVT I.

Thermas Hirſchbergenſes ſecundum ſitum, ortum faciem conditionesque alias externas deſcribit.

§. I.

Sileſiæ felicis felicitati quoque thermæ Hirſchbergenſes famulantur, quæ in Sileſiæ inferioris Ducatu Jauravienſi juxta fines Bohemiæ, & montes, quos Ptolomæus, Sudetos videtur appellaſſe, verſus meridiem ſpectantes, ſitum ſuum obtinet. Hirſchbergenſes vulgo vocantur, quia ſupra Hirſchbergam (haud ignobile oppidum, ædificiis ſat elegantibus ornatum, civibus non infrequens, atque mercatura linteaminibus candefactis, aqud exteros quoque celebre) in pago quodam, ad quem ab ipſa campeſtri & amœno unius ſaltem horæ itinere itur, cui a thermis nomen (Warm-Brunn) inditum eſt, promanant, ut ſolent fere hi calidarum aquarum fontes locis in quibus ſcaturiunt, aut nomen & celebritatem afferre, aut a vicinis aſſumere, neque alio modo multa in Germania, Bohemia, Hungaria, Helvetia, Anglia, Gallia, Hiſpania alibique clara ſunt loca. In medio enim hujus pagi ipſæ thermæ monſtrantur, ædificiis binis ſeparatis circumſtructis conſpicuæ. Regio edita & tota eſt ferme montana, vallibus arborum virentium ſerie obſitis, ſylvis in magnum ſpatium diffuſis, & ſaltibus, proceris arboribus umbroſis, pratis gemmantibus, ſegetibusque ad proſpectum jucundis interdiſtincta, plana tamen & recta regione magis, minus in latitudinem ſpatioſa. Qua vergit ad orientem & ſeptentrionem, ad latera utrinque montes interpoſiti depreſſi magis, ventorum aditum concedunt, qui vario limine exſurgentes tandem paulatim cum aliis iisque altioribus coëunt, concatenatis eorum tractibus planitiem claudunt. Verſus meridiem præſertim in agros fertilisſimos ac prata lætisſima oculis ad milliaris ſpatium ad uſque arcem elatam decurrit, ubique objecta rerum facie qua nihil cerni jucundius venuſtiusque poteſt. Claret merito hujus loci ager ea amœnitatis laude, qua Flaccus Bajas celebrat. Exinde elati montes

montes ab hac plaga ad occidentem maxime ſe extendunt, pone quos perpetua prææltaque atque giganteæ prorſus molis montium, Sudetorum jugera jacent, quorum ſummus apex (*die Schnee-Koppe*) inter nubila ſæpe conditur. Cum itaque regio alta ſit & montana, ſaluberrima illa habetur. Hinc & Plato jam memorat, ſe in altiſſimis & temperatis regionibus inveniſſe valde longævos. Hinc & Apennini montes Lydiæ, Athos inter Macedoniam & Thraciam mons, eo nomine celebres ſunt, quod incolas ſanos alant atque longævos.

§. II. Solum eſt modice ſiccum & alendis frugibus ſat mite, ac arboribus & fruticibus reſinoſis, balſamicis plantis & herbis varii generis ſuave fragrantibus, (quarum major copia, quam vel in Hæmonio ſaltu & Colchide) quæ aërem attenuare & ſalubriorem reddere poſſunt, & paſcuis pecorum pinguibus & ſalubribus frequens exiſtit, ibidemque lætis inerrant collibus denſi greges. Interfluit pagum liquidiſſimus fluvius ex ipſis montium jugis promanans Zacka dictus, qui cum Bobera prope Hirſchbergam ſuas aquas miſcet, nomenque ſuum dimittit, quibus ibi confluentibus, jucundo ſpectaculo duos hos fluvios, colore aquarum differentes, aquis quaſi ſeparatis, ad tempus profluere (quod & de Rheno Lemanum lacum præterlabente & de Benaco memoriæ traditur) cernimus, usque dum magis magisque inter ſe commiſceantur, & deinceps montes, utroque latere prominentes, nemoribus obſitos recto alveo ſtringunt, & inter illorum anguſtias ad ſeptentrionalem regionem ſimul inter ſe uniti decurrunt. Inſuper variis aliis & perennibus cryſtallinis aquis, glareoſis, dulcibus dulcique ſtrepitu per rivulos torrentesque decurrentibus, & vel in media æſtate gelidis, guſtui non ingratis & optimis, ſalubribus (nec Nili ideo aquis ſecundis) abundat iisdemque rigatur. Nulli lacus nullæque paludes ibi inveniuntur, vel non tales, quæ aërem inquinare poſſent; Sic & perflatur aëre elaſtico, æquali, ſereno, puro, ſalubribus ventorum flatibus agitato, ad frigiditatem tamen potius inclinante. Idcirco placida Cœli temperies verno alias tempori maxime ſimilis, omnesque deinceps anni partes, pari ſalubritate percurrit; nec alia regio in tota Sileſia (ne majus quid dicam) ſalubrior habetur. Adeo benigno vultu reſpicit illam Cœlum, quam florida Sileſiæ Tempe non inconvenienter dixeris cum valli Sedunenſi & Carbathi convallibus comparandam. Jactet vicina Bohemia vid. BALBIN. *C. V. Miſc. hiſt. R. B.* aëris ſui ſalubritatem, Neapolis Neapolitani. Jactent Hiſpani ea propter Madritum & Granadam, Regnum & urbem Valentiæ, Aſiæ Aleppum ac Antiochiam, Aſiæ ac montem Li-

banum, Brasiliam alii. Jactent antiqui insulas Canarias, Fortunatas, urbem agrumque Atheniensem, nos aeris nostri salubritatem merito extollimus, quia patriam nostram commendat. Jure ipsa illi vendicat gloriam, quam Nonius Brasiliæ & Hispaniæ tribuit. Hinc & non facile morbi illi, qui ad levitatem & gravitatem sive tenuitatem & densitatem aëris adeoque ejusdem pressionem corporumque resistentiam facientem rationem vitiant, contagiosi, epidemici maligni, pestis &c. obveniunt, nec si aliunde forte illuc transferantur, diu durant. Incolæ ac accolæ inde quoque sani, vegeti, robusti, alacres, longævi, moribus integris & jucundis, apparent. Quo speciatim memoria subit VALER. HENR. VOGLERVM in *Dict. Comment. Cap. XXVI. p. 184.* observasse in thermarum accolarum corporibus atque adeo eorum facie, vim aeris ex igne subterraneo, quem supponimus, ejusque vaporibus exeuntibus calidioris ac siccioris deprehendi. Sicque in illis reperiuntur agris; quæ delectent, quæ juvent, aere, aqua & loco in communem quasi salutem conspirantibus.

§. III. Quumque regio ista plurima ex parte montosa sit, non modo varii salientes & irrigui fontes, innumeraque proficua vegetabilia, sed & multæ mineræ, metalla, etiam nobiliora (atque lapides &c.) illam commendant, quæ condit. Quare montes illos non telluris inania tubera, sed ubera non modo necessaria, sed & maxime utilia atque quæ ad elegantiam & perfectionem globi terraquei faciunt, verius habeas, ut & olim maximum lucrum ex illis redundabat. Siquidem hoc nostro quoque ævo per aliquot abhinc lustra variæ metallorum nobiliorum venæ hinc inde inventæ sunt, immo hodie adhuc debito instrumento adhibito, multis in locis vicinis illæ patefiunt. Ne multus nimis in recensendis illis videar, de singulis remitto B. L. ad Schwenckfeldium, Hennelium aliosque, saltem additurus, quod magis ad præsens facit institutum, atque ad ortum, indolem & ingredientia thermarum demonstranda, (aquæ enim a mineris locorum suorum natalium participare solent) nimirum dari circa Hirschbergam & in montibus Riphæis fama celebratissimis illis a Riphato Gomeri filio, Riphæorum Sarmaticæ gentis Principe, (ut Ptolemæi lectio habet) dictis & fabulosis infamibus larvis, varios fontes sulphure scatentes, dari & alios vitriolum & ferrum continentes; quin immo acidulæ binæ in ipsis montibus Sudetis & adjacentem pagum Seidorf reperiuntur. In ipso pago juxta molendinum, rivulus a pagis & montibus adjacentibus excurrit, qui secum copiosam terram luteam, particulas ferreas continentem, advehit, Schmideber-

debergæ divites ferri fodinæ habentur, in pago Schreiberſau alumen & vitriolum confectum eſt, argillæ quoque varii coloris, nigræ, albæ, luteæ, rubræ circa Hirſchbergam, circaque pagos thermas adjacentes ſe produnt.

§. IV. Aeſtimato loco, cœlo & terra, quorum æſtimatio in ejusmodi ſcrutinio utique neceſſaria eſt, atque anſam concedit, ut natura & particulæ ſpecificæ, quæ ingrediuntur, felicius evolvantur, ſimulque ſalubritatem quandam indicat, quoniam aquæ de illorum puritate participant, jam propius accedamus, ut fontes noſtros perſpiciamus. In ipſo pago Warmbrunn thermæ noſtræ ex duobus diverſis fontibus, exiguo intervallo inter ſe diſtantibus, placide ſcaturiunt: uterque hodie ædificiis binis ſeparatis circumdatus eſt atque concluſus; intus totum thermarum ambitum tepidaria atque apodyteria in uſum balneantium circumveniunt. In medio illorum ædificiorum colliguntur thermarum aquæ in ſcrobibus effoſſis, qui uterque circulo fere ſexangulari lapideo incluſus eſt. Alter ex his fontibus ad Illuſtriſſ. Familiam Schafgotſchianam & ſanguine & virtute claram propaginem, alter ad Abbatiam Grüſſenſem ejusque Præpoſituram ibi conſtitutam pertinet. Uterque æquali fere ambitu, latitudine quinque circiter pedes, profunditate totidem fere cubitus complectitur, ut in ſingulo XX. homines ſimul ſedere ad mentum usque aut ſtare poſſint. Quo longius ad inferiora verſus protenditur ille, qui ad Cœnobium pertinet, paulatim ſubjectæ petræ arctius coëunt, & anguſtius inter ſe ſpatium aquis relinquunt. Ex his ſaxis partim arte, partim natura, partim vi aquæ profluentis excavatis, continuo & æqualiter aqua ſcaturit non ſine curioſorum ſpectatorum oblectatione ac admiratione, fundus glaream, cum lapillis albis lævibus atque rotundis a Schwenkfeldio Tr. de Sil. foſſ. ophthalmicis dictis, & lutum, tanquam fontium matricem atque fomitem, quo vapores quidam ſubtus exhalantes concentrari & in aquam converti poſſunt, ſulphure, bitumine, granis ferreis mixtum, fuſco ex viridi luteo cœruleoque colore variegatum, tenet. In altero ex ſaxoſo quidem ſtrato, ſed argilla & luto molli, pingui, lento, cœruleſcente, copioſo, arena intermixta tecto, diverſis in locis diverſæque ſcaturigines proſiliunt. Si ad ſummum faſtigium pervenerint aquæ defluentes, per canales educuntur, & deferuntur ad lavacrum pauperum dictum, pauperi nimirum plebeculæ liberum relictum, & ex hoc tandem iterum in alia ſcrobe colliguntur, quæ deinceps balneum equorum dicitur, in quod nempe equos paralyticos, defatigatos, debilitatos variisque morbis cor-

ruptos, equiſones ducunt, ex quo in præterfluentem fluvium, Zakam defluunt. Si exhauriuntur fontes ad ſummum repleti, ille, quem Dn. Præpoſitus Cœnobii poſſidet, intra III. cum dimidia horas circiter, tardius vero ad dimidiam ferme horam Illuſtriſſimi Domini Comitis fons aquis iterum adimplentur, & ad fundum uſque deſcenſos (homines) aquæ ſenſim ſcaturientes in altum ſimul evehunt atque protrudunt.

§. V. Thermas intrantes in limine ſtatim odorem lixivioſum, ſulphureum fumum ac tenebroſum offendunt; plus autem odoris ſulphurei & lixivioſi in Thermis Schafgotſchianis deprehendes. Aqua in utroque fonte limpida, clara, pellucida, ex albo cœrulea eſt; Schafgotſchianarum tamen Thermarum color ordinario magis turbide albicat, cum multis exorientibus & candentibus bullulis conſpicitur, & ad cujusvis tolerantiam calida utraque aqua deprehenditur. In ſuperficie tenuis quaſi cremor rarus, pinguiuſculus, interdum integræ bituminis, maxime in thermis ad Abbatiam pertinentibus, particulæ, plumarum inſtar flocculorumque interdum & cinerei pulviſculi quaſi internatant. Ubi iterum defluxit aqua & per aliquod temporis intervallum ſubſiſtit, ex condenſatione forte particularum exhalantium a premente aëre, cuticula craſſior & ex cœruleo obſcura, flavis ac ſplendentibus punctis & maculis diſtincta, odoremque ſulphureum ex parte redolens, cernitur. Subjectæ petræ, tabulæ ligneæ, mucus viſcidus, immo interdum materia ſulphurea florum ad inſtar ſulphuris aſſeribus ſuccinctis adhæret. Sic & in ſaxis, ſuper quæ defluunt aquæ, relinquunt tenuem & viſcoſam, & in tranſitu tandem ochram albam, gypſeam, atque ex atro cœruleum lutum & ſpumam, friabilem & in fiſtulas quaſi (quod ſingulare) digiti & manus longitudinem æquantes cuſpidatas formatam, ad canalium latera deponunt, quæ ex molecularum in aere frigidiore ſeparatione, præcipitatione, exſiccatione & coagmentatione per defluxum aquarum thermalium ſubnaſcuntur, ſimili propemodum modo, ac videmus, naturam in coralliorum generatione procedere, de quo videndus BOCCONE *obſerv. III. p. 53. & 57.* æque ac artem, quando e marmore aut lapide detrito addita quantitate quadam reſinæ aut olei lini maſſa formatur, quæ a coctione in duriſſimum lapidem abit. Atque ſuſpicor, fundamentum illarum (fiſtularum) fibras eſſe ex canalibus ligneis avulſas, ad quas ejusmodi materia tartarea præcipitata apponitur, ac ſic fundamento quaſi poſito & apice deorſum aqua ſtillante, fiſtulas has quoque formari.

§. VI. Duos hos fontes circumveniunt domus, ad uſum quidem potius quam cultum exſtructæ, in quibus advenæ commoda domicilia inve-

inveniunt. Cæterum omnia ad victum, necessitatem ac commoditatem vitæ pertinentia, mediocri pretio venalia prostant, nihilque deest, quod ad suavem sustentationem requiri possit, & quod forte pagus negat, Hirschberga facile dabit. Multa enim, quæ in deliciis alias haberi solent, indulgentia almæ Naturæ huic nostræ regioni indulsit, & quæ non sunt hujus regionis, importantur a finitimis Bohemis, Hungaris, atque Polonis. Ad ambulationes instituendas, motioneque corpus exercendum, simulque per eas animum recreandum & oblectandum, non tantum ab Illustr. & Excellentiss. D. Comite in hortum prope arcem conspicuum exspatiandi libertas conceditur; sed & invitant & vel aspectu suo movent circumjecti patentes virentesque campi amœnissimi & nemora, quæ oculos animosque, jucundissima varietate, oblectant: Namque invenies atque conspicies in oblongo quasi amphitheatro ut dictum, hinc inde jucundissima ambulacra, mirifice hominum animos recreantia. Si enim planitierum æquabilitatem, camporum ac pratorum viridaria amas, virentia ubique germinantis & fluctuantis segetis arva videbis. Si colles mavis, non procul diversos eosque amabilissimos arborum frondentium multiplici umbrifera serie delectantes, florum fragrantium suavissimos odores spirantes, offendes. Si vallium delicias perlustrare velis, si vertices montium editiores quæris, in quibus circumjacentium regionum, ac amœnæ varietatis naturæque parturientis variegatæ voluptatis, in longum latumque, intuitus est amœnissimus, undique præsto sunt hæc omnia. Si petrarum declivitati adhærere aut si antrorum latibula perreptare tibi volupe sit, si nemora & sylvas umbriferas & grato diversarum avium cantu resonantes, si flumen, rivulos, torrentesque suavi cum strepitu excurrentes, gammaris & pisciculis plenos, quos vel manu posses prehendere, præferas, in vicinia spectabis Visuntur undique egregio spectaculo cominus eminusque pagi, visuntur arces, hic vetustate, illic novitate se ostentantes. Ut taceam jam de multis ingenua libertate & festivitate conjuncta, mutuis urbanitatis officiis, honestis, hilaribus, amicisque colloquiis & conversationibus, quibus in ipsis balneis, omnique tempore opportune convenientium conciliantur animi. Dignantur hic singuli eos amicitia, qui accessum & notitiam quærunt & pro sua sorte unusquisque ad consortium comitate admittitur, inferiores gratiam ineunt superiorum, hi largiuntur eam illis, amica & hilaris familiaritas inter æquales stabilitur. Est hic certe major quam alibi animorum voluntatumque consensio, & societas, fides ac benevolentia mutua, quibus sociabilitas locupletatur atque augetur.

tur. Nec non obvenit varia alia non raro animum laxandi occasio. Quæ cum ita sint, non mirum esse debet, si peregrini his commoditatibus allecti, quotannis ex dissitis etiam locis, non solum incolumitatis recuperandæ, aut saltem stabiliendæ & in plurimos dein annos conservandæ, sed & integra (valetudine) etiam alias valentes, auræ vitalis ac salubrioris hauriendæ, atque suaviter vivendi animúmque recreandi oblectandique causa, primæ quoque dignitatis personæ atque ejusmodi, quibus in deliciis vita est posita, numerose accedant acaliquandiu ibi commorentur.

§. VII. De initiis, quibus ortæ sunt thermæ nostræ, hoc scire licet, prout accepta a majoribus memoria refert, quod nimirum inventio & instauratio earum Boleslao Crispo Silesiæ Duci Anno MCLXXV. debeatur, qui amore amœnitatis loci venationumque opportunitate ductus, has oras sæpius accessit, diuque ibi consedit, cui venatores, cum feras prosequeretur, hos fontes calidos casu inventos, indicaverunt, ex quo sic excitatæ sensim in annos augeri cœptæ sunt, atque celebritatem magnam, qua hodie gaudent, acquisiverunt.

CAPVT II.

Originem & causas thermarum generatim & speciatim Hirschbergensium exponit.

§. I.

Thermæ eandem sine dubio originem, ac alii fontes simplices agnoscunt; unde autem fontium origo atque aquarum varietas sit deducenda, autores variant sententiis. Existimant multi, aërem condensatum esse fontium causam, esse vapores aqueos a calore ignium subterraneorum resolutos & per poros terræ elevatos, atque demum frigore torpescentes, sicque in aquam iterum conversos &c. Et dum ex mari per anfractus terræ aquam deductam & collectam præsupponunt, usque dum a calore in vapores resolvatur, dulcedinem huic destillationi quasi adscribunt, mediante, qua partes salinæ in poris terræ deponerentur, atque remanerent, ex quarum collectione & concretione sal fossile, salinas &c. deducunt. Quæ a R. des Cartes *P. P. IV. p. 122.* egregie ficta atque picta apparent.

§. II. Verum judicet, qui volet, statuat, qui potest. Cur ego ab illis

illis diſſentiam, cauſæ mihi bene multæ ſuppetunt, quæ me hortantur ac movent, ut illa in aquam, quod ajunt, mittam, & Bartholini veſtigia premam, qui faciliorem & commodiorem viam demonſtravit, & ratione & ſenſibus magis conſentaneam experimentisque firmatam, ut non neceſſe habeamus circuitione hac uti, & longius petere argumentum. Explicaboque illud, ne ratio deſit aſſerto, nec vires rationi: Scilicet non negandum eſt, quod jam lateant latices, a Deo Omnipotentiſſimo & ſapientiſſimo hujus univerſi conditore, tertio creationis die concreati hinc inde, & hydrophylacia, ſtagna, lacus, rivi, in terræ viſceribus, ibique ſimul diſtributam eſſe per diverſas terræ partes magnam aquæ copiam etiam in altiſſimis ſæpe montibus uti de Canato Citerioris Hiſpaniæ, de Meliboco & monte Pilati prope Lucernam & Cimino Hetruriæ refertur, habentur & in ipſis vicinis montibus Riphæis binæ iſtæ piſcinæ vel potius lacus, quorum aquæ ſubterraneæ & per canales ſuos fluunt, refluuntque; Conſtat hoc ex multis Autorum obſervationibus & relationibus, teſtes & hujus rei ſunt qui terras confodiunt qui fere ubique terrarum ſpatio ad ſummum viginti pedum, vel ſaltem ſex ulnarum interdum perfoſſo, aquas proſilientes, ad minimum terram, arenam aut argillam humidam offendunt. Sic P. Kircherus, Voſſius, Colbertus, aquarum receptacula, Seneca & Plinius in ſubterraneis regionibus magnam inveniri vim aquarum jamdudum tradiderunt, minusque hinc Platonem atque Poëtas fabuloſos pronunciamus, qui in imis terræ oceanum tartareum, Stygem, Cocyrum Phlegethondaque confinxerunt. Ad hoc, in propatulo quoque eſt, plurimis in locis ubi ſero raroque pluit multijugi ſcaturigine fluentes rivulos reperiri, ut fuſe probat Rob. Plot. in *Tentam. Phil. de Orig. font.* Largiamur Ariſtoteli, hinc inde, aliquam ex vaporibus ſubterraneis in luto tanquam receptaculo collectis atque concentratis aquam generari poſſe, fluuntque & fluant multi fontes & flumina ex Oceano & mari immediate, quæ hinc ſalſugine abundant & æſtuante mari effluunt, recedente decreſcunt, per preſſionem, per gravitatem, perque fluxum refluxumque ejus atque per occultos cuniculos arenoſos, non tantum vicinis ei in locis, ſed & interdum per arctos exitus ſatis remotis; (quamvis compertum ſit, loca mari proxima fontibus fere deſtitui.) Quis tamen temere credat, fontem thermarum noſtrarum & vicinorum fluviorum Boberæ atque Zakæ in Sileſia e mari excurrere? Hic usque aqua hæret. Minime igitur exiſtimandum eſt, hanc vel illam cauſam ſolam ſufficere ad conſtituendos tantorum & omnium & ſemper & ubique fluminum perennes fontes atque illorum originem.

Taceam,

Taceam, a ſtaticæ & naturæ legibus valde alienum eſſe, aquas ex mari tam longe lateque penetrare, & ſubterranei ignis ope per compactam terræ compagem deſtillari; aqua enim vix ac ne vix quidem in tantam altitudinem poteſt aſcendere; nam montes ad adeo altum faſtigium ſupra ſuperficiem maris, cujus computum Clariſſ. Scheuchzerus iniit, aſcendunt. Hoc etiam poſito, fontes ſemper atque conſtanter eandem aquæ copiam redderent. Quod dentur hujus rei plures cauſæ, exponit multus in hoc argumento, nec indiligens cenſor J. Vossivs de Nili & aliorum *flum. orig. c. V.*

§. III. Perinde pro vero accipio, quod maximum non modo incrementum augmentumque ſine dubio a pluvialibus aquis nive, quæ in altioribus montibus per totam æſtatem remanet, liqueſcente, grandine, pruina, rore vaporibusque humidis ubique præſentibus quotidie ingenti copia ex mari aliisque ſtagnis & fluminibus evectis aërique immixtis in media ejus regione noctеque frigefactis ſicque in humorem aquoſum atque pluviam rurſus converſis atque in terram recumbentibus maxime hæ aquæ ſubterraneæ ſuſcipiant, quæ per poroſam, arenoſam telluris ſubſtantiam per lacunas, hiatus, rupium rimas commiſſurasque penetrant, deſtillatione quaſi perpetua uſque dum & quandoque per CCC. pedes deſcendendo ſecundum Joh. Raji computum loca lutoſa, argilloſa & ſaxea, quorum ingentia ſtrata ſub terra & frequentius ad montium apices dantur, de quibus Kircherus in Mundo ſubter. teſtatur, offendunt, quæ ita ſunt comparata, ut tabularum ad inſtar ſuper tabulas poſita ſint, eum propemodum in modum, quo flumina inundantia diverſis temporibus loca demiſſa, variis materiis replent, quæ quoad figuram, magnitudinem, extenſionem, ductus, varia ſunt, quibus in ſtratis fundamentum generationis fontium conſiſtit, ubi in pelvi velut colliguntur aquæ, & cum ſæpius hoc fiat, alveos ſibi formant & poſtea ſubinde aliarum affluxu auctæ & ex plenis receptaculis ſuis qua data porta, per occultos meatus perque certos canales, ex terræ gremio, aut ex his ſtratis effluunt, atque ſurſum tanquam ſponte ſua in illa & per lapidum exiles amellas quæ huc faciunt ut experimentis demonſtrat Emanvel Swedenbovrgivs in *Miſcell. Obſerv. circa res nat. p. 48. ſeq.* feruntur. Adſcenduntac proſiliunt pro diverſitate diverſa altitudine ſcaturiginis variis ſaltibus quemadmodum videmus in plantas, arbores, ramos foliaque earundem ſuccum ſurſum & ad uſque cacumen eniti; atque aliunde ſcimus, in tubulis vitreisquo exilioris cavitatis iidem ſunt eo altius aquam aſſurgere. Hinc & obvenit, ut diverſæ indolis aquæ ex uno quaſi loco & acidulæ nempe

prope

prope aquas simplices calidæ, prope frigidas, uti in nostris fontibus, &c. prosiliant. Nec absonum hoc consideranti videtur: fontes reperiri maxime in locis humilioribus, vallibus, montium radicibus, in quæ loca ordinario major imbrium copia quam in planum cadit, & omnia fere grandiora flumina, ex perennibus, arborum reliquarumque plantarum, ex quibus copiosissimæ exhalationes humidæ continuo excitantur, denso agmine consitorum montium altissimorum, vastorum atque in longam seriem dispositorum jugeribus, atque ex illorum occultis meatibus provenire, atque non facile aliquis reperietur mons, e quo nullus vel fons vel rivus vel amnis neque mediate neque immediate derivetur & quo longior, quo magis continuus montium tractus; quo montes altiores, eo copiosiores, diuturniores & in altum magis prosilientes, limpidiores quoque, puriores & salubriores (quoniam altius feruntur, ubi impuritates separantur) dari fontes; In campis vero patentibus flumina omnino pauca ac fontes fluere, uti pulcherrime evidenterque præ aliis locis in valle in Kachimiro a Bermierio descripta in Descript. Regni Mojolis cernitur. Conveniens, nec inelegans Regis Prophetæ DAVIDIS lectio est, *Ps. CIV. 10.* Tu scaturire facis fontes in convallibus, ut inter montes fluant &c. Ob quam solam causam, ad fontes nempe constituendos, juxta bene multos alios usus, montes perquam necessarios pariter ac utiles esse censeo, ac ideo etiam Dei Omnipotentis & Sapientissimi rerum Conditoris opera ejusque providentiam admiror ac veneror. Neque impossibile æstumanti apparet, tam vastum jugerum montium spatium & tantam copiam aquarum pluvialium capere & in sinu colligere posse, ac guttas pluviales vel in exiguo temporis v. gr. unius saltem horæ spatio, magnam aquarum copiam conferre; cujus rei calculum congestum legere potes in HAPPELII *Mundo Mirabili P. I. Lib. II. Cap. V.* Si & ulterius perpendimus, res evadet certior, in illis nempe montium cacuminibus, ubi aër semper frigidior existit, nubes & vapores, concentrans, condensansque per continua & integra illorum dorsa frequentes dari vapores, unde quotidie fere observantur nebulæ & spissæ nubes pluviam continuo stillantes, licet in vallibus serena tempestas existat, vel in convallibus quoque illorum, qui nubes excedunt, quod de Olympo, Acho, Tenariffa, Pericaca (monte Peruviano,) monte Veneris in agro Patavino, Apennino &c. dicitur, quorum ad cacumina, neque ventus, neque pluviæ unquam pertingunt, quoniam atmosphæræ humidiores exhalationes adscendere usque ad horum apicem vix possunt. Immo quandoque serena satis tempestate ex improviso imbres

ingentes inibi cadunt; quod in vicinis noſtris montibus Riphæis ordinario fere experiuntur ibi degentes, & ſpectri illius noti, vel ficti verius ludibrio, vulgo Rupicinæ (Riebenzahl) adſcribunt creduli.

§. IV. Dictis facit fidem Halley, qui in montibus S. Helenæ Inſulæ tantam condenſationem vaporum etiam ſerena tempeſtate expertus eſt, ut intra XV. minuta vitra guttis ita madefierent, ut eſſent abſtergenda, & charta tam brevi tempore ita inficeretur rore, ut atramentum humore dilueret. Quantum decrementum per dies ſingulos fluvii experiantur aëre ſicciore exiſtente, quantumque e contrario creſcant pluvia per paucos ſaltem dies durante, vel nive liqueſcente, nemo non novit, atque præter alios RAIVS *l. c. p. m. 135.* de Anglia literarum monumentis teſtatur. Hinc in deſertis Arabiæ, aliisve locis calidioribus, ubi raro pluit, rariſſimi quoque ſunt fontes, & perpauci amnes, vel plerumque mox deficiunt & qui fluunt, ex longe diſtantibus locis deferuntur. Quin immo obſervamus, quod iſta flumina, quorum præcipua primordia ex altiſſimis & vaſtiſſimis montium jugeribus, devolvuntur, non adeo facile exſiccentur. Sic celebratiſſimus fluviorum, Nilus Ægyptum ejusque arenoſum durumque ſolum, Niger Nigritiam inundant atque fœcundant, exiſtente maximo ſolis calore, quia nimirum in Abyſſina, unde fluunt, ex montibus forte Lunæ & Thala tunc temporis imbres cadunt copioſiſſimi, per longum temporis intervallum, & nives liqueſcunt. V. P. DV VALL. *Geogr. G. P. I. p. 189.* Pariter Menam fluvius regnum Siam rigat, quod accidit vernali tempore, quando per tres integros menſes pluit, vid. MANDELSLOH. *Itinerar. P. III. p. 184.* Jeniſcea & Divina Moſcoviæ fluvii Martio & Aprili ex liquefacta nive & pluviis adeo augentur, ut ille regionem LXX. milliarium, quam ad latitudinem excurrit, riget. Vid. TALANDERS *hiſtoriſche Reiſen B. II. p. 7.* Hinc modo laudatus Halley, fluvii alicujus magnitudinem aquarumque, quas exonerat, quantitatem, proportione reſpondere longitudini atque altitudini jugerum, unde ejus ſcaturigines exſurgunt, aſſerit. Qui fit, quod thermæ piperinæ in Rhætia magno ſtrepitu aquarum erumpant quotannis circa initium Maji, & deſinant fluere circa medium Septembris? Non eſt, cur dubitemus, cauſam hujus fluxus eſſe nives, tunc temporis in altiſſimis montibus liqueſcentes. Similiter fons Tophanus, dictus Ananiæ, in Campania hyeme ſiccatur, ineunte vere vero & per totam æſtatem aquis abundat. In Valleſia reperiuntur fontes quoque tales & in Hiſpania & Scotia. Rhodanus fluvius & lacus Lemanus æſtate ſemper majores ſunt, quam hyeme. Et ſi (quod curſim ſaltem addo) in regioni-

bus

bus calidioribus rariores sunt pluviæ, copiosiores tamen accidunt rores tanquam pluviarum vicarii; (hinc etiam apud nos videmus, quod quando mane ros non decidit, eadem die pluat): quare a PLINIO *H. N. L. II. c. LXII.* roscidæ æstate noctes Africæ memorantur. Addendum & hoc est, quod fluminum fontes parvis & diversis rivulis ex diversis & dissitis sæpe locis exorientibus, primum erumpant, usque dum in itinere plures rivi illis accedant & molem aquarum magisque augeant, & omnes in progressu majores fiant. Nec est, cur S. Scripturæ locus *Eccles. I, 7.* ubi dicitur, quod omnia flumina ex mari fluant & iterum refluant in illud, ab hac sententia nos deducat, cum facile conciliari possit, statim quoque comparet indicium, quod vapores ex mari & deinceps fluminibus adscendentes, per ventos forte in longinquum propulsi, fluminum futurorum incrementa sint & rudimenta, quæ omnia iterum tandem se in mare exonerant. Ut quis æstimare possit, quanta vis vaporum exinde toto die adscendat, demonstratum reperiet in D. CLERICI *Phys. T. III. L. II. c. VIII. p. 189.* Hunc in modum Mariotte & Perrault computaverunt, quod solum plures imbres per annum cadant, quam singuli fontes aquam reddant. Nam præter mare & fluvios vapores quoque ex terra, quæ quidem sua natura siccissima, attamen ubique humida (alias ejus partes ita non cohærerent, nisi per aquam compingerentur) aliisque corporibus elevantur, quod observare licet die calidiori & aëre quieto existente, ex terra humida tantam vaporum copiam adscendere, ut crassæ exinde nascantur nebulæ. Exacte huc quadrat illud Hermetis simulque mira & perpetua fluidorum in terra circulatio colligitur. Quod est superius, simile est ei, quod est inferius. Quæ res adeo manifesta est, ut existimem, non ulterioris egere probationis: Hinc statim a principio mundi vapores e terra adscendisse, & ejusdem totam superficiem irrigasse, in Genesi legimus, & nubem de mari adscendisse & largissimos fudisse imbres. Altiora flumina cæterum & lacus, deinceps alios fontes & rivos humiliores, dum intus ab iis emanant, concedunt, & hi rivuli collecti aliud iterum flumen &c. hinc videre est circa grandiora flumina copiosiores fontes, rivulos, thermas, acidulas scaturire: quamobrem reperies fontes, qui pro illorum incremento aut decremento decrescunt aut augentur. Rursum multi dantur lacus & flumina, quæ per cryptas subterraneas se abscondunt, & longe dissito demum terrarum spatio iterum proveniunt, interdum longe minora, indicio, in itinere sub terra rivos aliorsum mittere, quo nomine noti sunt fluvii, Rhenus, Albis, Tigris, Alpheus in Achaja, Anas in Hispania, (ho-

 die

die Guadiana) Lycius in Asia, Timavus in Istria, quidam in Carniola rivi & lacus vid. VALVASSOR. *Ehre des Hertzogthums Crayns T. I. p. 161. seq. & p. 541.* Exinde si revocare animum ad praecedentium memoriam libet, ratio causaque repeti potest, cur fluvii interdum, si aquis praeter modum abundant, annonae caritatem praesagiant, deficiente nimirum deinceps humiditate in poris terrae, quod inprimis notatur de Lucalibus aquis, in agro Senensi, Sancti Reguli fonte ad Pientiam, lacu Vadimonis in Italia. De alio fonte Candiae idem accepimus. Adeo haec vera sunt, ut jam existimem fontes nostros ortum suum trahere non ex Oceano, (quoniam haec petitio nimis esset diffita) sed ex vicino fluvio Zaka, vel ex montibus vicinis.

§. V. Quando igitur hae aquae subterraneae totum orbem terraqueum undique mediantibus fontibus inibi latentibus transeuntes per mineras, vel juxta illas decurrunt, & variae partes illarum solutae illis vel solidae vel fluidae vel sub vaporis specie, pro varia partium minerarum indole atque conditione, copia, mixtura varie componuntur, miscentur atque in poros illarum tanquam vehiculi percipiuntur, ad superficiem tandem terrae simul vehendae; (sub terra enim aeque ac supra eam semper mutationes occurrunt atque destillationes, filtrationes, coagulationes aliaeque chymicae operationes instituuntur, caloris potissimum subterranei ope) varias constituunt aquas minerales medicatas, fontes soterios, acidulas, & thermas, quoque citius ex terra mixtae & calefactae &c. effluant; eo calidiores, eoque vegetae magis deprehenduntur. Memorandus inter exempla hujus rei Hymera Siciliae fluvius, qui postquam egressus aquarum facit divortium, ea pars, quae vergit ad Aetnam, ob purum solum, gratam dulcedinem, altera vero, quae salsas praeterfluit fodinas, ingratam salsedinem refert. Pariter Hyparis fluvius in Ponto per multa milliaria a fonte suo dulcissimus est; in transitu vero fontem quendam recipit, ex quo per multa iterum milliaria amarulentus fluit.

§. VI. Rursus ipsae hae aquae, de mineris aliis illarumque exhalationibus minus laudabilibus, arsenicalibus, participantes varia nocumenta, morbos afferunt; ut annotatum est: aquas, quae per plumbeos canales excurrunt, colicam, dysenteriam, tremores artuum & pallidum corporis habitum efficere; Multae ejusmodi in Aethiopia inveniuntur aquae, in Alpibus, & quibusdam Italiae locis circa Ligerium, Duriam & Padum fluvios, in Insula Chio, Susis Persarum, Insulis fortunatis. Alias, recensent Vitruvius, Seneca, Plinius &c. In Troecenis, Vitruvio teste potae

pedibus

pedibus vitium contrahunt. Plura collegit AGRICOLA *L. II. p. 544.* In vicinia circa Schmidebergam & pago Hermans-Seiffen plurimi ſcaturiunt fontes, quorum aquæ potæ ſtrumas procreant; Fontes hi limpidi conſpiciuntur, ſaporis & odoris expertes, aquæ decoctæ, vel evaporatæ, limum flaveſcentem relinquunt in fundo, cum reſiduo pingui ſubnigricante diſtincto, acrem referente ſaporem.

§. VII. Dari vero exhalationes minerales aëreas metallarii ſciunt, quæ non raro adeo ſunt fortes, ut arbores, herbas &c. afficiant, atque comburant; eapropter & vulgus loca, in quibus frutices, arbores & gramina non creſcunt, vel arida & exuſta & marcida quaſi conſpiciuntur, metalla intus continere, nec ſine ratione affirmat. Quin etiam referente BECHERO in *Phyſ. ſubterran. p. 71.* ejusmodi exhalationes ad aliquot milliaria, nares hominum petunt. Porro in ipſo mari obſervamus ejusmodi exhalationes oleoſas, pingues & ſulphureas, cum variæ coagulationes ibi reperiantur, quales ſunt: ſuccinum, ambra &c. Quin immo multi reperiuntur, qui virtutes lignorum, florum, herbarum, fruticum, exhalationibus mineralium adſcribunt.

§. VIII. Ab aqua ad ignem, corpus illud fluidum, particulis ſphæricis reflexibilibus conſtans, ubique in rerum natura, in terra, aëre, diſperſum, ne aquam (ut ajunt) perdamus. A calore thermæ dicuntur, ac nil niſi calidum fovent, ſpirantque. Unde vero calor illarum proveniat, hoc opus, hic labor eſt, qui eruditorum omni tempore torſit torquetque adhuc ingenia. Et ſane calor iſte perennis isque in quibusdam thermis maximus, omnibus illum intuentibus poteſt eſſe mirabilis. Fateor equidem, maxime Ciceronis effati memor: Multa eſſe, quæ nos fallunt, probabilitate magna, quanto ſubterraneorum, utpote abditorum fiendi modus abſtruſus & obſcurus, tanto difficilem aditum in naturæ laboratorium, tantoque difficiliorem ejusdem cenſuram eſſe. Et quis eſt adeo oculatiſſimus Argos, qui in hanc officinam perſpiciat? Quis quæſo lapidum, quis metallorum &c. geneſin vel ad oculum vidit, vel evidenter expoſuit? Attamen ſi experientia & principia mechanico-phyſica & chymica in auxilium vocentur, non dubito, quin afferri poſſit vel adeo probabilis conjecturæ argumentum, quod quemvis facile conſentientem promittat. Mitto itaque baratrum Platonicum, ex quo, tanquam ex centro terræ inibi perpetuo hoſpitantes ignes per meatus terræ apertos, continuo ſpargi & aquas has calefieri, quidam ſomniant: Nondum enim nobis ſatis illud probatum, ſtabilitum atque explicatum, cur tam pauci tantum fontes calidi profluant, &c. dederunt. Mitto

 Ariſto-

Ariſtotelis ſententiam, lavacra calida a ſulphure admixto calefieri, cum multæ thermæ omni ſulphure deſtituantur. Mitto flatus, ſpiritus calorificos, vapores, unde calorem terræ proprium cum Mileo & de Dontis Jul. Alexandr. Leon. de Capua & Horſtio derivant aliqui, & aquam calefieri exinde volunt. Mitto ventos, quos per terræ meatus patulos intus penetrantes, ibidemque vapores calidos in centrum quaſi ad inſtar vaporum in nubibus colligentes, & tandem fulgura & tonitrua producentes, aquas fervidas efficientes, ſibi alii fingunt. Sed unde illi vapores jamdum calidi, vel iſta calorifica virtus in terris? Annon calor illorum aliam adhuc cauſam præexiſtentem requirat? Unde dein calor ventis abſentibus & finitis? & quis ſibi facile concipiat, quomodo calentes ex profundiſſimis terræ abyſſis vapores divagantes iterum in uno quaſi puncto coire poſſent? Poſſibile an ſit vapores per frigidas terras vagantes calorem tantum diuque retinere? Mitto & aquarum velocem curſum, & illarum ex alto deſcenſum, quem aliqui allegant, motu ſuo aquas calefacientem, ſicuti aliæ res motu ſolo calefieri aſſolent. Sciant motu quidem illa calefieri, quæ ſulphur ſecum vehunt; illud vero ubique in aqua non dari, conſtat: Neque argumentum ab incaleſcentia maris ventis, biduo vel triduo agitati omni exceptione majus eſt, alias & flumina, quæ velociori præſertim feruntur curſu, uti Tigris, vel ubi magno aquarum ſtrepitu cadunt, vel illiduntur, & aquæ in machinis hydraulicis varie exagitatæ, commotæ & ex alto deſcendentes incaleſcerent. A vero longe quoque aberrare videntur illi, qui calorem ab antiperiſtaſi quadam, a frigore facta cum Joh. Nardio Tr. de igne ſubter. deducunt; hoc enim ſi eſſet, ubique etiam terrarum, ferventes ex parte terræ corticali, ſcaturire deberent aquæ. Multo minus illorum argumenta philoſophica ſunt, qui radiis ſolaribus per terrarum poros penetratis, ac in profundo roboratis, fortiusque calefactis fervorem thermarum adſcribunt: Quomodo hi in tam remota & dura ſæpe ac ſaxoſa loca atque profunda aquæ penetrare poſſent, cum conſtet ad duos ſaltem paſſus, ſolem pertingere? Quomodo æqualem & conſtantem hyeme & æſtate, nocte dieque, ſemper calorem efficeret? & cur non etiam calor ſolis ubique interdiu præſens alios & omnes fontes atque rivos calefaceret? Idem judicium eſto de illa opinione ac ſi fulmen calefaceret aquas. Philoſophos Stoicos, Zenonem, Cleantem, Chryſippum &c. inſitum aquarum calorem volentes, ſecutus forte eſt Paracelſus, opinatus, & aquas calidas a Deo in creatione mundi ſtatim & frigidas conditas ſegregatasque denuo eſſe. Fabula ſtatim ſe prodit hoc indicio, quod

quod iterum refrigeſcant, quod vero minus fieret, ſi calor iis concreatus eſſet, ſed & indefeſſo HEINRICI ROCHAE Autoris Galli, labore refellitur, qui deprehendit, aquam frigidam demum calefieri. vid. *ejus Scrut. therm.*

§. IX. Majorem paulo ſpeciem præ ſe fert ex Chymicorum ſchola deſumpta ſententia, qua calorem ex effervefcentia acidi & alcali calcis vivæ, vel ſimilis materiæ & aquæ invicem coëuntis eſſe aſſeritur, hinc præſupponunt in terra latentem calcem, quam, aqua frigida accedens accendat &c. Verum enim vero minime reſpondet opinioni calculus; quare hæc ex Oraculo Apollinis Pythii tibi edita, haud putes. Unde tanta ſpirituum copia & unde æqualis ſemper & immediatus illorum concurſus ad excitandum uniformem caloris gradum & per tot annorum ſecula durabilem? Cur non etiam ſal tertium ſemper ſupereſt? Et licet exiſtant montes, quibus copioſi lapides calcarei inſunt, ignem tamen præexiſtentem & exſtinctum, ſibi fingere neceſſe eſt. Accedit & hoc, quod ſi aquæ hæ ex lapidibus calcareis uſtis calorem acquirerent, iſti quoque diſrumperentur magno impetu, ut calx viva aſſolet; atque ita neceſſario integri montes & ſpatia terrarum, brevi corruerent, ſemelque facta exuſtione nullum plane amplius ignem conciperent, quod vero cum diuturnitate thermarum pugnat.

§. X. Ecquis non videt, omnes hos atque alios de calida hac materia frigide nimis ſenſiſſe atque ſcripſiſſe? Quorum quædam ſententiæ adeo frigidæ ſunt ut poſſent hunc ignem penitus extinguere. Si itaque negotium hoc, ſicut par eſt, momentis ponderamus, res ita confici poteſt, ut ſtatuamus: Calorem (qui ignis diffuſus eſt) thermarum ab ipſo calore & igne ſubterraneo eſſe, (quæ quidem hypotheſis antiquiſſima eſt, verum multi minus recte eam intelligunt, minus recte explicant atque applicant) non equidem ſemper igne luculento pabulo indigente, cum licet in fodinis venæ metallicæ calidæ inveniantur, nullus tamen ejusmodi ignis videatur, ſed qualis ille ſit, ex ſequentibus patebit, quare ad rem: Scilicet præſuppono iterum iterumque ignem ſubterraneum. Quod vero calor & ignis in terræ viſceribus evenire poſſit, docent montes ignivomi, campi flagrantes, motus immanes, tonitrua ſubterranea, horrenda flammarum fulgura, corruſcationes igneæ, incendia &c. Ejusmodi loca, ubi ignes ſubterranei exarſerunt, aut ardent, non ſolummodo aduſta videntur, ſed & teſtacea & exuſta & calcinata effodiuntur. Terræ quoque ejusmodi locis & circumjectis calidæ obſervantur, nam v. g. conſtat, quod ad thermas Carolinas in Bohemia, ubi

nimi-

nimirum thermæ calidiſſimæ facile omnium reperiuntur, propter calorem ſubterraneum non poſſint fodi cellæ, & quod nix tempore hyemali mox diffluat, vel ſaltem non diu perſiſtat. Præterea & calorem ſubterraneum in variis fodinis & locis ſubterraneis experimur, ut non procul ab oppido Schwarzenberga, aliisque in locis in Miſnia noſtra; in Bohemia circa pagum Altſattel; in Hungaria, quæ pene tota præſertim inferior ardet ſubterraneo igne, nam ſi prope Danubium & Dravum ſcrobes effodiuntur, balnea & ſudatoria ex tempore quaſi poſſunt parari. Confer. CONRINGIVS *in Theatr. rer. publ.* Ex Beguino, Edm. Broun, J. B. Morino, de aliis paſſim regionibus ex Galeno, Agricola, Bottono, Solenandro, Lohneiſio &c. idem ſcimus. Imprimis hoc nomine memorabiles ſunt cellæ, ſudatoriæ dictæ D. Germani prope Anianum lacum.

§. XI. Phyſica docet: Varia eſſe ignis genera, aliumque eſſe lucidum, & non calidum ſive imperfectum v. g. qui in vermiculis S. Joh. guttulis aquæ marinæ colliſis, ligno putrido &c. conſpicitur, alium calidum & non lucidum e. g. in fœno madido, fimo, frumento aqua macerato & in acervum collocato, in corio per alutarios tractato, in fermentationibus quibusdam &c. alium calidum & lucidum ſimul. Docet eadem, (1) ignem nihil aliud eſſe, quam motum tertii elementi ætherei particularum in corporibus ſolum mixtis ſulphureis, ſalinis, reſinoſis & celerrimum quidem a centro accenſorum ad peripheriam, adeoque aërem cum Rege Alphonſo in Clave Sapientiæ, ignem craſſum dicere convenire. Ubicunque enim flamma vel calefactio ſolum eſt; ibi ſemper motus videtur & tactu ſentitur; quo motu omnia corpora penetrat; impedito vero ſtatim ignis exſtinguitur. Unde flammam tantum concipiunt & conſervant ſulphurea, i. e. quibus ſulphur minus diſperſum & occultatum eſt, reſinæ, bitumen, olea, pinguedines & ſimilia. Ad hæc omnia, quæcunque motum expanſivum, vehementem & perturbatum ejusmodi ætheris in corporibus præcipue ſalino-ſulphureis excitare & continuare ſufficiunt, cauſam ignis conſtituunt: Quoque liberior & citatior aëris motus eſt; eoque commodior ad ignem accendendum & propagandum. (2) Corporibus pinguibus ſal aſſociatum pabulum ignis efficacius & durabilius conſtituere; oleum enim, cui ſal inſperſum, duplo diutius flammam alit. (3) Non quælibet corpora, ſed duriora vehementer attrita & colliſa, ſcintillas effundere. Horum enim ſtamina propter duritiem & rigiditatem attritioni, non facile cedunt, ſed reſiſtunt potius; reſiſtendo vero eo magis contremiſcunt, quo ipſo ſimul æther incluſus

forti-

fortiter colliditur, & in motum ejusmodi perniciſſimum redigitur. Neque omnis motus localis calorem atque ignem excitat, ſed vehementiſſimus tantum atque varius, neque ſcintillulæ colliſione e corporibus exilientes ab illo motu producuntur, ſed latentes ſaltem educuntur atque eliciuntur: (4) Ipſum deinceps ignem ſemel in corporibus ſalinis excitatum, anguſtiis incluſum, agitatum, colliſum, novum ignem in corporibus ejusmodi aliis circumſtantibus proximis, ſuſcitare, a ſola tritura, frictione e. g. ligna duriora & metalla incaleſcere, vel plane accendi atque ex una ſcintillula, maximum ſubinde incendium poſſe oriri, uti videmus ab exiguo carbone in magno camino ferreo bene occluſo diſſipari in totum carbonum cumulum. (5) Ferrum imprimis eſſe metallum valde ſulphureum, adeoque præ omnibus aliis ad ignem concipiendum aptum; quare & in fuſione continuo ſcintillulæ proſiliunt. Idem fit, ſi limatura martis ſubtiliſſime pulveriſata flammæ candelæ inſpergitur. Inde evenit, ut circuli ferrei igniti anguſtiores fiant & baculi (ferrei) craſſiores, quam antea erant, cum impetuoſus ille ætheris motus in igne ſtamina illa licet duriſſima extendat. (6) Motu iſto diutius continuato & aucto, flammam tandem erumpere, ex quo haud obſcure colligitur, quod calor & flamma gradu tantum a ſe differant, ita quidem, ut calor ſine flamma, flamma autem ſine calore non eſſe queat. (7) Aquam igni affuſam, niſi ſit major illius copia, non poſſe illum extinguere, ſed proportionata in quantitate potius ignem aquæ miſceri, inde incaleſcere, vehementiam ignis augere & impedire, ne citius ignis pereat; (quod videmus, quando fabri ferrarii, prunas candentes, aqua inſpergunt) inprimis ſi copioſiores adfuerint partes ſulphureæ, oleoſæ, ſimili modo naphthæ, camphoræ, bitumini &c. aquæ exigua quantitate affuſa, videtur ardor augeri. In pyrotechnia parant artifices maſſam, quam materiam albam vocant, ex nitro, antimonio, ſulphure pauxillo & carbonibus &c. quæ accenſa difficulter aqua exſtingui poteſt, potius illa affuſa magis incendium augetur, diutiusque durat. Quin etiam legimus, regnante Conſtant. Imper. R. Callinicum Mathem. ignem inveniſſe, ne quidem aqua, niſi ſolo aceto, extinguibilem.

§. XII. Quid obſtat, exinde inferre; Calorem & ignem quoque ſubterraneum ex mineris ſulphureis & martialibus eſſe? Scilicet mineras, marcaſitas ejusmodi ſulphur ſolo odore ſaltem perceptibile & ferrum (contritæ enim & uſtæ ejus particulæ magnetem accedunt) continentes, calidas, ferventes atque fumantes, reperiri in illis locis, qui calent, vel ignem condunt, non modo Scriptores teſtantur; ſed & qui-

vis conſpiciat, licet. Rem ſequens probat experimentum: Si ſumitur ſulphuris vivi pulveriſati, limaturæ martis anatica portio, & hæc invicem bene miſcentur & affunditur aqua, ut conſiſtentiam pultis adipiſcatur, maſſa, paucis elapſis horis in ſpumam attollitur, ebullit, incaleſcit, imprimis aëri libero expoſita, atque demum manifeſtam flammam cum fumo ſulphureo emittit. Ad hoc videmus, marcaſitas & glebas ſulphureas, ex quibus vitriolum conficitur, aëri humido pluvioſo expoſitas, brevi tempore, æſtum intenſum concipere. Idem fit, quando ex marcaſitis ſulphureis ſulphur fuerit ſublimatum, caput mortuum pluvioſo aëri expoſitum eſt. Ad hoc obſervamus in illis locis, ubi alumen præparatur, quod mineræ illæ effoſſæ, in acervos congeſtæ vel accedente ſolis æſtu accenſæ, vel etiam a pluviis humefactæ, motu inteſtino rapidiori facto, turgeſcant, vehementer incaleſcant, fumum & non raro luculentam flammam emittant, ex eo nimirum, quod a pluviis ſal aluminis ſolvatur & incipiat agere in terram ejus bituminoſam.

§. XIII. Ex his itaque fontibus rivum quoque noſtrum ducere licet. Non equidem ſatis cavet veritati Le Mery, qui caſu primum hoc experimentum invenit, dum acido ſulphuris aquis ſoluto, terras pererrante & obvias mineras ſulphureas, bituminoſas, ferreas aggredienti ignem & calorem ſubterraneum adſcribit, quia diſcrimen intercedit inter ſulphur accenſum & integrum, interque ferrum ipſum confectum & ferrum in vena ſua adhuc contentum. Nam notum eſt, ſulphur, acidum, non niſi igne accenſum largiri, & ferrum quidem jam confectum ſpiritibus acidis quidem incaleſcere, nequaquam vero illud in venis ſuis adhuc latens. Quamobrem in hac ſententia, præeunte Excellentiſſimo D. D. Bergero in Tract. *de Therm. Carol.* mihi etiam omnis ſtat opinio: quod, quando in terræ viſceribus, aqua imprimis ſalina ſpiritu ſubterraneo acidulo, turgida, ſicque principio activo armata, ſcaturiens ad mineras, marcaſitas, ſulphur & ferrum continentes & ipſa natura ſua vaporoſas, deferatur, harum poros ingreſſa, laxet nexum & compagem ſulphuris & martis, ob ſal copioſum quod continet, facile ſolubilis atque inter ſe concitet atque impellat, qua ſoluta & libera deinceps actione & reactione ſulphuris in ferrum & motu inteſtino magis magisque collidantur, rareſcant, ferveant, vapores ſulphureos, calidos, copioſos emittant. Quibus ſubinde ab exiguo etiam principio oriundis auctis, in ſpatio minus libero coercitis & inter ſe mutuo iterum alliſis, attritis, magis adhuc hæ exhalationes exardeſcunt, magisque reliquas partes, imprimis quæ ſupra incumbunt minerarum incitant, compellunt,

concu-

concutiunt atque motus hi augentur, (ut foſſores metallarii teſtantur, quod vapores, qui ſine dubio ex marcaſitis egrediuntur, multoties ſponte inflammentur) compages illarum ſolvitur ac deſtruitur, ſalinæque ſpirituoſæ eliciuntur, uſque tandem totæ in aquis diffluant, quo demum tantus calor & per ingens terræ ſpatium diſſipatus, immo ſæpe flamma exoritur, ſi juſtum ſpatium, juſtoque fortior aëris motus conceditur, ut experimur, fœnum quoque madidum repoſitum plane in flammam quandoque abire. Etenim ignis ſemper deſinit in verticem mucronatum, ſicque ſuperna petens rarefacit; terminatur tamen vis ignis paulo infra ſummitatem, alias emergeret, ut in ardentibus montibus, habetque terram & ſaxa non raro denſiſſima velut operculum, quod non penetrat conus ignis, jam velut in ſummo attenuatus nimium ac imbecillis, terra graviori & ſolidiori opprimente; ubi autem, ac ſi quantulum ſit, quoddam ſpiraculum naſcitur ſublime, rapit ſecum multum teneræ ſubſtantiæ, quod in Aetna aliisque ignivomis montibus apparet. Ex his porro infero, quod his effluviis ex mineris exhalantibus aqua reliqua præterfluens denuo imprægnetur atque calefiat, & ignis deinceps ſemel genitus, cum velociſſime moveatur, (hinc in conflagratione ſenſibiles gyri ſe mutuo turbantes & interferientes conſpiciuntur,) pluraque corpora vicina ſalino-ſulphurea ſecum rapiat & accendat: Ut eo magis hæc credam, me movet, præter adducta, obſervatio HAVPTMANNI in *deſcript. Therm. Wolkenſtein. p. 220.* qua memorat, quod illæ thermæ, quæ non adeo ex profundo ſcaturiunt, tempeſtate pluvioſa exiſtente, magis caleant, & quod circumjecta terra & colles & montes fument, (quod & alias aliis quoque in locis experimur) & calefiant.

§. XIV. Idcirco in plurimis thermis ſulphur juxta vitriolum & martem manifeſte reperitur; Campi Vulcani dicti in Italia, Puteolos inter & Neapolim, intus & extra aſſiduo fervore crepitant & vivo ſulphure fumant, intercorruſcant aquæ ſalientes & fervidæ, additque SOLENANDER, de *Cal. font. med. cauſ. C. IX.* quod quidquid in foro Vulcani in crateribus adhæret, ſi multa illud ſolvatur aqua, eandem ſulphure, vitriolo & alumine imbuat. Simile videtur, in Volaterrano ad montem Cerberum, in cujus balneis ſulphur ebullit, & in marginibus lacunæ paſſim reperitur. De multis aliis aquis, quas imprægnat ſulphur, vel volatile, vel crudum, vid. BECHER. *Phyſ. ſubterr. p. 701.* Ad hæc HAVPTMANNI *de therm. Wolkenſt.* modo laudatus ſcribit: Se deprehendiſſe in illis aquam limpidam, ſimplicem prima facie ex petra de-

ſtillantem, igne, in ſulphuream mutatam. Quæ eleganter certe geneſin thermarum nobis ante oculos ponunt non minus, quam ſequentia. Nimirum in agro Patavino ad balnea S. Bartholomæi in fonte aliquo, in quem aqua manifeſte frigida ingreditur, & paulo poſtea ex ſubdito naturali calore ferveſcit; immo in tota valle aqua, limus, arena, ſilices ardent. In hunc cenſum venit purgatorium dictum in Hungaria. Immo quod curioſum, in ipſo mari alicubi & mediis ipſius fluctibus viſa ſunt aliquando incendia. In ſinu Bajano & inſulis Aeoliis, terra & undæ maris alliſæ ſubinde fervent, fumos non raro & ignes emittunt, motus & ſonitus edunt inſolitos. Materia, quæ circa crateres colligitur, ſi aqua diluitur, ſulphur, alumen & vitriolum largitur, & ſi pluviæ cadunt, puteos, & torrentes iisdem inficiunt. PLINIVS *L. II. C. CVII. & C. CVI.* refert, Thraſimenum lacum arſiſſe totum, & inter campos Babyloniæ flagraſſe piſcinam. Mare incendium quoque paſſum eſſe adducit LIV. *L. XXXIII. L. VI.* Autor eſt STRABO vid. *Tranſ. Angl. phil. 26.* in Cycladibus ex mari exiviſſe flammas per dies IV. tantas, ut ipſum ferveret. Hic commemorandus fons ſaliens, qui conſpicitur prope urbem Gratianopolitanam, ejiciens ſimul cum aqua ignem, & ſi lingua injiciuntur, comburuntur, ac ille in Palat. Cracov. inflammabilis, aliusque in Anglia talis. Plura vid. apud PLIN. *l. c. Lib. II. C. CVI. & CIII.* AGRICOL. *de nat. quæ effl. ex terra C. XXII. &c.* Quamobrem in Italia præſertim, ubi ſulphurea corpora ardent in terra, copioſæ thermæ inveniuntur. Siquidem L. GRYLLVS ſcribit in *Orat. de peregr. Med,* quod in agro Senenſi ſupra XV. ſcaturigines hinc inde habeantur. Quid multa? Clariſſime hoc declarat HENR. ROCHAS ſolertiſſimus rerum naturalium ſcrutator *p. 5. in Scrut. therm.* hic enim perfodiendo magno labore montes usque ad thermarum pervenit principium, ubi deprehendit ſcaturientem ex terra aquam frigidam guſtui inſipidam, imbibentem deinceps ſal quoddam minerale, quæ aqua poſtmodum, ubi attigerit marcaſitam ſulphuream, mox intenſam ebullitionem, ſpumam ac intenſum æſtum concepit.

§. XV. Prout igitur major aut minor fit terens motus, & prout calor conceptus longius ab ipſis venis, canalibus, fontibus diſtat, aut materiæ ſulphureæ, martialis, vaporoſæ major aut minor copia adeſt, quo magis fervet, vel ſenſim tardeque, vel repente & ſubito agitantur, partes minus aptæ ad talem æſtum concipiendum magis minusque commiſcentur; quo majori in copia exſpirationes aquas replent, thermæ intenſius aut remiſſius quoque calent, unde in eodem ſæpe tractu, ut in

thermi

thermis Carolinis, variæ reperiuntur hinc inde ſcaturigines, circa illum primarium & furentem dictum, calore a ſe invicem differentes. Manifeſtum id in Siculis balneis conſpicitur, uti teſtes oculati referunt: quæ venæ aquarum emanant propius Ætnam verſus, calidiores, quo remotius, tepidæ ſunt. Quin etiam notum eſt, in nonnullis thermis, ignem adeo eſſe vicinum, ſcaturigini, ſi agantur cuniculi, ut una cum aquis flammæ erumpant. In præſens dicendum eſt, quod, quo calidiores thermæ, eo copioſiorem & firmiorem ſecum vehant atque deponant ochram; quo tepidiores, eo pauciorem. Exempli loco ſint thermæ Carolinæ, quæ intenſiſſime calent, magnam copiam ochræ deponunt non tantum in canalibus, quos percurrunt, ſed & res alias circumpoſitas illa afflant atque afficiunt. Noſtræ vero tepidæ æque ac Teplizenſes, Wolkenſteinenſes, Landeccenſes, S. Johannis in Bohemia & tepidus fons (*der Muhlbrunn*) ad Thermas Carolinas &c. minorem quantitatem ſecum vehunt, minusque exhalant. Undenam ochra in omnibus thermis reperibilis? Illam eſſe marcaſitæ illius ſobolem, ſub ipſa actione & reactione eroſæ, ſolutæ atque paulatim diffluentis, (cum marcaſitæ alias ſolutæ ſimilis ſit) merito reputandum eſt, ut ex modo dictis apparet. Idcirco & omnes bene calcinatæ & magnete tractatæ partes reddunt martiales.

§. XVI. Pari ratione ſe habent incendia montium, quos ignivomos vocant, Ætnæ, Veſuvii, Heclæ, Hephæſtionis Lyciæ, Theonochemetis Nigritarum &c. Vid. VARENIVS in GEOGRAPH. GENER. & agrorum, terræ motus, quæ ſingula noſtram hanc hypotheſin probant, ſtabiliunt atque confirmant; nam hi montes & agri ſulphure, bitumine rebusque facile ardentibus referti ſunt atque plurima ex parte ex pyrite conſtant, & imbribus accenduntur augenturque incendia: ſic verb. gr. in provincia Romandiola ex terra infernali dicta, pluvioſa tempeſtate exiſtente, flamma luculenta, erumpit, atque Ætna, vento meridionali, humido flante, multos ignes evomit, nullos vero ſeptentrionali exſiccante; vid. BOCCONE in *annotat. curioſis VI. p. 126. ſeq.* & BAGLIVIVS in *Oper. p. 512.* qui & in hanc ipſam rem, hoc notabile affert, de vegetat. lapid. Veſuvium ardentem per ſubterraneos ſpecus, abſorpſiſſe ingentes maris aquas easque paulo poſt evomuiſſe in vicinos agros, ingenti exinde inundatione devaſtatos. In tractibus enim ſubterraneis ſpatioſis, ubi major & liberior aër conceditur per ſpiracula admiſſionis & emiſſionis luculenta flamma tandem excitatur, unde halitus vagantes & concluſi, terræ ſuperficiem quatiunt, usque dum per fiſſuras terræ, ſæpe magno cum ſtrepitu, flamma & fumo erumpant imo, torrentes ardentes effun-

dant. Hinc circa hos montes magna in copia reperiuntur marcasitæ exustæ, in pulverem facile, si cultro scinduntur, aut malleo cuduntur, ad instar antimonii resolubiles, conf. idem BOCCONE *l. c. p. 248.* quarum pulvis ferreas juxta alias partes concedit, emittunt & sulphur, alumen, vitriolum aliaque mineralia sub ipsis incendiis, atque fontes dulces circa illa loca, sulphureo sapore, durantibus terræ motibus & ante aut post illos, imbuuntur. Nec est, cur dubites de sufficienti aëre, immo ventis in cryptis subterraneis, qui follium vicem obtinent, movent ac excitant fomitem: Si enim nihil usquam vacuum, si datur transitus aquarum, facilius & dabitur spatium aëri & ventis, qui adhuc magis penetrare possunt. Hi potissimum oriuntur ex lapsu & appulsu aquarum, per canales prius ex mari (cujus fluctus interdum per aliquot milliaria agitantur, antequam repercussionem, ut regrediantur, offendant) vel fluminibus suscepto & dein per illos continuato, (aërem enim nihil aliud esse quam aquam subtilem, constat ex Torricelliano instrumento & Æolipilæ experimento). Quo major ventus, majorem ignem & flammam concitat, quo minor, (ut fere in tota Germania accidit) ab impellentis præsentis defectu, maris sc. variis quoque salibus sulphuribusque prægnantis, pabulum simul quoque apportantis, remoti, cum flumina tantam vim non habeant, æstus maximus quidem excitatur, sed ignis quasi conclusus manet, qui tamen per tellurem calidissimas exhalationes circumspargit. Quod vero mare ad ejusmodi montes ignivomos perveniat, Dominicus Bottonus in Topograph. Pyrologiæ declaravit, referens Vesuvium non raro pisces, saburramque, arenam &c. maris ejecisse. Ac modo citatus BOCCONE *l. c. IX. p. 242.* refert, ex ejusdem montis cacumine quandoque ingentes aquarum eluvies defluxisse exsiccato prope urbem Neapolitanam portu. Compertum præterea est ex Strabone, Mela, Plinio, cavernas subterraneas spatiosissimas reperiri. Videntur & multæ in Italia, Sicilia, Hispania &c. ex quibus ingenti & horrendo strepitu venti efflant, ut nemo sine periculo accedere ausus sit. Patet & hoc ex terræ motibus, hiatibus & voraginibus, & tot urbium atque fastorum agrorum montiumque jugerum ruinis, si enim nullæ ejusmodi essent spatiosæ cavernæ, tam vasta terrarum spatia in se recipere non posset terra; ea propter non adeo infelici conjectura ductus Aristoteles causam explicans, cur repente interdum navigia in mare absorbeantur, ita scribit: Cavernosus locus terræ subditæ mari quandoque disrumpitur, diductoque hiatu absorbetur navigium. Amplius adhuc constat, sub mari spiracula esse ventorum, ut in littore

Aqui-

Aquitanico non procul a Bajona, ubi mare ſine ullis ventis extrinſecus adeo turgeſcit, ut terram mox occupare videatur, moxque iterum ſubſidet. Plura exempla receſſuum vaſtorum ſub mari recenſet Baccius. Gaſſendus in vita Paireſchii ignes ſubterraneos per venas ſubterraneas ad inſtar aquarum longiſſime ſerpere & ſibi invicem communicare aſſerens, refert: eodem tempore incendium in Semo Æthiopum monte An. 1631. contigiſſe, quo contigit Veſuvii in Campania; ita ut Veſuvius cum Aetna, hic cum Syria, hæc cum Arabia felice, iſta denuo cum Semo monte, communicent, quam rem etiam deſcripſit SENECA *Lib. III. Quæſt. Cap. XVII & XVIII.* Indicant illos varia incendiorum antecedentium ſigna & effectus; præcedunt enim ſubterranei mugitus, horrendi terræ motus, fulgura, tonitrua ſubterranea ſequuntur, terra in hiatus ſæpe magnos ſecedit, rumpitur, ingentes glebarum ſaxorumque moles projiciuntur &c. Ad hæc quemadmodum ex motu aquarum ventus ſub terra exoritur ita & augetur ipſo deinceps igne, ubi enim ignis, ibi etiam ventus ſtatim ſe prodit. Notabile inſuper eſt, maritima loca ab æſtu maris tepeſcere.

§. XVII. Omnium vero conceptu difficillimum videtur, quod per tot ſecula continuus calor in thermis permanere potuerit, & quod dictæ mineræ non abſumantur. Sciendum autem eſt, quod ingentia dentur in terra mineralium foſſilium ſtrata, unde & ordinario circa iſtam regionem plures thermæ, acidulæ &c. conſpiciuntur, ſic circa thermas Carol. V. mill. ſpatio ultra CCC. acidulæ numerantur, circa Halam Sax. item per aliquot milliaria, & in Bavaria in regione VI. mill. hinc inde multi fontes ſalini reperiuntur. In noſtrarum *Thermarum* vicinia quoque circa pagos Hermsdorff, Voytsdorff & Gottsdorff diverſi tepentes, lacus inveniuntur. Ex his fodinis licet quotidie notabilis quantitas evehatur, tamen vix exhauriri poſſunt, & ſi in ipſa origine non tanta ſtrata eſſent, nihilominus tamen illa aqua in tranſitu per longum interdum iter, aliis in locis ejusmodi ſtrata attingere non impoſſibile videtur, quas mineras iterum contactu ſuo in ſimilem motum concitat. Ibi eoque magis calor perdurat, quod ſi halitus tantum exinde ſpargantur. Pyrites & imprimis alias præ omnibus aliis mineris durabilem fomitem huic igni præbere valent, quod LYSTERVS in *obſ. de nat. & orig. terræ mot. & fulm.* confirmat, quod carbones foſſiles, tanto plus igni reſiſtant, quo plus pyritæ in ſe habent. Quis neſcit in occluſo non dari ignem actualem, ergo nec in terræ cavernis, & flammam omnem non interveniente aëre reſtringi atque ignem occluſum, tectum & compreſſum, ac ſub-

ſubterraneus eſt, diu durare multumque calefacere, & minus corpora ſulphurea &c. tam cito deſtruere atque exurere. Cui ſimile arridet, conſideret modo vulgarem illam carbonum ligni confectionem, ubi ignis occluſus & non tam amplum ſpatium habens ſe explicandi & ob aëris, motoris ſc. actuantis ſuffocationem, refrenationem (quin etiam in cellis & cryptis ſubterraneis ejusmodi occluſis, licet ſat ſpatioſis, ob craſſum aërem candelam accenſam cito exſtingui reperimus) diutius continetur, & ſubjecta ligna per longum ſat temporis ſpatium ab ipſo uruntur, minime vero deſtruuntur, ſed deinceps carbones integri & priſtinam lignorum magnitudinem æquantes, eruuntur, qui & deinceps in vaſe clauſo candeſcentiam plurium annorum ferent, neque tamen in cinerem fatiſcent. Simile exemplum videmus in igne diu interdum ſub cineribus latente & in incendiis ædificiorum, ubi per plures ſeptimanas in ruinis ignis tectus ſervatur. Idem videmus in caminis repletis carbonibus, ubi ſubdito per inferiora igne, clauduntur, diffundit ſe calor per totum acervum carbonum ac intra aliquot ſeptimanas ſine multa eorum conſumtione durat & in dies fit intenſior. Pariter in furnis, in quibus orichalcum paratur, ſi orificia claudantur adeo, ut nulla pateant exhalationi foramina, ignis ſine carbonum notabili conſumtione, diu vivere poteſt. Sic in machina Papiniana firmiſſime occluſa, adeo, ut vapores aëris & aquæ non poſſint exire, pauciſſimis carbonibus diu ignis ſervari & carnes coqui poſſunt. Tandem & ipſa concreta reſinoſa atque oleoſa, terebinthinata, maſtiche, ſuccinum, ſpiritus vini quamvis ſub aëre libero ab igne exiliori ſtatim exardeſcant & tota abſumantur; in vaſe tamen clauſo ab intenſiori licet igne, lente & in vapores ſolummodo faceſſunt. Simul & perſpicere ex ſupra adductis jam licet, aquam ignem etiam diu conſervare, ut in vulgus quoque notum eſt, aquam frigidam ignitis ſilicibus affuſam majorem fervorem in balneis excitare. Addo quod DIOSCORIDES *Lib. VI. de lapide Thracio* refert, eum aquæ aſperſione accendi, idem AELIANVS *de animal. Lib. IX.* teſtatur. In vertice Chimeræ montis, ut Theſias Cnidius tradit in Phaſelide, ignis atque limus ex ſtagno Comagenæ, aqua quoque accenditur. Altiſſimi Norvegiæ, Sueciæ atque Islandiæ montes nive ſuperne contecti, inferne ſulphuream eructant flammam. Legatur OLAI MAGNI opus *de gentibus ſeptentr. Cap. X. & XI.* Addo ad hoc e contrario, quod in Tartaria, herba creſcat cannabi ſimilis, niſi quod caulem tam durum tamque validum haud habeat, & quaſi cœnum fieri ſoleat, ſi aquæ injicitur, igni vero injecta nunquam conſumatur, ut habent *Ephemer. Erudit.* a M. F.

NIT-

NITSCHIO editæ *XXXII. An. 1666. p. 365.* Nisi conjectura aberro, alumen pyritis conjunctum symbolum suum conferre posse, cum Ammiano existimo. Autor est Plinius ligna & tabulata, alumine, illorum poros forte obstipante, unde pabuli defectus, illita non ardescere. Legimus, Syllam turrem quandam ligneam, alumine, jussu Archelai, Regis Mithridatis præfecti, oblitam exurere non potuisse. Sunt, qui ex sulphure & alumine ut & ex sale & oleo inter se certa enchiresi commixto, æternum ignem (qualis Romanorum Maximi Olybii &c. quondam fuit v. PANCIROLLVS *Lib. I. Tit. de oleo incombustibili*) parare posse, gloriantur. Illud quidem necesse est, fateamur, ex parte illas mineras minui, & spatium, ubi continentur, excavari & possibile esse, thermas deficere olim; ita multa balnea, fontes soterii, acidulæ, thermæ, quæ olim fluxerunt in Germania, Italia, alibique, necdum fluunt; aut a pristinis viribus & effectibus longe recedunt, aut penitus exsolvuntur, ut quoque scimus, thermarum subinde calorem minui aut loco illarum frigidos fontes scaturire & vice versa. Nam possunt marcasitarum venæ calorem, quem antea non habuerunt, concipere, possunt quoque defervescere, deficere, obrui, præcludi, alioque diverti aquæ profluentes. In nostro modo Ducatu Jauroviensi in pago Gieren acidulæ quondam fluxerunt maxime salutiferæ, quæ tamen hodie ab antiquo valore ac vi longe sunt mutatæ. Neque absonum est, dari & mineralium æque ac plantarum vegetationem, seu mineras varias, metalla (quæ licet solidissima sint, attamen maxime sui per semina, communicabilia) iterum in fodinis exhaustis ac lapides succrescere, atque ex mollibus indurescere nutririque per eorum poros, quod præter rationem id suadentem multi fide digni autores ac rerum metallicarum scriptores auctoritate & experientia sua confirmant ac stabiliunt BARBA *de re metall. Lib. I. c. XVIII.* JORDANVS *de balneis nat. Cap. II.* MATTHES. *in Sarrept. Conc. III.* PETR. ALBINVS *in der Meisnischen Berg-Chronica tit. XVI. §. 7.* GERHARDVS *Decad. Quæst. Physic. Chym. I.* BORRICHIVS *in Epistol. ad Barthol. Cent. 4. ep. 92.* AGRICOLA *Lib. XII. p. 455. seq.* ERCKER *Lib. V. p. 315.* GEORG. BAGLIVIVS *de vegetat. lapidum* adamantes certo annorum spatio renasci notat STENO *de solido intra solid. f. 49.* Visæ sunt stanni venæ, quæ dum eas infra suffodiebant, superne iterum recrescebant, quod jam olim de maris Hetrusci Insula Isva, Virgilius protulit. Sulphur & bitumen semper post decursum quatuor annorum regenerari, adducit FALLOPIVS *L. de aquis thermal. & metall. c. V.* Idem de bitumine in agro Mutinensi Italicæ memorant historiæ. Sal fossile in valle Oeni intra V. vel VI. annos iterum

renaſci, ut & ſal foſſile Polonicum, vulgo fertur. Pluribus hæc illuſtrat KIRCHERVS *in Mundo Subterr. L. IV. S. I. p. 168.* Conf. & CAMER. *M. N. M. c. X. p. 207.* Comparet exinde, quod natura etiam hoc in paſſu perennem inſtituat circulum, ut ad aliarum rerum propagationem & quod manifeſta ſint etiam in metallis aliisque foſſilibus vegetationis indicia, cujus non in poſtremis & illud eſt, quod in Femora maris Balthici inſula habetur, ubi reperiuntur loca, ex quorum ſolo, ingens lapidum copia prominet, qui quotidie ſuccreſcunt. Certum cœterum eſt, ad incendia ſubterranea quoque materiam unctuoſam ſuppeditare, mare, craſſas, ſalinas, unctuoſas partes vehens, (partim in illo genitas, partim a fluminibus e terreſtribus mineris adportatas) ut reputat BACCIVS *l. c. p. 188.* vid. BECH. *Phyſ. Subt. L. I. S. II. c. II.* Per inſtrumenta enim compertum habemus, aquam marinam fundo propinquam bituminoſam eſſe, ſuccinum, ambra & ſimilia forte idem monſtrant.

§. XVIII. Perinde non habeo ambiguum, propemodum id ſe habere cum acidulis, atque omni aſſeveratione affirmo: acidulas fieri, quando marcaſitæ paulatim magis aqua forte minori copia accedente, & motu partium ſulphurearum, martialium ex igne hinc ſuſcepto ferveſcunt, vaporant, ut ſulphureæ ſucceſſive abeant, quibus exutis, emergentibus copioſioribus hujusmodi halitibus acidulis, ſalinæ magis magisque exacuuntur, partes martiales, immo totæ quantæ, marcaſitæque ſolvuntur, ac in vitriolum (non æque maturum, nam hoc demum in aëre liberiori germinando lanuginis inſtar quaſi effloreſcit) & in ochram rediguntur. Quæ deinceps partes, mediante aqua, aliorſum deponuntur atque colliguntur, ubi moram nectunt, vel longe itinere defluunt, vel interfluente majori in quantitate aquæ deferveſcentis, vaporibus ſulphureis, adhuc iterum plurima ex parte dimiſſis, relictis ſolis ut plurimum particulis ſulphureis fixioribus & denuo concretis (hinc in lagenarum fundo acidularum ſulphureæ particulæ conſpiciuntur) usque dum ex terra frigefactæ, ſcaturiant acidulæ. Hæcque liquido conſtant; fodinæ enim, ex quibus effoditur vitriolum, calidæ ſunt, quod rerum metallicarum ſcriptores teſtantur, v. g. Lohneiſius &c. Imprimis hanc in rem præclare ſcribit GALENVS *L. IX. ſimpl. med.* qui locus certe, rem exacte declarat. Notum quoque eſt, marcaſitas abire in vitriolum plus minus, & ſulphure evaporato ex illis majorem vitrioli partem recipere, quod deinceps ex aëre humido quaſi progerminat atque frondeſcit; hinc uſta marcaſita flammam emittit, ſulphuris odorem ſpargentem, uſtum vero nec flammam emittit nec ſulphur redolet. Id ipſum mon-

ſtrat

ſtrat conficiendi ars, vitriolum, quando nempe ex marcaſitis vitriolum excoquunt. Aſſero pariter, huic principio marcaſitis nimirum ut calorem ſubterraneum atque thermarum, ita & alias quoque aquas frigidas ſalubres & ſubtilis vitrioli quas continent plurimæ, partes nec non ſalium acceptas ferendas eſſe.

CAPVT III.

Naturam & Contenta Thermarum Hirſchbergenſium examinat, rationemque operandi expendit.

§. I.

MAxima thermarum vis a mineris, illarumque diverſarum partium intima atque varia ſolutione & mixtione eſt, quoque magis intimiusque mixtæ ſunt atque unitæ, eo quoque meliores jure cenſentur. Unde VITRVVIVS *Lib. VIII. cap. III.* rectiſſime auguratus eſt, dicens: Omnis aqua naturaliter calida ideo eſt medicamentoſa, quod in præviis rebus percocta aliam virtutem recepit ad uſum. Ut ergo illæ noſtrarum thermarum nobis pateſiant, neceſſe eſt, ut exactum inſtituamus examen, & in ejus contenta & quæ præ aliis prævaleant copia, inquiramus, ex quibus ex parte concludere poſſumus, quid conferant aut noceant. Quod vero quam difficile, quam arduum & quam incertum de eo ſit judicium, exercitatiſſimi etiam Philoſophi ac Medici agnoſcunt atque fatentur. Quædam enim aſpectum oculorum aufugiunt, & varia varie & intime inter ſe permixta atque ſoluta difficulter dignoſcuntur atque aliorum ſimilitudine nos facile decipere poſſunt, quavis etiam via aut modo tractentur, quovis etiam microſcopio inſpiciantur. Apprime hinc HIPPOCRATES *l. de vet. med. §. 3.* dicit: Si quis de ſublimibus in aëre rebus, aut de ſubterraneis dicat & quomodo ſeſe habeant, ſciat tamen, neque dicenti neque audientibus manifeſtum ſatis fuerit vera ne ſint, an ſecus. Antiqui Philoſophi Peripathetici ex defectu veræ ſcientiæ phyſicæ & chymicæ non niſi commenta proferebant atque in explorandis aquarum medicatarum contentis, iisque ſaltem ſignis multum tribuebant, quæ tactus, odor, ſapor, color concedunt. Cum vero illa inſufficientia plane deprehendantur; ſiquidem varia ſunt, quæ hoc vel illo colore aquas tingunt, ſunt quoque varia, quæ linguam v. g. acredine, adſtrictione &c. afficiunt, noſtro maxime ſeculo diſſimiles in

concretis ſubſtantias adminiculis chymicis eruere ſatagunt, & varias præcipitationes, ſolutiones, filtrationes, evaporationes, deſtillationes, aliorum affuſiones, combinationes ac coagulationes, inſtituunt. Equidem præ omnibus aliis chymia ad intricatos naturæ labyrinthos filum Ariadnæum concedit, & naturam imitari in operibus ſuis videtur. Hac potiori potimur analytica, quæ corpora naturalia diſſolvit, componitque, & indolem & principia ſua rimatur ac detegit, non æque phyſica ſimplicia, extrema, ſed chymica, i. e. in quibus chymia in reſolutione corporum acquieſcere, cogimur. At enim vero, ingenue etiam confiteri neceſſe habemus: inſufficientes & incertas eſſe operationes chymicas, quævis etiam ſint, ad omnium omnino corporum naturam exhauriendam, declarandam, demonſtrandam. Ignem, qui corpora ſolidiſſima intrat & penetrat penitiſſime enim, Chymicorum quidem cultrum anatomicum dici poſſe, ſed non verum eſſe & genuinum corporum mixtorum analyſtam, jam dudum Philoſophi agnoverunt. Demonſtrant id optime omnium Illuſtr. BOYLE Vir, de rerum naturalium ſublimiore ſcientia, meritus *in Chym. Scept. Diſſert. Chym.* & Cl. BOHNIVS *Diſſert. Phyſ. I. p. 17. & ſeq.* Quare dubitandum eſt, an ex illis ſemper conſtent corpora naturalia, in quæ per ignem fuerint ſoluta, dum equidem compagem & texturam corporum is, magna ſuavitateque, patente actione dividit & reſolvit, ſed inter dividendum ſimul quoque partes eorum ratione figuræ, texturæ, ſitus & magnitudinis naturalis, miris agendi modis rapidiſſime immutat, alterat & ſuo motu, (motus enim eſt cauſa efficiens omnium formarum ac qualitatum) novum ipſis ſitum, ordinem ac nexum inducit. Quare ignis ab Helmontio creatura deſtruens, & mors artificialis corporum ea deſtruens, vocatur. Unde alia diverſa plane, aliæ prorſus vires, aliæ qualitates proveniunt. Immo imprimis ſubtiliores & mobiliores (ut nihil jam de fixioribus magis dicam, cum conſtet præter particulas ſulphureas, ſubtiles, aqueas, ſalinas & terras quoque per ignem diſſipari) prorſus deſtruit & in auras diſſipat, adeo ut tenuiſſimæ partes quorumvis commiſſuras vaſorum & licet hermetice ſigillatorum, adhibito quamvis leni ignis ſæpe gradu, aufugiant per poros vaſorum non deprehendendos. Enimvero ejusmodi minima certe dantur, quæ ſenſus plane non incurrunt, ſi tamen inter ſe coëunt atque cohærent, corpora ſatis magna componuntur, a quibus deinceps iterum exhalant, quod ex variis experimentis conſtat. Quare, ut incidenter moneam, illi utilitati minus conſulunt, qui fontes ſoterios & acidulas non bene obturatis lagenis iisque arctioris orificii calefaciunt.

Tantum

Tantum enim abeſt ut juvent, potius obſervavit Th. Tabernem *in hydrogaz. p. 177.* acidulas Sualbacenſes calefactas, obfuiſſe. Ad hæc quædam intacta prorſus relinquit. Nova ſe objicit dubitatio: Separatæ ſic partes, ſi iterum commiſcentur, nulla arte tamen poſſunt ita combinari, ut prius compoſita omni modo emergant. Anne cum aliis commixtio ac magis adhuc præcipitatio tutior, certiorque? Dubito, ſuſpicor, ſive pori a tertii interventu conſtringantur, ſive laxentur, ſive impleantur magis, quod concreta alterationes ſecundum ſitum atque figuram patiantur; novam ſubinde reactionem efficere enixaque inde oriri poſſint. Probandi ratio aliqualis non erit difficilis, mercurii vivi & ſublimati in aqua vel aqua forti ſolutio, ſi cum ol. tart. p. d. præcipitatur, rubicundum pulverem, ſi cum calce viva flavum, ſi cum ſp. ſal. ammon. album præcipitat, quæ tamen omnia ſunt alcalia &c. Taceo, ex plane diverſis eosdem effectus prodire, quod colligitur ex liquore, qui e calce, vel cum ſale communi vel ammoniaco fuſa extrahitur, ſolutio per aquam per filtrum trajicitur, exhalatur leni igne, ſal remanens in cella diſſolvitur, hic liquor tam ab ol. tart. p. d. quam ſp. vitrioli coagulatur. E contrario cernimus, diverſa & contraria ſæpius eundem edere effectum, quod in alcalibus quibusdam lac coagulantibus experimur &c. Non prolixius quoque attingam, quod pro vario ignis modo adhibito, v. g. in aëre aperto vel vaſe clauſo, vel coctione, calcinatione &c. longe diverſa eliciat ignis, v. g. ex vegetabilibus per coctionem educuntur ſalſa, nitroſa & tartarea, per deſtillationem ſimplicem, acida, per incinerationem, lixivioſa &c. Similia exempla habemus in camphora, ſuccino, ſulphure & aliis. Idem de aliis probationibus v. gr. per putrefactionem &c. ſentiendum. Neque id attingam, quod quædam concretorum ingredientia inter ſe confuſa, ægerrime adeo exacte ſeparari poſſint, ut cujuslibet eorum exquiſitum pondus determinari valeat.

§. II. Quibus ita poſitis, (ut ad propoſitum redeam) examen atque tentamen docimaſticum horum ope inſtitutum aquarum thermalium eſſe ejusmodi, quilibet ſentit. Hinc non mirandum, quod ejusmodi probationes thermarum & fontium ſoteriorum a multis laborioſe magis, quam utiliter inſtitutæ fuerint, & quod multæ in lucem prodierint deſcriptiones thermarum, aliarumque aquarum ſalubrium, quæ minus rem accurate exhauriunt, multa illis adſcribendo, quæ minime iis inſunt, aut illa, quæ inſunt, omittendo. Quodſi autem itaque res ita ſe habeat, quod a priori non ſemper valeat bona conſequentia, i. e. quod non ſufficiat, thermas ratione contentorum ſaltem indagaſſe, altera a

posteriori, experientia sc. eaque multis exemplis stabilita, in auxilium potius vocanda. Qui ambo conjungit, certius atque securius procedet. e. gr. mercurii currentis vis vehementer salivam movendi, & nitri refrigerans & antispasmodica, arsenici deleteria, rhabarbari purgans, seminis hyoscyami narcotica, cantharidum diuretica & aliorum multorum medicamentorum non a priori sed a posteriori innotescit. Etenim hac duntaxat plurima ex parte, si vera fateri volumus, thermæ, quæ celebritatem hodie acquisiverunt, sunt inventæ, ampliatæ atque stabilitæ. Licet itaque, inquam, virtutes aquarum mineralium experientia magis sive per experimenta therapevtica, quam rationibus & contentorum eorumque mixtionum conceptu difficilium recensionibus, dignosci possint, ac debeant, ob mirandam scil. mineralium varietatem diversissimamque illorum modificationem & mixturam; nihil tamen impedit, quin per diversa examina contenta in illis quodammodo patefacere possimus. Faciam itaque id, circa nostras & thermas brevissima ac facillima via, quantum potero, & quantum mihi concessum est, quantumque res & scopus ferunt atque permittunt.

§. III. Prosequar strictim. Primo statim intuitu pinguedo quædam in superficie innatans se prodit in defluxu, aëri liberiori & frigidiori dein ex posita aqua, corpus aliquod viscosum, album & læve inter se cohærens lacti sulphuris simile cernitur; in cryptis vero suis flores quidem sulphuris inflammabiles experiuntur. Si lapilli in fontes utrosque immittuntur, per curvatas lineas & præpediti quasi deorsum delabuntur. Aquæ thermales, si ex fontibus suis hauriuntur, in iis cōpiosissimæ bullulæ e fundo vitri ad superficiem tendentes & lateribus adhærentes margaritarum instar, conspiciuntur. Calidæ haustæ & frigefactæ lib. I. gr. V. & ultra ex cœnobii, ex Comitis fonte gr. VIII. quantitas decrescit. Instrumenti statici ope calentes & juxta scaturiginem paulo leviores etiam aqua fontana, graviores vero frigefactæ deprehenduntur. Nam notum est aquas spiritu copioso gaudentes leviores esse, quoniam aër & æther ut omnis rarefactionis ita & levitatis causa, existit. Hæc sola aquarum levitas, quæ præsertim etiam in aqua pluviali reperitur indicium aquarum salubrium haud infimum est; nam talis aqua subtilis, levis atque spirituosa, facile & citius per exilissima vasa ac porulos transit, pota, aperit subtilissimos ac tenerrimos etiam ductus, qui in quamplurimis morbis sunt obstructi, & fundamentum illorum constituunt, quare illud sine studio & odio necesse est, fateamur, quod thermæ nostræ ob partes spirituosas copiosiores, temperiem & eximias plane virtutes

si

ſi non omnibus aliis in Germania, anteferendæ, poſtponendæ tamen ſint nullis. Ad tactum ſunt viſcidæ, lubricæ, molles & temperato & non modo tolerabili, ſed & tam jucundo calore, adeoque calori nativo humano maxime conveniente præditæ, ut optimo jure id de noſtris dicere poſſim, quod G. Wernherus de therm. Budenſ. dicit, quod tam jucundo ſint calore, ut velut humano ſtudio temperatæ naturæ ſingulari benignitate ad hominum lavacra datæ eſſe, videantur. Admoto thermometro uterque fons eundem caloris gradum ſervat. Præter odorem ſulphureum & lixivioſum ſaporem ſubdulcem primo ſubadſtrictorium & in fine ſubacrem, lixivioſum & ex parte ſubamarum ac nauſeoſum in lingua ac faucibus reliquunt, quo plus autem fervent, eo gratiorem habent: Odorem exacte lixivioſum, ſulphureum & ſaponarium referunt, & adhuc magis fragrantiorem, ſi inferius exhauſto prius ſcrobe de novo iterum ſcaturiunt. Ab injectis in aquam, quæ in hoc procedendi genere adhibere ſolent, nullam alterationem notabilem deprehendes, niſi in reſiduo demum a deſtillatione & evaporatione relicto. Si per unam aut alteram diem in vaſe quodam reponantur, variegatæ, craſſæ partes ſat copioſæ ſubſident. In coctione ipſa, evaporatione inſpiſſatione, ut nempe qualitates atque contenta eo melius concentrari queamus atque ad examen ulterius chymicum idonea magis reddere, ac deſtillatione denique in vitreo vaſe, arctiſſime lutato ac clauſo nihil recipitur, præter corpus terreo ſalinum, quam aqua inſipida fontanæ ſimilis. Neque tunc ullus odor ſulphureus percipitur, ſed ſaltem lixivioſus & fœtidus nares ferit, niſi quod alembicum ſuſpenſum ad orificium retortæ denigrat; (haud obſcuro ſulphuris avolantis indicio.) Inter deſtillandum nihil notatu dignum apparet, donec ad paucas libras aquæ quantitas abierit, tunc magis magisque colorem puniceum, imprimis ex Schafgotſchiano fonte, induit. Quod ſi imprimis in vaſe colli anguſtioris & fundi amplioris deſtillantur, lateribus ſal volatile hinc inde maxime ex eodem fonte ſub forma cryſtallorum minimarum adhæret. Superficiei cruſta ſalina innatat, odor & ſapor tunc quoque magis magisque lixivioſus redditur, ſali tartari ſimilis, niſi quod magis nauſeoſus mihi quidem videatur, & ſpiritu acido inſtillato effervefcentia ſentitur, deponiturque ſedimentum craſſum & puniceum, liquore ſupernatante pellucidiori ſtatim facto. Aliquando aqua ad paucas libras deſtillata, ſimilique modo adhibita & repoſita, deinceps poſt aliquot dies multæ cryſtalli majores & minores pellucidæ, præter propter magnitudine grani hordei ejusdem fere figuræ & badio colore, apparebant. Si diutius

in

in vaſe detinentur, reponuntur, aut longius vehuntur, nunquam præcipitatum quoddam deprehendi potuit. Corpus terreo-ſalinum, quod ab evaporatione & deſtillatione in vaſe remanet, colorem refert ex albo puniceum in ſuperficie inæquali magis cum bullulis quaſi diſruptis, albicantibus, nitentibusque. Linguæ ſaporem hoc imprimit lixivioſum, ſubadſtringentem & nauſeabundum, atque odorem lixivioſum itidem & graveolentem & aliquantum ſulphureum ſpargit. Si diutius reponitur aut transfertur in vaſe vitreo, aqua non facile corrumpitur aut putreſcit.

§. IV. Omnibus tandem adhibitis, quæ ad probationem aquarum afferri poſſunt; (quæ vero hic ordine ulterius recenſere non vacat,) atque re multum diuque penſitata, in promptu erit notare: Thermas noſtras duplici gaudere principio, volatili ſpirituoſo (quod maximum) atque fixo perutili, intimo connubio unito. Spiritus probatur ſecundum notas ſpirituum in aquis. Ejusmodi enim aquæ ſpirituoſæ ſunt tenues, lenes, bullulas habent multas, celeriter tranſeunt per alvum & urinam, vel ſudorem, non adeo copioſa reſidua relinquunt, evaporata cum ebullitione notabili ex fonte proſiliunt, nares blanda titillatione feriunt, & caput non raro nidore totum implent, in antliæ vacuo, bullulas copioſiores emittunt: Omnes hæ notæ in noſtris quoque aquis ſoteriis habentur. Spiritus illi aquarum, qui animam quaſi earum conſtituunt, ſine dubio nihil aliud ſunt, quam ſpiritus ſulphurei, ſalini & vitriolici aciduli, univerſales, primigenii, per quorum energiam motum atque activitatem ſingula producuntur ac vigent, ex incaleſcente reſolutoque, ſulphure & marcaſitis martialibus evoluti, ſub forma vaporis aërem æque ac aquam terramque pervagantes, in ejus poros inſinuantes, ibique concentrati eam leviorem & validam reddentes. Vocantur vero vitriolici ea potiſſimum ratione, quod in vitriolo copioſiores & puriores concentrati inveniantur & facilius exinde iterum colligi poſſint. Hi enim ſunt, qui lintea alkali ſaturata lanugine ſalina mediæ naturæ inficiunt, aut cineres clavellatos aliaque ſalia alcalia aëri libero expoſita in ſal nitroſum convertunt, & alumen calcinatum omnique ſale exutum intra aliquot dierum ſpatium, ſale acido de novo imprægnant. De reliquo refert DV CLOOS *de aquis Galliæ p. 93.* ſe deſtillatione prima ex ſpirituoſis aquis ſpiritum exigua quidem quantitate obtinuiſſe, qui aquam Tornæ Solis cœruleam rubedine infeciſſet. Præter CAMERARIVM vid. *M. N. & M. Cent. X. p. 211.* & BECHER *phyſ. ſubt. Sect. II. Cap. III. p. 73.* teſtatur: aquam non raro fontanam non nihil ſpiritus habere, quia

omnes

omnes fontes calidi quid in se habent, atque dantur aquæ fontanæ hyeme non congelascentes, quia ex fontibus fumantes vapores interdum adscendunt, & si ejusmodi aqua primum ex fonte hauritur, ore detenta, nonnulli spiritus nares ferientes emittuntur. Acidum spirituosum pariter aquis inhærere colligimus, quod, si alkali diutius aquæ incoquitur & solvitur, materia remaneat crystallisanda neutrius naturæ. Mediante hoc principio imprimis subtili, activo, elastico, thermæ, fontes soterii plurimi, (cum multi dentur, quorum aqua in destillatione & evaporatione nullum relinquit sedimentum,) tam admirandos edunt effectus; hinc observatur, quod ejusmodi exorti fontes in principio non raro saltem vegeto & præsenti spiritu maxime se exserant, subsequentibus vero annis, deficiente, debilitato illo vim illam amittant: aliorsum forte his vaporibus per apertas cavernas conversis, tales v. g. fuerunt in nostra vicinia, quorum alter anno 1677. Pegaviæ exortus & contra scabiem & paralysin eximius fuit; alter 1684. Ileburgi infra arcem pluribus quondam commendabilis profluxit.

§. V. Sicque porro inter partes his aquis contentas volatiles magis juxta modo nominatas, eminent vitriolicæ, salinæ & sulphureæ nativæ & purissimæ indolis, communi sulphure & empyrevmatico atque vitriolo arteque omni parato martiali, illorumque spiritibus aliis exinde præparatis, longe excellentiores. Inter fixas magis numerantur itidem sal & sulphur, bitumen, alumen, mars, & terra. Namque non precario ista admissa esse ulterius demonstrat sensus, comprobat ratio, confirmat experientia. Etenim quando juxta scaturiginem & statim recens haustæ & calidæ aquæ libraæ 1. pulverem gallarum, vel foliorum quercus aut ejusmodi aliorum adstringentium scrup. ad drachm. sem. injicis, non equidem satur color niger, sed ex atro purpureus, (obscurior tamen magis ex Schafgotschiano fonte,) exinde emergit, a scaturigine vel alveo remota & frigefacta aqua, nullam ejusmodi mutationem, sed solummodo turbationem percipies. Vitriolum enim volatile in omnibus pene thermis invenitur, cum illud ordinario in mineris istis, ex quibus ignis, calorisque subterranei origo reperiatur. Insuper non modo ex Lohneisio constat: omnes pyrites posse in vitriolum plus minusve abire; sed & in valle gigantum in ipsis montibus Sudetibus & in pagis vicinis Schreibersau & Zischdorff, in Misnia circa Duben videmus & Schwartzenbergam, erutas marcasitas paulatim in vitriolum efflorescere, hinc & ordinario fere thermæ tepidæ minorem partem vitrioli ejusmodi volatilis; calidiores vero majorem possident, siquidem in ipsis Ca-

rolinis thermis, utpote calidiſſimis, ſum expertus, gallarum pulverem mox ad fontem aquæ ferventiſſimæ injectum, colorem nigrum magis; minus vero tepefactæ inducere. Quo ſimul hariolari licet, ſubtiliſſimum ſulphuris vaporem arctius ſeſe conjungere cum rudioribus quibusdam ferri partibus atque exinde fixum quoque ſal vitriolicum emergere & thermas ingredi. Sulphureum odorem quivis ſtatim percipit, & argentum cumprimis aquam immiſſum colore ſubnigro tingit, ejusque ſplendorem obfuſcat, auri vero colorem exaltat, quam coloris mutationem horum metallorum ordinario ſulphur efficit, præſertim ſi in alcali id eſt ſolutum, linteamina ſublutea reddit, quin & interdum parietibus ad inſtar florum ſulphuris adhæret. Præſertim Schafgotſchianus fons plus ſulphuris redolet atque ſenſibiliter magis nares ferit, immo pungit efficaciſſime; ſalia enim, quo plus ſulphuris eis accedit, magis fiunt volatilia. Si reponitur aqua, aut deſtillatur, evaporatur, nullum deinde odorem deprehendes ſulphureum, pauxillumque illius fixi in reſiduo remanet inflammabilis, ſolo odore ex parte perceptibilis, quod tamen eo magis confirmatur, ſi illud prunis candentibus adſpergas, & ſi miſceas cum ſale tartari, tranſit in hepar ſulphuris. Oleaginoſitatis quoque quid ſubeſſe, clare demonſtratur. Sæpius vidi illud, & chartam, in qua reſiduum corpus terreo ſalinum imprimis ex Illuſtr. Comitis fonte aſſervabatur, oleaginoſitate lutea infeciſſe & digitos unctuoſitate quaſi obduxiſſe. Subſtantiam illam ſulphuream & oleoſam eo melius aqua miſceri, cum eam comitentur aluminoſæ & vitriolicæ, nitroſæ particulæ (utpote ſalinæ, quæ facile cum aqueis connubium ineunt) habetur. Accedit & hoc quod hæ aquæ potæ nauſeam & ſubverſionem, ut loquuntur, ſtomachi inferant. Ex quibus, ſat clare uti opinor colligitur, hæc phœnomena ſulphuri potius quam vitriolo, eſſe adſcribenda.

§. VI. Inter partes fixas primas tenet ſal fere alcalinum, quod ſi nitrum illud vocare malles, non refragabor; ad naturam enim nitri veterum proxime accedit: Huic nec immerito thermis, quod & in ſingulis fere reperitur, potior virtus juxta partes volatiliores, ſpirituoſas, adſcribitur; huic ſoli fere omnium vim adſignare videtur Clariſſ. WEDELIVS *Amœn. Mat Med. & Pharm. acroam. p. 432.* Et ſane alcalia ſanguini maxime amica & illius naturæ fere affinia ac polychreſta ſunt. Hujusque ſalis alcalini aquæ thermalis libræ XX. per lenem evaporationem (ſi deſtillantur, ſemper minor quantitas remanet) dant ordinario, ex Schafgotſchiano fonte ſcrup. 1; ex altero drach. ſem. circiter recipitur, quam quantitatem in utroque duplo corpus terreum excedit. Hinc

etiam

etiam in plurimis, ſi non omnibus ſal alcalicum invenitur, uti & longe majori in quantitate in Granenſibus, Burbonienſibus & Vichienſibus in Gallia, in thermis Carol. Embſenſ. Teplizenſibus, immo acidulis & fontibus, lacubus, rivis. Hoc prima fronte ſtatim odore in noſtris manifeſtatur, nares enim ferit exacte lixivioſo odore, & poſt evaporationem remanet ſal alcalicum ex reſiduo elutriandum, quod tamen in fine quandoque plus minusve (inprimis ex Cœnobii fonte) ſubamaricat, guſtu ipſo ordinariisque experimentis manifeſtatum. Ex quo quivis me non monente intelliget, hoc ſal in thermis contentum ex parte eſſe volatile, ex parte eſſe fixum. Conſtat enim, omnia ſalia fere alcalia fixa, ſi igne tractentur, quo per motus varios atteruntur, digeruntur, & in moleculas tenuiores rediguntur, aliquid volatilis de ſe ſpargere. Exempli loco ſaltem ſit ipſum lixivium ex cineribus ſaltem factum, odorem ſatis fortem reddens. Perinde præter Illuſtr. Boyle, Tournefort. Lœwenhœck, Grewius & Bohnius annotarunt, dari diverſi generis terras argillaceas, ex quibus ſpiritus & ſal volatile urinoſum, deſtillando elici valent, quamvis non pure & exceſſive tale alcalicum ſal ſit, quia compertum per rationes atque experimenta eſt alcalia volatilia & fixa pura, raro dari, ad horum claſſem ſaltem ob prævalentiam referri. Alias ſubtiliſſimum eſt, facile & æquali propemodum aquæ portione ſolvitur; carbonibus vero ardentibus injectum non crepat & cum pulvere carbonum ſubtiliſſimo mixtum in crucibulo, totum avolat, ſulphureo quodam fumo relicto. Si hoc ſal alcalinum in libero aëre aſſervatur, in ſal quaſi tertium (quod ordinario iis accidit) mutatur, quæ mutatio ſpiritu univerſali aëreo acidulo acceptum fertur. Hoc ſale alcali fœtæ quoque ſunt multæ terræ, ſaltem in noſtra Germania, ager Rupinenſis, Marchiæ, Pragenſis in Bohemia. In Miſnia & Thuringia multis in locis in cellis effloreſcit & ex terra eruitur &c. Ex Smirna aliorſum magna in quantitate effoſſum adportatur. Aſt unde hoc ſal in terræ viſceribus producitur, cum conſtet, quod nullum ſal lixivioſum non niſi artificis arte per ignem eumque fortiſſimum atque concremationem paretur? Quo ſcire licet, quod quemadmodum ars ſupra terram ex aliis concretis, ſal lixivioſum conficit, ita etiam natura infra terram ejusmodi, ex alia quoque materia producere poſſit. Jam perſpectum eſt parari herbarum fixa alkalia ſalia, per mixtionem intimam ſalis cujusdam acidi cum alkalina quadam atque ſulphurea terra, vi ignis, ſingulas materias intime inter ſe uniente: Etenim ejusmodi plantæ quæ tartareum acidum quoddam ſal vel principium oleoſum &

acidum continent, ſat copioſum ſal ejusmodi alkalicum largiuntur; ſiquidem & harum rerum gnaris non ignotum eſt, quod ex nitro, arcano duplicato, tartaro vitriolato, juxta combuſtibilem ſulphuream terram, carbonum ſimul jungendam, mediante igne ſalia lixivioſa poſſint produci, item ſi acetum diſtillatum aut ejusdem ſpiritus aut etiam ſpiritus ſalis communis alkalicis terreis, ut coralliis lapidibus cancrorum, teſtis ovorum &c. affunditur, ſolvendo exſurgit ſal quoddam, quod per præcipitationes & ſolutiones tales operationes exſerit ac quidem ſal alkalicum. Si miſcetur vitriolum aut ſal commune cum calce viva ac coquitur, mixtura exinde ſal & ſapore & virtute, ſali lixivioſo haud abſimile, exſurgit. Hæc haud obſcure præmonſtrare videntur ſalis alkalini ſub terra productionem; ibi enim eædem materiæ, quæ ejusmodi ſal hoc modo conſtituunt, hinc inde in magna ſat quantitate reperiuntur: nimirum lapides calcarei atque ſciſſiles per ignes ſubterraneos concremantur & in materiam poroſam & friabilem & ſapidam convertuntur, atque ibi mineralia acida atque vitriolica ſulphureaque ſalina principia præſto ſunt, unde non recondita quadam ratione cernitur atque hinc inferre licet, perinde in hoc ſubterraneo naturæ laboratorio pariter ac arte, fieri ſalia lixivioſa. Quo ſimul monuiſſe e re erit, quod, ubi locorum thermæ inveniantur, quæ tale ſal lixivioſum concedunt, ibi etiam acidulæ atque mineræ vitriolicæ, ſulphur & alumen circum circa reperiantur; ſiquidem memorabile eſt, quod circa thermas Carolinas ſpatio V. milliarium vel trecenti acidularum fontes numerentur & quod ibi ut & ad Falkenaviam tam martis mineræ, quam ſulphuris & aluminis, effodiantur. Bitumen, quod & ordinario fere invenitur, ubi ſulphur habetur, non ſolum odore, acuto nitore, acerbitate, amaritie cognoſcitur; ſed & ipſis oculis conſpicitur, præſertim & ordinario magis in Abbatiæ fonte, floccorum & pennularum ſubalbidarum inſtar, internatans, unde ſæpius non potantur ejus aquæ, cum tunc nauſeam, dolores ventriculi & capitis cauſentur. Præterea liquida bituminiformis pinguedo notatur, quæ ſalibus tenaciter inhærere aſſolet & ſalia in nitroſorum vim exaltat, quare nitri coctores difficile eam a nitro ſeparare poſſunt; ſiquidem, ut finem ſuum eo facilius obtineant, ſuum lixivium per cineres depuratos trajiciunt, ut pinguedo hoc medio ſeparetur atque remaneat. Hinc etiam ſine dubio eſt, quod induſia balneo exeuntibus firmiter cuti, tanquam glutine quodam, affixa adhæreant, adeo ut vix poſſint avelli, quare neceſſe eſt, in ipſo adhuc balneo induſia exuant, atque quod ipſa cutis glutine quaſi & oleaginoſitate oblinita,

&

& aquoſorum ad inſtar globulorum obſita, viſu tactuque experiatur. Neque exiſtimandum omne bitumen nigricans eſſe atque fuscum, quoniam variæ bituminis ſpecies albicantes inveniuntur, ut naphta alba, ſuccinum album, ſperma ceti &c. qua de re videndus Mich. REVDENIVS in *Obſerv. Carol. N. 4. p. 9. & 68.* Licet ejusmodi primum omnem cum aquis mixturam reſpuant, longa tamen mora & mixtione devicta iis confuſe uniuntur, uti omnes fontes bituminoſi monſtrant. Hoc, ſi hic conjecturæ locus ſit, ipſe calor ex igne ſubterraneo eliquat. Mars non ſolum ex terra poſt ſalis elutritionem reſidua probe calcinata magneti capillamentorum ad inſtar adhæret; & quandoque grana iij ad IV ex aquæ libris XV. imprimis ex Schafgotſchiano fonte, qui illius majorem copiam ordinario poſſidet, collecta ſunt; ſed & ex ochra, quam in tranſitu deponunt thermæ, eodem modo extrahitur. Fallunt, itaque admodum, aut fallentes nominatim Zwelfferum, Fallopium, Solenandrum, Tabernæmontanum &c. incaute ſequuntur, ſtatuentes: thermis ferrum aliaque metalla immatura ſaltem ineſſe, & qualitates ſaltem illorum. Paucæ partes aluminis ex acido univerſali ſpirituoſo terræ cretaceæ macriori ſtyptico juncto, oriundi, leviſſimi illius quidem, quamvis non æque exacte forte puri & ſimplicis remanent, & pauciores ex Schafgotſchiano fonte. Hoc alias demonſtratu difficile, optime evaporatione dignoſci poteſt. Teſtatur hoc quoque odor acidulus fœtidus, gravis, imprimis, ſi ad modicam ſiccitatem evaporata ſit aqua, qui exacte refert illum, qui ex alumine & ſale ammoniaco in mortario terendo, exſurgit & ſpuma & bullulæ quaſi nitentes quæ remanent & ſapor aciditatis & adſtrictionis, acrimoniæ in amarulentiam paululum deſinentis, & quod ſolutionis cochenillæ colorem non mutet, potius exaltet & ſedimentum in igne fuſum ad inſtar lactis liqueſcat, quodque carbonibus ignitis inſperſum a concrematione intumeſcat atque præcipitatum, præſertim per oleum tartari per deliquium igni impoſitum, ſpongioſum fiat, nec fumum ſpargat aut ardeat, quod & igne alio modo tractatum, albedinem non mutat, quale productum etiam ex ſolutione aluminis per oleum tartari obtinetur. Hoc quoque obſervatur, ubi pyrites exæſtuat, ibi & ſulphur, vitriolum & alumen (quæ ambo progenies ſulphuris ſunt, ſingulorumque acidum ſingulis congruit, adeo, ut ex his omnibus ſulphur quoddam atque exinde vitriolum & alumen poſſit produci) inveniri ac fodi, immo pyritæ aliquam aluminis partem concedunt, uti annotavit Excell. BERGERVS *l. c. p. 102.* Siquidem & hic, circumjecti montes venis pyritæ aluminoſi & chalcantoſi abundant. De ejus productione deſinet dubitare, qui

alumen coquere unquam vidit, & quod hic naturæ operationem ars imitari videatur. Quoad hoc præcipue Aquenses in sabaudia nostræ æmulantur. Hæc ingredientia, sulphur nempe, bitumen atque alumen & ferrum CRATO A KRAFTHEIM, vid. *Epist. med. pag. 242. seq.* nostris his thermis inesse jam cognovit atque eas pro alvo & urina movenda interne, & roborando, emolliendo & discutiendo ac adstringendo, externe adhibuit, hincque podagricis, ischiadicis, in tendinibus scirrhosis & fluxionibus ad scapulas vel spinas, in colico dolore item & articulari, efficacissimas eas deprehendit. Tandem mentio facienda est terræ residuæ ex evaporatione & elutritione, quæ quandoque ex luteo albicat, quandoque cinereum plane colorem refert, commixtis quandoque filamentis velut minoribus inter se contortis atque inflexis, & subpinguis non raro deprehenditur. Ulterius reperitur & alia species terræ longe subtilioris, salinæ, unctuosæ, quæ aquis thermalibus, cremoris instar, supernatat. Cuticula ista, quam format terra hæc subtilis una cum partibus salinis & oleosis crassior & conspicua magis apparet, quando aqua defervuit.

§. VII. Hæc vel superficiaria etiam recensio jam sufficiat, cum quantitatem exactissimam ex chymica vel mathematica subtilitate petitam singularum contentorum ac omnium expiscari quis vellet; res esset irrita ac incerta, si non vana. Secundum enim veterum Sapientum placitum præcipuum prudentiæ officium est, ne nimis magnam curam multamque operam in res abstrusas, obscuras, difficiles easdemque non necessarias conferamus; nec nobis jam adeo multum interest specialissimam nosse, imprimis cum singulis fere annis pro diversitate temporum aliqua variatio in his circa scaturigines nostras soterias advertenda veniat, secundum particularum singularum majorem & minorem copiam, quare nihil pro immutabili naturæ lege reputes, v. g. hoc anno majorem quantitatem salis alcalini, bituminis, martis; altero minorem concedit. Hoc residuum terreo-salinum subalbum, aut ex luteo albicans, nec aquam affusam colore puniceo & simili odore graveolenti ex lixivioso fœtido inficit; altero rursus sulphureæ magis & graveolentes thermæ atque hoc calidiores, altero tepidiores deprehenduntur &c. Proin quoque non omnibus annis æqualis operatio semper sequitur. Ut explicatius loquar; ante biennium thermæ Schafgotschianæ maxima & plane inconsueta bituminis copia, a medio Aprilis ad finem usque Octobris conspicuæ erant, quæ ideo potum impediebat; (potæ enim statim ardores stomachi & dolores capitis gravissimos excitabant) diaphaneitas

aquæ

aquæ & calor tamen perſtitit immutatus, & viſum eſt, hos binos fontes ordinarios ſuos effectus inter ſe quaſi commutaſſe. Hocque annotatum eſt, quod frigidioribus annis magis laxent, quam calidioribus, ut & quod Schafgotſchianæ, ſi prægreſſa hyems frigidior fuerit & plus nivis depoſuerit in montibus Sudetis, tunc & parum bituminis effundant; Abbatiæ vero alias ferme æqualiter ſe habent ad externum hoc accidens. Utræque thermæ tempeſtate pluvioſa fortius ſpirant ſulphureum odorem & imminentibus ventis plus quoque emittunt vaporum, immo die una vel dimidia ante pluviam, calidiores apparent & caput balneantium magis afficiunt.

§. VIII. Unde vero variationes hæ eveniant, haud meum facio nunc prolixius explicare, diſputare & dirimere. Nobis parum intereſt; an quis ex ſiderum aſpectu vario, conjunctionibus, oppoſitionibus, an alius ex pluviis, imbribus, alius ex flatibus, exhalationibus, ventis, illas procedere affirmet. Certas aliquas cæterum mutationes a tempeſtatibus calidioribus, aut frigidioribus, ſiccioribus, aut humidioribus adſcribi poſſe ex modo allegatis obſervationibus facile crediderim, imprimis cum alias quoque alterationes fontium ab ipſis pendere, clare percipiamus. Quin immo etiam hoc in noſtris accurate æſtimantibus & obſervantibus notatum eſt, illas imbribus præter modum cadentibus aliquid virium ſuarum amiſiſſe, quod & alii, ut Ariſtoteles jam, alii de Magneſiis de aliis imprimis & frequentius de acidulis obſervaverunt. Facile enim tunc fieri poteſt, ut in tranſitu affluentes copioſæ aquæ pluviales vel a nive copioſa liquefacta, affluant, æque ac obſervamus, ſi latiori foſſa forte augeantur, accedente quædam fera vena, quam vocant (ut aliquando propemodum in Schafgotſchiano contigiſſet vel in illo fonte prope Franckenſteinam contigit) virtute, qua antea, non amplius pollent. Illud quoque a vero haud abeſſe cenſeo, quod aquæ ſæpe fluant non per fodinas mineralium tantum, ſed & juxta eas, ita ſaltem, ut particulæ quædam ipſis communicentur, & quod perfluendo aſſumant tales alias particulas, ut earum uſus debeat exiſtere varius, immo plerumque incertus, videmus hoc, ſicuti in noſtris quovis fere anno, ita & in aliis. Quare falluntur ii & fallunt, qui forte concedunt, aquarum thermalium perennem virtutem adeſſe; Sic ulterius Sebizius de acidulis Alſatiæ ſcribit: eas eſſe quandoque adeo acres, ut dyſenteriam commoveant, non nunquam effœtas & priſtino vigore privatas. Injurioſi vero in thermas videntur, qui, ſi vel levi mutatione aëris, eoque pluvioſo & nebuloſo exiſtente, vel ventis minus ſecundis agitato, minus bene ſe habeant,

beant, vitium in thermas conjiciunt, cum potius accuſare deberent ambientem aërem mutatum, qui in corporibus illorum ejusmodi alterationem efficit, quod non ſolum ægri, ſed & ſatis alias ſani toto die experiuntur. Plura & certa hucusque in illis non invenire potui, quanquam diu multumque ſcrutatus ſum, irritus tamen labor, irritumque duntaxat ſcrutinium, dubiumque judicium fuit. Alii thermis noſtris & aurum & argentum, immo gemmarum tincturas aſſignant, eoque nomine Ficuncellenſibus, Budenſibus in Hungaria, Favarienſibus &c. ut vulgo fertur, æquiparant, ut ante aliquot annos metallurgus quidam aut avaritia aut adulatione forte ductus, ſabulum ex Schafgotſchianis thermis, addito pulvere fuſorio, in regulum aureum fuſiſſe gloriatus eſt. Aſt plumbeus ille mihi viſus eſt. Ego nullum aurum nullumque argentum in his aquis ferratis (nec vel iis inferioribus ad minimum, cum adhuc earundem efficacia major neque experientia, neque ratione ſatis probari poſſit) invenire aut demonſtrare hucusque potui, quamvis non ſimplici vice ſedimentum aqua Regis ſolutum & præcipitatum fuerit, nulla tamen punctula nigricantia examine eodem modo inſtituto aquaque forti inſtillato & ſ. a. præcipitatione facta in lamina cuprea ſe manifeſtaverunt.

§. IX. Sed ad rei cœptæ ſeriem redeamus. Aqua ſimplex eaque pura, levis, ſubtilis qualemque noſtræ thermæ vehunt, quæ vehiculum harum mineralium conſtituit, haud vilis habenda neque inutilis deprehenditur, ſed ſicuti ad omnes facultates concipiendas eſt aptiſſima, a veteribus panſpermia appellata, ita & ipſa maximas vires & medicamentoſas poſſidet, quippe humiditate, mollitie, levitate, fluxilitate, tenuitate & copia ſua in morbis inſignem affert utilitatem, utpote ſalia morboſa diluit, eluit, & craſſos humores tartareos emollit, attenuat, & ſuperfluum excrementitium per colatoria educit, vias aperit ac excretoria aperta ſervat, obſtructionesque referat, ariditatem partium ſolidarum corrigit & ſanguini, omnibusque humoribus fluxilitatem ad vitalem circulum deſideratiſſimam conciliat, ſecretiones & excretiones omnes juvat, ſomnum conciliat & pene omne curationis punctum abſolvit, huic in quantitate nimirum majori aſſumtæ, majorem, quam vulgo creditur atque perpenditur, partem in ſanandis morbis tribuo ac profiteor ſimplicem aquam puram, ſubtilem levem ſolam quam plurimorum fontium ſoteriorum, in quibus ne mica quidem principii mineralis, metallici aut ſalis continetur, utramque, ut ajunt, paginam facere, exemplo ex notiſſimis ſint Favarienſes, Schlangenbadenſes &c. Atque quoniam deinceps

ceps salia illa soluta sunt, magis ob id penetrant aguntque. Ac ne id quidem mihi reticendum est, quod calor, & ut partes subtilisat unitque, ita & horum ingredientium vires haud parum adjuvet efficiatque, ut inteſtina sua agitatione calefaciant, ut magis penetrare & transire possint, humores circulantes ad majorem motum cieant, magis aperiant, magis diluant. Nam tenendum & hoc est, quod & alias aqua calida magis diluat, quam frigida, vis enim diluendi per calorem intendi videtur: aqua enim calida, magis secundum minimas suas particulas agitatur, magis movet, motu & vigore suo promptius intimiusque penetrat, viscida potenter resolvit, humores salsos acriores imbibit & diluit, ad fluiditatem reducit, solvit, detergit, ac secum ad emunctoria abripit, secernit exacuitque. Hocque vivido suo calore & blando partes corporis humani fovet, ac reficit jugiter. Namque thermarum aquæ hoc habent peculiare, quod & aëri expositæ calorem suum diutius retineant, quam aqua communis calefacta. Hujus causa & ratio ex adductis repeti potest, quod sc. motum ab igne excitatum aër frigidus subito cessare faciat, thermarum vero calidos vapores cohibeat, ne tam cito dissipentur. Habent & hoc, quod licet sint fervidissimæ, uti thermæ Carol, tamen non linguam & fauces, potæ adeo adurant, neque excitent vesicas, ut quidem aquæ vulgares igne calefactæ.

§. X. Si non tædio, operæ pretium erit, ut singula ingredientia, prout nempe sunt extra compositum, ulterius ac seorsim inspiciamus, & illorum vires & modos operandi perpendamus, ut faciliori via ad usum deinceps illarum deveniamus. Quæ tenuium partium sunt in poris vehiculi detentorum volatilium, spirituosarum atque ætherearum ad modum activarum sub forma vaporum adscendentes, copiosas bullulas monstrantes atque penetrante odore saporeque organa afficientes maximam vim medicamentosam, (utpote qui immediate agunt in spiritus animales,) explent, totum pervadunt corpus, immo totum genus nervosum, tam nobilissimo fluido perfusum, elastico quasi stimulo afficiunt, humores rarefaciunt, sive ad majorem molecularum suarum discontinuationem adigunt, circulum illorum intendunt, organa stimulant secretoria & excretoria & virtutes, alexipharmacas aliasque longe antecellunt. Tenues istæ partes primam hic sibi vendicant gloriam, cum fixæ minori in copia insint, a quibus tantæ virtutes, quas præstant aquæ nostræ salutares, vix sperandæ veniunt; Speciatim de reliquis & dicendum est, quod primo principium sulphureum ex phlegmaticis, salinis, oleosis particulis conflatum, in medicina admodum utile, acidum obliniat, temperet,

peret, emolliat, leniat, ſoletur nervos, ſpaſmos ſopiat, relaxet, demulceat, ſedet dolores, ſomnum cieat (ſulphur enim & aqua ſunt ſomni materiale principium) diſcutiat, calefaciat, exſiccet, aperiat, penetret, digerat, putrefactionem avertat, veneno reſiſtat, &c. Intus aſſumptæ ejusmodi thermæ ſubvertunt ſtomachum, alvum ſolvunt, & urinam pellunt &c. Vitriolum necat vermes, exſiccat, conſtipat, extergit, roborat, aperit, digerit. Sal alcali purgat urinam & ſudorem movet, ut omnes aquæ (nam ſalia aquoſa proficua magis diuretica) ſale alcali turgidæ; magis vero urinam adhuc, ſi ſal illud quoque ſit aluminoſum, acidulum concitat, incidit, attenuat, atque viſcidum reſolvit, aperit, ſiccat, acidum invertit, abſtergit, ſecretiones & excretiones juvat, progreſſum ſanguinis celeriorem reddit, facilitat, cum partibus terreis conjunctum, roborat &c. adeoque in conſervanda ſanitate & profligandis morbis, maxime chronicis ab acido imprimis oriundis, eximie ſe gerit. Præſtat hæc omnia imprimis juxta ſpicula ſua tenuiſſima, diviſa æther copioſus, in pororum interſtitiis hærens, utpote cauſa efficiens omnium motuum materialium, omnisque fluiditatis, ob maximam ſuam ſubtilitatem & celeritatem. Ob has partes ſpirituoſas ſulphureas & ſalinas per aquas ſolutas & activas factas caloreque exaltatas, utpote principia magis activa, poſſident egregiam vim per ſubtiliſſimos poros & canales penetrantem, qua propter ad affectas corporis partes intimiores pervenit, maximeque ad motum ſtimulat. Quibus modo indiciis me non monente quivis percipiet, thermas noſtras, in contumaciſſimis & abſtruſiſſimis corporis vitiis, minimorum canalium & tubulorum obſtructionibus, reſerandisque dyſcraſiis humorum & per conſequens etiam ſpirituum animalium corrigendis non ſolum interne, ſed & externe egregiam ferre opem, &c. Bituminis vires affines propemodum ſunt viribus ſulphuris; ut aluminis, vitrioli, minus tamen efficaces; bituminoſæ tamen aquæ, purgando, vitiis corporis magis medentur. Mars adſtringit, roborat, & aperit, ſimul cum gravitate, attenuandi ac rarefaciendi virtute præditus, quam contrariam actionem (ut curſim hoc addam) ita mihi concipio, quod vaſis obſtructione liberatis eorum latera adſtringi ſ. contrahi neceſſe ſit; fibræ enim ſanguine ſtagnante relaxantur, remota hac vero elaſticitate ſua, tonum reſtituunt & priſtinam contractionem exercent, acidum porro deſtruit & ad morbos corporis diuturnos, ſalinos, tartareos, multi eſt uſus. An mars, ut ſolidiſſimum & durum corpus, aquas, ſ. ejusmodi liquores, qui manifeſte tales non apparent, inficiat, hac vice multis argumentis & experimentis non declarabo. Terrea refrigerant, ſiccant,

cant, roborant, abſorbent, temperant. Quin immo in toto mixto ex oleaginoſitate humectantem, emollientem, anodynam; ex odore forti penetrantem; ex ſapore ſubdulci concoquentem, emollientem, &c. ex ſubadſtringenti refrigerantem, condenſantem, replentem, roborantem; ex ſubamaro purificantem, aperientem, attenuantem; ex ſalſo ſiccantem, reſolventem, a putredine præſervantem diureticam, laxantem hariolamur qualitatem, & ſic porro.

§. XI. Ob varias has concretorum in ſe invicem mixturas operationes variæ quoque oriuntur, ut ideo non tantum ingredientia mineralia, ſed & craſis & modus, vel ſecundum veteres, temperies ſubſtantiæ, attendenda. Namque ob unionem adeo intimam & novum quoddam quaſi enaſcitur, nova componitur vis, ut illud in multis videmus, v. g. mithridatico, & theriaca, cortice peruviano, pulvere pyrio &c. in quibus conjunctæ atque unitæ ſaltem partes, effectum edunt. Optime inquit GALENVS *de med. facult. L. II.* remedia quædam ſpecifica, quæ tota ſubſtantia, i. e. non juxta certas ſuas partes, ſed quatenus omnes hæ partes totum quoddam conſtituunt, agunt. In hanc rem teſtimonium quoque affert B. ETTMÜLLERVS *Op. M. T. XI. p. 1907.* Sicut videmus, inquit, in antimonio, cujus neque ſubſtantia acida, neque alcalina ſeparata, ſed ambæ ſaltem combinatæ catharcticæ ſunt. Quare ſatius eſt, & multi momenti, ita ſentiente GALENO *L. V. de ſanit. tuend.* thermas & aquas medicatas experientia ipſa cognoviſſe, cum modus unionis, (non ſimplicis cujusdam miſtionis) adeo intimæ nondum ſatis perſpectus ſit. Ideo monet HOEFERVS in *Herc. Med. T. I. p. 345.* de aquarum, dicens, medicatarum qualitatibus temere non judicandum. Si enim videmus tales aquas conſtare v. g. ex alumine, ſulphure, ferro, nitro, non ſtatim pronunciandum: ergo eas habent virtutes, quibus conſtant mineralibus, &c. Quin immo refert A. LIBAVIVS *de Nat. Metall. p. 93.* inveniri aquas ollas corrodentes & lapides, eorumque halitus mentem eripientes, quæ tamen ſalubres ſunt medicinæ, quod & de Wolkenſt. Gœbelius narrat.

§. XII. Acſi omnia ſub incudem revocamus atque perpendimus, hariolari licet, quod noſtræ aquæ ſoteriæ ſive externe ſive interne uſurpentur, caloris & contentorum ope virtutes calefaciendi, diluendi, emolliendi, maturandi, ſiccandi, corruptionem ac putredinem avertendi, relaxandi, acrimoniam temperandi, leniendi ac mitigandi, dolores ſiſtendi, attenuandi, reſolvendi, detergendi, aperiendi, confortandi, conſolidandi, evacuandi præſertim, obtineant. Exindeque colligitur,

 quod

quod ventriculo, inteſtinis, utero, vaſis ſanguineis, pulmonibus, &c. auxilium ferant & quod magnum uſum præſtent in morbis ex lympha craſſa, viſcida & ſalſa acida, acri oleoſa, in obſtructionibus, in atonia fibrarum ac earundem criſpatura, in exulcerationibus, tumoribus &c. atque uno verbo in plerisque morbis, ſi non reſtitutionem in integrum, levamen ad minimum maximum concilient. Licetque vel exterius ſaltem in balneo adhibeantur, vim tamen penetrandi egregiam per poros corporis undique poſſident, immo ad fluida usque. Calida enim aqua, utpote magis mobilis atque pervadens primario, cui ingredientia tanquam vehiculo inſunt, non ſolum laxat fibras & dilatat, aperit, rarefacit poros cutis, ut hæ particulæ ſalino-ſulphureæ, magis activæ, ſpirituoſæ, libere eoque melius intimiusque per eas ſe inſinuare & operationes ſuas perficere poſſint, ſed & ipſa, per poros particulis ſuis lubricis, flexilibus promptiſſime ſe recipit ad intimiores corporis usque receſſus, quæ res licet a multis in dubium vocetur, per multa tamen experimenta multosque effectus demonſtratur, adeo ut vix de ea dubitare liceat. A peripheria ad centrum ſic recepta aqua thermalis, undique operationes ſuas perficit; & rurſus a centro ad peripheriam agit. Unde aptæ ſunt, quæ cauſas morborum etiam in remotiſſimis locis deſtruant; Penetrantiæ reſolutionisque humorum coagulatorum, earum vis exinde vel nudis oculis patet, quia in balneis limpidis interdum poſt inſeſſionem, levis quædam pinguis atque interdum nigricans cuticula ſupernatat, ex balneantibus ſine dubio, non ex ipſis thermalibus aquis, profecta. Amplius dicendum eſt, quod aquæ in balneo mole, denſitate ac pondere, quo ipſum aërem adhuc antecellit, undique nitentes agant, cutem cum ſubjectis muſculis & vaſis omnibusque reliquis organis impellendo, comprimendo eoque humores ex glandulis & poris excretoriis etiam ex intima corporis regione exprimendo, ſicque circulum ſanguinis augendo, ut variis experimentis demonſtrat L. Bellini *de miſſ. ſangu. p. 144.* ad quod efficiendum majorem vim poſſident, dum ex inferioribus ſcaturiunt calidæ, quæ vis ex aqua in fontibus artificialibus aut thermometris incluſa & calefacta æſtimari poteſt, dum in altiſſimum ſpatium evehitur ac expanditur, vel vaſis firmiſſime etiam ſolidiſſimis incluſa, accedente calore, dum ea magna vehementia diſrumpuntur. Quam actionem adjuvant ſpiritus & ſalia, maxime in ipſis aquis thermalibus contenta, quæ titillatione levique vellicatione ſua & ſtimulo in papillis nerveis facto, eam ſollicitant. Et ut in compendio illarum faciem exhibeam: ſ. intus, ſ. extus adhibeantur, duo illa ſumma capita

reme-

remediorum explent, alterant ſc. & evacuant totum corpus ſenſibiliter & per omnia emunctoria, inſuper præſervant & curant, juvant per ſe & per accidens morbos internos æque ac externos, operantur tam quantitate quam qualitate.

§. XIII. Operatio autem ipſa his reſultans, ſecundum varia ſubjecta variat, ut hoc quidem commune omnibus propemodum remediis eſt: In aliis efficacior, in aliis minus talis eſt; nunc enim v. g. balneum imprimis obſtruit alvum, nunc ſolvit eam, nunc potus alvum magis aperit, nunc magis urinam pellit, nunc ſudorem, quandoque & ſalivationem concitat, non raro per nares, interdum per aures & ductum Fallopianum, ad fauces, pone uvulam excernit atque deponit recrementa. Eadem operatio rurſus in aliis per narium ſpontaneas hæmorrhagias, per hæmorrhoides & fœminarum menſium fluxum aliasque uterinas excretiones ſe exſerit. Alii citius, tardius alii a thermarum adhibitione moventur. Nonnunquam ſimul omnes hos effectus edunt, nonnunquam aliquos & ſeorſim; hocque pro utentium vario vigore & ſenſibilitate ventriculi & inteſtinorum, pulſu cordis & arteriarum copia, conſiſtentia & fluxilitate humorum, amplitudine pororum & meatuum accidit, unde etiam facilius aut difficilius tranſeunt aquæ, diſtribuuntur, ſolvunt, ſecernuntur & excernuntur. Ordinaria vero noſtrarum thermarum operatio, quam omnes propemodum maxime balneantes experiuntur, & quæ iis quaſi propria cenſetur, eſt, quod poſt aliquot modo ex balneo dies, cutis rubris maculis aut purpura totius corporis cum maxima euphoria ſuffundatur, quæ effloreſcentia modo in his per unius ſaltem ſeptimanæ ſpatium, modo in aliis per plures III. IV. V. atque quandoque VI. hebdomades & ultra ſubſiſtit, & vel balneo continuato iterum decedit, vel etiam non raro poſt uſum balnei abſolutum, protrahitur. Immo nota ſunt exempla eorum, qui domum jam reverſi per tres menſes purpurati manſerunt, & quibus hæ cutis effloreſcentiæ tribus vicibus inter hoc tempus redierunt, & ſponte ſua temperato regimine habito, cum euphoria etiam deceſſerunt. De reliquo operatio earum ut lenium ſatis, leniter ſenſimque, ſed ſecure certeque procedit.

§. XIV. Alioquin noſtræ temperatæ thermæ ferme omnibus temperamentis, cujuscunque fere ætatis, ſexus, atque conditionis ſint, convenientes maxime ſunt & acceptæ, conferunt medenturve affectibus chronicis itidem & acutis, calidis ſic dictis ac frigidis &c. Nimirum refrigerant tranſpiratione, quam movent, & poros aperiunt, rarefaci-

unt, partes ſulphureas, calidas temperant, ejiciunt, relictis terreis aqueis frigidioribus vel ebullitionem & obſtructionem tollunt; calore vero ſuo frigidos fovent, reſolvunt, ut in auras abeant, ſuperfluæ humidæ partes, fibras & roborant ut ſe contrahant, promoveant, neque ſuperfluum quid iterum admittant. Sicca vero humectant corpora, dum aquæ copia & mora ſua partes diluunt, humectant, emolliunt, & humores raſſos colliquant. GALENVS *Lib. de maraſmo & Lib. III. de offic. Med.* ſimile annotavit *de balneis & Hipp. L. de affect. circa finem*, ut notum eſt; alias frigida quandoque calorem revocare (cutem refrigerando, contrahendo, effluvia calida ut retineantur,) & quædam calefacere per ſe, per accidens vero refrigerare (v. g. camphora, ſp. vini, opium) & quædam per ſe refrigerare, per accidens calefacere (ut aqua frigida, acetum.) Verum enim vero ſi exacta ac ſtrictiori æſtimatione hoc ipſum perpendimus, in genere dicendum eſt, omnes thermas manifeſte calidas, balneo præſertim adhibitas ſubjectis humidis & frigidis, ſeroſis, laxioris habitus, fœminis magis convenire, morbis quoque frigidis & humidis; calidis jam exiſtentibus vero minus, ut febribus ardentibus & inflammationibus &c. ubi vero morbus talis nondum factus, ſed in fieri adhuc & ubi diſpoſitio ſaltem adeſt, &c. thermæ utique concedi poterunt, ita ſentiente BACCIO *L. III. p. 131.* experientiaque comprobante.

§. XV. Priusquam hinc abeamus, differentiam quoad operationem & effectus, quæ duobus his fontibus intercedit, ſeorſim & explicatius luſtrabimus. Equidem maxima ex parte inter ſe conveniunt, differunt tamen, ſi exacta penſitatione æſtimantur. Nimirum minus calefaciunt Schafgotſchianæ thermæ, magis emolliunt, magisque reſolvunt, atque abſtergunt, adeoque in ulceribus iisdemque malignis & contumatioribus, & ſcabie atque catarrhis & ſimilibus obnoxiis magis proſunt; cachexiam, tumores quoque duros magis ſanant, avertunt, præcavent, reſolutionibus, contuſionibus, immobilitatibus, tremori, obſtructionibus, in fluidi nervei impedito ad partes defluxu &c. magis ſunt utiles; in diſpnœa, aſthmate, hypochondriaco malo & melancholia hypochondriaca (potæ) certiorem præſtant uſum, excretiones omnes cutaneæ ex illarum uſu magis proveniunt, plus alvum laxant & diureſin augent; attamen quadantenus ventriculum debilitant & appetitum deſtruunt, citiusque ſuas vires perdunt. Alteræ potæ, ſi in ventriculo vel ejus orificio bibentis, aliqua ſaltem acris vel bilioſa materia hæreat, excitant magis gravitatem & dolorem ventriculi & capitis

cum

cum inflatione abdominis citra frequentiorem alvi dejectionem. Cumque calidiores ſint, frigidioribus ſic dictis ſubjectis, mulieribus, frigidioribusque ac humidioribus magis affectibus quadrant externo uſu commendatæ, magis afficiunt, penetrant, imprimuntque contenta, atque roborant, condenſant, leniunt, ſiccant magis, quare morbi, ex laxitate partium, uteri &c. nati, facilius reſtitutionem nanciſcuntur & fluxiones pertinatiores atque rheumatiſmos, ſcapularum, ſpinæ, coxendicis, juncturarum manuum & pedum validius abigunt, conferuntque magis podagricis, gravidis, fluxui menſium nimio aliisque fluoribus obnoxiis, & accidentia, ut vertiginem, capitis dolorem, gravedines &c. concepta ex uſu forte fontis Schafgotſchiani his curantur.

CAPVT IV.

Uſum ſpecialem Thermarum Hirſchbergenſium tradit.

§. I.

JActis jam fundamentis ad uſum thermarum noſtrarum devenimus, ut ſpecialius hunc penum inſtruamus. Habent utique thermæ ſuos inſignes & varios uſus, tum medicos, tum medico-politicos (ut mere politicos taceam) ut ſcilicet v. g. non tantum diæta paulo melius ordinetur ſed & ut ſæpe immorigeri ægri domi præcepta medicorum negligentes, aut faſtidientes, ſuo genio ex conſuetudine domeſtica indulgentes, recepta univerſali obſervantia ibi locorum ſtrictiori, teneantur, quo ſæpe miratus ſum ægros vix 20. vel 30. guttulas tincturæ aut dr. β pulveris alias aſſumere negantes in thermis tantam copiam aquarum thermalium bibiſſe. Ut porro animus in ejusmodi amœnis gratisque diverticulis a ſeriis curis, negotiis gravioribus, concatenatisque laboribus & domeſticis occupationibus, ad tempus quoddam abſtrahatur, pacatus & tranquillus reddatur, novitate & mutatione loci, jucundo convictu & hilari familiaritate, amica & læta converſatione, quæ in ejusmodi conſuetudine eminent, colloquiis amicorum & variorum peregrinorum recreetur; hoc pacto enim mire animus roboratur & erigitur, excitatur, & hinc ſanguinem & humores temperate movendo & ſpiritus excitando, non adeo facile morbos admittit, vel citius ejicit. Non facile dictu eſt, quantum faciat hilaris animus ad prolongandam vitam atque ſanitatem conſervandam amiſſamque reſtituendam, immo ad

ad promptiorem remediorum operationem. Qualis enim animus eſt, talis ſpirituum motus, talis motus cordis arteriarum, tonusque partium, talis circulatio; & qualis circulatio, talis eſt ſanitas. Scite in hanc ſententiam ſcribit BARDVS in *Med. polit. p. 310.* Cor lætum benefacit medicinæ; tunc enim medicamentum proficit & juvat, dum alacri animo eſt, qui illud accipit. In præſens notatur, quod MENEDEMVS Philoſ. *apud Laërt. L. II. 133.* dicatur φιλυπόδοχος exinde, quod ad loci inſalubritatem vel evitandam, vel minuendam frequentius inter amicos, hoſpitesque in conviviis exhilaraverit animum, (quo corpus quoque ſuſtinetur) & quod Romani olim & Byzantini, inter ſumma deliciarum genera, peregrinationes retulerint. In horum numerum referre non dubito eum, quo obtinetur, ut a medicamentorum farragine devoranda ad tempus aliquod ferientur miſeri, a quibus medici atque pharmacopoei indies ſolvunt tributum. His & jungitur eximius uſus motionis corporis, mutationis aëris, victus, conſuetudinis &c. Quantum illa omnia ad ſanitatem conſervandam, præcavendos morbos, & præſentes fere omnes chronicos atque rebelles immorigeros conferant, nemo non novit, aërem enim (quem occultum vitæ pabulum veteres jamdudum eſſe dixerunt, & recte quidem dixerunt:) iſtis in locis, ubi thermæ habentur, longe alio ſalubriorem eſſe, conſtat, & quæ ſunt alia, non longius jam recenſenda.

§. II. Sed ad Spartam noſtram, quam tuendam ſuſcepimus. Equidem uſus primarius thermarum Hirſchbergenſium, (ut cæterarum quoque) olim duntaxat externus atque balneum fuit; verum etiam illarum internus ſive potus etiam æque probatur. CRATO A KRAFTHEIM uti legere eſt in *Epiſtol. med. p. 251.* ſuo tempore frequentiſſimum eum vidit atque commendavit, hodie is magis iterum negligitur; balneum uſitatiſſimum eſt multifariis commoditatibus plurimis commendabile. Quocunque etiam alio modo adhibeantur ſalutares ſunt, immo ſolus earum vapor utilitate ſua non deſtituitur. Quamvis hoc fatendum ſit, quod ob longe forte minorem, quam continent, ſalis partem aliis, v. g. Carolinis quoad potum non æquiparandæ ſint, purgant tamen æque ſine notabili corporis perturbatione atque debilitatione, minori longe quantitate ac Carolinæ, ſiquidem unus ſaltem alterque hauſtus alvum pluries movet ac non raro vomitum creat & licet per plures ſæpe dies iſtæ operationes inſtituantur, utentes tamen vix exinde debilitantur, quod omnibus thermalibus aquis commune eſt, & in hoc mirabile quoddam præ omnibus aliis pharmacis evacuantibus habent, utpote quæ ſub pur-

purgatione & ſudatione quam efficiunt, vires ſimul notabiliter perdunt cum ventris torminibus, anxietatibus circa præcordia imprimis, ſiti, faſtidio ciborum, vertigine, laſſitudine & quandoque animi deliquio, aliisque ſat gravioribus ſymptomatibus. Nec non urinam potenter cient, & ſudorem quoque ſimul movent. Utrumque remedium, balneum ſcilicet & potus, in uſum duci convenit, ubi viſcidum, pituitoſum, glutinoſum, craſſum firmiter plicis & parietibus ventriculi & inteſtinorum impactum, imprimis eſt reſolvendum, emolliendumque & educendum, acidum temperandum, & mineræ morboſæ intimiores circa membranas & nervos &c. hærentes tollendæ, & ubi pertinaciſſimi & abſtruſiores affectus & frigidiores ſic dicti ſubſunt, vel ubi hæc vel illa pars affecta majori remedio præ reliquis opus habet, ubi & affectus & pars affecta majorem vim ac impetum celerioremque operationem expoſcunt. Atque ubi majori energia citiorique penetratione opus aſcenſus ex puteis thermalibus cum ſcaturientibus aquis (das Aufquellen) jungendus ac ſtillicidium quoque in auxilium vocandum.

§. III. Proximum jam eſt, ut thermarum noſtrarum multiplici experientia non per unius ſaltem ſeculi decurſum, in morbis corporis humani adeo innumeris probatum uſum, & ex univerſalibus adductis colligendum, fuſius tradamus. Scilicet diligenti & quotidiana fere annotatione conſtat, quod nullum prope morborum genus ſit, quod in medicatis noſtris aquis ſuum remedium non inveniat, atque quod præſertim virtus illarum optime ſe manifeſtet rite exhibitarum in omnibus morbis diuturnis, chronicis & pertinacibus, & qui lyſi maxime ſolvuntur, pneumatoſi læſa, chyloſi læſa & inde natis cruditatibus & humoribus corruptis, acidis, ſalinis, tartareis, bilioſis, viſcidis, & inde dependentibus ſtagnationibus & obſtructionibus, viſcerum infarctu, humorum decubitu illorumque impuritate, nec non a tono fibrarum læſo oriundis, aut ubi fibræ ſunt tenſæ, rigidæ, contractæ, in motibus ſpaſmodicis, doloribus, tremoribus, impotentia motus &c. In ſpecie dicendum eſt, eas prodeſſe in omnibus affectibus capitis, ſi deuteropathici & a cauſa, ut dicunt, frigida ſint, ſi vero idiopathici & inveterati, plurima ex parte non tam certe, non tam facile, opem conferre. Tumque miros præſtant effectus in vertigine, cephalalgiis, vigiliis immodicis, affectibus ſoporoſis (in declinatione præſertim) memoriæ debilitate, ſtupore, reſolutione, contractura, paralyſi, paræſi, &c. Utile quoque eſt balneum poſt perpeſſos melancholiæ paroxyſmos, item in oculorum affectibus multis, doloribus, viſus hebetudine, fi-

ſtula lacrymali & gutta ſerena, aurium ſuſurro, tinnitu, gravi auditu, ſurditate, humiditate ſuperflua, apoſtemate, dentium gingivarum affectibus, qui fiunt ex condenſatis craſſisque humoribus & acrimonia. Obſervatumque etiam eſt: reſtitutum inde fuiſſe guſtum atque olfactum abolitum, & loquelam amiſſam. Conducunt porro in dyſpnoea, aſthmate humido, extra paroxyſmum, tuſſi ferina ſimilibusque affectibus pulmonum, ſi ſunt a ſimplici ſtagnatione, perfrigeratione, preſſione, infarctu & per conſenſum hypochondriorum, phthiſi incipiente, & exulceratione pulmonum ſuperficiaria, quæ non eſt exedens aut putrefactiva, pulmonum ſcirrho nondum inveterato, nec non palpitatione cordis, incubo (potæ). Juvant affectus ventriculi & inteſtinorum viſcerum dyſpepſiam, cibi faſtidium, lienteriam, cœliacam paſſionem, diarrhœam, dyſenteriam, vomitum, choleram in declinatione (balneo) revellendo humores, glandulas ſalivales & gaſtricas ſollicitando & influxum ſpirituum concitando. Teneſmum, tonum ventriculi adſtrictum ſolvunt, ſi bibuntur, laxatum firmant, tormina ventris & colicam flatulentam, pituitoſam immo & ſpaſmodicam ſedant, flatus diſcutiunt, ſingultum ſiſtunt, intus extusque exhibitæ. CRATO A KRAFTHEIM *Epiſt. med. p. 250.* Vratislavienſem quendam civem primarium, multo tempore colicis & articulorum doloribus diu excruciatum, præter ſpem ex potu thermarum convaleſcere vidit. Potæ & in alvi ſegnitie & iliaca paſſione, in incipiente hydrope, ejusque ſpeciebus, in anaſarca, leucophlegmatia præſertim æque ac in balneo ſuadentur. Item in malo hypochondriaco & ſcorbuto, quia temperant, diluunt, demulcent maſſam ſanguinis, ſaliaque abſtergunt eaque per debita emunctoria educunt, optimæ ſunt. Nec eſt quod in calido, ut ajunt, ſcorbuto eas metuas, ut quidem quidam ſcrupulum movent, quoniam moderate ſat agunt, neque adeo debito modo uſurpatæ nimis calefaciunt, exſiccant, liquidas partes neceſſarias abſumunt, neque ſalia ſcorbutica magis exaltant. Aliæ quoque tales temperatæ thermæ, ut Empſenſes & Teplicenſes in hoc morbo innoxiæ ſunt inventæ. Hic occaſio obvenit recenſere hiſtoriam de viro quodam Miniſterio eccleſiaſtico in Luſatia conſtituto, hypochondriaco, ſcorbutico, a me notatam, cujus poſtquam per II ſeptimanas thermis noſtris uſus eſſet, extrema digitorum, manuum pedumque, præſertim ungues, nigro ad inſtar atramenti, colore obducebantur, qui poſt III ſeptimanas demum ex continuato balnei uſu auſpicato, ſenſim deceſſit. Ad hæc in febribus intermittentibus diuturnis, quartana præſertim, & ephemeris (cæteris paribus) non

modo

modo in declinatione, ſed & in principio & ſtatu, (nam tales curant æque ac præſervant) iis præſertim quæ a tranſpiratione ſunt impedita, vel ſi ſecundariæ illæ ſunt, v. g. a ſcabie retroceſſa &c. extra praroxyſmum tamen conceduntur. Certior tamen effectus ſperandus, ſi alia remedia febrifuga, ut ſalia aliaque repurgantia, ut & amara ac tonica in hac aqua therma mali tanquam accommodato vehiculo, aſſumuntur. Commendantur illarum potus in pathematibus, febribus ex præpoſtero chinæ chinæ vel adſtringentium uſu, ſupervenientibus, ubi exinde hectica & hydrops imminent &c. GALENVM idem ſentire in genere de balneis calidis, patet ex *I. ad Glauconem & L. V. de ſanit. tuend.* adducitque, quosdam, balneo ſine, quotidie febricitaſſe: Siquidem & ego novi potu illarum febre tertiana continua & lenta, varios liberatos eſſe. Nihilque vetat balneum adhibere, in metu inflammationum, eryſipelatis &c. (præſervandi & roborandi, tranſpirationem promovendi fine) in inflammationibus quibusvis internis & externis deſinentibus, v. g. pleuritide, peripnevmonia, tunc enim ſuppurationem maturat, dolores mitigat, ſolvit, educit. Herniam inteſtinalem non adeo inveteratam & repoſitam in ſede firmant ſine dubio juxta alias dotes, quas afferunt, leniter conſtringente firmanteque ſua virtute, peritonæum in priſtinum ſuum ſtatum reducente; flatuoſam autem diſcutiunt, & ſingulas conſolidant, quibus in caſibus fons Præpoſituræ præfertur. Hæmorrhoidum fluxum nimium compeſcunt, hæmorrhoides vero cœcas aperiunt, hæmorrhagias ſiſtunt maxime potæ, quo & vermes necant educuntque. Scirrhum hepatis, lienis, aliorum viſcerum & glandularum & vaſorum & obſtructionem immo & nervorum reſolvunt, aperiunt, ſecretiones humorum per ſuas glandulas adjuvant, rarefaciendo humores partesque laxando, indeque natum icterum flavum, nigrum, curant. Renum, ureterum, veſicæ dolores, a calculo nimirum oriundos, omnium immaniſſimos demulcent ac ſiſtunt, exulcerationes, excoriationes, tumores, læſionesque alias harum partium ſanant, quo nomine noſtræ non inferiores forte ſunt aquis ferratis in Tuſcia, quæ veſicariæ ea propter nominatæ ſunt. Urinam proliciunt, poros aperiendo, aliasque ſuppreſſiones humorum excrementitiorum ſolvunt, ſaburram viſcidam, tartaream, deſtruunt, calculorum, ſabulorum, renum & veſicæ eductionem promovent, atque expellunt, imprimis intus ſumtæ, ſi nimirum non ſint nimis grandes calculi & per multos annos jam non cum illis luctati ſint ægri, & ubi in fieri magis ſint, & in vaſis tartarus ille adhuc fluctuet fluidus, & inflammationem inſequentem præcavent. Curant

præfertim Abbatiæ thermæ, diabetem, incontinentiam, difficultatem, ardorem urinæ, (imprimis puerperarum) mictionem cruentam & purulentam. Uterum fanant, meatus illius recludunt, impuritates, humiditates extergunt, fovent, reficcant, roborant imbecillem, tumores ejus emolliunt, refolvunt, menfium obftructioni (tum emolliendo vias, tum fluxiles reddendo humores, & excitando) fterilitati mulierum & impotentiæ virorum, fubveniunt ac venerem languidam in utroque fexu inftaurant, priapifmum vero corrigunt, ulcera proftatarum fanant, læfionibus aliis pudendorum, rimis & prolapfui uteri & inteftini recti infeffu, inferviunt. Balneum præcavet abortum, partum in iis, quæ alias cruciatu & labore gravi pariunt, circa inftans tempus adhibitum, immo fœtus mortui & molæ exclufionem facilitat, menfes fuperfluos & inordinatos, fluores albos mulierum, pallidos & difcolores ac genituræ involuntariam emiffionem in viris, maxime Præpofituræ fontis, compefcit, uteri fuffocationem atque hyftericam paffionem, ut & potus avertit, ac furorem uterinum componit. Profunt ejusmodi thermæ in obefitate minuenda & impedienda, fi diutius & largos usque fudores, illarum ufus protrahatur, fuccum nutritium evacuando, robur addunt fibris laxatis, illudque reftituunt. Fovent refrigeratos nervos & tendines, exindeque dolentes perniones, dolores artuum etiam ex lue venerea refiduos, fiftunt & corrigunt, & a mercurio forte in corpore reftitante vitia alia inducta emendant, idque ob fulphur præfertim quod mercurium ligat: quinimmo fub fine luis venereæ permittuntur. Quoniam evacuatoria omnia aperta noftrarum thermarum ufus fervat, excrementitios accumulatos humores variæ indolis educit, & obftructiones falium genetrices potenter refolvit, calore pariter blande demulcet & roborat. Catarrhos, rheumatifmos in quibusvis corporis partibus & fluxiones ad fcapulas præcipue, fpinam dorfi, juncturas manuum & pedum, malum ifchiadicum & arthritidem maxime fixam, podagram, fi ex imbecillitate partium collecta materia articulis eft impacta, tutius certiusque quam ex defluxione vaga volatiliori, fi non adeo inveteratum fit malum & ad fenectutem usque productum, vel hereditarium, vel ubi callum & nodos non appofuerit majores, balneum maxime fanat & vitiofum tendinofis & nervofis partibus altius infidens, humidum peccans difcutit & diffipat, omnibus ideo morbis fpafmodicis, utile & aptum; quanquam etiam potus hos dolores aufert. Confulto itaque utrumque in ufum in his cafibus ducatur, & potus præmittatur, ut materia peccans per vomitum, alvum & urinam ejiciatur, & dein

dein balneo, debilia membra roborentur. In ipſo tamen paroxyſmo & in principio horum morborum minus (balneum) idoneum eſt. Egregiæ utræque quoque ſunt thermæ, in podagra in corpus retroceſſa. Enervatis, refrigeratis & debilitatis, paralyticis, reſolutis, trementibus, convulſis, contractis & ſpaſmo criſpatis, duris, inertibus, claudis, nutritione depravata & impedita & tabe & atrophia marceſcentibus & exſuccis membris explanandis ex contuſione, ictu, caſu, fractura, luxatione articulorum (tum emolliendo, tum roborando nervoſas partes) defatigatis item (hinc juvenes olim Romani in palæſtris fatigati ſe mox in thermas iis ordinario junctas recipiebant, ut ſuas inibi vires priſtinas recuperarent,) ut & ambuſtis calloſis, balneum egregie ſubvenit. Hæ in his caſibus gravioribus præ omnibus aliis balneis nobis notis palmam præripiunt, adeo ut ad noſtras, artuum articulorumque affectibus capti, ad ultimum quaſi aſylum, ob tot felices, quos in iis percurandis edere ſolent effectus, longe lateque notos, confugiant. Apprime etiam illud (balneum) utile eſt poſt morbos chronicos diuturnos perpeſſos. Tumores duros, flatulentos, œdematoſos pedum &c. & ab eryſipelate, podagra potu aquarum &c. provenientes & tophos articulorum ſtrumasque ſic emolliunt, attenuant, reſolvunt & varices auferunt. Abſceſſus, exulcerationes & apoſtemata omnia non ſolum externa, ſed & intus collecta in capite, pectore, hepate, renibus, utero &c. maturant, emolliunt, aperiunt & per proximas & expeditas, naturæ vias repurgant, imprimis Schafgotſchianæ extus quidem adhibitæ. Sanguinem congrumatum in interioribus & læſione partium (*Verbrechen*) reſolvunt, læſionesque ipſas atque adeo nervoſarum partium perſanant atque complacant. Vulnera, fiſtulas & ulcera brachiorum & crurum, abdominis reliquarumque partium inveterata, calloſa, maligna, cancroſa, rebellia, fluida & corroſiva & male curata, gangrænam, cariem oſſium, ſpinam ventoſam, rhachitidem, non adeo inveteratam eam quidem, ſanant, affluxum ulteriorem inhibent, acidum ichoroſum domant, carnem ſphacelatam & putridam ſeparant, novamque renaſcere faciunt, fibras nerveas roborant, latera glutinant, cicatricem inducunt. Vulnera jam dudum, ſed non rite ſanata, aperiunt, ſaniem & globulos, feſtucas, fruſtula oſſium fractorum aliaque profunde hærentia, ſanationem impedientia, eliciunt. Conveniunt fracturis calli inductione egentibus; Commendantur etiam ad vulnera a telo, globulo venenato &c. illata, ad morſus venenatos animalium, venena aſſumta (pellendo per circulationem ad exteriora.) Immo in morbis ab incantationibus noſtræ thermæ a nonnullis laudan-

tur. Omnes fœdos virginum colores auferunt, omnesque maculas cutaneas, varii generis, diverſæque indolis, ſcorbuticas & vitia alia, quales ſunt impetigo, vitiligo, verrucæ, herpes miliaris, ſerpigo pinguis, lychenes, ſcabies fœda, humida, lepra, pruritum, item variarum partium, phthiriaſin, fœtorem alarum & pedum abſtergunt & corrigunt, ac diſcutiunt, humores in poris cutaneis hærentes, ſic & unguium vitia, ſcabritiem, emendant, ſuffuſiones diſſipant, membris lividis colorem naturalem reſtituunt, ſanguinem aliqua in parte coagulatum, ſtagnantem reſolvunt, cuti nitorem inducunt, & coſmetici vices implent. Inſuper quandoque a recte valentibus adhibitum balneum ſanitatem integram diu ſervat atque longævitatem conciliat, ſiquidem balnea etiam ſimplicia quandoque atque debito modo adhibita, præcipuum medium ad ſenium retardandum & propagandam vitam eſſe exiſtimo, quoniam per ea fibrarum & membranarum nimia ariditas & exſiccatio, ſoliditas & durities atque canalium anguſtia, quæ creſcente ætate inducuntur, & ſecretiones & excretiones debitas influxumque liquidorum laudatiſſimorum, ad motum ac nutritionem neceſſariorum, impediunt & circulationi humorum obicem ponunt, ſicque vires ſubinde abſumunt mortemque naturalem inferunt, emollitione avertuntur & præcaventur. Pro quo ſcopo præſertim, in quotidiano fere uſu, talia fuerunt olim Græcis atque Romanis. Si vero balnea ſimplicia hoc egregium emolumentum addunt, majorem adhuc noſtra ejusmodi præſtabunt, quemadmodum ſunt temperata ac blanda omnibusque hominibus, qualis etiam ſint conſtitutionis, convenientia, & quia egregie emolliunt & partes ſolidas ita diſponunt, ne fluidis circulantibus impedimento ſint, atque commoda memorata melius expediunt.

§. IV. Juxta hos primarios & univerſales uſus, balneum nempe & potum, alios quoque eosque particulares, & ſecundarios magis thermæ obtinent. Nimirum quandoque & loco fomentorum adhibetur aqua thermalis. Sic incolæ quando oculorum vitiis, hebetudine, ſuffuſione multisque aliis, immo inflammatione laborant, eos illa cum laudata euphoria fomentant, ſed oculi clauſi tunc teneantur, ne forte vapores ſulphurei moleſtiam creent; externe vero ſic admotæ aquæ thermales egregie diſcutiunt. Hoc modo adhibitis in fœmina quadam fiſtulam lacrymalem feliciter ſanatam eſſe ſcio. In nares etiam adtrahi poſſunt aquæ thermales pro abigenda ozæna, & reſtituendo odoratu amiſſo &c. In hydrocephalo egregiam tuliſſe illas externe ſic uſurpatas, opem conſtat. In maniacis item, capitiluvia ex thermali aqua adornata proficua inven-

inventa ſunt. Hæc vicini Poloni contra morbum ſuum endemium, plicam polonicam, cum ſucceſſu adhibere ſolent. Nec dubium eſt, quin & in aliis capitis vitiis, locum inveniant, iis præſertim, qui in memoriam revocare vellent, quantas morborum curationes ſolis capitis lotionibus Georgius Anwaldus, a quo panacea anwaldina procedit, inſtituerit. De lutatione, fotus ſpecie, multis in thermis apud nos pariter ac apud veteres teſte Plinio uſitata pro emolliendi, reſolvendi roborandique ſcopo, hoc tantum referam, quod & ex noſtris ea adhiberi poſſet. Nam ille præcipue qui Schafgotſchianus audit, fons ſat copioſum lutum ejusmodi mineralibus talibus imbutum, concedit, neque contemnendos effectus exinde eſſe ſperandos, in nervis, articulis, artubus graviter affectis &c. omni aſſeveratione affirmo, & expertus hoc ſaltem teſtor, hocce lutum inter duo linteamina, per aliquot dies cervici applicatum, in reſolvenda & derivanda graviſſima in oculis congeſtione ſanguinis, inſigne levamen attuliſſe. Stillicidium quoque illorum auxiliorum genus eſt, Græcis olim uſitatiſſimum quod & magnarum virium eſſe deprædicat GALENVS *13. Method. Med. l. c. ult.* Huic ad majorem penetrationem membra indurata, reſoluta, contracta, inſenſibilia, immobilia & tumoribus duris frigidis & abſceſſibus, nec non rheumatiſmo & arthritide obſeſſa, caput, aures, collum, humeri, hypochondria, pedes morbis frigidis ſeu humidis, quos vocant vitiata, ſubjiciuntur. In linguæ paralyſi idem efficaciſſimum nuchæ applicatum eſt deprehenſum. Præſertim clyſteres ex illa aqua imprimis ex Cœnobii fonte hauſta, parati, haud ſpernendum uſum, & quandoque majorem quam potus præſtant, in hydrope præſertim, colica, calculi dolore, illiaca paſſione. Frequens cum aqua thermali oris collutio, gingivarum vitiis ac tumoribus, illis eroſis & ulceribus medetur, illas firmat, fœtorem oris corrigit. Gargariſatio cum ea, tumores conſillarum & anginam tollit. Si calidæ auribus inſtillantur, dolores earum ſedant. Maximi tandem uſus pediluvia ſunt, quæ non ſolum juxta inſeſſum in pedum affectibus, ſed & in aliarum ſuperiorum partium corporis morbis fere quibusvis, capitis præſertim, in omnibus doloribus, vertigine, melancholia, mania, ſomno turbulento & vigiliis immodicis, &c. admodum conducibilia ſunt, quoniam ſanguinem in pedibus lente circulantem diluunt, in circulum priſtinum & debitum concitant ac cutem laxant, quo ſimul efficiunt, ut ſanguis atque humores ab aliis partibus in has laxatas magis affluant, illæ vero ab onere liberentur; Nec non ad ulcera & fiſtulas interiores inteſtini recti &c. magno cum emolumento per ſiphones injiciuntur aquæ thermales.

§. V.

§. V. Novum invitat de potu argumentum: an etiam thermæ inter pastum conveniant potæ & an e re sit, cibos illarum aquis coquere & juscula sorbilia atque cerevisiam exinde parare. Damnat ejusmodi usum imprimis BACCIVS *l. c.* & PANAROLVS *Pentec. III. p. 105.* Ast ut ut omnem inter pastum illarum usum & juscula exinde cocta jam non longius probare volo; novi tamen colica, cardialgia, inappetentia, bradypepsia, tono deperdito laxato & similibus ventriculi & intestinorum vitiis affectis, tunc potas calidas optime contulisse. Potantur & eundem in finem optimo cum successu quoque aquæ Bathonienses in Anglia GVIDOTTO referente *pag. 268.* Acidulis alibi incoquuntur cibi.

§. VI. Quod modum adhibendi spectat, ut felix faustusque sit eventus, sequentia sunt tenenda. Nam omnia Medicorum præsidia per se & sola nihil sunt, nisi recte habeant utentem, quando demum ea veluti Deorum manus recte dixeris, ut Herophilus dogmaticorum Medicorum doctissimus dixit. Ante omnia salutem suam desiderans, Summum in cœlis Numen devotis precibus exoret, ut divino suo favore adspirando suam gratiam & benedictionem largiatur ac addat, a qua omnis salus unice exspectanda; dein experti & prudentis Medici opera in consilium vocanda erit, ut præhabita exquisita notitia thermarum simul æque utentis constitutionis & conditionis, ætatis, sexus, virium, consuetudinis, causarum, partium affectarum, tempestatum anni, victus vivendique rationem habeat, utpote quæ remediorum effectus alterare & variare solent, ut præterita commemoret, præsentia dirigat ac moderetur, futura avertat, & prospiciat & expendat; si affectus urgeant, si aliqua minus consentiant, a noxiis tueatur. Hoc namque omnibus propemodum remediis commune est, ut non in omnibus subjectis & eodem morbo laborantibus eadem operatio, idemque sit effectus atque eventus, exinde quod humorum temperies valde discrepent & quod habeant temperamenta, immo individua suos mores, morbos & peculiarem ad hunc vel illum motum suscipiendum proclivitatem. Nam generales vulgares regulæ a diversis medicis circa thermarum usum præscriptæ & in thermologiis suis consignatæ, in genere & saltem late sunt accipiendæ: hinc adeo multa videntur tristia exempla in thermis, quæ de noxa exinde secuta sat superque testantur; thermæ vero tunc insontes, perverse accusantur. Inanis certe tibi erit usus thermarum, si non omnino nocivus, si regimen debitum & administrationem juxta leges prudentiæ & artis institutam non observes.

§. VII.

§. VII. Præſertim corpus bene præparandum eſt: Summa vero præparationis conſiſtit in eo, ut ab excrementitiis, vitioſis & exuberantibus humoribus per alvum laxantibus & lubricantibus lenioribus, ſalibus deterſivis &c. junctis interdum clyſteribus pro re nata etiam vomitoriis blandis & diureticis ſalinis, præſertim fixis & volatilioribus &c. corpora liberentur & educantur illa, quæ debent educi, ne abundantia & impuritas humorum, aquarum operationem impediat, diſtrahat, fruſtretur, commoti varias turbas excitent, difficiliorem tranſitum reddant, & ſimul cum iis ad maſſam ſanguineam tranſeant, docente id Cl. Sennerto, *de febb. Hung. p. m. 551.* ſequentibus: *Ii, qui pravis ſcatent humoribus, quicquid cibi, aut medicamenti aſſumitur, corrumpitur, evacuandi ſunt, antequam alexipharmacum exhibeas.* Quod imprimis de thermarum uſu valet, ut (cum ea quæ thermas, ſimul purgationem indicent, & v. v.) ſcilicet obſtructiones tollantur & lubricentur, purgentur, evacuentur & ſic expeditæ reddantur viæ, per quas thermæ operationes exequi debeant. Præmittantur his digeſtiva, aperientia ex martialibus, tartareis, amaris, ſalinis, terreo ſalinis, aromaticis &c. (ut purgatio eo melius ſuccedat) iteratis etiam vicibus. Imprimis præparatio hæc magis neceſſaria eſt iis, qui balneum ineunt, quam illis, qui potum eligunt, cum potus quandoque vi ſua deterſoria & purgante neglectam purgationem ſuppleat, balneum vero non item, movet quidem, ſed non promovet & confundit, ſubtiliores partes educit, craſſas aut intactas relinquit, aut ſubtilioribus diſcuſſis magis incraſſat, figit, impingit, exinde obſtructiones, vigiliæ diuturnæ, anxietates, capitis dolores, tormina ventris, catarrhi, febres, ulcera, exanthemata, urinæ ardor & obſtructio, icterus, apoplexia, alvus adſtricta, paſſio hyſterica & ſimilia mala enaſci poſſunt. Aſt caveant ſibi omnes a vulgaribus & draſticis purgationibus, reſinoſis, præſertim potaturi. Nocentiſſimum enim imprimis eſt interno aquarum thermalium uſui purgantia fortiora præmittere: nam valida illorum operatione in fibras teneras, tonus ventriculi & inteſtinorum maxime deſtruitur, tunicæ illorum glanduloſæ & cruſta villoſa, per quam omne humidum abit in vaſa lactea, ulterius promovendum, conſtringuntur, eroduntur penituſque perduntur. Hinc quando dein aquæ potantur, nec bene per alvum neque per urinam tranſire poſſunt, ſed retentæ, maximas anxietates aliaque mala pariunt. Si plethora adſit oneroſa, altero die ab aſſumto laxante ſanguis e vena extrahatur venæ ſectione, vel vicaria ſcarificatione, maxime in iis, qui ætatis vegetæ ſunt & qui plenius vivunt, vitam ſedentariam agunt, vel quibus obſtruitur

hæmorrhoidum & menſium fluxus &c. vel qui illi adſueti ſunt: ne rarefactione forte humorum ſubſequente ruptiones, hæmorrhagiæ, graves febres aliaque multa incommoda producantur. In plethoricis enim calidæ aquæ potæ, difficulter per debita emunctoria, ob difficilem jamdum humorum circuitum ſecedunt. Inſuper experientia præter alia conſtat, phthiſicos ſpeciatim propemodum thermas bene ferre, ſanguine prius ventilato. His namque præmiſſis omnia generatim tunc felicius ſuccedent.

§. VIII. Advenæ ergo unum alterumque diem ex itinere fatigatum corpus curent ac requieſcant, ut alterna requie, delaſſati reficiantur & pares ſint, curæ thermarum eo melius ſuſtinendæ, & deinceps medicamenta debita præſcripta adhibeant. Præparato ſic corpore cura ipſa thermalis in nomine Dei eſt inchoanda. Igitur ſive potaturus, ſive balneaturus ſtatim mane ſomno ſufficienter peracto, alvo urinaque prius reddita & jejuno ventriculo per dimidiam vel integram horam prius placide, neque ad laſſitudinem usque ad levem tamen incaleſcentiam maxime ſi habilior, muſculoſior, robuſtior, cute denſiori præditus ſit, obambulando, vel alia ratione & exercitio corpus moveat & fricet, quæ frictio in debilioribus, paralyticis, arthriticis &c. etiam loco exercitii erit, vel geſtatio quoque in lectica, & ſi neque hæc fieri poſſint, commodum erit ante prandium aut cœnam ſuppoſitorio ex melle tantum, vel ſapone uti. Nimirum juxta HIPPOCRATIS *L. II.* de diæta effatum matutinæ obambulationes humores attenuant, caput aliasque partes alleviant, alvi ac aliarum partium excretiones promovent. A meridie poſt prandium hora Vta vel VI. digeſtione ſc. abſoluta, ne chylus juſto citius exturbetur & confundatur, obſervatis, quæ modo diximus, balneum æque ac potus repeti poteſt. Namque lege moreque ſtatutum eſt, ut ſemper duarum horarum ad balneum terminus, maribus & fœminis alternis vicibus præfigatur, ita ut qui matutinis horis ineunt, veſpertinis eundem repetant, immo vix ulla diei hora contingit, quin iterum ſit ab aliquibus occupata. Balneaturi lente deſcendant atque primum per gradus ſeſe immergant, tandem ad mentum usque, ut thermas bene tolerare adſueſcant. Inſidentes primum non modo attolluntur natantes quaſi, adeo ut cum reniſu quodam ſe mergant, ſed & formiculationis quaſi ſenſum in inferioribus corporis partibus perſentiſcunt, iisque primis diebus valide abdomen quaſi comprimitur & conſtringitur & ſpinam verſus valide contrahitur, quam validam contractionem vix in aliis thermis adeo ſenſibiliter experiuntur & me judice, tam a mole ac

pondere

pondere aquarum, cutem subjectos musculos cum vasis comprimente quam calore blando fibras demulcente, maxime vero a particulis activis atque divisis subtilissimis, spirituosis, salinis, sulphureis in poros cutis se insinuantibus sensibiliterque vellicantibus, ut fibræ fortiter se constringant, deducendam. Hæc vulgo pro bono signo & merito quidem habetur, atque tunc appetitus capiendi cibos mire augetur; Si autem inflетur & torminibus afficiatur & uratur abdomen & totum corpus inhorrescat, malum, & balneum inutile futurum, significat. Quidam scilicet qui abundant humoribus acribus, dumque ii promoventur & transeunt, in primo ingressu uri & rodi interius sentiunt, & deinde inhorrescunt, (quod & alias experiuntur, quando in sole stant, aut ambulant, aut fricantur, aut corpus exercent) qui horrores tamen continuato paulisper usu cessant, quod pro bono signo pariter habetur; indicat enim humores peccantes ad extra ferri, tuncque æque augetur cibi appetentia.

§. IX. Quamdiu in balneo commorandum, & utrum semel in die an bis balneum ineundum sit, tolerantia cujusvis & vires ægri, morbi & aliæ circumstantiæ & medici prudentis consilium indicabunt, v. g. juniores consistentis ætatis, homines crassi, obesi, phlegmatici, robusti alias diutius frequentiusque senioribus balneum protrahant; cholerici, debiles, rarioris texturæ, macilenti, debiles & teneri longiorem evitent in balneo moram. Optimo cœterum consilio ad horam tantum dimidiam, vel integram primis diebus insideant, & semel tantum in die, dein & sequentibus per duas horas & iterata quoque vice balneum ingrediantur, ut aquæ vis, sensim irrepens in laxum corpus agat. Haud sine ratione alias vulgo dicitur, tamdiu in balneis commorari debere, usque sudor promanare incipiat; indicat enim serosas superfluitates excerni. Balneo egressi & post embrocham, summo studio, ab aëre ambiente frigido se muniant, ne pori cutis ab eo occludantur, incommodaque varia inducantur, quæ alioquin deinceps non balneo quam aëris mutationi aut verius propriæ incuriæ adscribant, & in tepidariis proxime adstructis, linteis calidis abstergantur & indusiis calefactis & vestibus commodis induantur, & refrigeratione sic bene omnique modo evitata, domum se recipiant, fricentque membra imprimis resoluta, ad horam unam vel alteram in lecto decumbant, imprimis imbecilliores & dormiant, quiescant, transpirationem & lenem sudorem exspectent atque permittant, ad quem ab ipsius lecti blando calore expansionem modicam ipsis humoribus procurante invitantur. Somnus enim & abstinentia post

balneum digerunt, transſpirationem promovent, protrahunt, humores motusque ex balneis humorum & ſpirituum irregulares forte exortos componunt. Qui & cauſa & ſignum erit percommodum ſperatæ utilitatis; Attamen plethorici poſt balneum potius ab eo abſtineant, & per breve tantum temporis ſpatium non tam in lecto quam ſella, ac ſedentes magis quam recubantes requieſcant. Deinceps, usque ad prandium modice per ſemihoram circiter ambulent, demum, poſtquam corpus ad calorem temperatiorem & conſuetum iterum ſe receperit. Quemadmodum enim nec ab aſſumto cibo uti oportet balneo; ſic neque mox a balneo cibo, potu imprimis frigido; & cum quandoque balneum alvum adſtrictam reddere, & ſitim intendere ſoleat, multum bibant tam inter prandendum ac cœnandum, quam reliquo tempore, neque inconſultum erit, ut illæ moleſtiæ melius præcaveantur, ante balneum bibere; ſiquidem utentibus balneo in Thermis Carolinis ſvadere ſolitus ſum, ad præcavenda nimirum ejusmodi incommoda, hauſtum aquæ frigidæ, aſſumere. Inſuper clyſtere emolliente & leniente alvus eluatur vel ſuppoſitorium applicetur, interque cibos & ante prandii cœnæque tempus laxantia, ut pruna damaſcena cocta, paſſulæ cum tartari cremore & ſimilia aſſumantur. Non facile iterum eſt determinandus certus dierum & horarum balneo impendendarum numerus, ratio circumſtantiarum ſupra adductarum & commodorum, quæ æger conſequitur, habenda eſt. In his enim balneum mox, in aliis ſerius operatur, adeoque longius alii, alii brevius adhoc expetunt tempus. Alias vulgo usque ad IV hebdomades, extenditur cura, aliqui tamen tantum per XX aut XXIV dies balneum perferunt eoque habent neceſſe & ſic porro, vel aliorum ad C. horas computatione; quamvis multi ad XL. L. LX. dies, vel CXXX. & CXL. horas ſine detrimento terminum protrahant. Si ad ſummum terminus protractus fuerit, & ſalus ſentiatur per aliquot dies, conſulto perſiſtendum eſt, dein iterum ſenſim deſinant balneantes. Nec eſt, cur in vulgi opinionem diſcedamus, ac ſi ſemper tamdiu eſſet lavandum, donec cutis rubeſceret, & corroderetur & uſque dum iterum ſanata & deterſa eſſet. Nam hæc cutis effloreſcentia, quamvis ordinario inſequatur, non ſemper & in omnibus ex neceſſitate accidit, & non raro eſt ſignum omiſſæ debitæ purgationis vel diætæ errorum demum commiſſorum, vel etiam balnei longius juſto protracti, (cum potius tunc deſiſtendum ſit.) Si vero obſervatis obſervandis rubores, maculæ, exulcerationes cutis appareant, non temere tunc eſt a balneo ſtatim deſiſtendum. Si hæ diutius remaneant,

neant, domum præſertim reverſi, decocto quodam calido ex vino & herba veronicæ, flor. roſarum chamomillæ ſambuci adjecto alumine tandem ad deſiccandas illas abſtergendasque partes purpuratas abluere poſſunt. Immo per venæ ſectionem denique purgationem & ſudorifera abigantur Si forte quandoque balneantes ob aëris inclementiam ægre ſe habeant, adeo ut & per aliquot dierum intervallum, balneum omittere neceſſe ſit: in illo nobis ſtat conſilium, ut tunc clyſteribus ſingulis diebus iteratis, aquæ thermales nihilominus tamen injiciantur, longiusque retineantur. Si æſtus forte corporis inſolitus, febris aut menſium fluxus in fœminis, aut hæmorrhoidalis in viris præſertim accedunt, per aliquot dies intermittendum eſt balneum æque ac potus: attamen hic ſecurius conceditur, immo non raro eas fœminas præſertim juvat, quibus menſes alias ægre ſuccedunt.

§. X. Peculiare balnei genus eſt & thermis Hirſchbergenſibus quaſi proprium, quod in aliis vix habetur & adſcenſus vulgo, das Aufquellen, vocatur. Aemulatur hic balneandi modus illum qui Neapolim inter & Puteolos præſertim ad Bajas & ad Aponianas thermas in cellis ſudatoriis celebratur, quemque aſſam ſudationem CELSVS vocat *L. II. 21.* Hoc autem ita ſe habet, & in utraque ſcrobe inſtitui poteſt: exhauſtis nimirum penitus aquis, balneaturi ad fundum usque deſcendunt & una cum ſcaturiente iterum aqua ſenſim, non ſine ſenſu voluptatis, nec ſine inſigni efficacia, adſcendunt (aufquellen.) De quo ſcire licet, quod ut per duplo longius tempus in illis ſedent, ita etiam adhuc plus ſimplici balneo balneantes hic adſcenſus afficiat ac conferat: Spiritus enim atque vapores exorientes thermarum ac integri, qui etiam ſolidas materias in ſe recipiunt, illius profundo arctiori ſcrobis ſpatio concluſi detentique magis ſunt, diutiusque ſicci retinentur & ſiccum quaſi balneum ſeu laconicum quoque & vaporoſum efficiunt, ut duplicata quaſi vis exoriatur & fortius operetur, atque pravi ſucci, ſudore ſolvantur evocenturque. Quare non citius in uſum trahatur, niſi quis prius per aliquod tempus ordinario balneo adſuefactus fuerit, & bene illud ipſi convenire ſentiat: nam non omnes, imprimis tenerioris & delicatæ conſtitutionis, item calidioris temperamenti, exſiccati, bilioſi habitu corporis gracili atque macilento conſpicui longoque morbo conſumti homines, præſertim fœminæ & quibus alias caput, ut ajunt, debile eſt, quique facile animi deliquium incurrunt, hoc balnei genus, quod adſcenſum vocant, perferre poſſunt. Alioquin præclaram ſæpe operam hoc balnei genus præſtat in articulorum ſpeciatim & juncturarum indu-

 ratis

ratis affectibus & doloribus, in cutaneis vitiis & nervorum, quæ ex repletione vocant, in œdematibus & omni tumore frigido, in hydrope, ascite, leucophlegmacia & similibus.

§. XI. Potaturi, mane statim priusquam quisquam insideat, vel ex fundo ex fonte Schafgotschiano præsertim (hic enim potus magis ob minorem bituminis quantitatem conveniens est) siphone extractam, & quantum fieri potest, aquam calidam adhuc ambulando in conclavi tepido, (ut melius moveatur, in actum deducatur & facilius distribuatur;) vel stando, aut sedendo, continuatis diebus sorbillatim, sensimque & per vices spatio unius horæ hauriant. Quantitatem quotidie augeant, simulque operationem attendant, & si legitime omnia eveniant, per aliquot dies VI. VIII. &c. in eadem quantitate persistant. Incipiunt ordinario ab unciis v. libra β ad j semis, vel ij. usque dum aliquoties singulis diebus moveantur atque purgentur. Sensibiliores & teneriores, vasa habentes ampla, spasmodicis affectibus obnoxii, uti minorem mensuram, ita quoque brevius tempus exposcunt. Robustiores vero, crassiores, pingues, spissiores multosque humores alentes & fibras torpidiores, consistentisque ætatis homines majorem mensuram, longioremque terminum desiderant, & per II aut III septimanas quotidie optimo cum successu bibunt. Signum autem erit efficacis purgationis, si talia dejiciantur, quæ debent dejici, pituita nimirum maxime crassa, si libere per alvum & vesicam transeant, si fiat cum euphoria & levamine. Sub potatione utplurimum percipiunt blandum titillationis sensum per totum corpus ad extremas usque partes, energiæ & penetrationis signum. Non facile interponatur balneum, ne operatio hæc forte impediatur, quod & inconveniens, GALENUS *ex comm. 4. aph. 5. comm. 5. in L. VI. Epid. tr. 29.* jam agnovit, quamvis & sciam, in certis casibus, potum in ipso balneo optimo cum fructu institutum fuisse, ita tamen, ut per aliquot dies, potus solus antecesserit; Si ambo indicentur, potus præcedat balneum; Si vero a potu intumescant membra, tunc balneum per diem unum saltem aut duos adhibitum, iterum diaphoresi discutit intumescentiam. Neque si primis diebus, aqua pota vomitu forte rejiciatur, statim desistendum est, sed pergendum, quia deinceps melius operatur, meliusque plerumque se habent bibentes, præsertim cum thermæ nostræ potæ, maxime per vomitum operentur. Si primo aut secundo ad summum die restitent in corpore potæ aquæ, neque per vomitum, alvum & urinam reddantur, tertio necessitas omnino exigit, ut convenienti remedio educantur;

vulgo

vulgo salina, liquescentia, stimulantia, diuretica, purgantia vel pro re nata emetica lenia exhibentur, & recte quidem exhibentur, ut nimirum materia peccans a pota huc usque emollita atque attenuata, cum aqua certius atque facilius excernatur. Dantur tamen casus, de quibus medicus præsens judicet, qui hujus regulæ exceptionem patiuntur, v. g. in calculosis, hypochondriacis, hystericis, ejusmodique affectibus spasmodicis affectis, a spasmodica fibrarum ventriculi, intestinorum &c. contractione excretio impeditur: contra methodum sane quis faceret, qui fortiora ejusmodi stimulantia tunc adhiberet, cum potius antispasmodica &c. desiderentur. Si vero frequentius & continuatis diebus vomitus quoque accedat, clystere forte parum stimulante poterit diverti; sin minus, & si post v. vi. vii. dies aquæ fastidium, flatus, ructus, gravis abdominis tensio, fluctuantis hinc inde aquæ perceptio persentiantur, medicamentis aliis appropriatis occurratur, stomachusque juvetur aromaticis, balsamicis & aliis ejusmodi stomachicis, sique hæc non succedant, penitus potius omittendus erit potus. Non vero te deterreat, si primis diebus acerbius paulo afficiaris, quod validioribus fere remediis commune est, v. g. dictante experientia decocta ex quajaco, sarsaparilla &c. exhibita in principio magis ægros affligunt, quam in progressu; causa sine dubio est, quod primum validius operentur, attenuent &c. factisque tenuioribus fluidis humoribus pravis corpus perturbent, donec subacti penitus fuerint. Ubi postquam urina saturata colore & turbida hucusque excreta fuerit, aqua talis iterum per aliquot dies reddatur, qualis sumta est, ulterius ab ejusmodi potu cœteris paribus abstinere licet. In potu ipso, rite observent leges huic debitas & quemadmodum post balneum requies, ita potius post potum ambulatio & lenis exercitatio, per horam aut dimidiam confert, cum frictionibus linteis calidis per totum corpus institutis, ut circulus sanguinis liberior, liberiorque distributio, transitus, secretio & excretio humorum facilius feliciusque promoveatur, neque se statim aëri liberiori, frigidiori exponant, sed potius in conclavi tepido ea instituantur. Quibus peractis, decubitus in lecto per horam aut duas quoque conceditur, ut lenis sudor superveniat, qui dein linteis calidis bene abstergatur; arbitrorque iis, in quibus sudor difficilis sed utilis, haustum unum aut alterum quoque aquæ thermalis in ipso lecto convenire. Post aliquot, iv. v. aut vi. horarum spatium quantum ad reddendas aquas easque tinctas quidem requiritur, prandium assumatur. Post prandium iis, quibus aquæ potæ per alvum & vesicam rite redduntur, somnus quo-

que

que ad unam v. g. horam, in ſella tamen potius & erecto corpore ſedendo magis, quam in lecto cubando concedi poteſt; ſin minus, interdicendus potius eſt, cum ſomnus has excretiones retardet; Plethoricis præſertim ſomnus meridionalis interdicendus, quoniam ſitim, capitis dolorem, temulentiam & non raro febres facile inducit. Reliquum tempus inter honeſta ſodalium atque amicorum ac hilaria colloquia aut jucundas meditationes tranſigatur. Ante cœnam placida iterum ambulatio proderit: Quam male ideo illi ſibi ſanitatique conſulant, comparet, qui per totum diei tempus inter ludendum defixi, immotique manent. A cœna conſulto abſtineant habitiores, obeſiores, æque potantes ac balneantes, poſt illam parcam tamen in ſomnum ſe componant, noctemque quietam ſibi reddant, ut ſuavis feſſos ſopor erigat artus.

§. XII. Si inſtillandæ aquæ, (prius purgato quoque corpore, obſervatisque de balneo & potu dictis) in membra nuda affecta, in os ſacrum atque femur, tibias, humeros, cervicem (caput raſum, imprimis circa ſuturas,) & paulatim aut pro re nata confertim aqua calida ex alto & impluvio velut quodam ſtillata ex colo, gutturnio, epiſtomio & ſimili machina ac antlia veteribus uſitata decidat atque veluti fontis in modum irruat. Quo majori vi, majorique impetu, motu nimirum magis aqua thermalis adjuta penetret, lentos humores hærentes firmiſſimeque impactos, magis dividat, ſolvat, magisque intimiores obſtructiones reſeret membra infirma, luxata, tumida, dolentia, marceſcentia emendet & tonum reſtauret. Certe, ſi aquæ thermales epotæ, quæ ſic celeriter cum ſanguine in amplioribus vaſis feruntur, in iisdem vero minimis reticulatis viſcerum aliarumque ſolidarum partium lenteſluunt, nihilominus tamen mucilagines liquant potenter & fibras abſtergunt ſimulque vias faciunt expeditas; ſique rurſum externis aut parum abſconditis partibus exoptato cum ſucceſſu balneando aut fomentando adhibentur, multo magis hujus ſtillicidii validior actio eſt, quam efficaciſſimam hic motus ac impetus eam quas præcipue a particulis ſalinis & & ſulphureis hæ ipſæ aquæ mutuantur virium excitatarum auctarumque multo, reddit. In dies hoc ſtillicidium rurſum augeatur, v. g. initio per unam, deinde per unam, cum dimidia ad duas usque horas donec membrum morbidum conſudet & tamdiu, donec ſperatum auxilium accidat, cujus ſpes affulget, ſi æger ad partis affectæ penetralia penetraſſe caliditatem aquæ ſentiat. Inter inſtillandum ſolent præſertim etiam oculos obtegumento munire. Finito illo ſingulis vicibus membrum

brum detergeatur calidis linteis beneque fricetur. Notandumque eſt, quod utplurimum ægri tunc graves ſomno fiant, qui vero omni ſtudio eſt interrumpendus, quare in Hetruria, quibus aliisque Italiæ oris uſitatiſſimum probatiſſimumque hoc auxilii genus eſt, in more poſitum, ut conductæ mulieres in his locis illos ſtillicidio utentes canendo excitent. Poſt ſtillicidium maxime pars ſubjecta affecta bene obtegatur, calidaque ſervetur. Tempus commodiſſimum eſt matutinum & poſt hoc veſpertinum. Reliqua ſe habent, ac in balneo & potu obſervanda. Qui ſtillicidium hoc præſertim in caput, minus ferre poſſunt, ii, ut impetus leniatur, ſpongia tegant caput, ac ad eam demum aquam thermalem ex alto effundant. Fomentatio commodiſſime adhibetur, ſi ſpongia illis imbuatur, vel linteamina & panni in illis madefiant, calidique adhuc ſic applicentur & bene obtegantur. Illutatio fieri poteſt, obſervatis obſervandis, quæ de balneo diximus, calida parte illutanda prius in ipſis aquis thermalibus immerſa, & vel cum ipſo balneo, vel poſt balneum per aliquot dies VIII. X. vel XII. &c. poteſt etiam aliquoties in die mane nimirum & veſperi, repeti. Veteres eam quidem duplici modo adhibebant, ut ex PLINIO videre eſt *Lib. XXXI. Cap. VI.* vel enim lutum applicabatur parti affectæ ſolique exponebatur vel alveolum ſubjiciebatur. Peracta illutatione, pars affecta abluenda linteoque calido ſiccanda atque aleo quodam apto atque idoneo inungenda. Pediluvia extra balnei horas quoque poſſunt parari, præſertim vero ante lecti ingreſſum. Præſtat immo neceſſe eſt, ut usque ad genua & ſupra quoque ea pedes iis immittantur & per horam cum dimidia ad duas usque detineantur. Ante immerſionem pedes fricare convenit, & poſt eam eos linteis calidis abſtergere aëremque frigidum arcere.

§. XIII. Utrum non prius deſiſtendum, quam morbus ex toto ſit ſanatus, reſpondendum per diſtinctionem. Si æger ſentiat ſuis viribus & naturæ thermas ſ. potas, ſ. balneo adhibitas convenire, morbum vero de die in diem minui, autor ſuaſorque eſſem, pergat, donec deſierit. Et ſi ſemper fructus felix non adeo ſit manifeſtus, modo non deſint vires, non tamen temere ſtatim deſiſtendum atque deſperandum eſt. Nam experientia teſtis ac vindex eſt, multos per totum ipſius curæ tempus, nihil levaminis, niſi poſt plures demum menſes, perſenſiſſe. Pauciores enim in magnis præſertim morbis experiuntur ſtatim ſenſibilem & inſignem utilitatem. Quin immo longa obſervatione compertum eſt, balneorum ejusmodi utilitatem longe firmiorem & certiorem eſſe,

quæ non ſubito, ſed interjecto aliquo temporis ſpatio, (de magnis affe-ctibus, non de levioribus loquor) ſentitur. Bono igitur eſto animo, cum tempore interdum operantur thermæ, illarumque juvamen pro-greſſu temporis, Deo dante, ſenties. Quarundam enim (quod curio-ſum) thermarum certus terminus efficaciæ eſt, quod & de Thermis Ca-rolinis dicitur. Sic AND. BACCIVS *de Thermis Lib. III. Cap. V.* aliquas earum commemorat, nonniſi poſt decurſum anni deſideratum effectum afferentes. Atque quandoquidem notabile illud videtur, thermas huic quidem ſemel profuiſſe; illi vero ſemel inutiles, ſecundo aut tertio an-no fuiſſe utiles.

§. XIV. Optimum thermas adhibendi tempus & commodiſſimum eſt vernum, æſtivum & autumnale. Verum non eſt, cur exiſtimes, thermarum uſum, ſi occaſio aliter non ferat, hyberno tempore eſſe no-civum, aut fruſtraneum. Nam hyeme æque viribus ſuis conſtant, (ſi non majoribus, cum frigus non ſinat ſpiritus exhalare, ut ſentit Morel-lus de balneo Patavino, tunc & videbis majores in illis vapores) ac qui-dem æſtate. Ut hoc in paſſu temperies & clementia aëris potius, quam anni menſes ſpectandi. Perinde quoque acidulæ hyeme cum effectu potantur. Sic memini acidulas Swalbacenſes cum fructu exoptato po-tas fuiſſe hyeme, confirmat & hoc J. TH. TABERN. *im Waſſerſchatz p. 176. & ſq.* Ridet ſecus opinantes Morellus, rident & omnes Medici experti; rident ægroti ſanati. Ipſe novi multos, qui alias æſtate caſtra ſequuntur, tempore hyemali thermas Carolinas adiiſſe, expectatumque fructum reportaſſe, novi etiam adhuc plures ex incolis, qui noſtras thermas ex experientia æque laudant hyemali tempore adhibitas. Nec video (ſalva Hippocratis auctoritate) cur ardente Syrio imprimis in his montium temperatioribus receſſibus nocivæ ſint futuræ; alias autem hoc non inficiari poſſumus, exiſtente nimio ſolis ardore vires noſtras langui-das eſſe, & ſpiritus animales reſolutos nimis atque deperditos, quare natura humana non ſatis perferendo atque thermarum longiori uſui ſuf-ficiens eſt. Quod vero æſtate magis ſuadendum ſit, ſtatim comparet ratio, quod cœlum tunc temperatum, aut etiam magis calidum, cor-poraque perſpirabilia magis, & ne frigus, quod ægre ſub ipſo balnei uſu in egreſſu præſertim devitari poteſt, (ut de aliis hyemis incommodis taceam:) noceat ac lædat.

§. XV. Fallunt autem admodum, aut fallentes incaute ſequuntur, qui putant: thermas anno bis ſextili, ſ. anno ſaturnino ſemper eſſe non modo inefficaces, ſed & nocivas, quemadmodum & vana æque opinio

eſt,

eſt, & forſitan eo deſumpta, tunc non eſſe plantandas arbores, quia minus felices fructus proferrent, Quis eſt, qui non ſtatim, me non monente, ſentiat fucum? Hoc ſuperſtitionis genus a Romanis ſine dubio ad nos pervenit, quibus bis ſextum rebus romanis ſemper infauſtum habitum eſt, notante MARCELLINO *Lib. XXVI.* quod & in medicinam eſt translatum, in qua, numerus ſenarius & dies ſextus infeſtiſſimus habetur. Nec eſt, quod adeo metuas, illas a ſideribus quandoque corrumpi. Aliis exoſæ ſunt thermæ pariter ac acidulæ, ob vapores arſenicales (communes atque familiares mineralium fere omnium) conjunctos. Non neſcius ſum, multa de multis exempla proſtare. Sic de balneo aliquo in agro Piſano Savanarola memorat, quod illud interdum morboſum ſit, & quod tunc temporis aqua turbida & lutea fiat. De alio fonte in Aethiopia alii referunt, quod rubram aquam vehat & delirium inducat. De noſtris vero thermis illud ſine ſtudio & odio neceſſe eſt, fatear, nunquam tale quid deprehenſum fuiſſe. Inanes quoque falſique rumores ſunt, qui in hanc ſententiam afferuntur, ac ſi ii, qui thermis uſi fuiſſent, raro diu viverent, & quod inter tres annos plerumque moriantur, quod B. D. Michaëlis quondam confidenter affirmavit, teſte aurito V. A. MÖLLENBROCCIO *de Varis p. 282.* Affirmat & hoc F. HOFFM. *L. II. M. M. C. VI. p. 445.* Aſt experientia nullam dictis facit fidem, & ſi id eveniat, non tam thermis, quam vi morbi & illegitimæ adminiſtrationi infelix ille ſucceſſus potius erit adſcribendus. Scitu hoc denuo eſt neceſſarium, neceſſe eſſe, ut ex ipſo ſtatim fonte & in ipſo adhibeantur, ubi enim alio portatæ, frigefactæ & recoctæ fuerint, debitum effectum æque non edant: (quod ſulphureis & ſpirituoſis thermis commune eſt, cum partes volatiles avolent) uti quidem aqua Villenſis & Aquarina, aquæ S. Caſſiani, Porretanæ, Salſulæ, montis Catini, aquæ Scarburgenſes, quæ perferunt retinentque ſuam naturam atque virtutem ad plures ſeptimanas, & quando jam fœtent. Attamen a SCHWENCKFELDIO *de therm. Hirſchb. p. 78.* annotatum eſt, peregre transportatam aquam noſtram thermalem podagricis ſolatium attuliſſe. Pariter irritum negotium ſuſcipies, ſi illas arte chymica concentrare, aut in eſſentiam, aut Quintam Eſſentiam redigere velles.

§. XVI. In præſens quæri adhuc oportet, annon uſus thermarum medicamentis adjuvari poſſit, ut balneo, imprimis quidem medicamenta? Nam ſi in egreſſu aut ingreſſu ejus exhibeantur, & in calidum & ſolutum ac bene ita præparatum corpus perveniant, ea operationes ſuas & vires ef-

ficacius exerere possunt. Pauca tantum sufficiunt, nam sola thermarum vis plerumque sufficit, (si modo sufficienter atque debite adhibeantur) cum remediorum farrago confortantium, stomachicorum, cephalicorum, similiaque gloriosæ sæpius ignorantiæ nomina frustranea magis adhuc externa linimenta pro avertendis noxis ex balneo vana erunt. Tantum abest epotas aquas tonum ventriculi & intestinorum perdi, destrui, laxari, quin potius ipsa thermalis aqua robur, tonumque justum fibris conciliet. Ejusmodi vero in casu, quando potarum aquarum non sufficienter aut segnius succedat per alvum & urinam operatio, necessaria idonea laxantia, diuretica, aperientia &c. assumenda interponendaque erunt. Ex quibus non excludenda veniunt diaphoretica a balneantibus quandoque assumenda, ut junctis his serum excrementium eo melius & impellente simul interno ex glandulis subcutaneis & M. S. exturbetur, neque male agerent, si ante prandii & cœnæ tempus, vel inter cibos sal volatile oleosum vel cum sp. nitri dulci temperatum, eff. absinth. & similia stomachica assumerent. Ratione tamen id exemplisque notum est, atque manifestum, cum ipso balneo non absre esse & ante ingressum ejus, convenientia & specifica sic dicta pro morborum pertinacium & gravissimorum conditione, remedia propinare. Ipse scio medicamenta aperientia, pellentia obstructionibus mensium dicata & in tumoribus, obesitate nimia, diuretica, tartarea, acida, resolventia &c. in vitiis cutis sanguinem purificantia, in paralyticis consueta, cum balneo adhibita egregiam opem tulisse, & sic de reliquis etiam est sentiendum. Symptomata omnia, quæ interdum evenire solent, quorum frequentiora præsertim ex balneo & primaria sunt sitis, sudor nimius, catarrhi, alvi segnities, dolor & gravedo capitis, æstus, vigiliæ, alvi constipatio, febris; ex potu vero præsertim somnolentia, ardor urinæ, dolor ardens circa scrobiculum cordis versus dorsum extensus &c. ex embrocatione dolor capitis, suffusiones, tinnitus aurium, vertigo &c. ad amussim recensere, & quibus illis occurrendum sit, definire, jam in me non recipiam, cum non vacet jam revocare animum ad incommodorum ejusmodi omnium memoriam: hæc enim provincia præsenti medico potius est relinquenda, qui hæc omnia accuratius providebit.

§. XVII. Diætæ præ reliquis studendum, quæ fere hodie ubique in thermis negligitur ex cujus neglectu deinceps noxæ contractæ balneis haud jure imputantur. Quicquid occinas, surdis narratur, ut ajunt, fabula. Aër igitur efflagitatur temperatus, qui ad calidum potius inclinet,

net, & purus; vitentur frigidus, nebuloſus, craſſus, pluvioſus, nimius ſolis æſtus & venti inſalubres. Etenim aëris vitium balneantibus imprimis nocet, quoniam eorum corpora a calore atque humiditate mollia, ac eorum pori undique aperti redditi ſunt, unde frigus, omniaque miaſmata facilius in ſe recipiunt. Eligatur hypocauſtum & cubiculum commodum, non humile illud ſit, neque humidum & fœtidum. Eſculentorum & potulentorum regimen ſecundum ægrorum conditionem & morbi & thermarum qualitatem &c. inſtituendum. Cibis veſcantur thermis utentes, boni ſucci, bonæque notæ ac morbo convenientibus, eupeptis, euchymis, omnibus ad mediocritatem ac temperantiam ordinatis: Ideo abſit crapula & ebrietas (communia certe in thermis vitia, mediis in aquis ſitiunt, expoſcunt vinum) unde variæ capitis, ventriculi, hepatis aliorumque viſcerum affectiones, naturalium actionum atque virium imbecillitates, catarrhi, inflationes & inflammationes, febres aliaque id genus mala, accerſuntur. Carnes eligant animalium juniorum, minorum avium & caponum, perdicum, phaſianorum, &c. piſces in aquis limpidis & rivis inventos, truttas, fundulos, percas, lucios, mullos &c. Ova ſorbilia, juſcula avenacea, ex carne elixata bubula, gallinarum, aliaque ſimilia, pultes ex avena, hordeo, amygdalarum dulcium, oryza &c. pruna toſta, ceraſa, poma cocta conducunt. Abſtineant vero a viſcidis, acidis, fumo induratis, butyro frixis, nimis ſalitis, nimisque aromatiſatis, craſſis, pinguibus, nauſeoſis, facileque corruptibilibus fructibus horræis, flatulentis, fermenteſcibilibus, leguminoſis, lacticiniis. Caveant a varietate ciborum atque ſatietate. Pro potu utantur cereviſia bene defæcata, non acore corrupta. Vinum bonæ notæ inter prandium aut cœnam aſſumtum, moderata in quantitate & quæ pro uſu tantum medico ſufficit, præſertim adſuetis, concedi poteſt; ii vero, qui nives, ut cum Plinio loquar, atque glaciem potant, pœnasque montium in gulæ voluptates vertunt; i. e. gelidum potum amant, gravia certe experientur mala. Cœterum exacta ſemper inſtituatur relatio, exactumque moderamen inter cibum & potum. Victus tamen ad humidum magis inclinet. In longius tempus prandium non protrahatur. Fumus tabaci hodie a plurimis receptus, non niſi moderate in adſuetis admittatur, & omnia in genere dirigantur, prout ſubjecta, vires & affectus deſiderant. Caveant ſibi balneantes a ſomno nimio atque intempeſtivo ſive eo qui fit præter naturæ ordinem, non noctu nimirum ſed interdiu, vigiliis nimiis, ſaltationibus, fatigantibus delaſſationibus, aliisque fortioribus corporis commotionibus, longiusque & in ſeram

usque noctem protractis, sed moderate moveatur corpus. Primæ viæ serventur semper apertæ, habitus corporis perspirabilis, & motus sanguinis naturalis. Exulet Venus, quæ cum Nymphis his male convenit. Animus liber sit a curis, solicitudinibus, omnes perturbationes animi eliminentur præcipue a cibo, tristitia, timor, ira, impatientia. E contra omnem suavitatem ac hilaritatem procurent, & grato amicorum conventu & amœnis colloquiis indulgeant, ac bene de futura salute sperent, firmaque fruantur fiducia.

§. XVIII. Absoluta cura corpus iterum laxantibus erit purgandum. Nam uti purgando corpus præparatur, ita & finis curæ imponatur, ne reliquiarum tam humorum alteratorum, quam aquæ thermalis a potu quicquam supersit adhuc restitantis, sed dissipetur excernaturque. Ethnici olim recepta valetudine diis suis fictis non modo grati animi indicio publica solvebant vota & gratiarum actiones coram universo populo, sed & ad perpetuam felicitatis recuperatæ memoriam, tabulas votivas templorum Æsculapii maxime vel Isidis vel Serapidis, parietibus affigebant, iisque & morbum & remedium inscribebant, ut TIBVLLVS habet *L. Eleg. 3.*

Nunc Dea, nunc succurre mihi jam posse mederi:
Picta docet templis multa tabella tuis.

Indignum christianis esset ethnicis pietate cedere, sed cura absoluta ante omnia vero Deo Ter Optimo Maximo felicissimum successum adscribendo, ei dignas gratias exhibeant, & pro firmanda & conservanda incolumitate, humillimis atque ardentibus precibus orent, & salutis suæ recuperatæ, aut spei saltem conceptæ læto animo, rationem habeant. Non statim iter suscipiant, verum ad posterum vel tertium diem discessum differant, maxime qui longo intervallo abfuerint, ut requiescant & vires recuperent, ut itineri perficiendo pares sint, ne permutatione tam subita aëris, cum scilicet thermæ in corpus adhuc operentur, malum adveniat, imprimis si minus commoda cœli tempestas nebulosa, pluviosa, frigida incidat, (ex usu enim balnei calidi eo magis frigoris impatientes sunt) neque in ipso itinere, corpus nimis fatigetur. Domum reversi laudabilem ac ordinatam per aliquod tempus servent diætam æque ac antea in ipso thermarum usu; e abs re erit tunc quavis septimana semel aut bis balneum ex aqua fontana saltem, vel etiam pro re nata thermas artificiales parare easque in usum trahere, nec non medicamenta tam alterantia appropriata, quam per alvum,

urinam ac diaphoresin evacuantia quandoque assumere, ut forte reliquiæ humorum vagorum excernendorum per usum balnei attenuatorum excernantur, ne in aliquas partes nobiles corporis cum malis hominum rebus affatim ruant, sed ut pacatus œconomiæ animalis status firmius certiusque conservetur. Qui scopus eo majoris atque singularis observantiæ esse debeat, quoniam non pluris est aliquid bene incipere ac diligenter prosequi, quam feliciter absolvere.

§. XIX. Ad extremum nihil reliquum est, nisi ut quædam de abusu subjungam. Quod enim Pergameni est assertum; nullum esse tam optimum remedium, quod non alia ex parte noceat & nunquam sine incommodo magna sæpius commoda proferantur, quodque verum alibi, quo major rei est usus, eo quoque major esse abusum, id quoque de thermis valere non negandum est. Tantum quoque abest ab usu adeo multiplici, ut omnes in universum morbos sanent, corruptamque prorsus naturam inveteratumque malum redintegrent atque corrigant vitia conformationis, ut gibbositatem & similia auferant aut senibus atque vetulis juventutem reddant, vel vitæ æternandæ præsidium certius promittant atque a morte prorsus liberent: Etenim absona Paracelsi sententia est, credentis, perinde in humana esse potestate, ut quamdiu velimus vivamus, quam possumus arte ignem servare. Est sane hodie thermarum usus confusus, ac vulgari corruptela erroneus. Plurimi vel proprio saltem instinctu, levitate, superstitione, libidineque vel ignaræ plebis, vel nasutulæ mulierculæ suasu, sine ulla habita ratione, sine delectu, sineque Medici periti consilio ad thermas advolant, immo integra interdum Medicorum turba ne quicquam potest efficere, ut tumultuariam ejusmodi frequentiam ad balnea cohibeant, avertant, ac abrogent. Quapropter mirum non est, quod magnum sæpe periculum incurrant ejusmodi ægri, operam & oleum, ut ajunt, perdant, & si non moriantur, tamen non solum incurati, sed & infirmiores sæpissime redeant, vel paulo post morte intereant, quod mortis genus, aquis scilicet perire, hodie hoc intuitu non adeo invisum, ac olim fuisse videtur, sed multi quod mirum hoc moriendi genus haud detrectant: gentiles enim stoicæ philosophiæ addicti, animam igneam esse putantes aquam tanquam contrarium medium maxime reformidabant; Ægyptii vero e contrario homines, ex lignis confectos esse credentes, aquam potius exposcebant, & immergi amabant. Talia exempla multoties vidi, dum in ejusmodi locis commorari occasio tulerit. Ad minimum hæc tria ordinaria quasi incommoda ex thermarum nimio aut præpostero usu, sitim nempe, ventriculi

triculi debilitatem ac maciem reportant. Unde non adeo inconvenienter P. Clemens Alexandrinus lavacra in excessu usurpata, fullonicas hominum officinas vocavit, quoniam sic citius, quam par esset, corpora efficerent pannosa, & ante tempus nimium abstergendo cogerent consenescere, dum non secus ac ferrum caro ita mollificaretur. Taceo de illis, qui ex longe alienis causis, thermas frequentant, non ut sanitatem curent, sed ut genio suo indulgeant, comessentur, ludant, ferientur, omni intemperantia, illecebris, voluptatibus libidinibusque simul litent; velut soluta legibus luxuria non tantum peccante sed publicante quo certe in passu Nostrates Romanis luxu non inferiores censendi sunt. Quæ irritamenta malorum apud Romanos SENECA & PLVTARCHVS atro carbone notarunt: Ille præsertim ejusmodi sequentibus detestatur: *Quid mihi* (inquiens) *cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quibus siccus vapor corpora exhauriens includitur? Omnis sudor per laborem exeat.* Pontanus item apprime carmine taxavit, digno quod hic legeretur, nisi chartarum harum angustia obstaret. Olim in Italia Bajanas vidisse a severioribus dicebatur specie adagii, pro signo libidinum cum ille locus esset vitiorum diversorium: Sic quoque hodie de nostris thermis hinc inde dicere propemodum necesse habemus: Sed non potest quoque non damnari multorum medicorum circa hæc remedii genera negligentia nec non imperitia, qui parum soliciti de exacta illorum cognitione ægros suos ad thermas ablegant, vel, ut Plinii verbis utar, diverticulis aquarum fallunt ægrotos, illosque Tantali instar ad aquas condemnant, ut tædiosas forte morborum rebellium curationes effugiant, vel posteaquam longo remediorum usu fatigata eorum natura ita fuerit, ut omne etiam remedii genus eludat, vel quod non satis prospiciant, attendant, cum irreparabili eorum damno neque minori medicæ artis dedecore, eoque magis, cum fatendum sit, quod perpaucæ certe thermarum vires & indoles adhuc satis cognitæ sint, & pleraque ficta, & in Democriti puteo submersa, quæ de illarum adhuc contentis atque effectibus vulgo venditantur. Insuper & dubium non est, eos ipsos quandoque nimium illis non raro tribuere, Nymphas has suas supra modum amantes.

§. XX. Licet temperatæ satis sint thermæ nostræ ac mitiores ingredientiaque, quibus gaudent innocentia adeoque naturæ humanæ optime convenientes neque adeo magna noxa statim exinde metuenda, utpote ejusmodi vulgo habentur, quod si non profuerint, saltem non obesse; tamen si imprudens, immoderatus & excessivus nimis sit illarum

usus,

uſus, & exceſſiva corporum impuritas adſit &c. varia incommoda cauſari poſſunt, cum & omne nimium vertatur in vitium; hinc Helmontius inter impedimenta vitæ longioris refert frequentem thermarum uſum. Plura enim vitia nimius illarum afferre poteſt uſus, atque cum thermis æque comparatum eſt ac cum aliis, quæ a neceſſariis primum orta, pervenerunt ad nimium. Ad illud declarandum paucis huc illud HIPPOCR. *Aph. 16. Sect. 5.* mihi trahere liceat. *Calidum* (inquit) *ubi quis ſæpius eo utatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem.* Namque balneum calidum omne, frequenter & ultra modum adhibitum, præter alia, magnam crudorum humorum copiam, in maſſam ſanguineam rapit ac extrahit ſuccos laudabiles compagemque corporis ſolvit. Conſpicies ideo calidis balneis nimis deditos præſertim ſi jejuno exiſtente corpore ea adminiſtrent, lympha benigna nimirum nutritioni dicata, ſimul abrepta & a cibis nova non reſarcita, carne flaccida, colore invenuſto, viribus languidis, hæmorrhagiis & deliquiis animi obnoxios, ciborum dejecto appetitu, utplurimum memoria debili, nervis debilitatis, ſpiritibus torpidis, vitiatos Atque conſultius abſtineant infantes teneriores, pueri & adoleſcentes, ſuccorum pleni, ſenio confecti, conſtitutionis ſiccæ nimis homines atque calidioris, cholericæ, quibus humores nimis fuſi ſunt, inque motu nimio conſtituti, maxime ſalino ſulphurei, ſumme item infirmi & imbecilles & qui animi deliquiis facile corruunt, fœminæ præſertim (minerales enim omnes aquæ ex effato Galeni manifeſte exſiccant, incraſſant & reſolvunt) ſiti diuturna vexati, exſangues, & qui immoderatos fluxus humorum ſanguinis & ſeri paſſi ſunt, ſudore nimio colliquativo, tabe, hectica, lue venerea, obſtructionibus contumacioribus (coagulatis & ſpiſſis nimirum nimis humoribus velut duris nodis fortiores quærendi ſunt cunei) affecti, aſthmate convulſivo & ſicco ſic dicto, valde tuſſientes, phthiſici veri, conſummati (ob vapores præſertim & aërem in balneo craſſum) phrenitici, maniaci, pollutione nocturna, gonorrhœa virulenta laborantes, febribus acutis, contagioſis, malignis correpti, quo laudandus venit CL. WEDEL. *de M. c. ext. p. 98.* ſentiens balneationes & graſſantibus morbis epidemicis, imprimis peſte, cum poros magis aperiant, contagioque faciliorem aditum concedant, minus locum habere. Conf. IOVB. *de Peſte Cap. X.* Thermas quoque noſtras non ferunt ob odorem gravem, quem ſpirant ſulphureum, Schafgotſchianas præſertim ii, quibus caput & oculi infirmi ſunt. Inutiles & in genere deprehenduntur in omnibus fere morbis nimis inveteratis. In ſpecie vero hic

 indi-

indicandum opinamur, balnea ſulphurea, qualia hæcce ſunt, nocere, ut bene advertit Hugo Tenenſis, iis, qui juncturas articulorum omnino liberas non habent, quoniam etiam aquoſa pituita in juncturis per ejusmodi balnea craſſeſcit, tenui humore reſoluto & craſſiori excremento relicto & in gypſeam & nodoſam podagram ſolutu impoſſibilem degenerare poteſt, quod ſua experientia comprobat S. SANCTORIVS *de Remedior. Invent. p. 95.* Interdicendæ etiam ſunt impuris, non rite purgatis corporibus, quia impuritates copioſiores alicubi latitantes commoventur, excitantur, funduntur, exaltantur aliæque prius ſecretæ conjunguntur aut fuſæ in alias partes in maſſam ſanguineam, cerebrum & viſcera principaliora deferuntur, ac febres aliaque ſymptomata deinceps concitant. Minus quoque e re ſunt, quibus viſcus aliquod nobile imbecillum eſt; periculum enim ſubeſt, ne humores attenuati eo detruſi inflammationes & obſtructiones & atonias pariant. Abſtineant etiam potius ab uſu harum aquarum thermalium ii, qui alvum nimis conſtipatam habent; ſudor enim & quæcunque tranſpiratio major, alvum ſiſtit, & qui viribus ſunt exolutis, quoniam calidum balneum nonnihil debilitat, qui ſtomachi faſtidio laborant, nec non vomiturientes, & bilioſum eructantes eo, quod humores fluidiores reddendo & tepore vias lubricando vomitum provocet, ut & quibus ex naribus fluit ſanguis, in quibus colliquat & fluidiorem ſanguinem efficit, unde & ejus fluxus augeri poteſt. Quibus vero balneum nocet, plus adhuc nocebit, ſi ex ſcaturigine evacuata prius ſcrobe evehuntur (*aufquellen.*) Potæ thermæ magis obſunt iis, qui venas habent anguſtas & parvas, longo morbo debilitatis, quibus viſcera vitalia, colatoria non ſana ſunt corrupta aut inflammata & non ſatis pervia, obſtructa, ſcirrhoſa & ſtaſibus ulceraſcentibus obnoxia, ubi tonus eorum penitus labefactatus, deſtructus, & laxatus eſt. Aquæ enim tunc non legitime ſed languidius circulantur, ſtagnant, remanent, hydropem multaque alia incommoda exinde parant. Nocent etiam in abundantia lymphæ atque morbis lymphaticis in ſtagnatione ejusdem extra vaſa ſua debita, imprimis ſi ab eroſione lymphaticorum vaſorum fuerit, tunc enim facile illam colluviem adaugent. In ſpecie contraindicantur potæ in affectibus capitis idiopathicis, maxime qui a ſpirituum animalium defectu, a mala conformatione, tono laxato, deſtructo vaſorum & ſinuum cerebri proveniunt; aquæ enim potæ vaſa tenera cerebri & medullæ ſpinalis onere ſuo gravant, dilatant, premunt, laxantque magis. Vixque potus eſt concedendus in fluxionibus alvi variis. De ſtillicidio paucis adhuc noſſe ſufficiat, illud

bilio-

biliosis, calidis & siccis, & qui frequenter ex simili causa dolore capitis & oculorum laborant, fugiendum esse. His præfatis concludo cum AVGVSTINO *Epist. V.* Ego fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius vel indoctius positum est a me, quod non solum ab aliis, qui id videre possunt, merito reprehensum est, verum etiam a me ipso nec mirandum est, nec dolendum.

* *

V.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE FONTE SOTERIO KVKVSSENSI IN BOIEMIA.

PROOEMIVM.

NAturæ tria vastissima regna, minerale, animale ac vegetabile largissimum penum suppeditare, a quo tanta medicinarum genera petuntur, apud omnes in confesso quidem est, quodnam autem eorum reliquis sit anteferendum, nondum satis neque doctissimis quidem est expeditum, licet etiam a multis eminentibus in medicina viris hæc controversia sit agitata diu; quippe contenderunt inter se hæc ipsa quasi, jam dudum de principatu & adhuc forte sub judice lis est: Minerale, fortissima & validissima eaque concentrata atque quæ ob minorem dosin palatui magis placent auxilia atque consymbolismum, quam cum humo, quæ ea recondit, corpus humanum ex humo a Deo primum creatum habet, præ aliis jactat: Animale sua animalibus rationalibus, hominibus illorumque naturis ceu convenientissima commendat: Vegetabile regnum de antiquitate, copia & abundantia imprimis gloriatur. Non dirimere jam in nos recipiamus, cui præ aliis prærogativa sit decernenda. Stet modo statque utique sua cuivis apud nos debita laus

debitaque dignitas ac honor, atque omni aſſeveratione affirmare neceſſe habemus, ſingula, ſingulis pereximia largiri emolumenta ac multifaria remediorum genera. Minerale equidem regnum, palmam reliquis præripere ex illo videtur, quod laude præcipua digna, atque quædam reliquis facile anteferenda medicamina, quicquid etiam alii in contrarium proferant, atque talia in quibus alma natura ipſa medicinam facit, quæ divina quaſi in morborum curatione præſtant talesque monſtrant effectus, qui ab aliis vix expectari poſſunt, gratis largiatur. Vel aqua ſimplex, dulcis, quæ ad hoc regnum pertinet, hoc nomine valde eſt memorabilis, quæ ſola ſane multas nobiliſſimas longe qualitates continet, ac præſertim thermæ, acidulæ & fontes ſoterii vix cum aliis in comparationem gloriæ referendi, cum quando alibi deficere videatur, minime hic deficit natura. Ultimum hic datur miſerorum confugium, tanquam ad unicos morborum averruncos. Talia miranda & gratuita dona, in generis humani ſalutem benigniſſimum in cœlis Numen per omnes orbis terrarum partes utiliſſime diſtribuit. Regiones quoque, quas nos incolimus, quæque conterminæ ſunt, ejusmodi habent, de quibus jure ſibi gratulari poſſunt. Vicina nobis, Miſnicis ſpeciatim Bohemia plures & propemodum innumeros varii generis ſalutares fontes eosque famigeratiſſimos pariter ac præſtantiſſimos monſtrat. Inter hos non infimum certe locum meretur fons Kukuſſenſis dictus, cujus atque eorum, quæ de eo deprehendi aut deprehendere licuit, in præſentiarum qualemcunque etiam deſcriptionem in hac celeberrima Academia Lipſienſi, publica jam diſſertatione, publici ſpeciminis loco tradamus. Suadet hoc pergrata memoria, quæ nondum mihi animo excidit, cum ante aliquot annos hunc amœnum gratumque locum inviſere mihi licuit. Movet atque hortatur ad hoc, maxima utilitas ejus, quam ſaluti hominum ultro concedit atque largitur. Quod conamen Deus T. O. M. ex voto ſecundet. Benevoli vero Lectoris, qui Nymphis Kukuſſenſibus has ſacratas paginas perlegere dignabitur, humanitatis erit condonare, ſi parum pro dignitate argumenti præſtitiſſe videbimur, conabimur impoſterum, Deo dante, ubi occaſio ſic tulerit, ſeveriori novacula, inſtitutis experimentis & ulterioribus obſervationibus collectis, maturiorem perfectioremque aliquando edere fructum. Interim hæc pauca ac levia eo utilius cenſeo congeſta, e quibus ad ulteriora & meliora gradus ſit. Cœterum quoque omnes ii æqui & ſolertes harum rerum eximiarum cenſores atque ſcrutatores, quibus ſæpius citius & facilius conceditur gratiſſimum hunc adire locum, hunc ipſum fontem

Kukuſſen-

Kukussensem jure meritoque habeant dignum, qui ulterius investigetur & amplietur emolumentaque, quæ generi humano possit afferre, sedulo perpetuis observationibus declarentur, quo me satis felicem reputabo, si aliqui ad similem suscipiendum laborem, hisce pagellis excitentur, qui defectum hunc sua sarciant affluentia & ego plura quoque, certa, idonea & utilia tandem de eo resciam & fruar, aliisque ut iis etiam fruantur, commendare possim.

§. I. Optimæ regioni, Bohemiæ Regno adeo multæ eæque pereximiæ dotes ex superabundanti Dei benignitate tributæ sunt, quæ tam provinciam quandam amœnam, lætam, gratam atque acceptam commendant & quæ ad usum commoditatemque humanæ vitæ faciunt, quam salubritatem hominibus afferunt atque conservant vitamque prorogant, ut vix aliæ alibi his pares, inveniantur. Quippe Bohemia ob situm positumque altum, quem in orbis terrarum parte, quam nos incolimus, obtinet, ob ventos orientales & septentrionales gelidos, ac ad vitam & sanitatem omnium hominum accommodatissimos, quibus frequentissime perspiratur, atque ob aërem indeque purum, tenuem, serenum, elasticum, quo perpetuo fruitur, ob aquas frigidas, limpidas, claras, pellucidas, dulces, spirituosas, tenues, quæ ipsi quasi domesticæ sunt, ob terram bene temperatam & in salubritatis modum comparatam, ob vegetabilia, item quæ ex hac succrescunt eaque præstantissima, nec non ob fossilia terras sigillatas nobilissimas &c. & mineralia optima pretiosa ac conducibilia, ut & animalium pecorum, ferarum, alitum, piscium eorumque qui in deliciis habentur, fœcundam procreationem cœteraque, quæ in hoc genere ad conservandam hominum vitam ac integritatem præcipua sunt & necessaria, fertilis & copiosa omnium rerum, si salinas modo excipias, (hinc Balbinus atque Barclajus asserunt, eam Imperatorum Germanorum per aliquot Secula, culinam, cellam, mensam atque ærarium fuisse) laudatissima ac saluberrima regio jure meritoque dici meretur. Hinc ex sua sententia Tycho de Brahe, Astrologorum longe præcellentissimus, qui diu in Bohemia vixit ibique mortuus est, asserit, eam felici syderum influxu præ multis aliis regionibus gaudere. Quæ etiam causa est, cur Reges quondam Bohemiæ, in Hungaria & Austria degentes, ægre se habuerunt semper, adeo ut harum regionum aëris inclementia, eas cum Bohemia permutandi necessitatem imposuerit, ut BALBINVS *Miscel. R. Bohem. L. I. C. V.* habet. In horum beneficiorum a Deo

Deo O. M. Conditore Summo, Sapientiſſimo ac Munificentiſſimo, largiſſimo fœnore conceſſorum numero ante omnia quoque numerantur thermæ, acidulæ & fontes ſoterii, quales non pauci hinc inde ibi inveniuntur. In ſola thermarum Carolinarum regione & vel quatuor ſaltem milliarium ambitu CC. fontes aciduli inveniuntur, licet vel tres illorum incolis accolisque noti ſint uſuque probati, qui tamen inferiores quoad vires famigeratiſſimo illo Egrano fonte habentur, cujus etiam ager in longitudinem & latitudinem longe protenſus acidularum itidem dives eſt, licet quoad ſaporem, vigorem atque effectum æque diſparium. Eorundem cœnobii Tepelnenſis regio LX. aliquos Circulus Bechinenſis & Comitatus Glacenſis numerant. Nec penitus ille ad oppidum Auſchwitz, vocatum (der Stæncker) vitriolo & ſulphure admodum divis, celebritate caret. Quis eſt qui neſciat longe lateque celebratiſſimas thermas Teplicenſes? Cui nomen aquarum hodie Bohemiæ etiam adſcriptarum Landeckcenſium inauditum & beneficia, quæ ægrotantibus affert, ignota? Quis facile inficias ibit univerſam pene Europam, ſtupendum illud benedictionis divinæ opus, thermas Carolinas mirari atque ad eas ex diſſitis longiſſime etiam locis, confugere medicinamque ab iis petere ſibi, maximis atque graviſſimis & pertinaciſſimis morbis detenti? Præter hos fontes ejusmodi ſoterios nominatos adeo multos, qui olim jamdum innotuerunt ac ſummam celebritatem hodie acquiſiverunt, haud poſtremi juxta iſtos, non ita pridem inventos binos ſalſos, purgantes, amaricantes dictos, Sedlitzenſem & Seidſchützenſem, admodum proficuos, quibus ſimiles nulla unquam ætas, quod ego quidem ſcio, vidit, ſunt quoque fons Sti Joannis, ad fines Sileſiæ ſitus, atque fons qui argumentum præſentis noſtræ tractationis conſtituit, Kukuſſenſis, quem fuſius paulo in ſequentibus ibimus celebratum.

§. II. Nimirum fontem, quem vocant Kukuſſenſem ſoterium, Bohemiæ Regni Circulus Regio Gradezienſis, ad Albis atque Orlitzæ confluentes fluvios ac in eo ditio quædam & dynaſtia, quæ Excellentiſſimo Sacr. Rom. Imper. Comiti, Domino Franciſco Antonio de Sporck, Dynaſtæ in Lyſſa, Gradlitz & Koneged, Sacr. Cæſar. Majeſt. Conſiliario Intimo, Ejusque Cubiculi Comiti & Regio Gubernatori Supremo in Regia Sede & totius Regni Capite Pragæ, paret, Gradlitz vocata, non procul a Jaromiria, haud ignobili oppido, habet, qui in regione ibi elata, montana, amœniſſima, nemore amabiliſſimo, non nimium alto, ſcaturit, cui juxta hunc tota adſtructarum ædium compages inſidet ſenſimque in meridiem, donec per

ſcalas

ſcalas quaſi ſiat humilis, ſeſe explicat, amœniſſimum contemplantibus præbens aſpectum. A fronte Albis præterfluit fluvius, vident proſpicientes trans amnem ambulacrum jucundiſſimum, arboribus amœne virentibus conſitum, quod ad cœnobium ducit, mirifice cultum atque ornatum. Interjacent prata, in longitudinem maxime ſpatioſa, a quibus collis, qui magnificum hoſpitale cœnobium & templum, ſplendore eximio atque oblectante conſpicuum, cum Mauſoleo ſublimis operis dignitate ſplendide donato, ab ipſo Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Domino Comiti erectum monſtrat, inſurgit. A tergo rurſus mediocriter alti montes prominent, partim ſalebroſi, partim lenes & denſis comati arboribus; ex quorum ſinu ſaxoſo, terreo, arenoſo ac argillaceo ipſa Fontis Kukuſſenſis ſcaturigo profluit ac ex alto deſcendit atque tribus ſeparatis fontibus componitur, quorum alter ab oriente, alter a ſeptentrione, tertius ab occidente uberrimis undis gelidis promanant. Confluentes omnes in unum alveum ſe exonerant unamque in ſcrobem colliguntur, qui in circulum efformatus, lapidibus erutis quadratis eleganti opere eſt exſtructus crepidineque ferrea circumdatus, quo ſimul rei utilitati eſt proſpectum; lignum enim in hunc modum adſtructum, aquis mineralibus, non æque conducibile ac lapides obſervatur, quoniam ex aſſeribus ligneis, præcipue recentibus, aquæ plures particulas fermenteſcibiles ſulphureas extrahunt; hinc aqua in ligneo vaſe aſſervata brevi & ex facili corrumpitur, cum in argillaceis & vitreis longius duret. Similem in modum compoſitus tegit eum ſuperinſtructus ſpatioſus fornix, quem ſubſellia circumveniunt, ſuper quibus commode ſuperſedere poſſunt potantes. Aqua ex hoc fonte per miniſtros hauſta pone hunc fornicem, qui continet ipſum fontem, in ahenis ſuper ferrum ignitum poſitis, in ſeparata vicina ædicula coquitur & calefit, ex qua ad utrumque latus per canales ex metallo confectos ad balneariam domum, calefacta deducitur. Supereminent his, ſuper teſtudine nempe & balnearia domo, non adeo magnæ quidem ſed concinnæ molis ſacellum atque Diæta inhabitationi pro Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Comiti accommodata. Ipſa balnearia domus in declivi locata, affabre & commodiſſimum in uſum eſt exſtructa, nam ad latus utrumque balnearia, quæ apodyteria labraque velis diſtinctis, bina ubique juncta, ut duo balneantes ſeorſim inſidere poſſint, continent, ſunt adſtructa & operculis ligneis tecta, ne vapores exeuntes humidi forte imbecilli capiti balneantium obſint. Ad ſingula labra per aquæ ductus canaliculoſos, ſubterraneos, duplices & ſeparatos tam

aqua

aqua calefacta, quam frigida ducitur, ex quibus canalibus per epistomia pro lubitu utraque promi & balneum temperari poteſt. Medio inter hoc relicto ſpatioſo atrio infra hæc balnearia, duo alia ſeparata ſunt efformata, quibus Illuſtriſſimus Poſſeſſor ac Dominus pauperum egeſtati & indigentiæ gratioſiſſime conſulere voluit, his enim libera hæc gratisque relinquuntur. In hoc inferiori fornice, per cujus parietes redundans ex labris in balneario, aqua defluit, in toto parietum ambitu tophi varii & maxime in conos cuſpidatos efformati adhærent; immo tota hujus circumferentia friabili & molli ſalina & ſulphurea arena, ex albo lutea, ex ipſa aqua medicata ſeparata, eſt ſuperinducta. In parte magis ſuperiori hujus fornicis, flaveſcentes particulæ, totæ ſulphureæ ſublimatæ poſſunt abradi. Ubique vero, ubi defluit aqua, ad parietes pulvis ſubtilis albicans terreo-ſalinus deponitur. Singula conclavia ubi nimirum aqua coquitur ac dein in labra affluit & defluit, vaporoſi, tenebroſi ac humidi, ad inſtar nebulæ ſulphureo lixivioſi, odoris quid habent.

§. III. Fontem ipſum ac domum balneariam circumveniunt non modo magnum illud diverſorium, omni ſupellectile neceſſario inſtructum, cum popina atque caupona donata ad uſum, refectionem & inhabitationem optime accommodatum, ſed etiam alia, ſpatio quodam interjecto, pro adventantibus ædificia, cum aliis quibusdam publicis, in quibus conſortia, ſaltationes, muſici concentus aliaque, ad delectationem & corporis exercitia facientia, inſtitui ac colligi poſſunt. Huic univerſæ rerum faciei acclivi, declivis hortus cum ambulacris, parietibus viridibus, pergulis, ſtatuis, fontanis aquis concinne ornatus, jungitur. Inferius, qua præterfluens Albis fluvius lætaque prata patent, fontanis diſtincta, cancelli pro haſtiludiis equiriisque erecti ſunt, nec non diæta ad varios luſus variamque delectationem adornata aliaque plurima, quæ animum oculosque delectant, viſuntur. Mentio etiam quædam facienda eſt Bibliothecæ, das Philoſophiſche Haus dictæ, ubi libri & inſtrumenta phyſica & mathematica, mechanicaque, curioſa varia aſſervantur. Nam hic eximia eſt voluptatum varietas, rerum omnium condimentum & quodquod in aſpectum atque uſus hominum natura ſolet proferre, id omne huc ſeſe magna infudit copia atque adeo, ut nusquam alibi ejusmodi invenies. Unusquisque fere ſenſuum hic ſua afficitur voluptate, tantis ſuaviis mulcetur & viſu irritatur ad gaudium. Hic undique diverticula hujus otii patent. Hic pene omnia, quæ in deliciis & oblectamentis haberi ſolent, mira indulgentia Illuſtrisſimi & Excellentisſimi Domini Comitis indulſit. Dignatur atque adeo ſingulos,

eos

eos qui acceſſum & notitiam quærunt, pro ſua ſorte unumquemque magna comitate & gratia facile admittendi, immo ultro invitandi. Tanta Illuſtriſſimi Domini Comitis gratia eſt, ut multifaria atque ampliſſima accedentibus largiatur beneficia, ac dona atque his omnibus ſinguli ibi commorantes frui poſſunt. Si ambulationes & parva itinera inſtituere atque oculos animumque paſcere velis, non modo tibi præſto ſunt horti, ferarum, cervorum vivarium, eremitarumque cellulæ eleganter poſitæ, magnæ areæ ac ſingulares aucupatoriæ, ſed & in hoc loco, qui florida Theſſalica tempe æmulatur, apertum aëris ſaluberrimi æquor panditur, eminent ex longinquo montium editiorum vertices & jucundiſſimi colles, in quibus circumjacentium regionum ac amœnæ varietatis intuitus eſt amœnisſimus. Hic apricæ ſe offerunt valles, illic prata, variis melleorum florum coloribus roreque ſcintillante lucentia & interdiſtincti florentisſimi campi. Hic ſegetes fluctuantes & germinantes, illic opacæ virentesque ſylvæ, proceris & frondentibus arboribus frequentes ac nemora umbrifera & grato diverſarum avium, oſcinum cantu reſonantia, arrident. Præ aliis autem invitant te ad conſpectum, plauſum atque adeo admirationem, cœnobium, templum, ſplendore operibusque plenum, diætæ & in iis tam pulcherrimæ & artificioſisſimæ multifariæ, quibus decorantur picturæ. Quicquid uſpiam artis atque ingenii eſt, hic conſpicitur ac legitur. Ubi enim faciem verteris ac omnia quæ opificum manus erexerunt, ne vel ullus ſine ſummo ingenio & fructu remaneret locus, ſed vividus, loquens & docens redderetur, ſublimium atque ingenioſarum argutiarum, inſcriptionum, ſententiarum, ſymbolorum depictorum atque carminum, quæ ex Illuſtrisſimi Domini Fundatoris & Poſſeſſoris genio & affectu, qui ad cuncta pietatis, prudentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ omniumque virtutum ſtudia atque cultus fertur, fluxerunt, plena ſunt, ſublimis ſapientiæ exemplo inimitabili propemodum docendi, mentes erigendi, ad pietatis atque virtutum cultum pectora exhortandi, ad ſimiles laudabiles motus, monendique ſimul atque implendi atque inſtruendi pariter atque delectandi cauſa, ut ſpectantibus cupide vivis poſterisque quaſi templa atque oracula eſſent. Si aures delectare velis, ſuaves muſicos concentus, tam inter balneandum, quam prandendum cœnandumque alioque tempore non raro audies. Ad hæc ex ſingulari Illuſtrisſimi Domini Comitis liberalitate, quam gratioſe concedere ibi ac impetriri voluit, ſingulis advenis ſumma aucupandi, piſcandi, venandi facultas datur eosque libera atque aperta theatra, quæ ludos ſcenicos, non ſcurriles,

ſed modeſtos illos quidem materiamque virtutum tractantes atque repræſentantes, quotidie publicos, adveſperaſcente die, producunt, manent. Quid mirum igitur, cum hic ſeceſſus gratisſimus ita poſitus atque comparatus ſit, ſi annuatim ex aliis longe disſitis etiam locis, tanta amœnitate illecti viſentes accedant, mirabilem hanc rerum faciem curioſis oculis inſpiciant, commoditatibus & oblectamentis illis, quibus Illuſtriſſimus Dominus Comes gratioſe hoſpitibus communicare dignatus eſt, fruantur, atque tam valetudinem ac integritatem ſibi acquirant & procurent, quam & firmatis corporibus, animos ſimul vegetos atque contentos reportent, atque tandem qui primum ſaltem erant ſpectatores, amatores admiratoresque diſcedant.

§. IV. Nomen fonti noſtro inditum eſſe memoratur, a portione putei fodinæ metallicæ, quam metalli foſſores Kux vocant, cum quondam hi tractus metalli foſſoribus multum negotii fecerint, aut a pago in vicinia ſito quam incolæ Kuka aut Gugga vocant. Non jam quæramus longius, quando hic fons noſter Kuſſuſſenſis inventus ſit, cum illud vel conjectura vix aſſequi liceat; commune enim is cum plurimis aliis hoc fatum experitur, quod de inventione illarum nulla certa notitia conſtet, quippe magna hac etiam in re priſcorum ſeculorum accuſatur incuria. Et licet varia de illius origine tradantur, multa tamen incerta, plura ſuperſtitioſa, plurima, noſtro quidem judicio, falſa ſunt atque fabuloſa. Hoc omnes uno ore communique aſſenſu incolæ accolæque profitentur, quod patres ab avis, avi a proavis jam acceperint, quod caſu inventio hujus fontis ſit facta, & quod per experientiam atque per uſum olim, quod ut plurimum in ejusmodi fieri ſolet, magis magisque ſit comprobatus. Cum enim primum quidam, ſitim ſaltem explendi cauſa hanc aquam expeterent, unus alterque febricitantium & caloribus præter naturam æſtuantium levamen & refrigerium ſentiret, per tot annorum ſeries deinceps permulti, fama, quæ ſanitatem reſtitutam commendabat, adducti, ut ex vicinia accederent & tam potando quam balneando a variis ſubinde morbis ſe liberarent, factum tandem eſt, ut ſemita tota ad illum fieret, ac tam ad commoditatem, quam utilitatem majorem, a fundi Dominis, charitate imprimis chriſtiana laudatisſima erga egenos miſeroſque atque infirmos permotis, ædicula lignea eſt erecta atque ſolia & labra quædam ad balneandi commoditatem ſunt addita adſtructaque domicilia, usque eo, dum noſtris his temporibus ab Illuſtrisſimo ac Excellentisſimo Poſſeſſori Ipſo, Domino Comiti Franciſco Antonio de Sporck, ad hunc ſplendorem hancque commodi-

moditatem eſt evectus atque compoſitus ſimulatque gratioſe juſſit, ut tam experientiſſimi Medici per medicationes in pluribus perinde morbis periculum facerent, quam naturam ipſam atque contenta ejus per varia experimenta indagarent, quod & ab inclyta Facultate Medica in Academia Pragenſi diverſisque Clariſſimis Medicinæ Doctoribus dexteritate atque ſolertia, nec ſine felici ſucceſſu, eſt ſuſceptum atque per varias morborum hiſtorias illorumque curationes & per adeo plura retro jam luſtra comprobatum. Tamdiu in cunis quaſi vagiit hic fons ſalutaris, qui hodie magnifice jam triumphat & glorioſe deprædicatur plus ultra indies evehendus. Nec morabimur in diſquirendo diutius, unde hic fons ſuam originem ſumat & per quod terræ ſpatium profluat atque an ex ſtanni fodina, quæ in vicinia reperitur, ut vulgaris opinio fert, an ex præterlabente Albi, Fluvio, quod minori quidem probabilitate quidam volunt, ſit deducendus? Nihil autem cauſæ eſt, cur longius vias quæramus, cum a tergo ad ſeptentrionale latus adjacens mons, haud obſcure eas demonſtret: Nam per hunc, non tantum ex faſtigio ejus ſuperiori torrens delabitur, qui aquam ſimilem vehit ſimilemve ochram tenuem profluendo deponit, ut ideo admodum probabile ſit, fontem ipſum huncque torrentem ex communi fonte originem producere, ſed & dictus mons alios fontes monſtrat ſimplicem aquam vehentes, licet ex diſſitis locis per hunc montem adducantur, ac ex ſeparatis fontibus rivi promanent: Etenim veroſimillimum eſt, omnes fontes medicatos, ut acidulæ &c. etiamſi etiam frigidi ſunt, qui ochram quandam ſimul advehunt, ex pyrite ſive mineris marcaſitis, ſulphureis & martialibus eisque aqua ſalina, ſpiritu ſubterraneo omnia ubique pervagante turgida, tanquam principio admodum activo armata, ſolutis concitatoque ſub ea ſolutione inteſtino reciproco motu, actione & reactione, efferveſcentibus atque exardeſcentibus vaporesque calidos emittentibus, originem trahere, ut videmus ex ſulphuris vivi pulveriſati & limaturæ martis admixtione aquæque affuſione intra aliquot horarum ſpatium, accedente præſertim aëre liberiori, ebullitionem, incaleſcentiam tandemque luculentam flammam cum fumo ſulphureo exoriri, qui ſi aut ex profundo magis & per fiſſuras amplioresque terræ poros aſcendant, frigidos præterfluentes latices inficiunt, aut ſi per magnum terræ ſpatium profluunt, ſenſim refrigeſcunt ſenſimque exſolutis penitus mineris arenam, calcem & ochram ejusmodi aquæ deponunt, quæ atque alia phœnomena vix ex alia, quam modo deſcripta ratione deducenda veniunt. Probabile enim hinc omnino eſt, inter fontes ſoterios, thermas, acidulas, inſignem, uti

 vicini-

vicinitatem, ita & ratione orignis, ingredientium & virium convenientiam, affinitatem mutuumque dari consymbolismum.

§. V. Equidem de copia & indole aquarum mineralium, ex terrarum stratis harum rerum periti & mineris, quæ ea componunt, haud obscura quandoque conjectura hariolantur. Hic etiam circumjecti undique montes, præsertim qui a tergo in magna fastigia attolluntur, variorum mineralium, metallorum, lapidum pretiosorum & fontium perennium, saluberrimas undas vehentium, admodum divites sunt. Proximiores, Fonti ipsi Kukussensi chalybem & stannum manifestis indiciis monstrant, atque incolæ ac accolæ, de vaporibus acidulis & sulphureis, qui sæpius exspirant loquuntur, quales difflationes in ejusmodi locis, ubi thermæ, acidulæ fontesque alii salutares dantur, non raro ipsis oculis videntur odoreque percipiuntur. Testimonia Autores quoque multi afferunt e. g. SOMMERVS in *Descript. Thermar. Carol. p.* 7. PECHLINVS *Lib. III. Obs.* 44. *de Swalbacensi tractu.* RAMELOVIVS in *Descript. Wildungensium aquarum &c.* ut & ubique circa metalli fodinas vapores metallici, ex terra adscendentes sæpius habentur. Supra montem ipsum Kukussensem, cui arx antiqua exstructa, fons quidam, cui nomen Hertzogs-& Augustusbrunn vulgo inditum est, profundus & magno opere per rupes & saxa in strata collecta, confossus, sulphur & sal quoddam cum aqua limpidissima egerit, dignus ideo, qui in majorem considerationem majoremque ad usum ducatur. Isti quoque montes vicini eorumque jugera, quæ Albim fluvium respiciunt & versus meridiem excurrunt, per duorum milliarium terræ spatium, præcipue collem, cui adstructum splendidum illud cœnobium est, adamantes, amethystos, granatos, carneolos, turcoides condunt, quorum mineras ibi erutas vidi; nec non hinc inde cinnabaris eruitur. Immo tota reliqua vicinia circa hunc tractum excurrens, per non unius milliaris spatium, variorum perinde mineralium vestigia prodit.

§. VI. Sequentia vero de hoc fonte, quæ laudatissimam suam indolem, contenta, vires & usus spectant, jam constant, quæ prout vel in transitu quasi & per laboris atque temporis compendium videre, audire, scire experirique mihi licuit. Propius accedenti ad eum, ex quo optima hauritur aqua & originem ejus, curiosis oculis contemplanti animumque advertenti patescit, aquam hanc soteriam ex tribus separatis venis confluere, sed quoad contenta, quæ vehunt mineralia, disparibus: Siquidem non auditu saltem, sed oculis quoque compertum est atque ex gustu judicium venit, illum fontem, ex orientali plaga promanan-

manantem, totum ad inſtar acidularum martialem, alterum ex occidentali, quoad hanc qualitatem priori inferiorem eſſe, tertium adhuc cedere ſecundo; Aqua omnis confluxa & toto ex fonte ſcaturiens, frigida erumpit, immo frigidiſſima, hyeme tamen, etiam ſæviſſima, circa ſuum ortum vix congelaſcens, clara & cryſtallina pelluciditate oculis ſeſe ingerit. Si ex vitro in vitrum funditur vel fortiter agitatur, bullulas ad inſtar parvarum margaritarum ſubſilientes copioſiſſimas emittit, agminatim ex fundo ad ſuperficiem adſcendentes vel lateribus adhærentes conſpiciuntur & ſi per aliquot horas reponitur aqua, ad fundum vaſis ſenſim ſenſimque deponuntur, quales & in vino generoſo transfuſo videmus aliisque aquis ſalubribus & acidulis deprehendimus. Totis undis defluens, ochram ſat copioſam, poroſæ ſpongioſæque ſubſtantiæ ex albicante-luteæ, in viis, per quas tranſit, relinquit.

§. VII. Aliæ aquæ aliis ponderoſiores ſunt, quod particulis heterogeneis iisque craſſioribus, quibus mixtæ ſunt, acceptum fertur, quod HIPPOCRATES indicavit *Lib. de a. a. & l.* dicens: *Multum inter ſe differunt aquæ & guſtu & pondere & ſtatione & virtute aliæ aliis præſtant.* Aqua Kukuſſenſis cylindri lignei ope examinata ſimplici fluviatili, ex præterfluente Albi deſumta, ſatis alias levi, levior, non obſtante ingredientium quantitate, quæ habet commixta, præſertim ex fonte modo hauſta, deprehenditur: Nam in cylindro ligneo quinque puncta in eo notata, in aqua vero fluviatili vix quatuor apparebant & bilancis hydrometricæ ſuſpenſæ ope, libræ X. aquæ fontis drachm. 3. ſem. leviores deprehenſæ ſunt. Cauſa levitatis eſt ſpiritus ille mineralis catholicus, qui aëreo-æthereo elemento & elaſtica ſua vi, ſurſum nitente, aquas illas leviores reddit, de quo in ſequentibus plura adducenda erunt. Hac levitate multi etiam alii alibi locorum fontes ejusmodi ſalutares, ut acidulæ, thermæ &c. clari ſunt, alio loco adhuc nominandi. Interim ſatis erit quædam ſaltem afferre exempla v. g. H. AB HEER in *ſpadacr. cap. VI. p. m.* 47. ſcribit; *fontis Savenirii aquam, exhalationibus tenuioribus foſſilium ſpirituum refertam, eſſe leviorem aliis aquis & per Chemiſtarum organa deſtillatis.* In Italia hoc charactere inſigniti ſunt Tettuctianæ, Aponitanæ, Piſanæ, Calderianæ, Nocerianæ aquæ; In Gallia inveniuntur ejusmodi fontes, de Mans, de Capuert, de Jonas, de St. Reyne, d' Aurevil, de Bievre, de Chateau Goutier, de Vaujour, de Rochepoſay, de Verteric de Beleſme plurimique alii in Anglia.

§. VIII. Ex fonte hauſta atque extemplo odoratu examinata aqua, nares ſpiritus ad inſtar, non nimis quidem fortis, quaſi leniter pungit,

 immo

immo totum quaſi caput ferit, non tamen moleſtat. Grato guſtu linguæ ſeſe commendat eamque ſuavi quadam titillatione veluti afficit, ſimulque odorem quendam, ſulphuris aduſti quid ſpirantem, emittit atque ſimilem ſaporem guſtatu, imprimit linguæ. Hæc qui attendet, a vero longe abeſſe cenſebit, quod vulgares illi rumores afferunt, hanc aquam plane inodoram eſſe, aut ab aqua ſimplici vix differre. Aſt etiamſi inodora eſſet, inde tamen non inferri poſſet, eam non eſſe medicatam, cum infinita exempla fontium ſalubrium, odoris ac ſaporis expertium, qui tamen magnarum virium ſunt, poſſent adduci. Senſus hic etiam non ſemper ſatisfaciunt atque non abſoluta per eos horum nobis conſtat natura: Ejusmodi exempla in §. XI. ſequente adducenda erunt. Alibi quoque invenimus medicamenta inodora, quæ tamen ut efficaciſſima præſcribuntur & de quorum efficacia nemo dubitat. Similis hæc inculpatio eſt, quam a pelluciditate falſo petunt, acſi hæc omnes alias ingredientes partes excluderet, cum minus etiam reſpondeat calculo ſententia: Nam non obſtat, pellucidam aquam aliis particulis poſſe eſſe imprægnatam, modo illæ particulæ ita ſint compoſitæ, ut globulorum cœleſtium preſſionem impedire poſſint. Rideret hos rerum cenſores Ant. Lœvenhœck, qui in variis liquoribus limpidiſſimis & diaphanis, varias diverſi generis, figuræ & magnitudinis particulas, microſcopiorum ope detexit. Aqua marina pellucida maxime eſt, quis vero negat, eam multas continere particulas ſalſas? Multa dantur vini acetique genera, quæ ſumma pelluciditate in vitris conſpiciuntur, quis vero temere aſſeveraret, eos liquores tantum ſimplices & aqueos eſſe? Guſtui magis pateſiunt quædam ejus ingredientia, ſi enim calefacta in ore paululum tenetur, non modo ſulphureum, ſed & ſalinum, vitriolicum & martialem ſaporem linguæ imprimit. Ore hauſta, ad inſtar aquæ ſimplicis, nullam nauſeam nullumque ingratum ſaporem excitat & imprimit, ſed accepta frigiditate fauces ſolatur totumque corpus recreat. Si oculis inſtillatur aqua, iis ſat ſenſibilem punctionis & vellicationis ſenſum, cum ſalini principii manifeſtatione, mox inducit: Ad ignem coctione velocius evaporatur & ut cito incaleſcit, ita & cito iterum refrigeſcit: A ſolutione aluminis aqua non mutatur: Solutio ſacchari ſaturni vero eam turbat, particulis martialibus præcipitatis & ſaturno a ſale abrepto: Aſt liquore alkalino inſtillato paulum lacteſcit. Si deſtillatur etiam fortiſſimo igne, nihil niſi aqua ſimplex, parum empyreumatica alembicum aſcendit: Rurſus alia vice deſtillata & experimento modo conſueto facto, parvæ cryſtalli obtentæ ſunt, ex capite mortuo,

aqua

aqua ſoluto, liquor ſubadſtrictorius emergit: Sanguini vitulino adhuc calenti inſtillata, eum non condenſat, aut coagulat, ſed potius diluit, ſubtiliſat & floridum reddit: Lac vaccinum non coagulavit, ſed ſine notabili alteratione illud remanſit. Fel bovinum ſine turbatione dilutum & attenuatum reddidit: Picem notabiliter ſolvit ſibique unit, adeo ut in deſtillatione ſimul adſcendat, aquamque ſapore tali induat, indicio incidendi & reſolvendi virtute, eam præditam eſſe: Si piſciculus aut rana recens ad fontem aquæ hauſtæ immittitur moxque probe vas tegitur, is intra XII. minutorum & rana intra XVIII. eorundem ſpatium extinguitur a ſpiritu acido, vitriolico & ſulphureo, piſcibus & ranis adverſo, ab hauſtu quo longior vero mora, eo longius viva hæc ſubjecta conſervantur; ſi hæc animalcula, immota jacentia & morti vicina, in aquam ſimplicem transferuntur, reviviſcere quaſi incipiunt.

§. IX. Examine ejusmodi ulterius hujus fontis aquæ tentato, per varia experimenta phyſica, chymica, quæ in hoc genere præcipua ſunt, per mixtionem nimirum variorum liquorum acidorum & alcalinorum, pulverum, per deſtillationem, digeſtionem, evaporationem, calcinationem tam ab aliis jam clariſſimis viris facta, quam a me quoque inſtituta, quantum mihi tunc per temporis, occaſionis & loci conditionem licuit, ſequentia contenta ineſſe conſtat. Scilicet hæc aqua continet ſpiritum mineralem ſubtiliſſimum & penetrantiſſimum acidulum: Hunc ſpiritum bullulæ & perlæ in transfuſione ſubſilientes, odor qui nares promptiſſime ferit, ſapor ſuavi titillatione linguam afficiens & levitas magna, juxta alia indicia jam indicata oſtendunt. Quo intimius hic ſpiritus ſubterraneus catholicus cum reliquis ingredientibus fixioribus eſt unitus, eo efficaciorem ipſis tribuit effectum eoque longius hæ aquæ ſuam retinent vim. Ad hoc argumentari licet, ſpiritum illum elaſticum graviores quoque partes martiales, ochreas, terreas intimius aquæ unitas & ſociatas ſervare, ex eo, quod ille ubi ſeceſſerit, brevi temporis ſpatio materiæ illæ graves fundum vitri, in quo detinetur aqua, petant. Talis ſpiritus terræ ſalinus univerſalis alibi etiam in ſuccis vegetabilium obſervatur ac in magna ſat copia exhalat, atque verno tempore a ſole extrahitur, talis etiam eſt, qui a quibusdam ex rore majali colligitur, atque exinde medicina univerſalis paratur, eæque Borellus aurum ſolvit & in liquorem redigit. Is certe ubique terrarum fœcunditatem præſtat, omnia pervagatur ſuaque præſtantia, motione atque activitate producitur. Juxta hunc (ſpiritum) vitriolum quoddam tenue, volatile ineſt, ſi enim miſcetur ea cum pulvere gallarum ſtatim prope fontem, puniceum colorem

rem induit, si aliorsum & in vicinam modo domum defertur & reposita miscetur, color ex pallido rubescens saltem & tenuior exinde resultat: Nigricantem ab affuso spiritu nitri, ab aceto destillato subviridem, ab aqua forti subalbidum referebat colorem, ex quo itidem vitrioli volatilioris, motibus aëris promptissime obsequentis & subtilioris oritur suspicio, si enim illud crassius fixumque foret, ad nigredinem magis, ab indito præsertim gallarum pulvere accederet. Si mixtura ex pulvere gallarum cum aqua per aliquot horas in vitro reponitur, saturatus color per gradus quasi deorsum sensim protenditur. Hoc vitriolum aëreum curiosi in capite mortuo, sive terra penitus eluta omnique salsedine orbata & aëri liberiori aliquandiu exposita, iterum colligunt. Tale vitriolum subtile aëreum, tanquam sal mundi & naturæ universale per aërem nimirum, aquam terramque dispersum & concentratum, in maximo pretio habetur & a chymicis inter summa arcana summarumque virium habetur. Parum porro sulphuris mineralis, plus minus volatilis spirat hæc aqua, quod non solum olfactu, tam in ipsa aqua, quam etiam in conclavibus, per quæ evaporat, percipitur. Si evaporatur, & coquitur, odorem penetrantem, nidorosum, sulphureum, acidulum spargit & sensim sensimque, quando in crassiorem massam redigitur, spadiceum colorem assumit & si gustatur, saporem ejusmodi salsum, sulphureum, subacrem linguæ imprimit. Ad hoc scire licet, exploratum esse, ubicunque bitumen occurrit inflammabile, ibi etiam sulphur inveniri, quod bitumen ex sulphure madefacto succrescit, observante CARDANO *Lib. I. de var. rerum C. VII.* & universa illius substantia nihil aliud est, quam quædam sulphuris soboles, ut scite argumentatur BACCIVS *Lib. I. de therm. c. XXI.* Ubi etiam vitriolum subtile in aquis medicatis habetur; ibi etiam ordinario fere sulphur volatile datur, quod terram ferreatam solvit intimeque cum ea se jungit, unde illud deinceps exsurgit. Præter hæc plus minus volatilia principia, præsto sunt etiam fixa, ut terra quædam tophacea & ex parte calcaria, quæ particulis salinis ordinario se adsociat, quæ vero fere tota ustione in crocum martis redigitur. Dein affert sal quoddam, quod ad alkalinorum classem ob præpollentiam referres. Sal enim evaporatione remanens, bene dilutum & iterum evaporatum, cum acidis mixtum, conflictum edit, atque cum syrupo violarum adjecto, viridem colorem assumit & carbonibus candentibus injectum fluit & crepitat. Hujus salis drach. VI. cum gr. VIII. ex libr. XX. aquæ digestæ & lenissime vaporatæ recepi, quando vero forti igne coquitur, quantitas ejus decrescit, evolutis

multis

multis particulis volatilioribus, per ignis gradum volatilisatis. Ex metallorum familia luculenter & copiose se manifestant subtilissimæ, plus minusve chalybis particulæ: Nam si residuum ex destillatione & evaporatione elutritioneque relictum, ut & pulvis ille subalbidus, qui in aheni fundo, in quo aqua coquitur, residet, quique labris & viis, per quas defluit, copiose adhæret, nec non ochra, quam deponit, porosa, ignita & calcinata, magnete tradantur, copiosi pili quasi ferrei illum accedunt ei atque adhærent, quarum subtilissimarum particularum martialium, ex data quantitate libr. XX. ad unciam unam collectæ sunt. Hæ partes ferreæ quibusvis fere aliis aquis, terris, vegetabilibus insunt, adeo ut copiosissimum præ omnibus aliis sit metallum undique quoque dispersum. Quoties enim terras, luta, ochras, tophos, argillas calcinavi & quæque vegetabilia, ligna & herbas incineravi atque concremavi magnetemque superinduxi, ferri particulas accepi. Omnes quoque ejusmodi propemodum fontes, qui constantibus viribus sunt, ordinario ferrum aut crocum martis secum gerunt, unde & ferratæ aut martiatæ aquæ veteribus sunt vocatæ. Immo sedimentum luteum, quod deponit aqua defluens, non est nisi subtilis quidam crocus martis, qui cum sale ammoniaco sublimatus, flores martiales luteos concedit atque appropriato menstruo v. g. spiritu vini rectif. rursus martiales tincturæ exinde parari possunt, quæ in febribus intermittentibus & stomachi infirmitatibus variis, optimam præbent medicinam. Stannum atque bitumen, quæ quidam viri fide digni asserunt, me sollicitum diu tenuerunt, quoniam, iteratis etiam primum vicibus experimentis institutis, nil quidquam eorum invenire potui, in data nimirum aquæ, ex fonte haustæ, XX. librarum quantitate, tandem in ochra illa alba, quæ hinc inde apponitur, præsertim ad ahenum, ut vocant, magno igne calcinata, contrita aquaque diluta ac rursus evaporata, in fundo vasis stannum ad drachm. sem. collectum est, alia iterum vice moleculæ hæ joviales plures obtentæ atque denuo calcinatæ & in fluorem solutæ, integrum frustulum drachm. sem. pondere ostensum. Bitumen vero, etiamsi plures hinc inde varioque modo quæsivi, luculentum tamen certissimumque ejus vestigium vix assequi potui, tandem quoque in solio quodam, aqua prius tepefacta & rursus frigefacta, repleto duos saltem flocculos ejusmodi bituminosos innatantes conspexi. De his scire licet, stannum quoniam non solutum illud est & in sal quoddam conversum, uti omnia alia metalla, non in ipsam aquam ingressum habere vel cum ea misceri, sed ob gravitatem deorsum deponi; bitumen vero, ut materiam un-

ctuoſam, viſcidam, oleoſam, ſulphuream, mixtionem unionemque cum aquis reſpuere, niſi aliquando longa forte ſubactione ac particularum ſalinarum interventu, devictum, intimius jungatur. Atque quoniam ad inſtar aquæ ſimplicis fontanæ, magnis etiam hauſtibus pota aqua noſtra, neque nauſeam, vomitum, neque ardoris quendam in ventriculo ſenſum moleſtum, cum ſiti magna & anxietatibus circa præcordia & ſimilia incommoda inducit, ut quidem ſæpius aſſolent aquæ bituminoſæ, præſertim ſi cruditates bilioſas in ventriculo & primis viis offendant, hariolari mox licet, perparum bituminis aquam Kukuſſenſem ſecum vehere. Per experimenta ab aliis egregiis viris facta quoque habetur, alumen poſſe demonſtrari. Verum enim vero de exiſtentia ejus hic, pace illorum, adhuc dubius ſum, licet concedam illud quandoque inveniri, ubi bitumen invenitur, quoniam & ex bituminoſa terra paratur: Nam quamvis diligentem diſquiſitionem tentaverim, irritum tamen ſcrutinium fuit: atque v. g. præcipitatum cum oleo tartari p. d. ignique impoſitum, neque ſpongioſum fiebat & intumeſcebat, neque odore & ſapore illud cognoſci potuerat. Circa hanc ipſam rem advertentibus animum, eſt obſervare atque reſcire, oleo tartari per deliquium affuſionem aquis calcariis ac ſalinis æque ac ſolutioni aluminis, album lacteum colorem inducere atque adeo aquam calcis vivæ limpidam, albam & turbidam inde evadere. Ad hoc de alumine idem dicendum eſt, ac de bitumine, quod aquæ aluminoſæ auſteritate conſtringendique ſua vi, interno uſu, neque palato arrideant, neque ventriculo admodum gratæ & conducibiles ſint. Rurſus mercurium atque cinnabarin ineſſe aſſerunt, ſed mihi hæc nondum conſtant & ut verum fatear de eorum præſentia, ob prægnantes rationes, magis adhuc dubito. Non deſunt qui aurum, argentum, tincturas gemmarum ipſumque auri ſulphur hunc fontem vehere, affirmant; Aſt ego iterum nihil horum deprehendere potui, aut ego valde cœcutio, aut manus meæ non ſatis oculatæ ſunt, ut minus in productis hæc videant, quibus mens aſſentiri poſtulatur. Potius ſuſpicor ſane precario tantum hæc eſſe admiſſa & popularia aſſerta, aut ab in adulationem compoſito animo magis, quam veritatis amante quandoque facta, ficta atque depicta: Nam licet aliæ atque aliæ plures mineræ hinc inde circa hunc vel illum fontem medicatum in terris inveniantur, tamen non ſemper ſequitur, omnes illas mineras ſimul vicinum fontem ingredi. Valet etiam hic illud Philoſophorum dictum: a poſſe ad eſſe non eſt concludendum. Etiamſi ejusmodi nobiliora principia adeſſent, vix ideo præſtantiorem, medico quidem intuitu, fontem

pronun-

pronunciarem, cum mars, quo ſuperbire poteſt, metallorum facile ſit ſaluberrimus, hinc aquæ ferratæ ſalubritate aliis omnibus ſuperiores, a curioſis plurimis harum rerum cenſoribus, habitæ ſunt. Tincturæ autem gemmarum, aut aquas difficile & rariſſime, aut forte etiam nunquam ingrediuntur, aut ob minorem quantitatem parum fructuoſæ ſunt. Vitriolum etiam auri, argenti, ſtanni, plumbi vix in viſceribus terræ reperitur. Neque nitrum verum & purum inflammabile ſeorſim in hoc examine demonſtrari poteſt, quoniam & hoc præſertim ex terra non effoditur neque in aquis invenitur, ſed potius eſt ſal aëreum ex pingui alkalina terra aëreque liberiori ſupra terram generatum.

§. X. Hæc qua facie deprehendere ſaltem mihi licuit, his chartis conſignare volui. An hæc ingredientium proportio omni tempore ita ſeſe habeat, aut an ſecundum tempeſtatum aut aliorum accidentium, parum nobis hucusque patentium, variationes modo inter ſe augeatur & minuatur, mihi nondum certo conſtat, cum ſemel tantum, æſtate ſat temperata & ſerena menſeque Auguſto hunc celebrem locum videre & experimenta quædam, vel in tranſitu & prout occaſio & tempus conceſſerunt, inſtituere mihi licuerit: Admodum enim probabile eſt, quod hi latices a mineris, variis de cauſis, v. g. ventis forte in cavitatibus ſubterraneis &c. agitati & deflexi, quandoque ex parte aliqua declinari poſſint & quod inconſtantibus veris atque autumni tempeſtatibus, inconſtans quoque mineralium proportio accidat, nec non aquæ pluviales vel nivales in tranſitu ſimul affluant, ut in thermis Hirſchbergenſibus obſervavi, in quibus æſtatibus calidioribus & liquefactis in montibus Sudetis, nivibus, aut frequentibus imbribus mineralia, in iis alias contenta, minuuntur, quam alterationem & alii de aliis ſalutaribus fontibus, v. g. de Magneſiis Ariſtoteli jam notis aquis, veteres obſervaverunt. Sic & SEBIZIUS *de acidulis Alſatiæ* refert, *eas eſſe quandoque adeo acres, ut dyſenteriam commoveant, nonnunquam adeo effœtas, ut ſperatos effectus parum largiantur.* Pariter H. AB HEER in *Spadacr. Cap. XII. p. 108. de aqua Spadana* refert, *illi multum de viribus & præſtantia decedere aëre pluvioſo exiſtente, immo æſtate tota pluvioſa, inſipidam ferme reddi.* IOH. BAUHINUS *de aquis medicatis Lib. I. cap. III.* ſcribit, *fontem cui nomen Rappenzagel inditum eſt, niſi præcedente pluat die, ſuperficiem albam, ad inſtar floris lactis habere;* quod equidem non de omnibus dicendum eſt, cum dentur iterum cauſæ impedientes, contrarium ſtatim ex modo allegato BAUHINO *l. c. C. VI. p. 6.* occurrit, qui de acidulis Sti Petri in valle Griſbacenſi obſervavit, eas neuti-

 quam

quam turbari, limpidiſſimasque remanſiſſe ac viribus integris, licet per plures dies copioſiſſime pluiſſet.

§. XI. Indicatis fontis noſtri ſoterii ingredientibus, vires, virtutes ac efficaciam ejus, nec indocta quadam conjectura aſſequi licet. Primum ſumma levitas ſubtilitas ac puritas aquæ hujus, qua aquam ſimplicem fontanam & fluviatilem ſuperat, pluvialem vero aut deſtillatam æquat, jam bene de ea quaſi ſperare monet, ſiquidem talis aqua pota facilius citiusque per poros, vaſa ac omnes ductus, etiam exiliſſimos, qui in quamplurimis morbis obſtructi ſunt & fundamentum eorum conſtituunt, tranſit ac penetrat in intima fibrarum quæ tenſæ & conſtrictæ ſunt easdemque relaxando & emolliendo ad naturalem ſtatum reducit. Quippe hujus eximiæ qualitatis cauſa præſtantiſſima, ſpiritus ille ſumme volatilis, æthereus & elaſticus acidulus eſt, & cui primaria & hic debetur laus ac gloria, ut in plurimis, pene dixerim omnibus ſalutaribus fontibus, cum a reliquis ſæpius ingredientibus aliis fixioribus, ſi quantitatem eorum æſtimes, tanti effectus, qui exinde procedunt, vix ſperandi veniant. Quare mirandum eſt, qui factum ſit, cur veteres hunc ſpiritum in aquis non obſervaverint atque deſcripſerint. J. W. TABERNAEMONTANVS quod ſcio primus fuit, qui utilia de hoc ſpiritu demum in aquis in *Hydrograph. p. 441.* tradidit. Etenim ſpiritus iſte per ſubtiliſſimos poros, per totum corpus ejusque omnes partes diſperſos, in nervos usque ipſosque ſpiritus animales immediate forte ingreditur illosque cum toto nervoſo genere ſuaviſſime afficit ac ſtimulo quaſi blande titillat, humores reliquos, ſanguinem & lympham rarefacit, ſive ad majorem molecularum diſcontinuationem allicit, circulationem adauget, ſpirituaſcentiam juvat, ſecretoria excretoriaque organa illorumque ductus & orificia eaque etiam minima potenter expandit, aperit & ſtimulat. Uti enim elaſticitate ſua humores expandit, ita & elaterem ac tonum ſolidarum omnium partium juvat & ſolicitat, labefactatum erigit ac reſtituit & ſic roboratæ atque armatæ motus ſuos, qui in ſyſtole & diaſtole conſiſtunt, expeditius exercent. Hic ſpiritus naturale & optimum alexipharmacum conſtituit ac æmulatur artificiali, qui ex terris & lutis chymiæ ope deſtillatur, de quo plura præter ſupra laudatum *Tabernæmontanum* legere licet in I. R. CAMERARII *Memorabil. Cent. V. p. 33. ſeq. Cent. X. p. 210. ſeq. Act. Med. & Philoſ. Haffnienſ. an. 71. 72. obſ. 10.* Spirituum in aquis virtutes HELMONTIVS in *paradox. 3. Tackius in Phaſ.* aliique explicatius deſcripſerunt, ad quos curioſi in hac re remittuntur. Principium ſulphureum tenue ac volatile nervinum,

num, anodynum atque hypnoticum, discutiens, calefaciens, exsiccans, aperiens, penetrans, digerens, putrefactioni & venenis resistens, diureticum, laxans alvum, ut & diaphoreticum est. Sal stimulat carneas, nerveas, sensibilioris texturæ fibras atque membranas, purgat, laxat alvum, urinam & sudorem movet, resolvit, discutit inciditque, aperit, siccat, abstergit, secretiones & excretiones promovet & promptissime superfluos & inutiles succos ex emunctoriis secernit, exprimit & elicit, circulationem humorum expeditiorem reddit & putredini resistit, atque adeo aculeis suis, quibus donatum est, sanguinem subire cum eoque per totum corpus circumire ibique itidem difficilius progredientia impellere & movere canaliculisque adhærentia intus abradere potest. Chalybs subadstringit, roborat ejusque subtiles particulæ, per poros in fibras partium solidarum se insinuantes inibique aliquandiu hærentes, eas ad actionem illarum armant sicque totius sanguinis circuitum una cum reliquis ingredientibus promovent & augent, a balneo, incalescentia & rubore totius corporis habitus, pulsu arteriarum fortiori, aut etiam, regimine debito accedente, sudore eoque copioso, cum vasis sanguiferis turgescentibus & subsequente leni siti ac ejusmodi aliis subinde phœnomenis testantibus. Huic jam suo tempore quoque fidem fecit Th. Willisivs in *Pharmac. rat. P. II. Sect. II. C. V.* scribens: se observasse, a chalybis usu vultum faciei floridum & mensium fluxum evenisse. Hinc etiam hæ particulæ chalybis subtilissimæ aperiunt quod est obstructum alibique hærentes acidos, acres & corruptos humores imbibunt, temperant, resolvunt destruuntque. Tophaceæ partes siccant, roborant, refrigerant, absorbent acidum, acrimoniam causticam, salino sulphuream temperant. Nec est cur metuas hunc tophum interno usu adeo esse suspectum atque nocivum ex eo, quod rudimenta & incrementa calculorum generationis in corpore humano constituat & addat. Per instantiam saltem tibi dubium solvam: Nimirum dantur multi alii fontes, & calidi & frigidi, silices & tophos eosque copiosissimos deponentes, qui tamen eos, a quibus potantur, salvos atque incolumes diu & a morbis hypochondriacis, calculo, podagra &c. immunes præstant. Quo nomine in Bohemia, ne longius quæram alibi hanc probationem, ex calidis, thermæ Carolinæ sunt notissimæ. Exemplo, ex frigidis saltem sint fons petrescens prope Erfordiam atque ille in Austria reperiundus, quem Glavbervs descripsit *Tr. de Natura sal. pag. 194.* Ejusmodi aqua est, quam Borrichivs *ad Barthol. Cent. IV. Epist. 92.* adducit, quæ ex specu quodam

emicans, in lapideas ſtrias concreſcit, contra ſtranguriam tamen atque calculos accolis exploratum remedium eſt. Vitriolum conſtipat, ſiccat, abſtergit, roborat, conſolidat, digerit, reſiſtit vermibus: Et ſic de reliquis. Nec aqua vel ſimplex, ab omni ſpirituoſo principio abſtracta quaſi, conſiderata, quæ quantitate reliqua contenta plus plusque ſuperat & vehiculum reliquarum partium eſt, in aquam, ut ajunt, hac in conſideratione mittenda, ſed potius dicendum, eam etiam maximas vires medicamentoſas posſidere, operationesque ſalutares, quas fontes ſoterii præſtant, multum adjuvare: Quippe tam externe quam interne ſumma levitate, mollitie, fluxilitate, tenuitate & copia, qua reliqua ingredientia in his remediorum generibus longisſime antecellit, in curandis morbis magnum ſuum ſymbolum addit, quoniam enim non ſolum qualitatibus aliquibus, ſed & maxime quantitate, copia ac mole ſua efficax eſt, ſalia morboſa diluit & craſſos, compactos, tartareos, viſcidos humores humectat, emollit, dividit, attenuat omneque ſuperfluum excrementitium per colatoria ſua, foras educit, nec non vias ſimul, per quas illud ducendum, lubricat atque diſponit, poros omnes apertos ſervat, ſulphur expanſivum in ſuccis effrenum domat atque refrigerat, obſtructiones reſerat & ſanguini omnibusque humoribus fluxilitatem, ad vitalem circulum continuandum, impertitur, ſecretiones & excretiones ſingulas facilitat, verbo, omne ea propemodum in ſanandis humani corporis morbis punctum abſolvit. Exploratum eſt, plurimos dari fontes ſalutares, quorum beneficia, quæ hominibus conferunt, aquæ ſaltem, ſimplici, ut quidem apparet, ſed puræ, levi, tenui & ſpirituoſæ, omni principio alio minerali & metallico omnique colore, odore atque ſapore experti, debent, quare ſimplices i. e. inanes has aquas cenſere, ſimplicitatis, ingenii atque judicii eſſet, ut, multo & longo eximio etiam uſu probati, argumento ſunt ex notisſimis, ipſæ Teplicenſes in Bohemia thermæ, Favarienſes in Helvetia, Paſſyenſes aquæ in Gallia in confiniis Lutetiæ Pariſiorum, cujus examen phyſicomedicum invenies in Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum, ac in Haſſia Schlangenbadenſes & famigeratiſſimus quondam fons Hornhuſanus, de quo plura in libello ab Aulæ Caſſelanæ Medicis conſcripto, *de Natura, Viribus & Uſu aquarum medicatarum agri Caſſelliani Cap. II.* legi posſunt. His Schleuſingenſis (Wilhelms Brunn) in Comitatu Hennebergenſi, Bebranus in Thuringiæ confinio & quidam in Sylva Hercynia prope Oſterodam adſcribuntur. Hæc enim aqua in aliis atque aliis fontibus ſalutaribus purior, mollior, mitior & levior, rurſus in aliis gra-

vior

vior & durior eſt, hæ illis magis repellunt hincque non raro febres, cephalalgias, ſitim &c. facile accendunt & mala externa in interiora convertunt, e. g. Thermis Carolinis molliorem poſſident aquam Emſenſes & acidulis Pyrmontanis Spadanæ, Selteranæ, Wildungenſes &c. Hujus vis medicata eo modo & ex parte augetur, ſi aut natura in ipſo naturæ elaboratorio, uti in thermis incaleſcat, aut demum gelida arte, ut hic fit, igne coquatur, quo inteſtina agitatio fortior inſtituitur, calore, qui partes ſubtiliſat, exaltat & acuit, verſus circumferentiam agitat & ut majus ſpatium affectent cogit, ſulphur magis expanditur & attenuatur, ſalia magis ſolvuntur omniaque concreta mineralia, ſi forte quædam inſint, intimius cum ea uniuntur, & in ſe invicem miſcentur ac dein fortius & facilius quoque agitat, tranſit, penetrat, dividit, diluit, aperit, reſolvit, humores circulantes rarefacit & expandit, materia ſua aëreo-ætherea, quam ſpargit & ad majorem motum concitat, ac vivido ſuo calore & blando partes omnes humani corporis fovet ac reficit vaſorumque efficit dilatationem aqua ejusmodi medicata.

§. XII. Hæc itaque & ſpirituoſi volatiliores & ſubtiliſſimi ſicci vapores ab aqua coërciti ejusque poros ingreſſi & fixiora, quæ aquæ tanquam vehiculo inſunt, contenta, felici connubio permixta & unita, compoſitum quoddam conſtituunt, adeo a ſingulis conſtituentibus longe diverſum, ut novæ aliæ ac ſingulares virtutes exinde emergant, quas hoc vel illud per ſe non poſſidet, cum non iisdem omnibus nec qualitas nec quantitas relativa adſit & quædam junctim quæ adſunt, ab aliis numero ſuperentur, disjiciantur, alterentur, permutentur aut deſtruantur, corrigantur aut exaltentur & juventur augeanturque, quemadmodum v. g. in pulvere pyrio ſingulæ partes ad operationem, quam edit, conferunt, ſulphur nempe ad accenſionem repentinam, pulvis carbonum ſubtilium ad flammam ſuſtentandam & ad ſolvendum nitrum, nitrum vero ad fortiorem accenſi pulveris expanſionem, quarum partium componentium neutra unum eundemque effectum edit. Sic etiam cum his & aliis medicamentorum generibus eſt comparatum, qualia exempla plurima eorum ſuggerunt e. g. nitrum, quod ex alcali & ſpiritu nitri producitur: Ex mercurio & ſulphure fit cinnabaris; Ex aqua forti & argento præparatur cryſtallus amara purgans, quæ ſingula producta ab ingredientium textura, viribus atque effectibus maxime diſparia ſunt, de ejusmodi GALENUS de *Med. Facult. Lib. II.* plura loquitur ſcribens: *Sunt quædam remedia ſpecifica, quæ tota ſubſtantia, i. e. non juxta certas ſuas partes, ſed quatenus hæ partes totum quoddam conſtituunt,*

agunt

agunt & B. ETTMÜLLERVS *vid. Oper. Med. T. II. p. 1907.* eundem propemodum in modum idem affert, inquiens: *Sicut videmus in antimonio, cujus neque ſubſtantia acida neque alcalina ſeparata, ſed ambæ ſaltem combinatæ catharacticæ ſunt.* Ac ſi conjectura, haud tamen inanis, a priori valeat, aquæ hæ compoſitæ poſſident diluendi, emolliendi, relaxandi, leniendi, refrigerandi, abſorbendi, roborandi, conſolidandi, attenuandi, reſolvendi, penetrandi abſtergendique, aperiendi, foven-di, impellendi, temperandi, digerendi, repurgandi & a putredine præſervandi dotes, qui adjuvantur augenturque, ſi aqua rite ad ignem caleſit ac hoc pacto ad contentorum actuationem diſponitur. Si ad hanc a priori cognitionem, ea etiam a poſteriori ſive experientia, quæ omnium rerum magiſtra, accedit, certum aliquid demum eſt determinandum, ita, ut ex effectibus potius, quam ex mineralibus, vires hujus vel illius aquæ, tanquam ex fructibus arbores cognoſcantur. Scite hoc monet GALENVS *Lib. V. de Sanit. tuenda* & confirmat HOEFERVS *in Hercule medico T. I. p. 345.* ſcribens: *De aquarum mineralium medicatarum qualitatibus temere non eſt judicandum, ſi enim videmus, tales aquas conſtare v. g. ex alumine, ſulphure, marte, nitro &c. non ſtatim pronunciandum, ergo eas habent virtutes, quibus conſtant mineralibus.* Nec ab eo multum abludit LENTILIVS, longe harum rerum uſu peritiſſimus, vid. *M. N. C. D. II. an. 5. obſ. 201. p. 406. ſeq.* quando dicit: *Firmiter perſuaſus ſum, virtutes omnium aquarum ſoteriarum nos non niſi a poſteriori, nunquam a priori indagare poſſe & cognoſcere, ſcire nos quod agant, neſcire, quomodo & quibus ex principiis, illas ſeſe habere ad inſtar panaceæ, quin agere ejusmodi qualitatibus, quæ, hactenus ad minimum, ſunt occultæ.* Quin immo A. LIBAVIVS *de Nat. metall. p. 93.* memorat, dari aquas, ollas lapidesque corrodentes & earum vapores mentem eripientes nihilominus tamen ſalubrem medicinam præbentes: Simile tale GOEBELIVS *de aquis Wolckenſteinenſibus* recenſet. Re ita ſe habente, utroque ſcrutinio ſedulo inhæreant medici, qui tales curas cum fructu ſalutari atque optatu ſubſequente ſuadere ac dirigere debent, ut exacta jam cognitione, juxta perfectam, non ſuperficiariam hiſtoriæ morborum notitiam inſtructi ſint, qui ex collatione naturæ viriumque aquarum mineralium ægrorumque conſtitutionis ac morborum quibus detinentur, poſſint dijudicare ac enunciare, in quibus caſibus ac quo exhibendi modo conveniat uſus, in quibus vero minus.

§. XIII. Jam jamque ex univerſalibus adductis colligendum & ex multiplici experientia probatum fontis ſoterii Kukuſſenſis uſum tradam

&

& emolumenta, quæ, ſi rite debiteque adhibeatur, corpori humano in integra ſanitate ejusdem conſervanda atque in vitiis maxime illius corrigendis, poteſt afferre, indicabo. In hoc naturaliter conſtituto, omnia redeunt in circulum: Sanguinis curſu pulſant arteriæ, quem, ſepoſitis in partibus nutritiis particulis, refluum revehunt venæ; Humores, ex multiplicibus arteriarum poris in fibroſos tubulos depoſiti, in lympham abeuntes redduntur vaſis lymphaticis; Lactea lacteum chylum, in ventriculo & inteſtinis elaboratum atque perfectum, afferunt, ac ſic omnes liquores corporis animalis per partes ſolidas, juſta conſiſtentia ac elaſticitate, textura juſtoque tono gaudentes, i. e. non nimis relaxatas ac imbecilles neque nimis rigidas ac inſenſiles difficilesque ad actionem debitam, jugiter ac continuo feruntur. Spiritus animales per nervos adfluentes intimos partium receſſus pervadunt &c. Harum partium itus reditusque ſi impediatur obexque imponatur, ſiſtatur aut pervertatur, innumera exſurgunt in corpore mala: Quo propius humorum principia ad exactum æquilibrium accedunt, eo diuturnior erit machina, eoque magis ſanum humanum corpus; quo potentius vero unum elementum prævalet cœteris, eo citatior erit hominis ad interitum curſus. Craſſæ, viſcidæ, pituitoſæ, tenaces, lentæ, acerbæ, auſteræ atque tartareæ ſordes humoribus laudabilibus permixtæ, partium poros & fiſtulas obturant, obſtructiones fiunt & ſtagnationes lymphæque maxime redeunti intercipitur via, unde vario modo corpus ejusque partes gravantur & cachexia naſcitur: Si ſalſi, acidi, acres humores nervoſas, membranaceas, ſumme ſenſibiles partes pungunt & vellicant, ſenſum moleſtiſſimum neque non raro ferendos dolores hinc inde efficiunt, ſpaſmos & motus convulſivos producunt; Si colliguntur hic aut alibi corroſivi magis malignique humores, carnes depaſcuntur; Si crudeles illi tortores corporis membra contorquent, contracturæ remanent ac ſi penitus intercluſis viis etiam ſpiritus animales arceantur, motus impotentia, paralyſes &c. relinquuntur, e. ſ. p. His atque aliis morbificis cauſis exindeque dependentibus morbis, fons Kukuſſenſis egregia eſt medicina, tam curando, quam præſervando.

§. XIV. Hæc vero therapiæ puncta evacuatoria laudabiliter & manifeſte explet, fons præſens vario modo adhibitus. Nimirum & præſertim interne operationes ſuas, quæ cuivis modo in oculos incurrunt, præcipue & ordinario quidem per tranſpirationem, per poros cutis & quandoque per ſalivationem, nec non vomitum, ſine omni humorum perturbatione ac virium deperditione & externe per ſudorem ut & lo-

tii proritationem exerit, plurimos eorum effectus, ſpeciatim diureſin nominatam, per notabile temporis ſpatium, in ſeram usque noctem, immo non raro ad alterum diem mane, aqua pota ſæpius extendit. Juxta hæc ſumma evacuationis genera, non minus alterum curationis ſcopum, quem alteratorium vocant, egregie etiam fons noſter utroque adhibito modo explet; ſiquidem illas in antecedenti §. XII. deſcriptas facultates, a priori poſteriorique perſpectas, poſſidet. Nec balneum derivatorio revulſorioque; uſu deſtituitur, quando enim corpus ad ſcapulas vel ad collum mentumque; immergitur, materia forte peccans in parte ſuperiori, capite &c. hærens & humores circulantes, emollitis, relaxatis ac bene præparatis inferioribus partibus & viis, deorſum magis tendunt & onus, quo illi premuntur, alleviatur & amovetur ac circulatio per omnes partes inſtauratur. Hunc balnei finem præſertim Galli hodie ſpectant ac laudant & in plurimis capitis morbis, in §. ſeq. nominandis, commendant, cujus veſtigia jam apud veteres exſtant, de quibus legantur A. TRALLIANVS *Lib. I. p. 107.* ARETAEVS *Lib. VII. p. 134.* COEL. AVREL. *Lib. I. morb. chron. p. 335.* PROSP. ALPIN. *M. Aegypt. p. 115.* Immo curioſum atque notabile plurimisque aliis thermis & fontibus ſalutaribus, intus extusque uſurpatis quoque commune eſt, quod ferme omnibus temperamentis, calidis, ſiccis, humidis conveniant: Nam poros aperiendo & tranſpirationem liberiorem adjuvando ſicque evaporando & ventilando ſulphureas partes, calores ſuſcitantes nimium, ejiciunt adeoque præcalida temperamenta temperant, humidis plus juſto, calore, qui in humores ſemper agit reſolvendo & abigendo, ſuccurrunt, frigida nimis, calore fovent, ſicca vero humectant & emolliunt aquæ copia & mora. Ideo etiam contrariis affectibus per eorum uſum proſpicere utiliſſime ac ſecure quandoque poſſumus, excretiones nimirum quasdam imminutas atque deficientes promoveri & reſtitui, nimias vero ſiſti experimur. GALENVS hoc teſtatur, qui in *lib. de maraſmo* dicit: *Hoc habent mirabile balnea, quod caliditates & frigiditates & ſiccitates juvent: quemadmodum & hoc, quod non ſitientibus ſitim accendant eandemque ſitientibus tollant.* Et in *3. Lib. de offic. Med.* *Fere mortuos*, inquiens, *illuc profectos calefaciunt balnea, etiamſi valde frigefacti fuerint, exuſtos vero atque incenſos non lædunt.* Et quamvis balneum externum remedii genus ſit adeoque externe ſaltem, operari videatur, longius tamen ejusdem operatio certiſſime extenditur atque internis etiam medetur malis emolliendi relaxandique virtute & penetrantia ſua mole, denſitate ac pondere, undique nitente indeque compreſ-

preſſione cutis, muſculorum, vaſorum reliquorumque organorum impulſuque in humores per glandulas & poros excretorios, cum circulationis ſanguinis promotione atque augmento, longe etiam a balnei tempore durante hincque viſcidarum particularum diſſolutione meatuum, etiam exiliorum, apertione, obſtructionum reſeratione relaxationeque totius corporis habitus, quo ſimul humores apti redduntur, ut per ſecretoria & excretoria vaſcula & inſtrumenta eo melius faciliusque trajici poſſint. Hinc & per plures horas habitus corporis valde inturgeſcit, facies florido colore tingitur, calore quaſi ſcintillante ſuffunditur, immo, ſi paulo calidius fuerit aut longius protractum balneum, phlogoſes adſcendunt atque ſudor copioſus, ſi præcipue in lecto requieſcant & bono quidem indicio, boni effectus profluit. Ad relaxatum enim corporis habitum & ad meatus tenuiores apertos & pervios ſanguinis ad ambitum corporis, liberius inſtituitur circulatio & ſuperfluarum excluſio. Aeque ac pondere aquarum preſſum eundem, muſculi ſuam priſtinam habitudinem recipiunt atque ad motum perficiendum magis diſpoſiti redduntur. Ut pluribus jam non attingam experimentisque comprobem, aquam vi ſua medicata, per ipſos cutis poros laxatos, ad intimiores totius compagis receſſus pertranſire, tepentem & præſertim vigente calore adhuc attenuatam, magis mobilem & penetrantem redditam, ſine perſpirationis, quam multi ſine cauſa ſatis prægnante metuunt, imminutione, cum halitus etiam per aquæ poros facile tranſire queant, quam rem multi effectus ex balneis provenientibus teſtatam faciunt. Nimirum a balneo ſubinde eosdem propemodum deprehendimus effectus in partibus interioribus, v. g. violentæ conſtrictionis, membranoſarum maxime partium internarum, relaxationem, dolorum ſedationem, calculi veſicæ & renum &c. ſeceſſionem, congeſtionum gravantium, allevamentum, infrigidationis ſenſus ablationem &c. ac quidem in exterioribus membris. Inſuper & conferri poſſunt præ aliis SANCTORIUS *in Sect. II. de Aëre & aquis*, & D. BELLINI *de Sangu. miſſ. p. 146. ſeq.* Præter hanc balnei operationem, corpus immediate magis afficientem, adhuc quædam alia emergit, quæ a vaporibus humidis, aqua medicata ac calefacta exhalantibus, procedit, qui totum balnearium replent, caput feriunt ipſumque in os & nares ſe inſinuant.

§. XV. Multiplici autem modo aqua noſtra ſalutaris, ut pluribus aliis fontibus ſalutaribus ſolenne eſt, adhibetur, balneo autem primario ac potu & juxta hos primarios maxime modos, aliis quoque; balnei particularis externi ſpeciebus. In his ſubjectis, in his affectibus externus uſus, in

aliis internus magis in quam plurimis uterque expetitur. Frequentius hodie balneum frequentatur, quod etiam commodiſſimum, ut ex deſcriptione jam dum ſuperius data, non ignotum eſt, ut nunquam alibi facile commodius inveniatur. Quare & primum de illo agamus atque ejusdem efficaciam & medium adhibendi luſtremus. Quemadmodum balnea in genere, uti Medici communi aſſenſione profitentur, ita & hoc, præſertim in morbis ab acido viſcido, ab obſtructionibus iisque inveteratis & pertinacibus, a ſpaſmis atque ſtricturis, congeſtionibus & ſtagnationibus humorum, lymphæ maxime, oriundis & ubi tam externa quam interna corporis frigent, & ubi ab impuris etiam ſubtilibus acribus immo virulentis ſordibus humores ſunt inquinati, utiliſſimum ac efficaciſſimum eſt remedii genus, ſiquidem experientia multiplici eſt comprobatum atque experientiſſimi Medici & Practici Bohemici æque ac Sileſiaci teſtantur, ac variis a ſe curatorum hiſtoriis adducunt atque deſcribunt. Nimirum primo eos effectus hic ſeorſim tranſcribere haud inutile erit, in quibus maxime comprobatum balneum calidum fuit, quorum prima ſeries ſit eorum, qui tota occupant corpora, quibus per balneum curatione proſpicitur, qualesque ſunt febres intermittentes, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quarum tempora a paroxyſmis vacua hæc quoque medicationum genera admittunt. Nondum apud omnes in confeſſo eſt, an etiam ejusmodi balnea tepida aliis febribus, ut continuis &c. quadrent: Si aliquid hic decernere foret, putarem, balneum in ejusmodi neque periculoſum neque inutile eſſe, quoniam corrupti humores, qui cauſæ febrium ſunt, per relaxatos cutis poros & per diaphoreſin auctam, præſertim ſi ante inſeſſum debita febribus hujusmodi quædam medicamenta propinentur, commodiſſime expurgantur. Ut conſtat ex *Hippocrate*, *Celſo*, *Galeno*, *Alexandro Tralliano*, quod veteres balnea tepida non ſolum in intermittentibus, ſed & aliis, continuis atque adeo in putridis felici cum ſucceſſu adhibuerint. Legimus idem apud PROSP. ALPINVM *de Med. Aegypt.* Amicus quidam & non ignobilis in medicina Practicus Sileſius, mihi per litteras ſignificavit, quod ipſe hujus balnei ope a febre purpurata contumaciſſima feliciter fuerit liberatus. Ad hoc notabile eſt, quod refert GALENVS *Lib. V. de ſanitate.* de Primigene, Philoſopho, qui, qua die ſe non lavaſſet, febricitabat. Poſt febres hoc nomine nobis pateſcunt ſcorbutica humorum impuritas, tam calida quam ſicca ſic dicta, atrophia, cachexia, reſolutiones nervorum eorumque diſtenſiones ſive ſpaſmi rigoresque atque adeo partium convulſiones. Secunda ſeries complectitur capitis ejusque

que partium quosdam morbos, quos ſympathicos vocant, debilitates atque dolores, hemicraniam præſertim ejusmodi, quæ inferiorum partium vitio, fieri ſolent. Huc quadrat HIPPOCRATIS *aph. 22. Sect. V. calida aqua cutem emollit, attenuat, dolores eximit, rigores, convulſiones, diſtenſiones mitigat, capitisque gravitatem ſolvit.* Idem dicere poſſum de epilepſia extra quidem paroxyſmum v. g. a menſibus obſtructis oborta, quod medicationis genus in hoc caſu expertiſſimum jam habuit ALEX. TRALLIANVS vid. *Lib. I. p. 75.* Porro memoriam debilitatam nominare hic licet, quam divertendo præcipue juvare poteſt, & triſtitiam, melancholiam, ſi ex vitio hypochondriorum & ſpaſmis in ventre ſit & forſan alia ejusmodi quædam mala, in quibus mens errat, maniam, cupidineos affectus varios depravatos, furorem, qui a morſu rabioſi canis infertur, commode enim ſubtile virus ad corporis peripheriam adducitur atque educitur, ideo hos ægros CELSVS vid. *Lib. V. C. XXVII.* in aquam calidam demittere juſſit. Amplius paſſionem hyſtericam, incubum, vertiginem, oculorum vitia, inter quæ præſertim lippitudo, ophthalmia, immo ipſa cœcitas, quarum etiam contumaciſſimæ balneando abiguntur. Quo ſpectat HIPPOCRATIS *aph. 31. Sect. VI. oculorum dolores vinum & balneum ſolvit.* Sequuntur catarrhi, aurium dolores & effluxiones, parotis, auditus difficilis, odontalgiæ. Præſervatione magis inſervit & longe ante ipſos paroxyſmos, nedum imminentibus iis, (alias major noxa inducitur) affectibus ſoporoſis, lethargo, caro, catalepſi, comati, morbo comitiali & attonito. In tertia numeraſſe faucium tonſillarumque tumores ac columellæ laxationem variasve alias ex glandulis obſtructis conſtipationes, ſufficiat. Quo in loco ſeorſim nullus dubito affirmare, quin in anginæ decremento eoque in ſuppurationem tendente, tuto balneum adhiberi queat. Quarta de pectoris, pulmonum cordisque morbis loquitur, ad quorum equidem non tam curationem, quam præſervationem, præmiſſis præmittendis, temperando, reſolvendo educendoque facere quandoque poteſt balneum. Plurima inferioris ventris vitia & quæ hic quintam conſtituunt claſſem, ſunt, quibus hoc modo medetur, ut ventriculi imbecillitatibus, in quibus frigiditatem ſubeſſe vulgo dicitur, ciborum faſtidio ut & appetitui penitus proſtrato, de quo varias habeo easque ſingulares obſervationes aliisque multis ejusdem vitiis, nauſeæ, vomitui, ſingultui, colicæ & quidem convulſivæ, obſtructionibus & tumoribus viſcerum, hepatis, veſiculæ felleæ, lienis, meſenterii, inſequentibus inflammationibus, immo ipſis illorum ſcirrheſcentiis incipientibus, hydropi, anaſarcæ, præſertim

inflammationibus ventris: Sigillatim dicendum eſt, hypochondriacum, graviſſimum illud noſtraque ætate familiariſſimum hominibus, ſpeciatim vitam ſedentariam & ſpeculativam agentibus, malum, præſtantiſſimum in noſtro fonte invenire levamen, ideo in Sileſia, quod ſcio, admodum famigeratiſſimus eſt & adhuc non paucos ea alit alumnos, ex uſu hujus fontis ab hoc moleſtiſſimo & variis iisque graviſſimis ſymptomatibus, per longum tempus & ſine intermiſſione affligente, medicosque mirum in modum fatigante ac omnia medicinæ genera eludente malo, feliciter liberatos; nec nullus dubito Bohemiam non minorem eorum numerum numerare. Perinde eximie valet in alvi obſtructione pertinaci, iliaca paſſione, vermibus, teneſmo & peritonæi doloribus, hæmorrhoidum obſtructione & ex hac dependentibus pathematibus, fiſtulis ani recentibus, difficultate & ſuppreſſione urinæ, menſium impedito & dolorifico negotio, obſtructione pertinaciſſima aliisque uteri vitiis, fluore muliebri &c. Dolores a calculis tam renum, quam veſicæ ut & alias cavitates, ut folliculum fellis &c. occupantibus, potenter lenit, ſpaſmos exinde perductos ſedat & calculorum eductionem facilitat. Præſertim ſterilitati mulierum hunc fontem unice quaſi dicatum eſſe videtur, adeo ut nullus dubitem affirmare, quod is alteri Bohemiæ fonti, Landeccenſi, haud ſecundus hac eximia dote cenſendus, ſi non anteferendus ſit, cujus tamen ideo magna laudatio atque commendatio eſt. Nec a vero multum aberraverim, ſi confidentius affirmem, noſtras nymphas Sinueſſanis in Campania & nitroſis in agro Volaterano aut Theſpiarum fontis in Bœotia & Elati fluminis aut ipſius Nili aquis ſimilibusque aliis, ob fœcunditatis, quam conciliant, quondam, laudem celebratiſſimis, quarum plures Plinio innotuerunt, merito æquiparandas eſſe. Permulta certe proſtant exempla fœminarum, per X. XII. XIV. annos in ſterili matrimonio vixiſſe & per hujus fontis uſum voti ſui compotes factas fuiſſe, ut mihi nota quædam eſt Sileſiaca, quæ poſt X. annorum decurſum demum per hoc auxilii genus, Deo benedicente, gravida facta. Si balneo potus aquæ hic jungitur, ſpes eo certior redit. Operationis ratio comparet, quæ quidem ex parte in roborando, maxime vero ſæpius in relaxando ſtrictiores atque arctiores factas, geſtationi deſtinatas partes & repurgando eas ab inhærentibus fœculentiis conſiſtit: *Quæ enim frigidos & denſos habent uteros non concipiunt, neque quæ prætumidos habent, ſiquidem in iis ſemen extinguitur.* HIPPOCRAT. *S. V. aph.* 62. inquit. Nec dubium eſt, quin & impotentiam virilem, partibus omnibus genitalibus juſtum tonum, amplificationem, permeabilitatem

&

& aperturam conciliando, ut ſpermatis juſta quoque elaboratio, depoſitio & tandem ejaculatio inſtitui poſſit, corrigere valeat, quemadmodum conſtat, alios huc facientes defectus, eum emendare: v. g. genituræ involuntariam in viris genituram, compeſcere. Porro in arthritide vaga pariter ac fixa aliisque ejusmodi articulorum vitiis utiliſſimum deprehenſum eſt. In laſſitudine artuum & eorundem atonia, malo iſchiadico, rheumatiſmo, a frigore aëris læſionibus, atrophia, contabeſcentia, contracturis, rigiditatibus atque in iis vitiis quibus cutis expoſita eſt, nimirum in ictero, ſcabie fœta & inveterata, impetigine, pſora, vitiligine, in ſimilibus aliis ejusmodi ſpeciebus, laudatiſſime ſe gerit. Similiter leucophlegmatiam atque omnes fœdos ac luridos virginum colores aufert. Pari modo vulnera & exulcerationes abſtergit, repurgat ac conſolidat, abſceſſus, tumores & apoſtemata, non modo externa, ſed & interna, hic inde etiam e. g. in renibus & veſica collecta, maturat, emollit, aperit & per proximas, expeditiores naturæ vias, educit ſanguinem congrumatum in interioribus reſolvit, læſionesque alias ſanat, in fracturis calli generationem promovet & membra ab iis, ut & dislocatione debilitata firmat, in ulceribus crurum antiquis, immo cancroſis atque malignis, balneum conducit apprime. In his præſertim humani corporis morbis uſu, jam fons noſter multiplici, probatus eſt, de quibus curationibus hiſtoriæ & exempla notabilia & ampla quis legere poteſt, in *Clariſſ.* D. D. C. V. KIRCHMEYERI *de Reichwitz, & D. D. C. J. Langii libellis quos de virtutibus hujus fontis* concinne conſcripſerunt. Præter hos recenſitos morbos, quorum jam nymphæ Kukuſſenſes celebrantur victrices, ſuperſunt forſan adhuc alia nondum nominata mala, quæ abigere poſſent, ſi periculum quis facere vellet, ſperandumque eſt, fore, ut ejus uſus in annos amplietur, qui ſeris venit ab annis, communem enim etiam hoc remedii genus cum aliis fatum experitur, ut caſu & fato inventum, ſola ut plurimum experientia, immo erroribus ſit ampliatum.

§. XVI. Quemadmodum morbos ſic balneum curat, ita & a longis, gravibus & pertinacibus morbis, v. g. phthiſi, febre tertiana & quartana, gonorrhœa vera, dyſenteria, enormi hæmorrhagia, ut & febribus malignis, utpote qui morbi, licet curati longas tamen moleſtias & languores relinquunt, exantlatos, debilitatos & adhuc infirmos, in convaleſcentiæ ſtatu conſtitutos, ut & e puerperio egreſſas fœminas optime juvat & efficit, ut priſtinæ vires citius reſtituantur, citius appetitus dejectus redeat, digeſtio ciborum facilius inſtituatur, nutritio melius ſuccedat, recidiva & alia accidentia familiaria, ut tumores pedum œdematoſi, cum

aliis

aliis multis morbis, quibus convalescentes a morbis obnoxii sunt, præcaveantur sicque restitutio in integrum adornetur. Nimirum tunc relicti lentores sunt attenuandi, calor naturalis animalis suscitandus, sanguificatio & boni novi sanguinis elaboratio, influxus, & spirituum animalium nova generatio & atonia, partibus solidis inducta, emendanda ac partes roborandæ, quæ beneficia omnia, balneum certissime promittit. Si & recte valentibus quandoque semel, bis ac ter, in septimana tepidum, vel etiam saltem frigidum balneum ingredi volupe sit, non a scopo aberrabunt, sed evexiam corporis conciliabunt, & sanitatem diu conservabunt atque longævitatem comparabunt sibi; Exempli loco saltem sistam ex GALENI *Lib. V. de sanit. tuend.* Telephum, Grammaticum, qui ultra centum annos, sensibus illæsis, membris validis & inculpata omnino sanitate, per frequentes balneationes vixit. Balnea enim quævis temperata, lenientia, lubricantia, emollientia vel ex simplici aqua parata, inter optima, sanitatem ac vitam prorogantia media & remedia merito repono, quoniam non modo nativus calor fovetur, conservatur atque firmatur, sed & per ea fibrarum & membranarum nimia ariditas & exsiccatio, soliditas & durities atque canalium omnium angustia, quæ cum crescentibus annis consistenteque ætate atque appropinquante senio, sensim sensimque inducuntur & humorum circulationi, secretionibus atque influxui laudabilium liquidorum, ad motum & nutritionem necessariorum, in quibus vitæ & sanitatis punctum ponitur omne, remoram injiciunt, ex quo, ut in confecto senio accidit, itus reditusque humorum lentior difficiliorque redditur, vires subinde absumuntur, morsque naturalis, ultima linea rerum, presso quasi pede insequitur, avertuntur; balnea vero modica, emollitione & lubricatione, quam partibus solidis earumque elateri præstant, eas in justa mollitie & flexilitate & laxitate, justa soliditate, capacitate justoque tono ac impulsu diutius omnium conservant, ut juvamento sint circulantibus fluidis, simulque efficiunt, ut ea rursus moderato debitoque impetu, velocitate, tenuitate naturali protracta omnique præternaturali acrimonia & crassitie exuta, & morbosæ ariditates, tensiones & crispaturæ in solidis præcaveantur. Cujus rei non ignari primi medicinæ parentes nihil magis in morborum curatione pariter ac præservatione quam balnea, fotus, lotiones, unctiones & frictiones & omnis generis exercitationes proponebant. Nec aliud sentiit ac scripsit BEGANUS, Gallus, in libello *Anno MCDXVI edito de arte bis juvenescendi:* nam juxta juvenum consuetudinem quotidiana balnea tepida, cum lenibus frictionibus & inunctionibus

nibus

nibus nervinis circa articulos pro tali ſcopo præſertim commendavit, ut nimirum articuli roborentur, muſculi flexiles redderentur, cutis emolliatur, pori ejus aperiantur & perſpiratio intendatur. Nec inutiliter gravidæ circa ultimos menſes balneum hoc tepidum moderate aliquot per ſeptimanas vicibus ingrediuntur, quo fœtum roborabunt atque præparando, emolliendo & lubricando vias, partui deſtinatas, facilem & felicem enixum futurum ſibi promittere poterunt.

§. XVII. Balneum hocce haud abſimili modo ac alia ejusmodi adhibetur. Quemadmodum autem ea, paſſim uſu aliquo commendabilium rerum, eſt conditio, præſertim quæ qualitate eximia præpollent, quovis modo etiam adhibeantur, ſi non legitima accedat adminiſtratio certusque utendi modus, aut ſine ſperata utilitate uſurpentur, aut noxam inferant; rurſus autem ſi ordo, modus, tempus & præparatio rite obſerventur, optatum ſucceſſum certius polliceantur: Ita & noſtræ aquæ ſoteriæ (ut ſingula alia remedia) ex eorum cenſu plane eximendæ non ſunt. Nimirum quod balneum quidem hic concernit calefactum & convenientiſſime præparatum, corpus ad collum uſque & mentum poteſt immergi & ſubinde addita aqua calida calor augeri & ſemper ita pro lubitu frigida calidaque ex epiſtomio emiſſa temperari, ut cuivis conveniens ſit, quæ temperatio & ad frigidum potius, quam calidum inclinans, a juvenibus præcipue & plethoricis circumſpecte obſervari debet, ne febris forte accendatur, animi deliquium, dolores capitis, immo funeſta in cerebro pathemata, apoplexia, affectus ſoporoſi, propter magnam ibi vaſorum copiam minoremque reſiſtentiam, aut alia quædam incommoda, ſitis, ſpirandi difficultas, vigiliæ, hæmorrhagiæ, catarrhi, rheumatiſmi & ſudores præternaturales &c. inducantur. Atque ita hunc modum ſervent balneantes, ut primis diebus per ſemihoram inibi ſaltem commorentur, ſequentibus ad horam integram & ultra, donec demum ad duas uſque aſcendant. Pariter primis diebus una tantum vice, matutinis aut veſpertinis horis & levato prius naturæ onere, ſequentibus duabus vicibus, mane nimirum ac veſperi balneum repetant, ſi indoles morbi aut pertinacia ejus id exigat, ſecundum enim illud duro durus etiam hic quærendus cuneus eſt hicque illum trudat. Hæc ſi præſtiterit ratio & ſi hæc temperatio hicque levis tepor bene obſervetur, omnis ætatis, ſexus, conditionis aut conſtitutionis hominibus ſine metuenda noxa quadrabit. Attendendum nihilominus tamen eſt, an æger alias ſanus aſuetus balneis fuerit, & an bene illud ferre poſſit? quæ conditionis moram in balneo aut breviorem aut longiorem determi-

 nant.

nant. Non ſtatim a meridie & prandio balneum ingrediantur, ſed digeſtione fere abſoluta, tertia aut quarta a paſtu hora. Conſultum tamen, immo neceſſarium eſt, ne forte inter alia incommoda, ſecundum GALENI effatum *V. de ſanit. & III. de rat. vict.* membris affectis fluxio concitetur, ut ante ineundam curam, corpus prius bene, præcipue in cacochymicis præparetur, alvum per conſueta medicamenta laxando & purgando, iteratis etiam vicibus, per leniora ſaltem, ut aloëtica, rhabarbarina, ſalia detergentia, ſal Epſonienſe, vel quam ipſa Bojemica terra offert, aquam amaricantem Sedlicenſem ejusque ſal evaporatione obtentum, ut & illud quod ex thermis Carolinis ac acidulis Egranis paratur. Pariter veſica exoneretur urinaria per diuretica ſalina uſualia, e. g. liq. terræ fol. tartari ſalia alia nitroſa & lixivioſa, ſal ononidis, abſinth. ſtip. fabarum &c. & per tinct. tartari acrem &c. & ſi præſertim ſtatus plethoricus adſit, vena ſecetur, ne forte balneum calidum humores expandendo vaſaque nimis dilatando, eorum ruptionem aut ad minimum anxietates præcordiales, anhelitum moleſtiſſimum, phlogoſes &c. inferat. Balneum ſenſibili modo alvi laxationem & diureſin promovet, nam ſi per aliquod tempus, ad horam v. g. ſaltem inſederint, protinus ad veſicam levandam & brevi poſt balneum tempore ad alvum deponendam, ut plurimum ſolicitantur. Qui nimiam balneando corporis incaleſcentiam metuunt, aut qui diureſin alvique laxationem adjuvare velint, ante balnei hujus uſum, cyathum unum aut alterum aquæ ipſius fontis frigidæ hauriat, quod haud abſonum eſſe, etiam de thermis Hirſchbergenſibus obſervavi. Non nimis diu balneo calido inſideant, ne virium debilitas contingat. Balneo egreſſi ſummo ſtudio ab aëre ambiente frigidiuſculo ſe muniant, induendo ſtatim induſia calida & veſtes, ne pori, mox ab eo, claudantur incommodaque multa inducantur. In cubiculum ſuum regreſſi, commodius per horam quieti ſe dent, aut etiam levi cubatu dormiant ſimulque tranſpirationem & lenem ſudorem exſpectent, qui ordinario tunc largius ſuccedit, quam in ipſo balneo; nam circumfuſæ corpori in balneo aquæ gravitate vapores per ſpiracula cutis exituri quodammodo reprimuntur; hac autem remota in lecto expanſis magis tubulis per univerſum corpus jugiter magisque ſudor prorumpit, quem juſculum calidum aut decoctum conveniens aſſumtum, utiliter adhuc juvabit. Hoc tamen commune plethoricis incommodum eſt, quo caput offenditur & temulenti torpidique redduntur, ſi ſive balneis artificialibus, ſive naturalibus, uſi fuerint, ſive etiam pranſi modo ſint, ſi dormiant etiam in ſella ſaltem ſedentes. Quiete hac

fruiti

fruiti per ſemihoram aut horam integram placide corpus ambulatione, equitatione vel curruvectione movere poſſunt. Executa dein exſpatiatione, prandium aut cœna ſequantur. Inſuper quoque ſalutare Galeni monitum hic legatur, quod iis quovis balneo obſervandum indicavit: ne præſertim ullum viſcus imbecillum ſit, & ne multitudo crudorum humorum in primis viis adſit.

§. XVIII. Balneum hujus fontis calidum tantum huc uſque in uſum venit, qui cum frigido periculum quoque vellet facere, ſine dubio in plurimis indicatis etiam ſuperius affectibus opem haud contemnendam exinde ſentiret. Si enim balneum aquæ frigidæ ſimplicis, hybernis etiam algoribus, adeo efficax, tam refrigerando quam vapores calidos, ne exhalent impediendo adeoque & calefaciendo & roborando fibras motrices eorumque tonum firmando reſtituendoque & easdem ad contractionem firmando, ut fortius impellant humores, & impelli dein fortius ab humoribus rurſus ſicque humorum curſum perennare, velocitatem eorum augere atque accelerare ſimulque inibi hærentia dimovere queat, ut multi veterum, qui adeo imbecilla corpora balneis calidis calefaciebant, ut ad frigida ea præpararent, aſſerunt ac multis literarum monumentis hodie Angli, inter quos eminent *Joh. Floyerus & Fullerus* & Galli imprimis perhibent, conſignant & multiplici laudis encomio deprædicant, certe naturalia ſic medicata & etiam noſtrum, ob ingredientia, quæ ſecum vehit, longe eſſent præferenda. Quippe contenta mineralia, nempe ſpiritus mineralis, ſal & ſulphur conjuncta ac energia quadam notabili prædita principia, potentius longe penetrant, diſcutiunt, digerunt, partes martiales virtutem roborantem & contrahentem adjuvant, aliæ aliam operationem ſuam ſimul exerunt. Equidem mirandum hinc eſt, cur apud nos hodie balnea negligantur, cum olim ſemper prævaluerit eorum uſus atque adeo Carmis, Maſſilienſis, Medicus, regnante Nerone, Imp. R. damnatis prorſus calidis, ægros merſit in flumina & lacus. Tuncque vidit PLINIVS vid. *Hiſt. Nat. Lib. XXIX. Cap. I. Senes Conſulares in oſtentationem usque frigida rigentes.* Conf. DION. CASSIVS *Lib. XIII.* GALENVS *Lib. III. c. VI. de tuend. ſanit.*

§. XIX. Qui aquæ noſtræ ſoteriæ quoque potum, ad quem viſus ipſius grata cryſtallina limpiditas invitat ac movet ultro ſalivam, appetunt atque pro certiori in longis ac magnis morbis effectu & ſucceſſu expetunt, potus enim & balneum omnium aquarum ſalutarium, ſi invicem interponuntur, longe efficacius ambo operantur & in commune quaſi bonum ægrotantium junctis viribus laborant, uno altero auxiliatri-

 ces

ces velut manus porrigente, & si præcipue integram curam sibi propositam habent, bene præparati æque ac ad balneum accedant, i. e. detracta vasorum plenitudine, ne difficulter per debita emunctoria, ob difficilem jamdum humorum, statu plethorico, circuitum secedant, multasque molestias patrent, atque liberatis, ab abundantia succorum minus laudabilium primis, per laxantia aut lenia vomitoria, viis, ne hæc copia capiendæ moli aquarum obstet, ad hæc impuritas vim earum & operationem frustraneam ac difficilem per corpus transitum reddat, per curæ tempus subinde inflationes hypochondriorum & tormina similiaque symptomata excitentur atque una cum iis in vasa & ad humorum massam usque abripiatur, atque sic intempestive multis casibus verendis materia subministretur, consulto jejuno aut vacuo ventriculo, quo celerius & efficacius operantur, ad ipsam scaturiginem se conferant, & hauriant modo ex ipso fonte aquam, spiritu illo minerali adhuc turgidam, quo dulcius & utilius semper bibitur omnis, cyathos aut vitra aliquot atque exiguis haustibus per intervalla ebibant & una alterave vice ad fontem redeatur reitereturque haustus, ut exiguam aquæ quantitatem viscerum calor facile superet & per vasa bene ea distribuatur. Si minus ad fontem accedere, aut ante haustus ambulare liceat, in lecto, a calore ejus laxiori corporis habitu reddito, sic poris magis apertis atque meabilibus, fontis aquam recens haustam, ac in vase bene tecto apportatam bibere, quoque e re erit. Nec dubito quin eadem sic efficacia his nostris aquis erit ac Borbonniensibus in Gallia & Bathoniensibus in Anglia, de quibus MAYERNIVS *Op. Med. p. m. 344.* & GVIDOTTVS *de thermis Britan. p. 251.* observaverunt, eas longe citius & facilius per alvum atque vesicam, a decumbentibus in lecto, quam deambulantibus reddi. Certam autem & hic bibendi quantitatem, quæ pro cujusvis constitutione aut habitudine, ventriculi & intestinorum vigore, pulsu cordis & arteriarum, copia & consistentia atque fluore humorum, amplitudine & libertate pororum & meatuum aut tolerantia, aut affectuum indole variat, determinare otiosum est. Si autem singulis diebus ter quaterve modo al us purgatur & urina copiose satis redditur, spes enascitur, fore, ut per duas aut tres septimanas, continuato usu, peccantes humores intus indolentes sensim foras proscribantur ægrotansque levetur. Minori quantitate, duobus, tribus aut quatuor vitris incipiant & indies ad majorem quantitatem aut vitrorum numerum adscendant, atque primis diebus semel, in iis sequentibus bis, mane vesperique quatuor aut quinque ante prandium aut cœnam horis, haustus repetant. Qui

potum

potum in initio forte non ferre possunt, non jejuni penitus eum assumant. Consultum idem est, qui potum balneo jungere volunt, pro cura integra instituenda, ut duabus, tribus aut quatuor horis ante ingressum balnei bibant, & dein per semihoram aut integram aut etiam diutius corpus exspatiando & ambulando aut equitatione & curruvectione moveant; Etenim balneo potus junctus hic optime nullo subsecuturi incommodi metu convenit: Qui vero non compendium temporis spectare debet, consultius quoque esset, si integram per potum prius curam absolveret, quo absoluto balneum demum frequentaret, haud aliter atque plures, thermas Carolinas per aliquot hebdomadas potasse, deinde vel balnea Carolina vel Teplicensia demum adiisse, observamus. Ex antecedentibus etiam colligere est, ob rationem jam semel ibi indicatam haud quandoque absonum esse, si ante ipsum ingressum balnei cyathus unus aut alter frigidæ aquæ fontis exhauriatur; Hic jam seorsim adhuc indicandum est, hunc potum hocque tempore adhibitum aptum & utilem esse, quoniam acres humores simul & facilius temperantur faciliusque diuresis promovetur, alvus laxatur, quod in cruditatibus & fœculentiis nidorosis acidis ac pituitosis, in primis viis ac ipsa sanguinis massa hærentibus, temperandis educendisque, in calculo renum atque vesicæ, in dysuria & ardore urinæ, vesicæ & sphincteris eluendo mucum, temperando & tollendo, alvi obstructione, item viscerum, in scorbuto, cujus salia microcosmica quotidie educantur, necessarium est. In thermis Carolinis, acidularum Egranarum cyathum unum aut alterum, ante ipsum balnei ingressum haustum, optime cum balneo convenisse, æstum præternaturalem, phlogoses, ex calore forte nimio thermarum obvenientes, temperasse & præcavisse, alvum semper lubricam servasse & urinæ redditionem auxisse, quod & in thermis Hirschbergensibus, ab haustu fontanæ saltem frigidæ, observatum esse supra modo est indicatum. Nec absonum est, immo in quibusdam casibus necessarium ac utile, prius aquam, lagena firmiter clausa ac obturata, vel super fornacem posita, vel ea in aquam calidam paululum immissa, tepefactam, ne multum spirituosæ substantiæ ipsi decedat, bibere. Cum enim aqua frigida, ut scaturit, sufficiente quantitate, ore hausta, par sit, obstructas vias ac poros perrumpendo ac referando, potentia hæc ejus adhuc auctior reddetur, si modice calefit, aut potius tantum tepescit, bene sic clauso obturatoque vase, quoad hoc, quod mineralia, quæ secum vehunt, ingredientia quædam, fixiora præsertim, in motum magis actumque vertantur, qui motus etiam con-

ſequenter humoribus impertitur & fibris motricibus adactus majorem adhuc motum imprimere majoremque efficaciam conciliare poteſt, ut etiam calida magis alvum laxat & diaphoreſin uberrimam excitat, quam frigida pota, quæ e contrario diureſin magis procurat. Frigidam enim aquam ſexus fœmineus imprimis, quoniam facile ob nativam ac reſpectivam ejus præ virili, teneritudinem, meatuum anguſtiam, ac debile magis ſyſtema nervoſum, paſſioni hyſtericæ & ſimilibus ſpaſmodicis malis obnoxius eſt, ut ex virili ea ſubjecta, quæ præſertim cruditates pituitoſas in primis viis alunt tumenteque corporis habitu conſpicua ſunt & ventriculo debiliori & ſolutiori prædita, aut quoad teneritudinem, debilitatem & ſenſibilitatem ad ſequiorem proxime accedunt, ut & infirmiora ſenioque confecta, non commode ferre poſſunt. Quam aquæ frigiditatem in cauſa eſſe ſuſpicor, quod acidulæ, non circumſpecte ſatis potæ, ſæpe plus damni afferant, quam thermæ, ut frequens obſervatio docet. Pota ventriculum aqua, non gravat, neque nauſeam aut vomitum facile excitat, mox facile tranſit, per renes veſicamque redditur, alvum lubricam efficit ac ſine omni moleſtia ſineque torminibus laxam, appetitum excitat & erigit, ſicque his aliisque laudabilibus indiciis indolem ſuam egregiam prodit, ſpem ac fiduciam quoque ingerit, eam, hoc modo etiam adhibitam, pituitam craſſam, tenacem, acerbum auſterumque reſolvere, attenuare, deſtruere, ſuccos ſalino ſulphureos, excrementitios, acres, acidos, nidoroſos diluere, temperare, edulcorare & educere, non modo in ventriculo & inteſtinis illorumque flexuris, plicis & valvulis, ſed & in ipſa maſſa humorum nidulantes, ſitim reſtinguere, pulmonalia vaſa ab infarctu viſcido liberare ac ſic in aſthmate humido reſpirationem reddere liberiorem. Nec in ipſa phthiſi potus noſtrarum aquarum eſt verendus, præſertim ſi ea hypochondriaca, quam vocant pathologi, ſit, i. e. ex viſcerum obſtructione; In vera certius emolumentum deprehenditur, ſi aqua cum lacte aſinino mixta hauriatur: Quapropter præcavendo MORTON, vid. *ejus Phthiſiolog. Lib. II. C. II.* aquas ſoterias Islingtonienſes multiplici experientia, tam in aliis quam in ſe ipſo edoctus, potandas ſuadet, ut & apud nos Selteranæ aquæ hoc modo, in uſum veniunt. De aquis, quæ in ſeceſſu illo Angliæ amœniſſimo, Richmont dicto, emicant, utique ejusmodi ac noſtræ propemodum ſunt, idem auxilium vidi. Porro vel ſolus potus, plurimos eosdem morbos, qui ſupra occaſione balnei jam nominati ſunt, curat, præſertim autem atque ſpeciatim colicam atque nephriticos arthriticosque dolores ſedat, cardialgiam, nauſeam, ſodam abi-

abigit, pertinacem alvi obſtructionem & ipſam iliacam paſſionem ſolvit, anorexiam & bradypepſiam corrigit, clauſtra obſtructionum internarum, viſcerum, lienis, hepatis, meſenterii potenter reſerat, itemque tollit, vermes omnis generis, lumbricos, tænias &c. horrenda ſæpe ſymptomata excitantes, enecat ac expellit, hæmorrhoidum difficile negotium facile reddit, malum hypochondriacum juvat, ſcorbutum, calidum æque ac frigidum quem vocant, depellit ſicque totam maſſam ſanguineam fluidam reddit, rheumatiſmos, morbos articulares, malum iſchiadicum, perſanat, calculoſas in cavitatibus vaſorum & ductuum concretiones impedit, & jamdum factas educit, ad quod ejusmodi aquæ ferratæ, ſalſæ, bituminoſæ, omni tempore commendationem meruerunt, ſtranguriam & dyſuriam curat, tumores, dolores & exulcerationes renum & veſicæ emendat. Extollant ideo alii aquas ferratas in Thuſcia adeo, ut eas veſicarias appellent, nos merito & ideo etiam aquam Kukuſſenſem extollimus, quia uſus æque eum extollit. Sed primo loco hoc nomine indicandæ fuiſſent febres, tam intermittentes, quam continuæ, quoniam hæ fonti huic primum inventionem & quandam celebritatem dederunt: Nam a majoribus acceptum hodie fertur olim ab accolis, ad ſitim ſedandam, (ut in antecedentibus eſt memoratum) febres abigendas & æſtum illarum levandum, tantum hanc aquam hauſtam fuiſſe. Hæc aliaque emolumenta, quæ alias a potu thermarum & acidularum exſpectantur, ulteriori experientia & periculum faciendo clarius certiusque ſtabilienda, affert. Inter obſervanda circa modum atque regimen potationis, hæc primaria & neceſſaria ſunt, ut nunquam ſub ipſis morborum paroxyſmis, ſive motuum morbificorum exacerbatione & dolorum, ſpaſmorum & convulſionum aggreſſu ea adhibeatur: quoniam ob conſtricta emunctoria non ſolum operatio impeditur, ſed & augentur anxietates & ſymptomata præſentia, immo nova alia ſubſequuntur. Convenienter potationi per VIII. X. vel XII. dies protractæ interponi fortius paulo quoddam laxans poterit eoque curæ finis imponi, ut digeſti bene humores craſſi & viſcidi alicubique forte adhuc hærentes penitus educantur.

§. XX. Non abſonum erit, ex nominatis, per balneum & potum curandis atque re ipſa curatis morbis aliquot ſaltem hiſtorias eorum easque notabiles mihi viſas, in gratiam præſertim eorum, qui exemplis moveri ac doceri malunt, tradere, quas per brevem meam commorationem, tunc temporis obſervare mihi, ibi datum eſt. Prima ſit ſequens: Virgo XXII circiter annorum, per IV annos obſtructione menſium & ex

ex hoc ſuborta tandem epilepſia, certis temporibus recurrente, laboravit, quæ aliis remediis pellentibus pertæſa, hunc fontem adiit & ante duos menſes, in brachio venæ ſectionem admiſit, ſed, ut referebat, ſanguis adeo ſpiſſus atque pituitoſus fuit, ut fœces cereviſiæ potius, quam ſanguinem eſſe, quis putaret, poſtquam vero per IV fere ſeptimanas, aquam noſtram ſoteriam, tam inter prandendum cœnandumque, quam extra hoc tempus potaſſet ſingulisque diebus balneo uſa & domum reverſa, ex pede iterum vena ſecta eſſet, floridus & optime conſtitutus ſanguis libere effluxit. Alteram vidi in cive quodam Sileſiaco, qui malo iſchiadico per annum cum dimidio miſere excruciatur, elapſo anno, altero Bohemiæ fonte, quem Sti Joannis vocant, uſus, ex quo vero nullum levamen, potius dolorum immanium incrementum reportavit, ſubſequente tandem anno fontem Kukuſſenſem adiit, eumque tam interne, quam externe adhibuit, ex quo a malo hoc pertinaciſſimo atque moleſtiſſimo liberatus domum rediit. Tertia de alio viro quadragenario majore, hypochondriaco & ſcorbutico, doloribus artuum & præſertim iis, quos oſteocopos nominant, vexato recenſenda, qui ex uſu fontis noſtri interno externoque lenem alvi fluxum cum euphoria talemque acrimoniam excretorum, expertus eſt, adeo, ut roſiones inteſtini recti, moleſtiſſimæ ac ſumme dolorificæ, cum ardoris ſenſu atque harum partium externarum, excoriatione eſſent. Ex quo pauliſper melius ſe habere, ſentit, cuticula pinguis, fuſca, cum fœtore balneo, innatavit. Quarta de ſumme calculoſo notanda, qui per plures annos calculi doloribus vexatus eſt, a quibus, excretis a Vto die VIII ſat grandibus calculis, uſu balnei & inter balneandum ſaltem, potus tepidi, liberatus eſt. Quinta ſequitur de fœmina XXXVI ann. anaſarca contumaci laborante, per balneum modo intra III ſeptimanas, ex aſſe curata. Sexta occurrit de viro juvene XXIII annorum febre tertiana pertinaciſſima infeſto ſæpiusque recidivam paſſo, qui ante inſultum paroxyſmi febrilis balneum iniit quaterque tantum balneationem repetiit, ex quo paroxyſmus, exacto ſemi horæ ſpatio, in balneo ceſſavit, quintaque vice repetito balneo penitus ſiluit ac nunquam rediit. Septima loquitur de juvene XX annorum, ſanguineo cholerico & plethorico, qui ex febre tertiana male curata peſſime ſe habuit, ex potu & balneo per IV hebdomades priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Octava hanc ſeriem claudat, de virgine XXIII annorum, multis ſymptomatibus ſpaſmodico-convulſivis hyſtericis in capite, pectore & abdomine, diu excruciata, quæ intra menſis ſpatium convaluit.

§. XXI.

§. XXI. Iſti quoque non tantum laudant fontis hujus aquam, qui ipſi thee, quæ herba hanc aquam cito ſaturateque tingit, coffee aliaque vegetabilia, herbas, flores, radices, ligna, cortices incoquunt, aut juſcula ex illa parant cibosque conficiunt; tantum enim abeſt, ut ventriculo & inteſtinis moleſtias creet, quod tamen in aliquibus thermalibus aquis experitur, ut potius ii, qui decoctis ejusmodi utuntur, bene appetant, bene digerant beneque egerant. Idem judicium eſto, quando quæritur, an etiam aqua Kukuſſenſis inter paſtum loco potus ordinarii potari poſſit? Attendendum, quod ii notabile exinde levamen ſentiant, qui cardialgia & concoctione quam vocant depravata, debilitate & atonia ventriculi ſubinde conqueruntur, quod ab aliis de aliis aquis ſoteriis & thermis invenio affirmatum atque probatum. Hanc autoritatem & experientiam confirmat & ſiſtit GVIDOTTVS, qui in tract. *de thermis Britanniæ p. 268.* aquam Bathonienſem inter prandendum atque cœnandum potam, in dyſpepſia & bradypepſia depravatoque ventriculi & inteſtinorum tono, efficaciſſimam expertus eſt. Eadem aſſeveratione curioſis reſpondendum ulterius, an quoque hauſtus aquæ cubitum ituris (der Schlaff-Trunck) ad ſedandam ſitim, ſuavem ſomnum procurandum, conveniat, ſiquidem ſomnus omnino placidus atque mane alvus laxata redditur. Si forte potantibus balneantibusque in fortioribus ut ajunt naturis, alvi laxatio & urinæ redditio exſpectata protinus non ſuccedit, tertio quartoque die, pilulæ laxantes cubitum ituris deglutiendæ, & ſalia quædam diſſolventia ſimiliaque lenia diuretica ordinentur de die, per aliquot vices aſſumenda. Ii cœterum, qui in morbis graviſſimis & pertinacibus, pro eorum indole medicamenta pharmaceutica, morbis & cauſis eorum dicata, ante balnei ingreſſum aſſumere vellent, non male agerent; etenim tam ratione, quam exemplis mihi exploratum eſt, in thermis Carolinis & Hirſchbergenſibus medicamenta aperientia, pellentia, obſtructionibus menſium idonea, in tumoribus, obeſitate nimia, diuretica, tartarea, acida, reſolventia, in vitiis cutis, ſanguinem purificantia, in paralyticis, appropriata, cum balneo ſimul adhibita, non contemnendam opem tuliſſe, quod & de aliis ſentiendum eſt: Nam balnea etiam hanc ſingularem ſibi vindicant efficaciam, quod uſum atque virtutem medicamentorum valide agentium, in perſanandis gravibus morbis, apprime promoveant augeantque. Facile inſuper & me conſentientem habent ii præſertim, qui ſimul potum aquæ noſtræ ſoteriæ, balneo jungunt, ſi inter prandendum cœnandumque vel ante hoc tempus ſtomachica quædam dicta & ad ſpiritua-

 ſcen-

ſcentiam facientia v. g. ſal volatile oleoſum Sylvii, vel ſolitarium, vel cum ſpiritu nitri aut vitrioli dulci, mixtum ſimiliaque aſſumerent. Hæc quæ de balneo & potu & circa exhibendi modum dicta ſunt, ſi diligenter obſerventur & teneantur, nullum dubium eſt, quin hæc medicationum genera omnibus ferme hominibus conveniant, licet comparatione ſcrupuloſius inſtituta, huic præ alio magis conducant.

§. XXII. Præter balneum & potum alia quoque datur ratio eaque non ſimplex ſed varia, qua etiam hæc aqua in utiliſſimum ducitur uſum. Ab accolis quibusdam accepi, quod feliciſſime ophthalmias & graviſſimas oculorum inflammationes ac rubedines, calida ſæpius oculis admota, auferat. Viſum acuere frigidam oculis inſtillatam, in multis expertus ſum, quare id concludere licet, eam frigidam adhibitam conſervare oculorum aciem, calidam vero ſuffuſiones & cataractam incipientem ſimiliaque oculorum vitia, curare, ulteriorem accretionem impedire, quo lentorem quendam oculos, præſertim mane obturantem & in concretionem quaſi purulentam abeuntem, elicitum exinde cum euphoria exſpectata ſubſequente obſervare licet. Si os frequenter ſive calida ſive frigida eluitur, gingivarum vitia, tumores, eroſiones, ulcerationes, vacillationes corrigit, tollit ac fœtorem oris ſanat atque emendat. In ore detenta aqua calida æque ac frigida, cruentas & corroſas gingivas, corrigit, dentes in ſede ſua confirmat carnemque recreſcere facit. Gargariſmata exinde parata calida tumores tonſillarum & relaxationem uvulæ, colli fauciumque incipientes, maxime inflammationes aliasque intumeſcentias atque faucium affectus, diſcutiunt, reſolvunt ac deglutitionem commodam reſtituunt. Si calida auribus inſtilletur, earum dolores ac ſuſurros mitigat, ſiſtit, amiſſum auditum reſtituit. Nec dubium eſt, quod de thermis Hirſchbergenſibus, etiam ſpiritu minerali, alcalino, ſalino principio, bitumine, ferro & alumine præditis, expertum habeo, capitiluvia talia maniacis egregiam poſſe afferre opem.

§. XXIII. Stillicidium aquarum medicatarum ſive embrocationem paſſim commendari leges ac audies, nec contemnendos effectus eosque, quos juxta potum quoque balneum, aut fomentationes, longe etiam continuato uſu, non efficere poſſunt, ſæpius videbis. Siquidem aqua ſive frigida apud veteres uſitatiſſima, ſive calida pro ratione indicationum impluvio velut inſtillata, motu fortiori ac impetu, partes ſubjectas fortius & efficacius longe, ſimplici quantumcunque etiam continuato inſeſſu aut fomentatione juxta uſum quoque internum, penetrat, lentos,

lentos, impactos profundiusque hærentes humores potenter attingit, emollit, movet, dividit, ſolvit diſſolvitque & fibras impeditas ac rudes ad motum edendum & contractionem inſtigat ſicque tonum imbecillem atque amiſſum penitus reſtaurat, attenuatis modo aquarum thermalium particulis ſulphureis & ſalinis toties repetitis ictibus intruſis ſicque vim ſuam, concitatiſſimo motu mire exercentibus. Adeoque magnarum virium eſt ejusmodi, in partium corporis humani inveteratis & pertinacioribus malis, in deliriis, in paralyſi, in ſtagnationibus & obſtructionibus profundioribus, imbecillitatibus, tumoribus majoribus, rheumatiſmis & arthriticis doloribus, indurationibus, ſcirrhis, diſtorſionibus, gangliis, ſpina ventoſa, ſtrumis, nec non aliis morbis: ſic JOH. ZECHIVS in *Conſult. med. pag. 461.* pro ignavia partium genitalium curanda, ſtillicidium ejusmodi ſupra os ſacrum efficaciſſimum præſidium cenſet. Hoc medicationis genus adornari poteſt, in ipſis balneariis & inter balneandum, vel in conclavi proximo, bene calefacto atque diſpoſito, ubi ex alto aqua fervida ad tolerantiam ex vaſe aliquo ad hunc uſum accommodato, vel colo, gutturnio, epiſtomio & ſimili guttatim paulatimque, aut pro rei exigentia confeſtim ad ſubjecta membra affecta & denudata priusque interdum fricata cum impetu fluat. Indies hoc ſtillicidium æque ac reliqua medicationum ejusmodi genera, augeatur, ut per aliquot primum dies, ad dimidiam horam, dein per integram, ac tandem per integram cum dimidia, immo per duas horas & ultra, modo ſemel in die mane aut veſperi, modo bis, circa idem tempus, prout pertinacia morbi indiget, ac ægri tolerantia fert, inſtilletur. Quo ſperati inchoati effectus indicium erit, ſi æger, ad partis affectæ penetralia penetraſſe, caliditatem aquæ ſentiat. Majorum adhuc virium hoc ſtillicidium erit, ſi herbæ, flores, baccæ, ſemina & ſimilia vegetabilia, nervina, roborantia, aromatica, reſolventia, penetrantia, &c. ut mentha, meliſſa, majorana, roſmarinus, calamintha montana, ſerpillum, malva, herba & radix leviſtici, baccæ juniperi, ſemen erucæ, ſinapi & ſimilia aquæ incoquantur. Quibus aptis atque idoneis ſtillicidia diſcutientia anodyna, atque ſomnum conciliantia emollientia &c. parari poſſunt. Melius res ſuccedit, ſi cura cum balneo prius eſt abſoluta corpusque ſic bene præparatum partesque affectæ cum materia peccante, inibi profundius adhuc hærente, bene ſint diſpoſitæ. Si ſtillandum in caput erit, illud prius novacula radatur & capillis denudetur ac inſtillatio in verticem, præſertim ad ſuturas fieri aſſolet, ut vero fortius tutiusque agat hoc remedii genus, præparatio cum majori quoque

cura antecedat eaque exactius teneantur, quæ de balneo dicta sunt, scilicet corpus bene hic quoque prius expurgatum sit, & demta plethora. Biliosi, præsertim sic dicti, calidi temperamenti & sicci, vertiginosi, catarrho suffocativo obnoxii, habent quod vereantur, ne improvido abusu majus damnum sibi contrahant. Inter prohibentia hoc stillicidium quoque sunt ulcera & quælibet soluta unitas immo & nonnunquam mala compositio partis. Commune hoc stillicidio accidit, quod ut plurimum ii, qui illi sibi subjiciunt, somnolentia graventur, quæ vero operationi impedimento esse potest, quare in Hetruria, in illis locis, in quibus ejusmodi stillicidium adhibetur, conductæ mulieres, canendo, stillicidio utentes, solent excitare. Absoluto hoc negotio, pars, præsertim affecta stillicidiumque passa, calidis pannis bene obtegatur calidaque semper servetur. Neque noxa facile ex aqua nostra Kukussensi, in stillicidio adhibita, verenda, ut quidem quidam alibi ex aqua thermali ferventi, sulphurea præsertim bituminosa & aluminosa solent, de quo conf. JOH. FANTONVS de *therm. Valder. Diss. I. p. 42.* J. GÜNTH. ANDERNACVS in *Dial. de baln. & aqua medic.* SOMMERVS *l. c.* GVIDOTTVS *l. c.* Pro iis, qui stillicidium renuunt atque verentur, lotiones substitui possunt. Levioribus malis fomentatio sufficit, qua, pars affecta, aqua calida fovetur, commode vero vel spongia vel linteamina duplicata, aut panni illa imbuuntur sicque applicantur, superintectis pannis siccis calefactis, ne humiditas refrigescat & pejus damnum afferat. Extra balnei tempus morbis pedum particularibus fere quibusvis pediluvia tepida cum fructu simul parari possunt, sed ejusmodi, quæ totas tibias ad genua usque pertingunt. Qui & hæc extra balneum, aliis partium superiorum morbis, balneo jungere vellet, majorem exinde fructum reportabit. Non a scopo aberraret, qui in colica, dolore calculi, alvi obstructione ipsaque iliaca passione, in hydrope & similibus viscerum morbis, ut & pro ulceribus iisque simul intestini recti, sanandis, per syphonem hanc aquam calefactam, clysteris loco injicere curaret. Quæ injectio pedibus a potu forte tumefactis, etiam remedio erit. Sub fotus specie, spongia imbuta calida & huic vel illi parti applicata adhiberi etiam poterit, quod remedii genus Aetio familiare fuit, quo oculis præsertim applicato, non modo visum instauravit, fluxionesque fugavit sed & tabem, illorum ganglia & atheromata sustulit. Hæc enim particularia omnia beneficia partibus illis, quibus applicantur, ac balnea universalia universo corpori, impertiri possunt. Hi recensiti modi adhibendi, pro rei exigentia, aut seorsim, modo hic, modo illic, aut conjun-

ctim

ctim omnes simul haud incommode in usum duci possunt, ut duplicata quasi virtute morbum depellant atque ejiciant.

§. XXIV. Difficile rursus est certum tempus certumque dierum numerum, sumendæ aut adhibendæ, balneo, potu aliaque ratione, aquæ circumscribere, ut cura penitus absolvatur, cum alii morbi altiores egerint radices & inveterati ac pertinaciores sint, alii recentiores, leviores curatuque faciliores, cum juxta ipsum Hippocratis effatum longo curentur tempore, quæ longo tempore contracta sunt vitia, quæ vero brevi, brevi. Taceamus haud raro hunc vel illum unum eundemque morbum, in diversis ægris, pro illorum constitutione, tempus curæ insumendum, variare, quare potius putandum est, tamdiu hac cura persistendum, donec curatos penitus aut saltem levatos se sentiant ægrotantes. Ut plurimum II. III. IV. V. VI. septimanæ sufficiunt. Immo nec tunc spes modo abjicienda est omnis, siquidem omnes propemodum aquarum mineralium curæ id commune habent, quod elapso aliquo tempore elapsisque aliquot mensibus, domum redeuntibus demum exspectatum perfectumque impertiantur effectum, quod de alteris Bohemiæ fontibus, præsertim Carolinis thermis, vulgo perhibetur. *Baccius de thermis* thermas aliquas recenset, quæ non nisi post decursum anni prosint, immo hoc de balneis habetur in genere, quod in magnis gravioribusque affectibus, fructus longe firmiores, certiores constantioresque sint, qui ex iis reportantur, si non subito, sed interjecto aliquo temporis spatio, consequuntur. Nec a veritate alienum est, quod dicitur, hanc aquis mineralibus institutam curam, semel adhibitam, quidem placere, sed bis, ter quaterve repetitam ex asse juvare. Quibus igitur & in sequentibus annis sæpius hunc amœnum locum huncque saluberrimum fontem repetere volupe sit, illis continuatus usus, causas pœnitendi nunquam relinquet.

§. XXV. Omnia hæc medicationum genera, quovis anni tempore, etiam hyemali locum possunt invenire, modo horum temporum habeatur ratio ac adtemperatio frigoris aut caloris, rite attendatur. Vana enim tantum persuasio est, minerales aquas hyeme per se esse non tantum viribus exutas, verum etiam nocivas, nam satis jam notum est atque perspectum, illas, cujuscunque etiam sint naturæ, sive calidæ sive frigidæ, viribus æque constare, ipso id comprobante effectu. Immo sentit MORELLUS *de Bal. Patav.* ejusmodi aquas minerales hyeme longe esse efficaciores, cum frigus ambiens, poros terræ claudens, non sinat spiritus minerales exhalare. Confirmat hoc ipsum TABERNAEMONTANUS

TANVS *im Waſſer-Schatz p. 196. ſeq.* Novi multos, qui exoptato ſucceſſu hyeme, thermis Carolinis, Hirſchbergenſibus, acidulis Swalbacenſibus, Egranis, aquis Lauchſtadienſibus uſi ſunt; quare nulli dubitamus, quin de his aquis idem affirmandum ſit. Nec eſt cur metuamus, æſtu exiſtente æſtivo, aut ardente Sirio, ut omnia alia remediorum genera, quæ tunc adeo veretur, Hippocrates noſter, ita & hoc, noxium, ſi modo convenienter, cum debito regimine, tempore, moderatione ac balneo debita, calori aëris accommodata utantur, ne ſanguinem, ab æſtatis calore ad pauperiem redactum & ſpiritus animales diminutos non magis exſolvat, deſtruat atque abſumat. Si vero quicquam veri, quod tempeſtatum nempe variationes concernit, ſubeſt, cauſa noxæ aut auxilii potius a pluvioſo aut ſereno aëre vel æſtuoſo nimis & frigidiori, conſtantiori aut vario & mutato ſæpius, quam anni menſibus, petenda eſt. Quippe, ut in ſuperioribus per varia exempla jam indicatum eſt, de pluribus ejusmodi exploratum habemus.

§. XXVI. In præſens quæſtio oritur, an etiam hæc aqua aliorſum tranſportata, potu æque ac balneo adhibita aliisque recenſitis modis, vim ſuam medicatam retineat! Ad hoc ſcire licet, nullum dubium ſubeſſe, eam, ſi ſub cœlo, præſertim ſereno, frigido, ac tempore matutino in vaſis infundatur & iis bene obturatis & plenis, frigidiore potius quam calidiori aëre, de nocte magis, quam de die, radios nimirum ſolares evitando, transportetur, utique tam ad potum, quam balneum reliquosque modos, idoneam eſſe, pro iis, quibus non licet hanc ipſam amœniſſimam adire Corinthum, quamvis non negandum ſit, multum de partibus volatilioribus perdi, quasdam partes minerales ad fundum vaſis præcipitari & lateribus ejus apponi; Habetur etiam, tunc, aquam fortiorem propemodum ſaporem, acquirere, quod de acidulis, quæ in diſſitas regiones transvehi ſolent, compertum eſt atque manifeſtum, adeoque & ea in comparatione, quæ in ipſo loco in uſum ducitur, præferenda. Reliqua tamen ingredientia fixiora tota remanent & ad uſum adhuc idonea, etiamſi præcipitata atque ex parte alterata ſint, ſi enim poſtea calefit aqua, vis medicata non minus excitatur, ac ſi in loco ipſo, ubi ſuos natales ſumſit, decoquatur. Immo ſi aqua hæc in vitrea lagena reponitur diuque aſſervatur, non modo non multum turbatur, ſed limpida potius manet. Quod experimentum Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Dominus Comes per triginta & aliquot jam annos inſtituit, & ſingulis annis certam quandam quantitatem, in vitrea lagena reponendam juſſit. Hoc tamen comperi, in lagena non cooperta, in liberiori aëre

aëre, per aliquot dies asservatam aquam turbidam apparuisse, nec mirum, quoniam liberior accedens aër atmosphæricus, ut liquidorum omnium, ita etiam & præsertim aquarum medicatarum mixturam motu suo immutat & spirituosum, quod iis inest, abripit & aufert. Cum aliis quoque mineralibus aquis, quæ hodie peregre evehuntur, factum est, ut id nunc non metuamus, quod antea adeo metuebant, immo eorum laudamus felices effectus. Sic notissimum est, thermalem Carolinam aquam superioribus annis, in Saxoniam superiorem & inferiorem, Misniam, Marchiam Brandenburgicam, transportatam, potu balneoque per multiplicem usum esse probatam. De aqua Lauchstadiensi & Hirschbergensi thermali idem novi: Immo ipsam aquam Kukussensem non modo in Silesiam, sed etiam Saxoniam, Lipsiam usque transportandam curavi, per plures menses servavi, ac pro hebetudine oculorum corrigenda, optimo cum successu adhibui. Ulterius a curiosis quæritur, an etiam pars aquæ, maxime energetica, quam spiritum illum mineralem nominamus, separari & in magnam medicinam concentrari possit? Respondeo affirmando, licet magnarum difficultatum plenus labor sit, attamen non plane impossibilem & infructuosum eum futurum suspicor, si recens hausta spirituosa aqua in obturatis bene vitris lenique igne debitoque adhibito modo destilletur. Quod ut eo potius credam, me movet observatio DU CLOOS in libro *de aquis gallicis p. 93.* qui, cum destillasset aquam de St. Mion, Alverniæ, deprehendit, id, quod prima destillatione exigua in quantitate prodiit, aquam tornasolis cœruleam rubedine infecisse, quod nec ante destillationem, nec post eam continuatam factum est, cœruleum autem hujus colorem acidulus spiritus, cujus indolis spiritus hic mineralis catholicus est, rubedine tingit. Irritum autem negotium suscipies, si universam aquam cum omnibus suis ingredientibus concentrare & in essentiam aut Q. E. arte chymica redigere velles.

§. XXVII. Non tamen putes hunc fontem nostrum soterium, ut alia quævis auxilia, in universum omnibus morbis omnique adhibendi modo simpliciter & absque adhibitis debitis cautelis quadrare. Subesse enim & hic, ut & alibi propemodum semper aliquis potest error. Nam inutilis inanisque ejus usus erit, sive balneo sive potu adhibeatur, in inveteratis nimis ac pertinacissimis malis & ubi tota natura, ut asserunt, corrupta prorsus est, atque humores summe impuri ac depravati existunt, & tonus partium solidarum ac robur penitus debilitatum atque dejectum. Et quis potest alibi, hisce malis expugnandis, pares me-

dicinas

dicinas invenire? Nam ſecundum illam tritam regulam, omnia in univerſum remedia non tantum ſecundum activitatem ſuam agunt ſed & receptivitatem. Etſi innocens alias eſt & naturæ humanæ optime conveniens ac ejusmodi indolis, de quibus dicitur, quod ſi non profuerint, ſaltem non noceant, inanis tamen non modo, ſed & nocivus erit ejus uſus, maxime potus, in plurimis capitis & cerebri affectibus iisque inveteratis nimium & qui ex cerebri nimia humiditate & tono relaxato, ſpirituum defectu, utpote in quibus difficilius per cerebri vaſcula circulatio ſanguinis ſuccedit, oriuntur, quosque affectus idiopathicos vocant, quapropter ab eo abſtineant, qui apoplexiam & affectus ſoporoſos timent, iique, quibus ſenſuum internorum, maxime memoriæ vigor, perit: Sic & inconvenienter & potus & balneum a pleuriticis inſtituentur. Exulet porro, me quidem judice, ubi conſummata phthiſis ex eroſione pulmonum, hæmoptyſis, aſthma convulſivum, mictus cruentus infeſtant, ubi viſcera jam ſunt corrupta, putrida aut maxime impacta, indurata atque ſcirrhoſa, ubi humores vitales putredinis labe jamdum infecti, ab aqua enim accedente magis commoti, tandem eodem vitio imbuuntur & aqua, corruptam partem rumpit. Et licet aquæ noſtræ vim emolliendi, attenuandi, diſſolvendi, aperiendique merito aſſignaverim atque ideo in obſtructionibus, a non nimis incraſſatis concretisque humoribus oriundis, ſuperius laudaverim, tanta tamen vi non inſtructæ ſunt, ut ſcirrhoſas confirmatas concretiones & indurationes aut tartareas ſolidiores coagulationes, emollire, diſſolvere & hujus indolis obſtructiones reſolvere & perrumpere poſſint; Ibi enim aquæ potæ in vaſis ſubſiſtunt, redundant, ſtagnationes & hydropes relinquunt. Ubi & jam inveniunt humorum quasdam extravaſationes & effuſiones potæ aquæ, in cavitatibus quibusvis capitis, thoracis, abdominis, ipſas augent: Perinde in inveteratis hydropis ſpeciebus, præſertim aſcite, pectoris hydrope, hydrocephalo, ut & hectica & tabe vera, ex corruptis viſceribus, inflammationibus, præſertim internis provectioribus atque in ſummo augmento & ſtatu conſtitutis, ubi ventriculus & inteſtina, meſenterium, renes abſceſſibus & ab empycmatibus obſeſſi ſunt, & cavitates atque vaſa, polypis craſſis repleta, vix tutus eſt uſus internus, in copia & pro cura integra inſtitutus. Æque in angina & peripneumonia, in principio, maxime incremento ſtatuque eum vix admitterem. Sic & majori lateribus veſicæ adnato aut nimis impacto calculo renum, pariter atque veſicæ, ut & gonorrhœæ virulentæ haud proficuus eſt. Externus uſus ſpeciatim minus conducit podagræ valde nodoſæ & cancro, præſer-

præſertim quem noli me tangere vocant. Pariter nondum ſatis conſtat, an etiam lue venerea talibusque ulceribus affectis medeatur, obſervationibus cum aliis aquis mineralibus factis, factum eſt, ut ſuſpectæ & inconvenientes hic omnino redditæ ſint. Etenim in hac lue ſanguinis ſerum miaſmate corruptivo infectum, coagulatur maxime ſpiſſumque redditur, adeo, ut his & ſimilibus remediis licet ſat efficacibus ac tutis vix evinci queat, quam peſſimam conditionem omnia phœnomena & ſymptomata, quibus hoc morborum genus ſunt ſtipata, monſtrant atque Ambr. Paraevs *Chir. Lib. XVIII. Cap. III.* validis rationibus comprobat. Et N. Massa *Epiſt. XXX. T. I.* in lue venerea laborantium & demortuorum cadaveribus diſſectis ſe inveniſſe materiam albam pituitoſam in venis, ſanguinem longe ſuperantem refert.

§. XXVIII. De convenienti diæta, quæ morbi & curæ eventum haud parum variat, quam ſervare debent hoc fonte utentes, merito ſoliciti ſint omnes, cum ſine hac fruſtraneus, ſi non periculoſus hujus ſit uſus. Certe nulla magis ſecura eſt ad univerſa pericula cautio, quam ubi thermarum atque balneorum certo ac ordinato victus regimine adminiſtratur. Equidem hujus unam omnibus regulam præſcribere, admodum difficile eſt, cum varii caſus etiam varias ſubinde exceptiones poſtulent. De ea in genere ſaltem tenendum, ut omnia ad mediocritatem ac temperantiam ſint ordinata atque ſervata: Igitur omni ſtudio vitetur nimius ſolis ignisque in camino æſtus ac frigus matutinum veſpertinumque, & regimen hoc ſemper ſit temperatum, potius ad calidum & ſiccum, quam frigidum & humidum inclinet, quo & cubiculi, lecti & veſtimentorum ratio habenda: Venti importuni & inſalubres auſtrini, humidi calidi & humidi frigidi, aër craſſus, nocturnus, pluvioſus, nebuloſus, fœtoribus refertus, arceantur. Victus in humidum & laxum pro balneantibus, potantibus vero in ſiccum aut ſpiſſum magis ſit compoſitus & ad mediocrem ſatietatem uſque aſſumatur, tamen ne gravet, ſed agiles ſervet homines. Eſculentis veſcantur facilis digeſtionis, guſtui & naturæ acceptis ac gratis (quod enim bene ſapit, bene nutrit) & quæ parva quantitate ingeſta ſatis ſunt, ut fami & ſiti ſatisfaciant, quæ diutius paulo in corpore retinentur & moderate per alvum ſecedunt, iisque & bene præparatis coctisque, aut, quod melius, aſſatis, bene ſale & aromatibus, ſive exoticis ſive domeſticis, macere, nuce moſchata, cinnamomo, croco, calamo aromatico, radice helenii, &c. conditis, præſertim potantes, nec non carnibus animalium juniorum, anatum, columbarum, pullorum gallinaceorum, gallinarum, caponum, alaudarum aviumque

que aliarum, vitulorum, agnorum, leporum, cuniculorum, hœdorum, damarum, caprearum & ſimilium. Ex piſcibus ii, quos ſaxatiles vocant & his oris non rari præferuntur, ut truttæ, funduli, percæ & alii ut lucii, cancri minores, &c. porro ova ſorbilia, pultes & juſcula avenacea ac hordeacea ex oryza, poma toſta ac bene cocta, nec non decocta cum herbis, floribus, radicibus, ſeminibus & ejusmodi vegetabilibus, quæ alimenta medicamentoſa ſimul conſtituunt, qualia medicamentis eo ſunt præſtantiora, quod naturæ magis amica ſint, e. g. acetoſa, acetoſella, endivia, cochlearia, naſturtio, borragine, ſeleri, foliis ſalviæ, majoranæ, flor. cardui benedicti, rad. cichorei, paſtinacæ, petroſelini, capparibus, limoniis, aſparago, ſem. aniſi, fœniculi, baccis juniperi aliisque ſimilibus vegetabilibus aperientibus, diureticis, alterata, conveniunt. Nec dulcia tenuia reſpuenda, utpote quæ urinam & alvum movent atque humectant. Potulenta ſint cereviſia, bene cocta beneque defæcata, non acore corrupta, laudatur ea, qui ibi ordinario venditur & vinum Hungaricum, ut & Bohemicum bonæ notæ, pellucidum & purum, quod conducibile ſatis eſt, quoniam diureticum, facile pertranſit & alvum apertam ſervat, immo laxationem ejus procurat, præcipue nobiliſſimum illud dulce & generoſum quod circa Leutomiriam & Auſtiam creſcit & Poskalsky vocatur atque Millicenſe rubellum aut etiam aliud, corticibus citri & aurantiarum, abſinthio, helenio, cochlearia &c. medicatum, ſubamarum, inter prandium cœnamque aſſumtum. Extra hoc tempus infuſa atque decocta conſueta, thee, coffee, & ex gelidi potus generibus, limonada quandoque addi poſſunt. Omnia hæc ad mediocritatem ac temperantiam ſint ordinata, ne in crapulam ebrietatemque abeant, quæ certe in ejusmodi locis communia vitia ſunt. Nec avide cibi devorentur, ſed ſpatium conſumtioni concedatur. Abſtinendum vero ab alimentis viſcidis, craſſis, duris, nimis acidis, auſteris, conſtringentibus, pinguibus, butyro frixis, nauſeoſis facileque corruptibilibus, fermenteſcibilibus & flatulentis, præſertim quando aquæ potantur. Tabaci fumus in adſuetis moderate, ſive mane, ſive veſperi admittendus. Excernenda & retinenda per alvum, veſicam, uterum, cutem, debito modo ſuo ſemper reſpondeant: Exulet venus ex hoc nympharum domicilio: Somnus ſit moderatus, vigiliæ nocturnæ abſint moderateque corpus moveatur, præſertim ante prandium & cœnam; Maxime vero potantes aquam ſoteriam, poſt potum deambulationibus, curru equoque vectione, decentibus & modicis ſaltationibus, mane ac veſperi frictionibus exerceant. Animum nunquam angat anxietas, non affligat cura,

non

non moleftet folicitudo, metus non exterreat, non tremor concutiat, mala concupifcentia non abducat, non conturbet triftitia, mœror vitales vires non abfumat, non contriftet turbatio, ira & impatientia non commoveat, potius ille fpe, fiducia, amore, hilaritate, gaudiis, grato amicorum conventu & confortio, honeftis jucundisque colloquiis, fuavi concentu mufico pafcatur & recreetur atque licitis illis ac honeftis voluptatibus fruatur omnibus, quæ ibi undiquaque ac quotidie offeruntur, & quæ ultro accedentes vel invitos invitant, oculos cupiditate morantur ac defiderio trahunt. Neque minus harum rerum bonum moderamen, poft ufum thermarum per aliquod temporis fpatium & in ipfo itinere, quantum fieri poteft, fervandum; Atque ante omnia falutem animæ fuæ & corporis ardentibus & humillimis precibus Deo fummo & benigniffimo rerum arbitro, hoc eximio divino dono utentes, commendent eaque feliciter obtenta Ipfi fauftum fucceffum pie adfcribendo devotas gratias exhibeant & de reliquo divinæ fuæ voluntati fe totos committant. Ad extremum hæ nymphæ cuivis femper profint iterum iterumque ex animo opto.

* *

VI.
DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE SIC DICTO MOLARI AD THERMAS CAROLINAS FONTE.

PROOEMIUM.

SAl & fulphur omnium activæ medicamentorum partes funt, motibus, qui vitæ negotium abfolvunt, tuendis inftaurandisque perquam idoneæ, quæ infigniter alterant pariter & evacuant leniter atque concinne, & quæ ea propter pro curandis chronicis & pertinacibus morbis efficaciffima exiftunt. Etenim fal omnium principiorum maximum

& basis omniumque mutationum causa, in aqua facile solubile atque vi fermentandi præditum, idque alcalicum æque ac acidum nec non neutrum, rigidis atque penetrantibus spiculis, quibus instructum est, tam crassas, viscidas, quam glutinosas omnium potentissime dividit, resolvit, attenuat atque abstergit, fibras nervosas omnium solidarum partium, atque motrices vellicat easque adigit, ut se contrahant, ac velut ad motum edendum armentur, quo pacto efficitur, ut non solum illæ inertes & ad motum difficiles partes excernantur, sed & itus & reditus laudabilium humorum sartus tectusque servetur. Hoc rerum condimentum est, per quod naturæ digestio optime perficitur. Sulphur autem, quod a sale quidem exaltatur, ut sal quoque a sulphure atque ejusdem amicabilis socius, ex tenuibus, pinguibus, oleosis, phlegmaticis atque salinis particulis inter se bene commixtis ac temperatis conflatum emolliendo, maturando, relaxando, demulcendo, temperando, acidum obliniendo, sopiendo, penetrando, calefaciendo, siccando, discutiendo, a centro ad peripheriam tendendo, aperiendo, digerendo, putrefactionem avertendo, venenisque resistendo &c. vires suas commodissime exserit, atque eapropter anodyna & antispasmodica vi, in curandis morbis adeo proficua & necessaria pollet. Quæ agilia & præstantissima principia eo facilius & certius suas operationes perficiunt, si amico & intimo connubio inter se unita sunt atque conjuncta, ubi alkalinæ præsertim naturæ sal, sulphur magis attenuat, resolvit atque exaltat. Talia præsertim principia hypostatica laudatissima & efficacissima minerales, salutares fontes ex benignissima Sapientissimi Dei ter Optimi Maximi concessione possident. Equidem paucissimi calidorum soteriorum fontium sunt, qui sulphur notabile & manifestum vehunt, si forte notissimos Aquisgranenses & Hirschbergenses &c. excipias; verum tam calidi quam frigidi quam plures hinc inde inveniuntur, qui salia eaque alcalia pura ac neutra magna sat copia continent. Scimus nimirum Selteranas, Emsenses, Bollenses, Aquisgranenses, Buchenses, Wildenburgenses, Spadanas, Deinacenses, & in Gallia Borbonenses aquas medicatas, merum alcalicum sal in sinu suo fovere. Egranas & Sedlicenses medium cum Seydschützensibus in Bohemia, Elsteranas in Voigtlandia, Wiesbaadenses, Ratzeburgenses, & quondam Hornhusanas, Ebshamenses in Anglia utrumque simul alcalicum nimirum sal & neutrum, Carolinos thermales fontes utrosque, & fervidissimum illum maxime & tepidum molarem vulgo dictum magis junctum habere. Et hic ipse est, quem descriptioni, commentationi & laudationi publico quidem nomine per hæc literarum

monu-

monumenta levidensia, licet, bono cum Deo jam destinavimus. Faxit ille Summus Archiater, ut qualiscunque hic labor cedat in Maximi sui Nominis gloriam atque proximi commodum.

§. I. IN Bohemia aquarum præsertim omnis generis mineralium proventus feracissima regione, ad ipsas thermas ubique famigeratissimas atque omni commemoratione dignas & per aliquot seculorum decursum frequentatas, omnium propemodum calidissimas Carolinas, dictas a Carolo IV. Romanorum Imperatore, detectas, propter amnem per medium oppidum volventem illudque rigantem non noviter quidem exorta modo sed non ita pridem frequentata scaturigo, quoque invenitur temperato ac perjucundo calore prædita. Fons vulgo molaris, der Mühlbrunn, vocatur, quoniam infra forum juxta molendinum istius loci, ex interioribus terræ visceribus & quidem ex rupibus editis & radici montis insidentibus levi raraque atque perenni semperque æquali ebullitione promanat, unde in alveo ablongo & quadrato ligneis tabulis circumdato hæ salutares lymphæ colliguntur, redundantes vero subtus in profluentem exonerantur. Ad latus atque juxta scaturiginem balneola & apodyteria pro balneantibus adstructa sunt. Tegunt fontem ex asseribus superinstructæ binæ cameræ, fornace instructæ, ad commoditatem his aquis soteriis utentium adaptatæ.

§. II. Tamdiu neglectui atque derelictui & tantum non despectui habitus hic fons soterius est, jacuitque omnino ignota nocte per omne ævum pretium ejus, atque prædicatore omni curioso ac intelligente caruit, usque dum Celeberrimus Fridericus Hoffmannus, Archiater & Professor Regius in Academia Hallensi Excellentissimus, Vir in eruendis atque tradendis rebus physicis pariter & medicis sicut diligentissimus, ita acerrimus, ante sex circiter lustra curatius examini subjecit, multoque usu atque variis observationibus collectis curisque institutis, utilitatem ejusdem monstravit ac confirmavit aliisque commendavit. Ex quo multi quoque Experientissimi Medici tam exquisite, quam candide ad rationis atque experientiæ lydium lapidem, illum revocaverunt, & utilissimum ac præstantissimum eum, tam interno, quam externo usu invenerunt, unde sensim crevit illius celebritas, adeo, ut per faustam multiplicem experientiam factam, jam gloriose undique prædicetur, & non amplius difficilis sit plurimorum applausus. Subiit ante multos jam annos, inde mihi etiam animum curiositas amorque veri, ac inserviendi meis ægrotis cupido, ulterius circa illum explorandi, id quod

res & occasio obtulerunt, atque singulis vicibus, quibus hunc locum adire mihi contigit, contemplando & observando curandoque compertum & exploratum mihi magis magisque eum reddidi, atque quale quale etiam hoc meum scrutinium sit, satis jam habeo, esse hic hujus soterii & laudatissimi fontis aliqualem descriptionem atque laudationem secundum diligentiam atque censuram, quam pro modulo meo adhibere potuit, in tradendis & expendendis omnibus, res rebus comparando necessariis. Spectemus ergo, quid de illo, de ejus indole, contentis, viribus usibusque conscribere institutum est.

§. III. Contemplantibus atque curam animumque advertentibus constat, hanc aquam soteriam primum tepidam modo lenique scaturigine provenire, cum alter primarius fons ferventissimam omnium aquam magna vi eructet, quoniam ab illo remoto spatio promanat, aut aliis frigidis lymphis miscetur. Ad latera ac fundum alvei, in quem colligitur aqua, ut & ad canales, per quos iterum defluit, ochram ex luteo & candido subrubram, paucam illam quidem ac levem tenuemque deponit, nullum autem cremorem ac quidem primarius alter ac ferventissimus fons frigefacta in superficie super natantem concedit. Hausta aqua & in vitrum transfusa limpida, clara atque pellucida cum multis agminatim exorientibus ex fundo vitri iisque candentibus bullulis ad instar perlarum inter se conquassatarum & internatantium apparet; Minus vero tales bullulæ sub frigido Jove ac tempestate nubila conspiciuntur. Naribus excepta titillatione quadam eas ferit. Cylindri lignei ope si ponderatur, ex ipso fonte statim depromta, levior, simplici, fluviatili ex præterfluente fluvio, Tepla, oculis deprehenditur & de optima indole spes modo concipitur. Quæ phœnomena de principio æthereo, spirituoso atque elastico ac generoso in poris aquæ nidulante & calore & motu intestino rarescente & expandente sursumque petente & hoc motu suo omnes humidas, phlegmaticas, graves, salinas, quibus commixtum est, evehente, ad integritatem corporis humani conservandam admodum utili momento testantur, quod eo luculentius ac citius apparet, quo aër atmosphæricus & crassior talem aquam premit, sicque hanc elasticam partem cogit, & ejusdem expansivam vim deprimit. Hinc & obtingit, quandoque ut a calore externo lagenæ, in quibus ejusmodi aqua spirituosa asservatur, magna vi rumpantur, quod sæpius in acidulis Egranis, quæ præsertim tali spirituoso elemento totæ fœtæ sunt, adeo, ut & ex fonte modo haustæ plurimis temulentiam quandam inducant, factum esse vel in vulgus quoque notum est.

Hinc

Hinc & eædem aquæ, si non bene lagenæ eadem refertæ sunt, peregre & longinque vel calente sole transvehuntur, viribus suis exuuntur. Ore hausta & in eo paululum detenta non nauseosum, sed satis gratum, subacrem subsalsumque acidulum martialem acidularum calidarum æmulum, saporem exinde linguæ imprimit, hinc & hæc majori in quantitate una vice quam quidem altera hauriri potest. Si miscetur aqua cum gallarum pulvere ex atro puniceum & purpureum colorem induit magisque saturatum atque obscurum quam quidem ea ex altero fonte fervidissimo nimirum atque primario desumta. Si sirupus violarum ei additur, subviridescente tingitur colore, quæ mixtura si per aliquot dies in vitro aperto liberiori aëri exponitur, subinde viridis ille color magis saturatus redditur, indicio, totam atmosphæram ibi alcalicis effluviis a calore attenuatis atque atomis esse imprægnatam. Si oleum tartari per deliquium instillatur, neque turbatur neque obscuratur, neque adeo notabili lacteo colore inficitur, nec alia aliqua alteratio observatur, haud obscuro indicio, quod nullas præsertim aut paucissimas, quæ in hoc quidem examine observari possunt, calcareæ terræ particulas in se contineat. Si lacti infunditur, & seponitur lac, minime coagulatur, sed potius fluidior redditur. A spiritibus acidis quibusdam ut aqua fortis, sulphuris, instillatis, nulla notabilis alteratio occurrit, nisi quod nitri spiritus additus solique per aliquot horas exposita aqua, in vitro quædam bullulæ exsurgant, & levem quendam fumum nares titillantem, emittant. A vitrioli vero spiritu addito effervescentia quædam exsurgit. A solutione vitrioli martis aliqua præcipitatio aliquique flocculi lutei se manifestant. A solutione aluminis lactescentem magis induit colorem. Si libræ quatuor evaporantur, lenique calore digeruntur, drachmæ duæ cum scrupulo dimidio (ut ego calculum quidem duxi,) residui in fundo vitrei vasis manent, quod residuum ex evaporatione debito procedendi modo adhibito, drachmæ duæ puri salis & candicantis dimidium tantum scrupulum terrei pulveris concedit. Duplex sal exinde elicitur alcalicum & neutrum, atque ex parte amaricans, quod sali ex acidulis Egranis educto proxime accedit. Quando enim hujus salis libra integra in duabus quidem simplicis aquæ libris in lagena vitrea amplioris orificii solvitur & calidæ fornaci imponitur, pars quædam neutri salis atque propemodum amaricantis fundo & lateribus vitrei vasis, quoniam gravior illud est, conspicitur, alcalicum vero sal ob levitatem aquæ intimius commixtum deprehenditur.

§. IV.

§. IV. Vel ex hisce paucis indicatis differentiam modo atque simul prærogativam, si ingredientia pariter ac indolem atque effectus spectes præ altero Carolino fonte, qui & fervore quidem multum fumum exspirante, & impetu, murmure & copia aquæ antefertur, colligimus. Cujus aqua gravior quoque est durior ac quasi saponacea, adeoque sapori ingrata atque nauseosa magnam quantitatem terræ calcareæ aut lapidosi spissamenti minorem quidem salis illiusque purioris continet, nam ex eadem quantitate aquæ unicam saltem drachmam, & scrupulos ferme duos ochræ martialis particulas possidentis atque calcareæ terræ obtinuerunt curiosi scrutatores. Hinc & sine dubio minori quantitate intus assumta hæc nostra aqua alvum movet, citiusque & expeditius per omnia vascula exilia, omnesque poros ac emunctoria corporis humani transit. Si quidem de hac sedecim v. g. vascula ad movendam & purgandam pluribus quidem dejectionibus alvum sufficiunt, de illa vero vix triginta illud efficiunt, & ægrius transit atque secedit pota. Hinc magis temperat excrementitias partes salino - sulphureas easque commodius per alvum & urinam educit, sudores vero non adeo copiosiores efficit, quo materias hasce peccantes in primis viis adhuc stabulantes non adeo fortiter commovet, neque ad massam humorum atque adeo ad cutem usque urget atque traducit, phlogosesque simul molestas excitat cum pruritu imo inflammatione cutis, purpura aliisque multifariis efflorescentiis atque affectibus cutaneis item cephalalgiis nec non moliminum arthriticorum revocatione ac quidem altera, adeoque & gratius & commodius & tutius nostra tam interne quam externe adhiberi potest: Nam ad hoc altera calidissima aqua calidioribus & plethoricis subjectis aliisque minus quadrat, quoniam nimis exagitat corpus, nostra vero pluribus hominibus ac ægris, si eorum ætatem, naturam & temperamentum & morbos materiasque peccantes spectes, convenit. Ob copiosam præsertim calcaream terram ochramque martialem constringentem difficilius per fibrosæ & mollis compagis ac minoris capacitatis, capitis inprimis vascula & canaliculos volvitur, sed onere gravat, premit eos ac laxat, & facile in debilibus hisce partibus læsisque forte visceribus stagnat ac extravasata corruptionem magis auget & quosdam morbos efferatiores reddit ac magis rebelles, atque novos etiam excitat, cum partes humorum peccantes, acriores & liquescentes calidissima illa aqua fusæ magis & eliquatæ majori sævitia membra impetant, aut lentæ, crassæ, viscidæ, duriores fortius justo commoveantur, adigantur & impingantur, sicque obstru-

obſtructiones contumaces, ex quibus multi morbi exoriuntur, efficit. Hinc ut plurimum non modo pedes elapſis aliquot a potatione diebus notabiliter & præter modum intumeſcunt, ſed & laſſitudinem atque torporem totius corporis, capitis gravitatem & ſomnolentiam quandam ſatis moleſtam & non raro vix ſuperabilem, poſt ſe relinquit. Quare ejus uſus internus in affectibus ex atonia & debilitate cerebri & nervorum oriundis ſuſpectus, merito eſſe debet, quia irregulares ſanguinis motus inducit & craſin ſanguinis naturalem inſigniter lædit, particulas bilioſas intenſius juſto exagitando, & per quam facile hinc capitis dolores, vertiginem, animi deliquium, cordis palpitationes, febres intermittentes atque acutas, improvido uſu exhibita, infert. Quare & cura cum hac inſtituta imo pluribus affectibus præſertim ſpaſticis & ſimilibus curandis alteri conſulto præmittitur, ſanguine & humoribus attenuatis magis & ſubtiliſatis, ſalibusque temperatis. Extus vero ſive balneo uſurpata, ob eaſdem craſſiores partes, poros cutis & nervoſas partes conſtringit & obſtruit, repellit; hinc ſpaſmodicis atque convulſivis affectibus & flatulentis detenti, doloribus colicis & tenſionibus hypochondriacis, alvi ſegnitie atque abdominis duritie vexati hincque arthritici, podagrici exinde male immo peſſime ſe habent, non ſine medicorum dedecore & opprobrio. Hinc & tumores præternaturales membra corporis obſidentes, ſubito exinde evaneſcunt, atque cutis impuritates, ut ſcabies immo ulcera citius abiguntur. Si & paulo calidius balneum initur, æque capitis dolores, vigiliæ involuntariæ, difficultates ſpirandi, cordis palpitationes, inquietudines, animi deliquium, inappetentia, inflammationes internæ, febres acutæ aliaque mala ſymptomata exinde concitantur; noſtræ vero aquæ molares, nec tumores excitant, nec in balneis uſurpatæ repellentem vim exſerunt.

§. V. Satis exinde conſtat, fontem hunc ſalutarem non modo alteri vicino ſed & pluribus aliis ejusmodi longe eſſe anteferendum, eumque optimis & ſaluberrimis elementis leviſſimis, ſubtiliſſimis, ſpirituoſis, volatilibus, elaſticis, expandentibus, ſalinis & mediis & alcalicis, vitriolicis, martialibus, energeticis atque præſtantibus & penetrantibus, bene tamen inter ſe temperatis, & quæ capiti præſertim & nervis admodum proficuis atque toti naturæ humanæ, ſive vitæ vigorique hominum, omnibus ferme temperamentis, omnisque fere ætatis, ſexus & habitus ſubjectis, gravidis etiam fœminis, nec non debilitatis & convaleſcentibus atque ſuccis eorumque fluxui corporum humanorum, uti & affectibus frigidis ſic dictis ac chronicis præſertim admodum conveni-

venientibus atque amicis jucundoque calore ſe commendantibus, totum eſſe refertum, ut Almæ Naturæ ſingulari benignitate humanis temperamentis, ſtudio veluti temperatus calidus & gratus factus, prout Caſſiodorus loquitur, tanquam pro delicioſa ſine tormento cura, ſine horrore remedio datus videatur; adeoque multis tam præſervandis, quam curandis morbis, iisque ex aſſe non tantum palliative, ut aliqui iniqui cenſores ſine ratione & experientia de omnibus ejusmodi curis, frivole perhibent, eum præſtantiſſimum eſſe, clara argumentatio valet. Etenim vana ſaltem vulgi perſuaſio eſt, aquas ejusmodi ſoterias, ægris tantum, non ſanis prodeſſe: Sane ambo impune, ut per multa conſtat exempla, ferunt eas ac aſſumtas peroptato iterum reddunt. Ad hoc quoque ſcire licet, omne tempus adhibendo uſui hinc opportunum haberi.

§. VI. Jam vires, operationes & emolumenta quoque eximia colligere æſtimareque ex facili poſſumus, quæ humanis corporibus, blande jucundeque calefaciendo, excitando, refocillando, expediendo conferunt, juſtum ac debitum partium ſolidiarum tonum & robur conſervando & perditum reſtituendo, circulum & pulſum humorum i. e. itum reditumque ſanguinis per ſubtiliſſimos canaliculos, juvando, atque ſpirituum animalium influxum & ad nervos uſque penetrationes ſubtiliſſimæ hujus & maxime activæ & quaqua verſum nitentis materiæ ad quaslibet corporis partes ſolidas actuandas intimaque penetranda abſolute neceſſarium, intendendo ac inſtaurando, ſpirituaſcentiam facilitando, craſſas, viſcidas, pituitoſas, tenaces, acidas, ſalſas, acres, bilioſas, auſteras acerbaſque, tartareas, ſcorbuticas particulas quæ iis præter naturam hypochondriis præſertim inſunt, repurgando & abſtergendo, ſimulque incidendo, reſolvendo, invertendo, temperando, diluendo, attenuando & ad motum aptas reddendo, induratas, rigidas contractasque partium ſolidarum, carnearum nervoſarumque fibras emolliendo & relaxando, ſimul tamen etiam relaxatas nimis partes roborando, confortando expandendoque, cutis poros calore ſuo præcipue aperiendo eosque capaces reddendo, ut cum aqueis particulis, reliquæ, quæ inſunt, in interiores corporis receſſus uſque penetrare valeant, obſtructiones tubulorum atque canalium in viſceribus & ſingulis emunctoriis reſerando & aperiendo ac eluendo, quo ſimul excretiones ſollicitantur & reſtituuntur, noxias & ſuperfluas partes, per emunctoria omnia, per ſudores moderatos, urinam & dejectiones alvinas &c. foras educendo. Siquidem potenter purgant & quidem ſine appetitus

natura-

naturalis imminutione ſineque ulla virium proſtratione aut languore, potius cum earum inſtauratione, ſine ſanguinis commotione, ſineque toni*ventriculi & inteſtinorum deſtructione.

§. VII. Duplici nimirum modo hodie hujus fontis aqua, potando pariter ac balneando æque adhibetur. Primum itaque clare intelligitur, uſum hujus aquæ ſalutaris internum in multis omnino morbis eorumque cauſis deſtruendis, præſtantiſſimum eſſe. Cum enim quanta ſatis eſt ejus copia pota, ventriculum cum inteſtinis eorumque præſertim tunicas, glandulas & plicas non modo, ſed & vias lacteas vaſaque ſanguifera, quæ viſcera & membra alia perreptant, abſtergunt, eluunt, & cruditates ibi, ſive colluvies ſeroſas, bilioſas, tenaces & pituitoſas, terreſtres temperant, corrigunt ac attenuant atque reſolvunt, easque per alvum, veſicam, cutis poros aliaque ſubinde emunctoria emungunt atque foras educunt, indeque morbis iisque pertinaciſſimis, graviſſimis, chronicis, habitualibus & abſtruſiſſimis, atque in quibus cauſa altius inhæret & medicorum etiam prudentiſſimorum labores plerumque fatigant, & vires omnium aliorum remediorum ut plurimum eludunt, apprime medentur. Qui ab impuritatibus primarum viarum ipſiusque ſanguinis & aliorum humorum atque hinc oriunda fibrarum motricium, ex quibus ſingulæ corporis partes ſuam compagem ſortiuntur, atonia ac minus expedito humorum itu redituque & ſecretione exoriuntur, affectus quales ſunt, ventriculi imbecillitas & hinc profecta appetitus & chylificationis vitia, ſive cacochymia, anorexia, apepſia, nauſea, ructus, vomitus, fames canina, ſitis immoderata, inflationes & dolores inteſtinorum, colica, (de qua ex podagra intra corpus receſſa notabilia aliqua habeo exempla) juvamentum exinde accipiunt, dolores item, qui per conſenſum ex aliis corporis partibus iisdemque remotioribus, capiti & ejusdem partibus accidunt, ut & alia illa vitia, vertigo, aurium tinnitus, auditus imminutus, medelam acquirunt. Non minus pulmonum a pituita infarctus cum humido aſthmate & tuſſi, hoc medio auferuntur, quatenus vaſa & glandulas ramis aſperæ arteriæ inhærentes, vel induratas emolliunt, viſcidum attenuant & ab eo liberant partes obſeſſas, eaque parte reſpirationem liberiorem reddunt, vel relaxatum & deperditum tonum reſtituunt, & humiditates ſuperfluas eo confluxas aliorſum divertunt & per inteſtina evehunt, immo imminens exinde phthiſis & hectica per hoc remedium feliciter avertitur, præſertim ſi ex obſtructione viſcerum natum fuerit hoc morborum genus, qua propter in præcavendo eo MORTONVS in *Phthiſiologia Lib. II. Cap. II.* aquas medicatas Islingtonienſes

Nn 2

enſes iterum atque iterum commendat. Obſtructiones alvi ejusdem pertinaces fluxiones pariter, cauſa mali excluſa, ut & teneſmus, inteſtini recti relaxatio, ſtranguria, dyſuria, mictus cruentus & præſertim lerna illa malorum, malum hypochondriacum ipſaque hypochondriaca melancholia, hac ratione efficaciſſime curantur. Cachexia omnis, chloroſis, ſcorbutus, hydropes, icterus isque niger, obſtructiones viſcerum, atque; illorum vaſorum & glandularum ventriculi, duodeni inteſtini, hepatis, lienis præſertim ut & pancreatis ſubtilem blandeque fermentantem & utilem ſuccum præparantis, & exinde ſanguinis circulus impeditus, hoc quidem pacto, optime abiguntur atque tota maſſa humorum pura redditur, naturalisque temperies revocatur. Affectus ſpaſmodici porro, ubi fibræ ſunt tenſæ, rigidæ, exſiccatæ, paſſio hyſterica, atque dolores variarum partium, arthritides vagæ & fixæ, rheumatiſmi in coxendice, aliisque locis humani corporis, ſævientes, contracturæ, paralyſis, membrorum ſtupores varii, imbecillitates & languores, luxationes, rachitis, ſic egregie depelluntur, juvantur atque in priſtinum ſanumque ſtatum rediguntur. Tumores atque exulcerationes intus latentes in meſenterio, renibus & veſica urinaria, non adeo quidem inveteratæ maturantur, aperiuntur, exonerantur, mundificantur atque ſanantur. Si & eædem partes ut & veſica fellea calculoſis concretionibus, vel materia earum viſcidis & ſalſis, tartareis ſordibus obſeſſæ ſunt, hæc calculorum futurorum rudimenta & incrementa & ipſe calculus jam factus, his lymphis deſtruuntur & emollitis bene & expanſis partibus citra ſingularem dolorem, ejiciuntur. Hinc ſæpe obſervavimus, cum reddita urina eaque turbida magnam ſabuloſam & viſcidam materiam varioque colore infectam fuiſſe excretam. Vermes, quibus ejusmodi ſalia alcalia, ut & ſulphurea & vitriolica & martialia ſunt adverſa, exturbantur, atque bilis acrior corrigitur & temperatur ac in optimam indolem convertitur, ut commoda ſatis ac apta ſit confectioni chyli motuique periſtaltico, adeo neceſſario & utili, œconomiæ animali, inſtigando & perennando. Cutis affectus, ſcabies eaque tam ſicca quam humida, impetigines, vitiligines, abſceſſus & ulcera eaque inveterata & tumores duri aliaque ejusmodi vitia deturbantur. Menſium præterea tam obſtructiones ac defectus, quam fluxus inordinatus & nimius, quod quibusdam mirum videtur, ut & difficile hæmorrhoidale, in viris præſertim negotium, nec non fluor albus, ut & conceptionis vitia, ſterilitas, uteri prolapſus, optimam exinde correctionem accipiunt. Alii quoque mulierum morbi hic nominandi & in iis hoc medi-

medicamen laudandum Lyciæque quibusdam conceptum fœminarum ſpecifice cuſtodientibus, ut Scriptores quidam referunt, æquiparandum, ut abortus frequenter contingens, molæ & ejusmodi in utero concrementa, ægritudines ex lochiali ſanguine & purgamentis retentis ut & languore ex puerperio laborioſo & minus ſecundo, vel alio morbo prægreſſo reſiduo. Febres tandem intermittentes easque contumaciſſimas & ſæpe recurrentes, talesque, in quibus nimis mature cauſſa adhuc vigens materialis ſuppreſſa fuit, inſigni cum levamine fugat, ac illa detrahit incommoda, quæ feſtinata illorum ſuppreſſio ſolet relinquere, ſi diebus intercalaribus & in declinationis tempore tam externe quam interne adhibetur noſtra ſoteria aqua. Febribus item lentis, poſt febres intermittentes in ſpecie male & intempeſtive per conſtringentia maxime tractatis hoc modo egregie occurritur. Speciatim indicare convenit, quod abditos & latentes in humano corpore morbos ipſo earum uſu prodere ſoleant. Quibus indicatis, ſatis pereximias virtutes mirandosque effectus hujus fontis, nos declaraſſe arbitramur. Tametſi plures obſervationes, quæ de illius effectibus teſtari queant, colligere poſſemus, interim, qui horum intelligentes adducta rite perpendunt, haud difficulter plura poſſibilia per bonam conſequentiam præſumere valebunt.

§. VIII. Circa hunc uſum hancque adminiſtrationem obſervandum eſt, ut non irrita aut nociva, ſed felix fauſtaque hæc cura futura ſit, quod pleræque res, uſu aliquo commendabiles, requirunt, ut ante illum ſive internum ſive externum nempe uſum, ne abundantia & pravitas humorum capiendæ copiæ ac moli aquarum hauriendarum obſtet, & impuritates primarum viarum vim earum eludant, & cum iis ad maſſam ſanguineam abripiantur, illamque confœdent atque conturbent, varia ſymptomata & incommoda multosque morbos ingenerent, aut laxante, aut purgante, ex ſalibus detergentibus & colliquantibus, ut ſale ebſonienſi, tartaro vitriolato, ſale ſedlizenſi Bohemico, ex Egranis acidulis vel ex hoc aut altero fonte Carolino deſumto, terra foliata tartari & ejus liquore cremore tartari, rhabarbaro, manna aut pilulis de ammoniaco Quercetani, de ſuccino Cratonis, aut mixtura aliqua ex aqua menthæ, gummi ammoniaco in aceto ſoluto, ſale tartari cum ſcammonio ſulphurato & ſirupo menthæ, ſimilibus confecta, vel nodulo quodam laxante per aliquot dies uſurpato, nec non clyſmatibus ex emollientibus, laxantibus & diſcutientibus paratis, aut etiam vomitorio ex radice ipecacuanhæ cum uno grano tartari emetici, aut cui alia forma arri-

deret, ex tartaro emetico gran. ij. vino Hiſpanico infuſo bene primæ viæ repurgentur & venæ ſectione aut ſcarificatione orgaſmus ſanguinis imminuetur, ac vaſorum plenitudo detrahatur, & inſueta ſanguinis quædam ſuppreſſio tollatur, ne operationibus inſtituendis obſint & ne copia & calor aquæ ſanguinem, nimis expandat vaſaque ejus nimis dilatet, cephalalgias & anxietates præcordiales; difficilem reſpirationem, phlogoſes, hæmorrhagias, ſudores immoderatos, vigilias involuntarias, rupṭiones venarum & apoplexiæ periculum inducant. Simulque tamen iterum iterumque præſupponimus, ut a provido & ſciente Medico omnes rerum ad hanc curam pertinentium circumſtantiæ obſervatæ prius fuerint, an ſatis tuta & commoda hæc cura futura ſit, an nimirum viſcera ſint ſana atque integra, quod ex appetitu vegeto digeſtione laudabili, excretis ſecundum, naturam procedentibus maxime colligitur, aut non penitus indurata ea atque ſcirrhoſa, aut alicubi locorum in corpore, in capite, pectore, abdomine, vaſa ſanguifera ac lymphatica rupta fuerint, & ſtagnationes talium humorum exinde factæ, an exulcerationes internæ pulmonum, hepatis, lienis, renibus, pancreate, meſenterio aliisque in partibus graviores & inveteratæ, putroſæ & ſinuoſæ & metuendæ, aut an affectus cujusdam ſoporoſi apoplexiæ, idiopathicæ i. e. a ſeri extravaſatione in ventriculis cerebri præſertim oriundæ, epilepſiæ, inflammationum internarum ſuſpicio adſit, aut conſtet, memoriam uſumque integrum & ſanum ſenſuum & rationis perditum eſſe. Item an polypi in cavitatibus variis cum aſthmate convulſivo, nec non hæmorrhagiæ enormes ac contumaces & ex facili recrudeſcentes, ut & hydropes conſummati & a vaſis lymphaticis corroſis facti, & hectica confirmata aut etiam lues gallica aut ex gonorrhœa virulenta, ulcera cancroſa depaſcentia ſubſint. His præmiſſis & bene penſitatis, ſimulque menſium in fœminis & fluxus hæmorrhoidalis in viris, ratione habita, an nimirum fluant (nam ſub his fluxionibus uſus aquæ thermalis neque inchoandus neque continuandus maxime balneando) & in requiem tam corpore quam animo bene compoſito, tempore electo & commodo, horis nimirum matutinis atque refectis ſatis nocturna quiete, viribus, exonerata, ſi fieri poteſt, alvo atque veſica urinaria, nec non diſcuſſo durante ſomno per inſenſibilem transſpirationem, omni ſuperfluo humido principioque activo ad priſtinam energiam reducto, potatio bono cum Deo invocatoque ejus Summo Numine horis matutinis, (quod tempus bibendi aquas ejusmodi medicatas commodiſſimum & utiliſſimum, immo neceſſarium cenſetur, quoniam hæ ipſæ aquæ tunc aëre exiſtente

frigi-

frigidiori viribus integris adhuc i. e. partibus ſpirituoſis inſtructæ exiſtunt,) ex recens hauſta fonte aqua bene calida inſtituenda & cum ea univerſa cura incipienda, inchoando a X. XII. XV. ollulis aut vitris, & adſcendendo atque augendo indies uſque ad XX. XXV. Quæ quantitas ut plurimum ſufficit ad evacuanda ea, quæ debent evacuari, ſiquidem plurimi ex hac ſexies, ſepties, decies, undecies & pluribus adhuc vicibus dejiciunt. Cum ea quantitate aſſumenda, qua confert, & ſi talia excernuntur, qualia excerni oportet, ad V. VI. VII. & plures dies pro ſubjectorum & morborum conditione & indole continuetur, & bis terque hic ordo, quem curam vocant, obſervetur & repetatur, interpoſito ſingulis vicibus laxante. Efficacius quidem ex ipſo fonte ſtatim hauritur pro cura aqua thermalis; quibus vero non licet, fontem ipſum adire, aquam, domum adportatam, prius in lagena, anguſtioris colli bene obturata, ne ſpirituoſa ac energetica pars abeat, ferventi aquæ Carolinæ alteri ut fervidiſſimæ imponere, ſicque calefacere convenit. Quo & animadvertendum, quod utilius ſit, ſi lagenæ, in quibus aqua medicata adportatur, non penitus exhauriantur, quoniam in ſuperiori parte aqua levior & ſpirituoſior exiſtit. Potatio in conclavi bene inter frigus atque calorem temperato inter deambulationem modicam, operationem atque ſecretionem & excretionem apprime adjuvantem, ordinario atque conſultius inſtituitur, delicatioribus, debilioribus, tenerioribus, ſenſibilioribus ac infirmis difficileque perſpirantibus tamen, non adeo ſcrupuloſe refragari vellem, ſi in lecto, evitando tamen ſomnum, eam adhibere viſum eſſet. Quandoque talem potandi modum commendare ſoleo, quando nimirum de ultima cura, quam vocant, agitur, & ſudores ut augeantur, e re eſſe videtur, ſuccis prius præmiſſis primis curis tenuioribus factis ſalibusque morbificis bene temperatis. Siquidem & in variis ſubjectis variisque morbis decumbentibus & ex lecto reſurgere non valentibus ſalutarem talem aquæ uſum deprehendi. Fuerunt enim plures ſubinde talis conſtitutionis perſonæ, quibus hic potationis modus optime profuit. Sunt quoque certi quidam morbi, in quibus magnum emolumentum exinde ægrotantes reportant v. g. affectus pedum ſpaſmodici & arthritici. Etenim licet motus externus magis diſtributionem & excretionem promoveat, attamen & de utilitate hac bene ſperare poſſumus tam aquæ apprime quoad calorem temperatum & urgentis copiam virtutemque ſtimulantem, quam naturam ſolidorum elaterem ac tonum fluidorum circulum dirigentium, conſiderantes. Si ulterius quæratur, an etiam alio tempore & ſpeciatim inter cibandum

bandum has thermales aquas potare conveniret, affirmando ad hanc quæstionem, nec ſine ratione reſpondemus, quoniam æque ad cibos bene conficiendos, atque infirmum & laxatum ventriculi & inteſtinorum tonum emendandum ac juvandum, multum valent aſſumtæ aquæ thermales. Nec deſunt variæ perſonæ, præſertim fœminei ſexus, quæ ventriculi & inteſtinorum affectibus gravioribus & contumacibus, ut colica, cardialgia &c. vexatæ, quæ cum euphoria paulo ante & inter paſtum debito moderamine obſervato, talem potum adhibuerunt. Perinde non ambiguum habemus, balneum mox ingreſſuris, immo eo jam inſidentibus aliquot vaſcula vel IV. VI. VIII. ollulas ſive ad unam libram circiter hujus aquæ thermalis, ut epotent quandoque, nec ſine euphoria ſemper ſubſequuta commendare, quo obſtructiones internæ & ſcirrheſcentiæ atque tumores duri, meſenterii glandularum &c. facilius præſertim fotu quaſi valente juncto, expediuntur, alvusque magis fluida ſervatur. Cœterum neminem ſtatim terrere & ab incepta cura arcere debent ſymptomata quædam, forte interdum intervenientia, ut purpura rubra, puſtulæ ſcabioſæ, immo inflammatio quædam eryſipelatoſa, nauſea, ſubverſio ventriculi, ventris inflatio, dolor tenſivus præcordiorum inteſtinorum fluctuatio, capitis etiam gravitas, ſomnolentia vel pedum tumores, vel etiam conſueti morbi quidam v. g. arthritis, ex calculo dolores &c. ſub ipſo aquarum thermalium uſu redeuntes: hæc omnia enim aut utentes deſerent, ubi aquæ viam ſibi expeditiorem reddiderint, & validius operationem ſuam exercuerint, aut ſalibus acribus morboſis ad habitum corporis fauſto omine dejectis, cum felicibus ægrotantium rebus evaneſcent.

§. IX. Quodſi, quod ut plurimum fieri expetitur, potu & balneo utendum ad fortiorem penetrationem ad patentes cutis poros, intimiorem acceſſum aquæ tepore ſubtili activaque ſua virtute procurandum, ad emolliendas, magis relaxandas contractas induratas fibras, & ad motum ſanguinis magis promovendum, eumque ad externas & inferiores partes alliciendum, atque ad derivationem aliorſum, revulſionem inſtituendam, perſpirationem cutis adjuvandam augendamque, & congeſtionem ſanguinis atque humorum, quæ a ſpaſmis inferiorum partium frequenter fiunt, ſolvendas, atque ad affectas partes extremas occupantes abigendas, abſoluta potatione & præmiſſa laxatione balneum, ut aqua ſuperflua & a potu relicta ab eaque commota & ſoluta inquinamenta prius ex corpore excernantur, ſive horis matutinis ſive veſpertinis, vel etiam bis in die, atque vel in balnearia ipſi fonti adſtructa, ſeſe recipere

poſſunt

possunt sic lavari cupientes, vel ut aqua domum transportetur, curare, ubi labro aqua hac pleno insideant atque successive ad umbilicum primum, ad axillas dein ac etiam ad mentum tandem se immergant. Ordinario hic duæ horæ balneo impenduntur, quod & per III. IV. V. aut VI. dies continuari potest. Quæ vices bis terve serventur, prout ægrorum constitutio morborumque conditio exigit. Inter balneandum si venter statim primis diebus spinam versus contrahitur, boni futuri eventus faustum erit signum. A balneo præsertim cavere oportet, ne frigidiori auræ, visceribus & nervis præsertim inimicæ & in apertos a calido balneo corporis poros promptissime penetranti, corpus exponatur, quare cum cura, integumentis illud velandum est, ex quo in lectum se recipiant & ibi bene contecti, in sudorem proni atque proclives ad tolerantiam eundem promoveant, hoc regimine probe observato, sudorem calidis linteis abstergant, & corpus fricationibus paululum exerceant, quo modo vires & servabunt integras & amissas recuperabunt.

§. X. Præter hos magis consuetos usus, potum nimirum & balneum, alii quoque esse possunt haud contemnendi, quibus aqua nostra æque ac aliæ ejusmodi inservire solet. Tales ii quidem magis consueti magisque noti sunt, si pediluvia ex ea parentur, quæ ipsi aquarum thermalium curæ & inprimis balneo præmitti, jungi ac postea aliquamdiu continuari possunt, quoniam concinne præparant, adjuvant ac sustentant, conservant & continuant ejus operationem. Ordinario ea magis ad pedum tumores & languores discutiendos & avertendos adhibentur. Si porro clysmata exinde componantur, in quam plurimis morbis proficua & necessaria. Si os ea colluatur, pro ejus vitiis emendandis. Si gargarismata exinde formentur pro tonsillarum tumoribus resolvendis, colli & faucium inflammationibus discutiendis, pro relaxatione uvulæ restituenda. Si auribus instilletur pro susurris abigendis, doloribus mitigandis, pro auditu deperdito juvando. Si oculi cum ea calida laventur pro inflammationibus, suffusionibus incipientibus, aliisque eorum vitiis corrigendis. Siquidem & multoties expertus est Præses quod & frigida & aliorsum transportata diuque etiam per integrum annum asservata, aciem oculorum mirum conservet non modo, sed & augeat, si quotidie ea, illi laventur. Aeque notum habet, scirrho, cancro, albo fluore mucoque crasso obsessum muliebrem uterum per metrenchytem injectam abstersum, ut & ulcus in vesica nidulans mundatum & ad cicatricem, injectionis ope, perductum fuisse. Virginibus etiam solo fotu, ad menses albos profuisse, memoratur &c. Stillicidia quoque sunt

ex earum medicationum generibus, quæ variis corporis partibus, ut capiti, nuchæ, & collo, ventriculo, artubus roborandi, diſcutiendi, emolliendi, penetrandi &c. fine, atque pro variis affectibus gravioribus & abſtruſioribus abigendis, adhiberi ſolent.

§. XI. Non abs re erit, immo utile & quandoque neceſſarium, uſum aquæ tam internum, quam externum pharmaceuticis remediis atque medicamentis non modo incipere ac finire, ſed & eum interpolare, cooperari, juvare, immo ſupplere interdum atque jungere, eaque per aliquot ſeptimanarum ſpatium domum reverſi continuare, prout rerum ac circumſtantiarum ratio ſuadet, ut auxiliatricibus quaſi manibus conſociata quaſi auxilia, in commune bonum ægrotantium amice conſpirent. Omnis generis medicamenta pro hoc ſcopo ſolent adhiberi evacuantia, laxantia, diuretica, vomitoria, ut & clyſmata alterantia, præcipitantia, reſolventia, confortantia, ſtomachica, ſingulis morbis convenientia, antiſpaſmodica, antiarthritica, antinephritica &c. Quibus in genere proſpiciendum, ut debitus partium tonus conſervetur ac inſtauretur, ſingulæ ſecretiones & excretiones ſecundum naturæ leges, bene procedant, correctio & ſanatio adjuvetur atque ſic natura omni onere levata, priſtinum ac novum vigorem recipere poſſit. Speciatim dicendo ſtomachica magis ordinaria ſunt ſingulisque propemodum communia, qualia ex amaris præſertim ut eſſentia abſinthii, centaurei minoris, ut & cardui benedicti & corticum aurantiorum nec non alia, ut tinctura tartari compoſita, eſſent: chacarillæ, elixir proprietatis, ſal volatile oleoſum Sylvii cum ſpir. nitri dulci temperatum præſcribi aſſolent. Integra tandem cura ſic abſoluta, rei omnino intererit, ei adhuc colophonem laxante aut etiam clyſtere, iterum imponere, ubi ordinario magna humorum ſuburra exoneratur, quoniam ab aqua medicata largioribus his hauſtibus aſſumta, ventriculus & inteſtina impleta fuerunt, atque in coli præſertim plicis atque receſſibus multæ adhuc inertes, phlegmaticæ & pituitoſæ partes ſolutæ relictæ, quæ ſi remanerent, varia mala ſymptomata iterum concitare poſſent, ut inquietudines, languores, colicam, ac febres &c.

§. XII. Præſertim ne fruſtraneus aut omnino nocivus futurus uſus omnis hujus curæ ſit, convenientis diætæ leges ut ſemper, quoniam vitæ conſervatio tota in victus ratione repoſita eſt, ita & hic quoque obſervandæ, tam per ipſum curæ tempus quam poſt abſolutam eam. Ante omnia abſtinendum a nimia cibi & potus repletione, aſſumendis aquis thermalibus admodum adverſa, licet etiam illi ex ſalubribus ſint,

quare

quare & lauta præſertim cœna, utilius intermittatur. Quoniam vero non omnes adblandientes ſunt corpori & ſpeciatim curæ hujus tempore, ſalutares cibi, tales aſſumant qui ſunt facilis digeſtionis & diſtributionis. Ex carnium cenſu laudantur carnes teneræ, ut boum, juvenculorum, vitulorum, agnorum, leporum, caponum, alaudarum, turdorum, perdicum, pullorum gallinaceorum & ova, quæ conducibilia admodum ſunt, ea quidem recentia & ſorbilia &c. Piſces conceduntur ſaxatiles, funduli, truttæ, percæ, lucii. Ex fructibus amygdalæ, pineæ, ficus, aſparagus, radices petroſelini, paſtinacæ coctæ, cichorei, oriza, alica. Juſcula parentur ex atriplici, beta, bugloſſo, chærefolio, endivia & ſimilibus vegetabilibus & juribus recentium carnium &c. Vitent vero omnes cibos viſcidos inprimis pingues, butyro frixos, ova præſertim ſic parata eaque dura, ſalitos, acidos, fermenteſcibiles, inprimis aromaticis nimis, pipere præſertim confectos, animalium jecora, inteſtina, pedes, capitaque vitulina &c. carnes item anſerum, anatum, pernas, lardum, farcimina, placentas pinguiores & calentes, piſces paluſtres, ut anguillas, tineas, carpiones, eosque fumo aut aëre induratos, fructus horarios, legumina flatulenta, nimia farinacea, lacticinia, caſearia. Potus ſit tenuis & defecatus & diureticus. Hauriatur non frigidus nimis, præſertim a balneo, corpore adhuc calente: Largior tamen aſſumatur, quam quidem pro conſuetudine aſſolent, balnei tempore. Ex cereviſiis, quæ in iſto loco haberi poſſunt, Joachimsthalenſis, Neukirchenſis, Schneebergenſis præferuntur. Ex vinis, parce tamen, ut nimirum uſum medicum obtineant & efficaciam ſuam largiantur, quæ in roborando, refocillando, reſolvendo, diſcutiendo conſiſtit, inter prandium ac cœnam, concedi poſſunt Bohemicum, Hungaricum, Rhenanum; Moſellanum vero & Neckarinum inprimis calidioris conſtitutionis hominibus, qui bilioſas cruditates in primis viis alunt, magis convenient. Quibus volupe erit, loco potus ordinarii etiam leves acidulas, qui haud procul a thermis Carolinis ſcaturiunt, quas vulgo *den Buch Säuerling* appellant, & in oppido venales circumferuntur, uſurpare poſſunt. Non inconvenienter vinum præſertim Rhenanum cum acidulis illis modo nominatis miſcetur. Nec adeo moroſe atque rigoroſe, ut plures etiam medici aſſolent, poſt horam unam aut alteram, a potu thermalis aquæ aſſuetis & qui in deliciis habent, præſertim fœminis potum moderatum decocti coffee immo etiam ſuccolatam cum aqua coctam tanquam confortans, atque adeo viris tabaccophilis tabaci fumum per tubulum teſtaceum hauriendum, vetare poſſumus. Vinum vero aduſtum, quoniam

Oo 2 alvum

alvum conftipat, & humores coagulat, confultius omittitur. A prandio atque a potu aquæ thermalis, fomnus ftudio arcendus. Motui ac exercitio moderato corporis, ut ambulationi atque exfpatiationi, honeftæ faltationi etiam ad fudorem lenem ufque protractæ, equo & curru vectioni, tornatione &c. poft potum affumtum, per unam & alteram horam ex neceffitate vacandum, quoniam valide & utiliffime aquarum operationem juxta ac fecretionem excretionemque adjuvant. Qui vero a morbo prohibentur his corporis motionibus uti, frictiones artuum affiduæ loco exercitii erunt. Non poffumus autem probare nimia exercitationum genera, ut quam plurimos hæc falfa perfuafio tenet, ufque ad multam laffitudinem & virium proftrationem magnumque fudoris effluxum protracta, per quæ laboriofam illam adfcenfionem per plures horas ad circumjacentium montium vertices atque faftigia intelligimus. Nam vires integræ, ad operationem omnem thermarum rite perficiendam omnino requiruntur. Hinc obfervamus, quod extreme debilitatis aut decrepita ætate conftitutis hominibus curæ thermales omnes, minus proficiant. A balneo vero confultius omnis motus intermittitur, fed potius, ut fupra monitum eft, quies & fomnus, ad quem ipfum balneum quafi invitat, per unam alteramque horam in lecto conceditur, immo injungitur, exfpectando lenem cutis madorem. Vigiliis nimiis non corpus fatigent & exhauriant: Alvus procuretur laxa & quotidie aperta per jufcula alimentofa & lenientia & emollientia, per fuppofitoria & clyfteres. Singulæ reliquæ excretiones fucceffive, tempeftive & non exceffive atque conftanter inftituantur. Studiofe arceatur ac corrigatur omnis aër adverfus, qui præfertim temperamentis fanguineis & fanguineo-phlegmaticis noxam infert, quod, uti hoc temperamentum, ubi fanguis nempe prævalet, præ reliquis felicius eft & conftantiori firmiorique gaudet fanitate, ita & hoc præ reliquis incommodum habet, ut quo fubtilior, tenuior ac volatilior fanguis in confiftentia fua, eo etiam alterationibus, ac ebullitioni, aëris ac tempeftatum alterationibus & variationibus, inprimis fubitaneis viciffitudinibus alteretur magis, & in inordinatum motum vertatur atque ad intemperiem fit valde proclivis. Nam licet ibidem locorum falubris in fe ipfo ut plurimum aër exiftat, quoniam calidus, ficcus & tenuis falibusque alcalicis & fpirituofis effluviis refertus eft, quæ optimæ qualitates ab igne fubterraneo, qui hoc in loco ejusque vicinia per multa veftigia fe prodit, ac vaporibus exhalationibusque hinc inde ex copiofis, ex fonte fervido & balneis evolutis exeuntibus, quoque acceptæ feruntur: eft tamen juxta fubitaneam quandoque

doque ejusdem alterationem & mutationem, quod curæ tempus & conditio præsertim circa hunc ipsum observare moderarique præcipit. Speciatim frigidus, pluviosus & nebulosus, matutinis & vespertinis maxime horis, huic curarum generi adversus, quoniam transspirationem & liberam circulationem sanguinis impedit, fluores condensat, ac solidarum partium, maxime nervosarum, debitum tonum vimque movendi potenter impedit, per totum curæ tempus, maxime autem inter potandum vitandus. Nemo eorum inprimis, qui hac cura utitur, talibus objectis inhæreat, quæ mœrorem tristitiamque ingerunt, eo enim occasionem subministrabit, ut motus vitales & totius corporis animique vires labascant & successive magis imminuantur, contra quod ægritudinis genus nullum in pharmacopoliis invenitur medicamentum, quod in animum agere aptum sit, hinc nec corporis morbis facile medici medentur, nec cura adhibita feliciter succedit, quamdiu animum hi mali affectus conturbent. Immo ad hoc scire licet, quod ex sedula attentaque observatione colligitur, curas per aquas soterias, sive calidæ sive frigidæ illæ sint, institutas, haud feliciter cedere in ejusmodi, morbis ex anomalibus motibus per diuturnum antegressum mœrorem inductis, genus nervosum & cerebrum debilitantibus, curandis, ob debilitatum nimis cerebrum nervorumque tonum, qui impedit, quo minus haustæ in copia aquæ, per cerebri minutissima vascula, volvi revolvique queant. Quare hæ atque omnes graviores curæ, profundæ meditationes, lucubrationes & alii immoderati animi affectus & commotiones omni cura fugiendæ, sed mens potius spe atque fiducia erigatur, atque animi continentia integra sit, ejusque ex gratis rebus quæsita delectatio procuretur, atque is ad omnem lætitiam, ac gaudium naturæ humanæ semper proficuum, componatur; Nec ibi loci etiam deest varia amœnitas, animis reficiendis & seriis laboribus corporis proscribendis, idonea.

§. XIII. Tandem etiam accidentium morbosorum, usui thermarum subinde supervenientium habenda ratio est, qualia sunt cephalalgiæ, quibus clysteribus, pediluviis, laxantibus, unguentis & frontalibus succurritur. Vigiliæ involuntariæ, quibus juxta hordeata & emulsiones quoque conveniunt. Somnolentia, per frictiones clysteres acriores, caput purgantia, cessationem a balneo &c. abigenda. Sitis quæ per julepos acidulos emulsiones & similia sistitur aut fallitur. Inappetentia evacuationum ope appetituque excitantium curanda. Alvi constipatio assumendis prunis dulcibus, coctis, spinachia, beta, malva, pil-

 lulis

lulis laxantibus, v. gr. Imanuelis de fuccino Crat. &c. cremore tartari, mannatis & fimilibus, clyfteribus atque fuppofitoriis emendanda. Colica forte fuborta clyfteribus & ab ulterioris potus abftinentia fedatur. Naufeæ & vomendi conatui a ventriculi debilitate ftomachicis aromaticis & fubamaris fuccurritur. Efflorifcentiæ & exulcerationes cutis, quarum per continuationem balnei blandioris, tepidioris, vel fi etiam exuberantes nimis fint, tandem venæ fectione, fudoriferis, purgationibus, ratio habeatur. Menfium fluxus fubortus ut & febris, ceffationem a balneo exigunt.

§. XIV. Quæ adhuc forte monenda atque indicanda effent, ut & omnia in his paragraphis confcripta, ut eo felicius cedant, directioni & moderationi intelligentis Medici harum rerum optime gnari, relinquenda, commendanda committendaque ulterius erunt: Talis enim ufum difponere, curam ordinare, copiam aquarum bibendam & repetitionem aut dilationem, tam potationis quam balneationis ad utentium atque balneantium naturam, morborum indolem & fymptomatum intervenientium, rationem dirigere, obfervare, difcernere, corrigere, avertere, componere, futuris profpicere, (ut nempe ab ufu thermarum falubria & quæ juxta naturalem ftatum invenerit, conferventur & fi quid a propria natura receflerit, ad priftinam fymmetriam reducatur) atque per omnia tam ægrotantibus quam convalefcentibus recte confulere, fciet.

* *

VII.
DISSERTATIO MEDICA
DE
BALNEIS PARTICVLARIBVS.

PROOEMIVM.

AD avertendos, debellandos, profligandos, ejiciendosque belli tempore hoftes, ut pax aurea atque fecuritas publica reparetur, varia agitantur confilia, varii intenduntur labores, variique conquiruntur bellici apparatus: Colliguntur arma tam defenfiva, galeæ, loricæ

ricæ, cataphractæ, &c. quam offensiva, gladii, acinaces, pugiones, hastæ, bipennes tormenta, bombardæ, sclopi, ac ejusmodi bellicus apparatus, pulvis pyrius, globuli plumbei &c. Imo non semper ex armamentatorio, sed etiam non raro exigente sic rerum statu ac necessitate ex horreo stabuloque depromuntur, sæpeque flagellis, vectibus, falcibus fœnariis, perticibus, furcis, fustibus, rastris, clavis, lapidibus irruentes insidiæ depelluntur; nec his, res omnis, semper & statim potest decidi, sed pro varia occasione ubi etiam sive cominus sive eminus pugnandum vis vique pellenda atque arcenda est, variis aliis machinis & instrumentis opus est. Hic cuniculi agendi, illic aggeres exstruendi sunt, & gerræ ponendæ, hic fossæ ducendæ, hic valla erigenda, alibi viæ commeatusque ac aquæ ductus obstruendi, modo arietibus muri diruendi, scalis transcendendi, portæ exostris irrumpendæ &c.

In Medicina, quæ ex his tribus: ægro, morbo & medico constat, qui inter se quasi pugnant, æque ac in bello πολυμηχανία valde necessaria est, varia instrumenta sunt afferenda, varia consilia capienda; variique scopi formandi & in ipsum actum deducendi, qui in commune bonum & salutarem futurum exitum, una conspirant, ut vitia tollantur homoque servetur, inprimis iis in morbis, qui præ aliis magnitudine eminent, ægriusque auferuntur & lethum magis inferunt; Tum præsidia multifaria ex variis classibus a medentibus sunt petenda, qui omni modo eo allaborare debent, ut morbum evertant, variisque in locis applicanda quæ evacuant, alterant, avertunt, derivant, revellunt, intercipiunt atque repellunt. Eaque non semper ex pharmacopolio & armamentario chirurgico depromuntur, sed sæpius ex ipsis domus partibus, ex puteo, foco &c. afferuntur, quæ sæpius æque, si non magis ac illa, proficua sunt. Ex iis quæ eo conferunt, quæque haud simplicem vicem explent singularesque dotes largiuntur, & quæ tam ad therapeuticam quam diæteticam medicinæ partem referuntur, quoque balnea particularia sunt, quæ licet particularia audiant, & parti huic vel illi applicentur, ex asse tamen etiam illi prospiciunt atque quædam ut præsertim pediluvia maxime toti propemodum corpori opitulantur. Pedum itaque, ut ajunt, visa est via, ac placet jam nobis, de quorundam eximiis auxiliis atque emolumentis, quæ humano corpori præstant, in medium quædam proferre, illorumque usum commendare, cui labori ut summi Numinis benignus adspiret favor, supplices precamur.

§. I.

§. I. INter notiſſima & antiquiſſima auxiliorum genera, balnea quoque particularia ſunt, eo nomine inſignita, quod huic vel illi parti, ut capiti, collo, humeris manibus pedibusque applicentur. In veteri enim ævo, ſi revocare animum ad iſtorum Authorum monumenta velimus, ii, qui aut valetudinis ſuæ rationem habuerunt, aut quibus curæ fuit ægrotantium ſalus, frequentiſſime ac multiplici felici comprobante ſucceſſu, adhibuerunt ea nihilque magis pro his ſcopis ſpectabant, quam balneorum, fotuum, lotionum, ſtillicidiorum, epithematum V. Aetii *Tetrabib. Lib. II. S. I. C. LXXIIX.* unctionum, frictionum & ejusmodi exercitationum & motuum uſum. Cujus præcipua laude & commendatione dignæ, diætæ partis, Pythagorici Philoſophorum omnium facile Principes, primi autores fuerunt. Atque multis forſan non ignotum erit, quantas morborum curas ſolis pedum, manuum & capitis lotionibus ex herbarum decoctis Georg. Anwaldus (famoſus ille empiricus & Juris quondam Licentiatus ob panaceam quam invenit alias etiam notus) perfecerit. Quæ autem hodie, pene magis ignota evadunt, quo frequentius negliguntur. Et ſane, ſi rem recte ſuoque modulo pedeque æſtimemus atque metiamur, nos, quoque omni aſſeveratione affirmare neceſſe habemus, ea, multa eaque eximia, tam in conſervanda, quam recuperanda ſanitate, commoda præſtare, quatenus nempe debitum, in ſolidis conſervant tonum, elaterem & mollitiem ne impedimento ſint circulantibus fluidis & vice verſa, ne fluida nimio impetu nimiaque tenuitate velocitateque & excedente acrimonia, præternaturales ariditates, tenſiones, vellicationes, ſpaſmos & criſpaturas, convulſiones in ſolidis inducerent &c. Adhibentur potiſſimum, ubi vires ſunt debiles, ubi non neceſſe eſt balneare totum corpus & ubi balnea deficiunt. Hæc primaria eorum, jam levi modo opera, delineabimus.

§. II. Quemadmodum pediluvia ut notiſſima & uſitatiſſima ita & omnium propemodum balneorum particularium utiliſſima cenſentur merito. Ab his ideo & tractationis noſtræ initium facturi a calce quaſi ad caput usque procedamus. Ut vero hanc tractationem ſummis, ut ajunt, pedibus ingrediamur, & ab iis quæ omnibus ante pedes & notiſſima ſunt, ad magis ignota, pedem promoveamus, ſequentia indigitemus. Nemini jam poteſt eſſe ignotum, pediluvia, lavipedia, aliis pedilotia & balnea pedum, eſſe e genere balneorum, & eſſe non niſi balnei particularis ſpecies, varie adornatas, in quas pedes, pro variis uſibus ac ſcopis ad certum tempus immerguntur; hinc & non ſolum particulare quid

quid præſtant, ſed omnia ea præſtare propemodum poſſunt, quæ univerſalia balnea & inſeſſus alias efficiunt.

§. III. Sex maxime notatu digna pediluviorum genera ſunt, calida (ſub quibus tepida comprehenduntur) & frigida, ſimplicia & compoſita, naturalia & artificialia. Horum enim materia, ex qua componuntur, pro intentionis aut ſcopi varietate, varia eſt, prout magis abſtergendum, revellendum, emolliendum aut confortandum, aut ſolvendum ac reſolvendum, diſcutiendum atque penetrandum, refrigerandum aut calefaciendum. Quippe modo ex aqua ſimplici dulci frigida, calida aut tepida ſaltem, aut ſalſa marina, aut aliis liquoribus naturalibus (ac ideo naturalia audiunt,) ex aquis thermalibus, acidulis, ſalſulis aliisque ex aliis ſoteriis fontibus hauſtis parantur. Rurſum aliis atque aliis adornantur, ut ex cereviſia eaque ſecundaria, aceto, aqua ferrariorum, coriariorum, jure halecum, vino, muſto, ſpiritu vini, fœcibus vini. Modo adduntur aut incoquuntur, aut ſaltem infunduntur, ut vapores placide ad abdomen atque caput adſcendant, varia ingredientia, quæ artificialium nomine veniunt, ut decocta herbarum, florum, radicum, foliorum, ſeminum, ex mollientibus & reſolventibus, lenientibus, paregoricis, ſubadſtringentibus foliis & radicibus parietariæ, malvæ, altheæ, brancæ urſinæ, hyſſopi, chamomillæ vulgaris & romanæ, petroſelini, chelidonii majoris, fumariæ, abſinthii, rutæ, matricariæ ſerpilli, hypericonis, calaminthæ, origani, majoranæ, pulegii, burſæ paſtorii floribus tiliæ, acaciæ, roſarum, papaveris cum capitibus integris, foliis ſalicis, quercus, &c. ſeminibus pœoniæ lini, fœniculi, nigellæ, naſturtii, apii, carvi, ſileris montani, &c. baccis lauri, juniperi, furfuribus &c. Animalia quoque & eorum partes aut quæ ab iis deſumuntur, ut formicæ & eorum ova, lumbrici terreſtres, ſperma ranarum, pedes vitulini, ſuilli aut vervecini cocti, quandoque lac, ſerum lactis, ſanguis, nec non lotium ſanorum hominum, puerorum aut etiam brutorum animalium vaccarum, caprarum, ingrediuntur. Ordinario & ſalia & ſulphurea a quibus præcipua remediorum virtus atque agendi alias potentia pendet, ubi major vis ac actio ac penetratio requiritur, ſolvuntur aut affunduntur, lixivium ex cineribus lignorum & ſaponariorum, ſal commune, gemmæ calx viva, alumen, ſulphur. commune & vivum, bitumen, ſapo communis aut venetus incoquuntur. Ubi major inprimis emollitio & calefactio exoptatur, oleum olivarum, lini, eorum materiam conſtituunt. Oleum enim maxime particulis æque ac aqua flexibilibus atque plicabilibus & glabris, glutinoſis & vi ignis inprimis cale-

factum penetrat ac intimius se quoque insinuat; Viscidítas etiam ejus gluten ac lævitas, qua facillime adhæret, adeo non impedit penetrationem, ut quoque eam adjuvet, quippe adhæsione, quando particulæ quælibet olei cuspide quasi sua penetralia cutis penetrant, inter cutis villos firmius hæret, difficillimeque abripitur, retrocedit, divellitur ac deturbatur, unde trusionis ac nisus vi, continuo urgente, tota perducitur oleosa molecula, ut ulterius scitissime explicat L. BELLINI *de sangv. miss. p. 152.* Hæc olei penetratio ante oculos est, ubi oleum coriis affunditur, & ubi calculo renum laborantibus, balnea oleosa a medicis præscribuntur, quibus corpus laxatur & penetratur, successu exoptato & doloris sævientis imminutione aut cessatione ex asse. Decocta pro pediluviis vel decantantur, cum vel sine colatura ac cum speciebus ipsis usurpantur. Species coquendæ sufficere pro tribus & quatuor vicibus possunt, quamdiu odor fragantium durat. Ubi locorum occasio est opportuna, scoriæ variæ, metallicæ, quæ nimirum a fusione mineralium & metallorum remanent, martiales, venereæ, antimoniales; a cobalthi fusione residuæ, aut a fusione adhuc candentes, modo de novo aut calefactæ calcinatæque afferuntur, & in aquam tepidam injiciuntur. Alibi locorum lutum aut argillam recipiunt, aut arenam calidam aquæ injiciunt, aut etiam lateribus, silicibus, ferramentis candentibus eam affundunt. Peculiare quoddam ac insonsvetum paucisque forte notum addam. Nimirum, in imitationem, quando quidam pro salivatione excitanda & securo sat modo, soleas amalgamate mercurii infectas, plantis pedum supponunt, pediluvia quoque mercurialia pro hoc scopo atque non minus secure ex mercurio dulci cum aqua fervente possent parari. Mercurius quidem sublimatus injectus fortius ageret, ast quia corrosionis metus subest, non facile hunc svaserim, delicatiores & fœminæ maxime ad gratiam conciliandam, varios flores & folia fragrantia nitentiaque rosarum, papaveris, jasmini, levcoii, iridis species, caryophyll. aromatiticos aliaque odorifera ejusmodi injecta, aut etiam liquores svaveolentes infusos, amant.

§ IV. Paratis modo pediluviis, loco bene temperato pes uterque ad genua ac crura usque immergatur. Commodi quoque atque utilitatis majoris gratia, ne denudatas partes frigus adspiret, & ut vires quoque ipsius pediluvii medicatæ serventur simulque augeantur pannus lineus aut laneus supra crura trimodiumque suppositum tendatur; sic enim vapores ex aqua concinne alterata & resoluta adscendentes, utpote aëris elastici accessu, promptissime poros subjecti corporis ingrediuntur. Atque

que ut ipſius balnei calor debite ac diutius permaneat, aut novum ſubinde decoctum calidum affundatur, aut ſilices candefacti in eo extinguantur. Expedit primum, aquam bene temperatam, ſat tepidam, & ad frigiditatem potius inclinantem afferre, quam temperationem pedes magis ferre poſſunt, & ſubinde huncce calorem calida ſitula hauſta & affuſa augere. Rurſum eadem ratio valet, ſi frigida pediluvia præſertim non adſvetis ſint adhibenda; ut primum immerſio in tepida aqua fiat, & paulatim ad frigidiorem progrediatur. Expedit quoque, ut ante immerſionem pedes, maxime ſi frigeſcant, prius bene & ad rubedinem usque, vel ſola manus opera, vel panno linteo aut laneo eoque non raro calido fricentur, quæ frictio non ſolum præparat, ſed & ipſam pediluviorum operationem adjuvat, nec non inter ipſam lavationem manus, ab hac reciproca contentione ferientur. Nec male ageret is, qui veterum more, pedes pro ratione exigentiæ prius ſpiritibus, oleis & linimentis inungeret aut ſuffumigiis infumigaret, quod etiam poſt balnea varia morborum exigunt genera. Medici quoque eſt, cum (ut Herophilus Dogmaticorum Medicorum doctiſſimus præclare dixit;) omnia præſidia medica per ſe & ſola nihil ſint, niſi recte habeant utentem; ac Hippocrates Medicinæ Parens hortetur omnia medicæ artis opera ſic perficere ut juvent vel ſaltem non offendant, hic ſimul monere, eſſe conſentaneum magis, ſi jejuno ventriculo, alvo & veſica urinaria prius ſolutis atque exoneratis adhiberentur, item ſi pro morborum curatione pediluvia calida ſint ſæpius iteranda, conſultum maxime eſſe plethoricis atque cacochymicis curæ inchoandæ præmittere, vaſorum per venæ ſectionem, depletionem & cruditatum ex primis viis per laxantia eductionem. Mora, quam vulgo nectunt aut nectere debent lavantes, a ſemi hora ad integram & ultra extenditur, usque dum pedes molleſcant, rubedine ſuffundantur, eorumque digiti & plantæ monticulis notentur. Quo tepidiora illa ſint, eo longius, quo calidiora, eo brevius in iis morentur balneantes. Si per aliquot tempus ſingulisque diebus continuare ea quis voluerit, ac ſi integra cura, ut ajunt, ſit inſtituenda, a minori temporis ſpatio incipiendo ad majus in dies progrediatur, bisque quandoque in die mane ac veſperi pediluvia alioquin ſingulis diebus ſemel aut alternis repetantur, prout id rerum circumſtantiæ, ſcopus & morborum gravitas, ac pertinacia hominumque lavandorum conſtitutio & indoles requirunt. Peracta lavatione & pedibus e vaſe extractis, ii linteis calidis leniter rurſus fricando bene abſtergantur ſiccenturque, involvantur, aut tibialia mox calefacta paululum induantur; aut lectus

 peta-

petatur, evitando semper infrigidationem, quæ nocentiſſima eſt, ſi nimirum humectatam, tumefactam, calefactam & emollitam corporis partem, porosque laxatos atque apertos, aër forte frigidus appetat. Atque ſi ſudor lenis forte ſit excitandus, aut ſi expectandus & is continuandus in lecto commode longior mora protrahatur.

§. V. Conveniunt pediluvia commode adhibita, omnis ætatis, ſexus & temperamenti hominibus. Novi, infanti trium menſium gravi aſthmate convulſivo preſſo, utiliter calida aqua ſingulis diebus aliquoties lotos fuiſſe pedes. Aetas ſenilis præſertim ea utiliſſime adhibet ex confortantibus aromaticis emollientibus mixta, quoniam in ſenio ſanguis per pedes, corporis partes extremas & infimas lentius circulatur, ac non ſolum ſale volatili plurimum & ad varia emolumenta conducente, ſed & medulla, blandis, mollibus, lenibusque, lubricis, temperantibus, oblinientibus particulis, conſtante, oſſa tunc deſtitui incipiunt. Sequiori ſexui præſertim, tam ob nativam temperiem & conſtitutionem corporis teneram, ſenſibiliorem atque habitum laxiorem & ſpongioſiorem, quam ob excretiones ſanguinis conſvetas, ut nempe e multis incommodis, quæ exinde partibus præſertim ſuperioribus, accidere poſſunt, immunis præſtetur ac tributa illa ordinaria, ipſique propria rite ſe habeant pediluvia calida, eaque frequentia apprime conferunt. In ſpecie fœminæ inferioris conditionis quibus manus lavando in aqua frigida, frequenter frigeſcunt, atque pedes eodem labore madefiunt & rigeſcunt, pediluviis calidis veſperi exactis per diem laboribus, metuendas exinde noxas ut varias ſpaſmodicas contractiones &c. in quas maxime hæ pronæ ſunt, ut facile parabili remedio, optime poſſent avertere. Nec gravidæ atque lactantes habent, quod ab iis timeant, potius eas ad ventilationem ſanguinis faciunt, quæ in illis ſæpius neceſſaria eſt, i. e. liberiorem ſanguinis motum, quod in ſequentibus ibimus explicatum, efficiunt. Conveniunt quoque, ut omnibus propemodum morbis, ita & ſingulis eorum ferme temporibus, ſpaſmis tamen forte ſubortis partium inferiorum, remittentibus. Temporibus quoque anni ſingulis; æſtivo maxime, magna utilitate uſurpari poſſunt; nam exſiccatas partes emolliunt atque humectant, & membra motu ac labore delaſſata, reficiunt. Commodiſſimum cæterum convenientiſſimumque adhibendi pediluvia tempus eſt matutinum atque veſpertinum, quod nempe prandium, cœnam, ac horam ſomni conſvetam præcedit. Prout etiam intentionis ratio eſt, aut affectuum gravitas minor aut major exigit, ſemel aut bis in hebdomade, aut alternis diebus, aut ſingulis, imo etiam

bis

bis in die, exigente circumſtantia rerum, poſſunt adhiberi. Notandum tamen hoc eſt, quod obſervatio docuit, quod ſi præter neceſſitatem frequenter nimis adhibeantur, ſperatum tandem effectum vix præſtent, iis enim natura, ut & aliis facile adſueſcere ſolet. Nec eſt, quod climatum diverſitas eorum uſum facile prohibere poſſit, ut quidem quidam de aliis balneis particularibus in ſequentibus adducendis volunt.

§. VI. Subjectum ergo pediluviorum, etiam me non monente, primarium & proximius ſunt pedes, & omnes quas continent partes, nimirum non tantum cutis cum ſua cuticula, tegmen illud corporis extimum atque commune ex variis ſtratis varie inter ſe connexis contextum, ſed & quæ ſubjacent ipſi fibræ carneæ, muſculoſæ, tendines membranæ, venæ & arteriæ, miliares illæ glandulæ a Stenone inventæ cum ſuis excretoriis vaſis ac poris, nec non nervi cum papillaribus Malpighii eminentiis nerveis, tactus organo, atque ipſa tandem oſſa cum cartilaginibus blande afficiuntur, & vel emolliuntur, aut ſubadſtringuntur, roborantur, firmantur &c. prout materiarum, quæ balnea hæc conſtituunt, indoles fert; Simul p. n. forte his partibus illarumque poris inhærentia, ut humores extravaſati & ſubſiſtentes, coagulati, impacti, ut ſerum & ſanguis, quorum ſchemata tumores & ſuggillationes ſiſtunt, ac indurationes in clavis pedum, tophi in podagra nodoſa, arenulæ in ſcorbuto &c. iis attinguntur, emolliuntur, diluuntur, reſolvuntur, dimoventur ac excernuntur. Nec ungues excludendi, quorum ſuccreſcentiæ ſuppeditabitur major commoditas, cum quibus ex corpore quædam mala, integrum corpus ſæpe inquinantia foras protruduntur, quare pro ſanitate juxta pedum munditiem atque callorum ſic emollitorum abraſionem quoque unguium frequens reſectio eſt. Hoc ſimul illorum, novorum ſucceſſioni occaſionem dabit. Secundarium magis & remotius ſubjectum ſunt, influi humores, ſanguis & lympha ab eo ſequeſtrata, cum ſpiritibus animalibus, qui ſimul ac varie afficiuntur, aut diluuntur, rarefiunt, moventur & abducuntur atque adducuntur, ut alibi ad minorem molem ſe recipiant, in motu ſiſtuntur, refrigerantur aut repelluntur &c. Verum non in ſolis pedibus pediluviorum operatio immediata magis clauditur omnis, ſed latius longiusque extenditur ea: Etenim vapores madidi, ſi imprimis ſit denudatum a veſtibus corpus ac tegumento ſuperintecto, ut decet, colliguntur, ex vaſe ſubdito exhalantes, aſcendunt, non modo ad abdomen, ſed & ad pectus usque, collum caputque ac nares feriunt, ipſumque in os ſe inſinuant. Quapropter volente G. Fabricio Hild. vid. ejusd. *obſerv. Medic. Chir. p. m. 849.* pro clarifi-

canda oculorum acie & digeſtionis ventriculi inſtauratione ex appropriatis herbis cocta, ſunt uſurpanda. Qui vapores, inprimis ſi calidiores fuerint, ſudorem magis ipſo adhuc pediluvio per totum corpus eliciunt, poroſque aperiunt, eoſque ingrediuntur, quia tenuiorum partium ſunt. Taceamus, quod exhalationibus his, aër ambiens in conclavi alteretur, alteratuſque bene ad corpora redeat.

§. VII. Jam operatio pediluviorum, quæ ſub adminiſtrationis tempore inſtituitur, & ut plurimum extra illius momentum quoque extenditur, haud obſcure colligitur. Ea autem primo conſiſtit in premendo & comprimendo, gravitate aquæ totam pedum compagem, & in ea omnes canales, vaſa ſanguifera, fibras carneas omniaque reliqua organa eaque ſecretoria, excretoria, glandulas &c. qua preſſione & canalium anguſtatione materia inibi contenta & forte morbifica, exprimitur. Nam cum pediluviis, ut balnei particularis ſpeciebus, æque ac cum balneis univerſalibus comparatum eſt. Omne enim liquidum, quod ejuſmodi conſtituit & in quod totum corpus, aut ſaltem quædam ejuſdem partes immerguntur, denſitate ac gravitate ſua, qua aërem adhuc antecellit, (ſiquidem aqua, ſecundum Boyleum vid. Experiment. in tentam. phyſico-mechanicis, octingentis, imo millenis vicibus ætherem ſuperat) impoſitum a peripheria ad centrum undique æqualiter undarum nitentium vi, circum circa premit, afficitque ac ſtringit, eo magis ſi aqua ſalibus gravida ac gravis ſit, aut ſi ejuſmodi ingredientium virtus accedat, titillatio leniſque vellicatio & ſtimulus in papillis nerveis factus, ſimul ſolicitet; quæ actiones eo facilius inſtituuntur, quoniam muſculi, in motu conſtituti naturaliter in ſemet ipſos, contrahuntur. Fibrarum membranacearum fibris carneis motricibus intertextarum, beneficio, quæ a ſpiritibus animalibus tenſæ & turgidæ, omnes tales criſpantur. Quod & illud experimentum edocet, quo brachium nudum in tubum vitreum ampliorem aqua plenum immittitur, ex quo aqua muſculis contractis deſcendit. Quam valida hæc preſſio atque expreſſio ſit, ex rugis & monticulis in ſupremis digitis, in quibus nimirum minor eſt muſculorum vis, quæ cutem detinet, minorque inter oſſa ac cutem diſtantia, qui balneo, vel per quadrantem horæ immorantibus fiunt, videre licet. Ex quo ſanguis, cum humoribus ad canales ſubinde anguſtiores adactus ex preſſione ibi majori hujus motus magis acceleratur, dividitur, diſcontinuatur, ſubtilior & fluidior redditur, atque ſimul id quod hæret liquidi aut movetur, in canaliculis quibusvis ſubtiliſſimis, vaſculis, fibris, glandulis dimovetur, abripitur, derivatur, exſudat, & evacuatur foras, glan-

dulis

dulis subcutaneis, cum vasis suis excretoriis effectis & effluviorum perpetuo transpirantium impetu in actum magis deducto.

§. VIII. Deinde pediluvia maxime agunt emolliendo atque laxando humiditate & lubricitate omnis generis fibras, quorum effectuum testis atque indicia esse possunt intra balneum vel per horulæ spatium commorantium flacida, rugosaque cutis. Quippe ad hoc sola & simplex aqua juxta modo indicatam pressionem fluxiditate & humiditate sua sive particulis suis subtilibus, lubricis, lævissimis, ramosis, oblongis, flexibilibus & mobilibus quibus prædita satis apta est. Quæ emollitio augetur, si emollientium incoctorum mucilago jungitur. Hæc vero in pedibus eo necessaria & utilis est, quoniam in iis cutis maxime indurescit, crassescit ac callosa redditur, unde deinceps transpiratio sensibilis & insensibilis imminuitur aut penitus inhibetur, haud parvo totius corporis incommodo: etenim moderatus calor & sudatio pedum sanitatis integerrimæ indicium præbet. His simul diluunt eluuntque omnia, sive continentia sive contenta & acres humores obvenientes demulcent, temperant, illorumque motum sedant, ferocemque componunt.

§. IX. Insuper calida vel simplicia corporis calorem naturalem promovent & excitant, calefaciunt non solum pedes quos attingunt atque perfundunt, sed & totum corpus ejusque habitum turgentem mollem madidumque efficiunt, poros aperiunt, diaphoresin per eos augent, sanguinem mitem atque temperatum, tenuem, subtilem fluxilemque reddunt, spirituum animalium influxum in membra mobilia exsuscitant, quo simul particulæ crassiores & viscidæ inertes innatantes promoventur, attenuantur ac abripiuntur, laudabilis vero sanguis ad caput usque & cerebrum adigitur, ut spiritus animales ibi uberius generentur, omnesque secretiones & post eas quoque excretiones expeditius in toto corpore instituantur, ejusque difficiliorem circuitum per pedes ut remotas longe a corde impellente parte promovent, verbo, circulum sanguinis sic per totum corpus liberum & æquabilem, expeditum auctumque efficiunt totumque corpus ita disponunt, ut criticæ evacuationes optime fieri possint: Hinc facies florido colore superfunditur ac si postea pulsum tangas, celeriorem eum deprehendes, quod nec chirurgis ignotum est, si ex pediluviis venam aut in pede aut etiam brachio secant, sanguis floridior fluidiorque faciliusque e vena secta exit, atque etiam hac ratione universo corpori prosunt. Hæc vero composita magis & vi medicata, quæ incoquuntur ingredientium adjuta fortius pro earum

ratio-

ratione se exerunt, magis penetrant, discutiunt magisque rarefaciunt sanguinem atque humores, &c. Sic enim ordinario invitatur & sollicitatur iisdem rarefactus & mobilior factus circulans sanguis, ut ad partes has inferiores prius bene fricatas leniterque vellicatas & emollitas atque fibrarum tensione & resistentia ac crispatura forte dolorifica temperata, imminuta correctaque sicque dispositas, ut humorum affluxui minus resistant, laxatas apertas majori nisu affluat influatque & quasi adducatur & majori impetu quaqua versum nitatur, ac superiores deserat partes. Sanguinis enim, ut omnium fluidorum motus & affluxus, ita se habet, ac canalium & vasorum resistentia, adeo, ut hac imminuta plus adfluat, ea aucta plus alteri accedat, quo & demto, quod molestabat, doloris mitigatur exacerbatio. Ea etiam motus fluidorum, sanguinisque circuli, in partibus consensio est, ut si in aliqua ejus parte sanguinis circulatio acceleratur, in universa sanguinis & humorum massa motus & circuitus quoque intensior fiat, & incalescere incipiat, ut a vehementiori vocis & loquelæ exercitio, a cantu tubarum, & vel a manuum saltem fortiori frictione ac agitatione, id evenire quivis comperitur. Ejusmodi mutationem in sanguinis humorumque motu & ad partes adfluxu, quæ sæpissime admodum notabilis est, solidarum partium, fibrarum tensio & remissio efficit, quæ motus species hodie motus tonicus vocatur, & ejus usus in pathologia ac therapia a binis illis celeberrimis Viris Baglivio atque Stahlio præclarissime iterum est ostensus, cujus vestigia equidem jam apud HIPPOCRATEM inveniuntur, quando *lib. de locis in homine §. 15.* scribit: *Fluxiones propter frigus fiunt cum caro in capite & venæ tensæ fuerint. Hæ enim horrente carne & ad angustias perveniente adstrictaque & excludente humiditatem exprimunt, & simul carnes ipsæ contra exprimunt ad angustias pervenientes, & capilli sursum erecti fiunt, utpote simul undiquaque fortiter compressi.* Alibi quoque passim & in specie *Lib. de Virg. morbis* sanguinis motum ex una parte ad alteram translatorium notanter expressit. Hoc modo deinceps paregoricam & dolores sedativam virtutem, edunt pediluvia, tam relaxando fibras, quam poros aperiendo, & retentos acres humores, dolorum causas, transspirare faciendo: A pediluviis enim bene conquiescunt & dormiunt lavantes & pedum calli molesti & dolorifici protinus possunt removeri. Simul quoque obstructiones tolluntur, cum coagulatæ impactæ hærentesque moleculæ, simul abripiuntur & quasi abraduntur. Ob influentis aut influxuri humoris in superioribus sanguinis quantitatem imminutam, pedes tali modo calida aqua perfusi, tument, rubent, ac extracti adhuc madore

&

& ſudore perfunduntur. Intererit in memoriam revocare, quod compertum ſit, quando humor, ſerum aut ſanguis alicubi effluit, vaſa depleta ex reliquis partibus corporis, liquida quaſi imbibere, ſicque ex toto ad unum exitum tendere, quod non modo ſanguinis per venam ſectam fluxus ſed & ſerum in purgantibus, maxime in hypercatharſi, etiam per glandulas inteſtinales, ex univerſo habitu eductum, atque lethalis triſtisque eventus, quando purgantia in, variolis, morbillis, purpura, petechiis cutem jam occupantibus, imprudenter propinata, oſtendunt, ex quibus revocata ad interiora malignitate, brevi temporis intervallo maculæ diſparent, cum ſumma virium proſtratione, præcordiorum anxietate, torminibus ventris atrocibus, convulſionibus immanibus aliisque ſymptomatibus funeſtis ſubſequentibus, conf. DIMERBRÖCK *Hiſtor. Variolar. & morbil.* & HAGENDORN. *Obſ. Cent. I. Hiſt.* 77. Ad hæc perſpectum eſt, ſtimulantia in diſtans quoque operari, ſive remotiſſimarum quoque partium materiam peccantem ad ſtimulorum emiſſaria derivari, quemadmodum v. gr. vel digitorum ſaltem torſiones vehementiores & velociores apoplecticos excitant, ut Laurent. Bellini de ſanguinis miſſione habet. Ex quibus patet, quantum ſit neceſſitatis in Phyſica ac Medicina, ad rationalem remediorum modum operandi declarandum, noſſe doctrinam de motu.

§. X. Ex his hucusque memoratis ſequitur, levamen inde capere partem, quæ circulatione tardiori ſeu imminuta & irregulari hactenus premebatur. Exinde etiam ſequitur, quod per poros patulos transſpirent rarefacti, liquati, diviſi, diſcontinuati atque reſoluti humores ac ſecedant, & per transſpirationem non modo inſenſibilem ſed & per ſenſibilem ſæpiſſime eliciantur; per quas motiones & diminutiones, ſanguinem ad quamlibet mutationem diſponere poſſunt.

§. XI. Nec dubium eſt, quod jam antea præſuppoſitum, quin & per ipſos cutis poros laxatos, ad intimiores compagis receſſus pertranſeat, repens & præſertim vigente calore adhuc attenuata, magis mobilis & pervadens reddita aqua, ſine perſpirationis imminutione, potius ejusdem promotione, quod ex adductis de compreſſione aquæ & expreſſione, emollitione, fluxilitate humorum majori inducta, &c. hariolari licet. Quanquam hæc aquæ penetratio per poros cutis, quæ ob ſquamulas a Malpighio & Lœwenhœckio detectas, quæ ceu valvulæ introitum & difficiliorem ab extra intro reddunt, & contrarios motus quos involverent, multos haud infimi ſubſellii Viros adegit, ut neſciant quo pede in hoc bivio utantur; Adeo dubia eſt ſententia iis. Aqua ad hoc ſatis

idonea eſt, ob particulas ſuas lubricas, flexiles, ſive ſimplex ea ſit ſive medicata. Videmus enim eam tepidam quidem & in vapores reſolutam, vel duriſſimas animalium partes ſic emollire, ut diffluant fere, rurſum videmus, eam, non ſolum, per poros veſicæ urinariæ inflatæ, per quas aër haud trajicitur, in ejus cavitatem tranſire, ac indita ſalia fixa per deliquium ſolvere, ſed & notum in vulgus eſt, ſicca ac denſiſſima boum coria, ſola aquæ affuſione tota madefieri ac molleſcere. Ulterius per experimenta per funem madidum affixumque ei lapidem atque pelliculam a cranio detractam aliaque e. gr. cum folliculo vitreo &c. inſtituta probavit, ſupra laudatus BELLINI *de ſangu. miſſ. p. 146. ſeqq. usque ad p. 152.* Conf. & SANCTORIVS in *Sect. II. de a & a.* Teſtes quoque hujus rei ſunt multi effectus, qui ex balneis proficiſcuntur, ut ſitis mitigatio, a calculis doloris ſedatio, illorum facilis ſeceſſio aliique eventus, in ſequentibus indicandi, aut qui alias ex balneorum uſu aliisque effectibus medicis adeo multis ex epithematum aut fomentationum emollientium &c. applicatione, ſcabie pedum retroacta, &c. perſpiciuntur. In hoc balneorum uſu, præſertim pedes illorumque conformationem & ſtructuram, circa quos verſatur, conſiderare juvat, qui ob oſſa, quæ cedere non poſſunt, quoque in ſuris majorem in cute diſtantiam ſupra pedem ſtricte ſic vulgo dictum, & intra calcaneum & ſuras minorem a cute diſtantiam, obtinent, quæ preſſionem penetrationemque fluidi moderatur atque determinat.

§. XII. Per ſe adhuc ſequitur frigida pediluvia ex aqua frigida, refrigerantibus & adſtringentibus, nitro victriolo, foliis roſarum rubrarum nymphæ albæ, ſedi minoris, portulacæ, & ſimilibus parata, partes ſtringere & poros conſtipare, ſanguinemque & humores intro pellere, cogere, adeoque & refrigerare, vapores calidos, ne exhalent, prohibere, illorumque quantitatem inibi augere, roborare fibras motrices eorumque tonum firmare, reſtituere & ad contractionem eas armare, ut fortius impellant humores, ut inpelli dein & fortius ab humoribus rurſus queant, ſicque etiam humorum curſum eo convertere & velocitatem eorum augere atque accelerare ſimulque inibi hærentia dimovere. Hinc etiam fluit, quod dici poſſit: aquam adhibitam modice calidam calefactos refrigerare, frigidam frigefactos calefacere; conf. DVND. LIDDELIVS *Art. med. Lib. V. c. XXIX.* Quo velut in transcurſu quodam, ad majorem tamen dictorum explicationem dicamus, vix nos habere cenſendi ambiguum, repellentibus, refrigerantibusque quandam intercedere differentiam, quam vulgo negligunt, aut non ſatis attendunt medici. Etenim

nim refrigerantia, quatenus actionem, quam tonum vocant fibrarum motricium, blande eas constringendo porosque interjectos arctando erigunt, restituunt, firmant, ad resistendum, aptam partem reddunt atque impellunt ut fortius agant, qua actione constrictoria materia in tubulorum cavitate hærens aut influens promovetur, exprimitur, expellitur & aliorsum regurgitare cogitur, qua ratione ad discutientium resolventiumque naturam eatenus accedunt ac in principio inflammationum &c. conveniunt sæpiusque prosunt ac rarius obsunt. Sic in palæstra læsi oculi aut genæ a globuli gladii frigidi opportuna applicatione, a sugillationibus & maculis cœruleis & fulvis defenduntur, & a contusione ista dilatatæ & expansæ fibræ, blande constringuntur, & sanguis subsistens aut irruens ad suum motum reducitur; Repellentia vero vel poros penitus obstruunt, fibras corrugant, humores vel materiam vitiosam retrocedere fortius faciunt, ut mercurialia in scabie, unguentis illita & rarius ideo conveniunt, vel humores illos tantum & fortius coagulant ac potius detinent, ut v. gr. oculi debiles & inflammati a frigida aqua perdite læduntur, imo visus, humoribus coagulatis abolitur, vel potus frigidus calenti corpori superfusus, phthisin & pleuritidem, animi deliquium aliosque effectus funestos, imo gangrænam & sphacelum atque adeo repentinam mortem inducit, de quibus atque aliis non una hinc inde observatio prostat. Nobiscum (ut ad rem iterum deveniamus) conveniet, pediluvia frigida eximium usum præstare, qui in animum revocet, quanto lavacra frigida, hybernis etiam algoribus apud veteres, ex usu fuisse, ut literarum monumentis prodiderunt Dion. Cassivs *Lib. LIII.* & ex hoc Xiphilinus. Plinivs *H. N. Lib. XXV. C. VII. Lib. XXIX. C. I.* Galen. *Lib. III. C. VI. de tuenda sanitate*, Agathinvs, cujus fragmentum extat *apud Oribasium Med. collect. Lib. X. C. VIII.* Prævaluit semper balneorum frigidorum usus, atque calidis saltem imbecilla corpora præparabant, ut in frigidis corroborarentur, Carmis Massiliensis Medicus, ætate Neronis J. R. damnatis prorsus balneis calidis ægros in lacus & flumina immersit. Tuncque scribit Plinivs l. modo citato *Lib. XXIX. c. I.* videbamus senes Consulares in ostentationem usque rigentes. Quam frigidam lavationem recentiorum quidam probaverunt, quo satis erit nominasse Joh. Floyerum, Anglum de balneorum frigidorum usu tuto & utilitate. Eandem materiam tractavit F. Fuller in Medic. Gymnast. dicitque balnea frigida prodesse propter actionem, qua spiritus repellunt impelluntque, ut unitis viribus materiam morbificam aggrediantur eaque calefacere, poros occludendo, ac effluvia ca-

lida cum ſpiritibus aëreis conſervando, eorumque elaſticitatem augendo, fibras ad contractionem armando movendoque. Ampliores atque ſpecialiores operationes in ſequentibus videbimus.

§. XIII. Fluunt exinde, vel tacito quaſi pede, varii pediluviorum, in ſanis ægrisque eximio cum fructu applicandi uſus, aut qui tam ad ſanitatem integram conſervandam, & tam ad morbos præcavendos, quam eos curandos, utiles ſunt ac apti. ſiquidem in anteceſſum & in genere hic monemus, omnes illos morbos in ſequentibus recenſendos, pediluvia quandoque & juſto tempore adhibita, utiliſſime avertere. Nimirum tam alterant quam evacuant, abſtergunt, ſecernunt & excernunt, laxant, reſolvunt, diſcutiunt, ſubadſtringunt, dolores ſedant, ad ſomnum placidum invitant, expanſionem ipſis humoribus inducunt, dirigunt, derivant, avertunt, revellunt, attrahunt, roborant & tranſpirationes, ſudores & urinam provocant. Iis forte ex his ſcopis, revulſorius cum derivatorio, qui motum humorum perverſum & auctum reſtituendum & corrigendum reſpiciunt, ſcrupulum movere poſſit, quibus explicatu difficile eſt, quomodo hi cum circulatione ſanguinis ſtare poſſint, & qui antiſpaſin veterum, cujus Hippocr. *Lib. VI. epid. S. II. T. VIII.* conf. & Foesi *d. i. & p. 65.* Gorr. *p. 40.* atque Gal. *lib. de hirud. & revulſ.* & *Cap. III. Lib. V. M. M. cap. III.* meminerunt, cum Helmontio ludibrio habent, ac ſi, poſt Harvæum, ſanguinis circulatio nicognitæ repugnent ejusmodi auxilia revellentia adeoque plane inutilia eſſent: Ratione tamen & experimentis confirmatur, revulſionum in morbis utilitas; ſimulac enim minuitur vel tollitur reſiſtentia ſanguini per vaſa propulſio, in quodam corporis loco, illico majori velocitate huc ruit atque derivatur. Quos tam ad Galen. *de curat. rat. per ſangu. miſſ. Cap. XIX. V. method. med. C. III.* Fernel *Lib. II. de V. S. C. V.* Sennert. *Inſtit. L. V. P. II. S. I. Cap. XVIII. & XIX.* B. D. Bohnivm in *Diſſert. de revulſione cruenta* qui fuſius hanc rem declarant, remitto. Nec ego ita ſentio, ac ſi pediluvia in revulſione (potius avulſione) quæ humorum in partem aliquam ad quam ferri non debent, cum impetu ac violentia quadam irruentium, per remedia & in parte contraria aut ſatis remota, adhibita, retractio & averſio eſt, aut in derivatione, qua humores membro affecto imprimis imminentes, ac jamdum inhærentes moleſti, ad locum vicinum declinantur, humorem aut materiam & affectum parti remotæ, aut actu aut vicinæ incumbentem, in motu eoque leviori, vitioſo adhuc conſtitutum, immediate retrahant aut morbificam materiam attrahant, ſed quod affluens & ex toto ambitu uberius & mediate pedes verſus regurgitet,

gitet, ac materia peccans una cum laudabilibus humoribus mixta adhuc remeet ut v. gr. (taceamus jam rationes mechanicas theoreticas) videmus poſt purgantia, præter rationem exhibita ut & venæ ſectiones, aut hæmorrhagias, efflorefcentias ad cutem, maxime malignas, petechias, variolas, ad interiora denuo cum pernicie ægrotantis, recurrere atque in corporis habitu evaneſcere. Sic & empyematicis, dato ſiniſtre purgante, a pulmonibus ad alvum divertit morbus & diarrhœa incurabilis necat ægros. Similiter in pleuriticis & ſuppuratis, donec alvus adſtricta eſt, expectoratio feliciter ſuccedit; verum alvo lubricata nimium, omnia deorſum trahuntur ac ſuperveniente diarrhœa ſputum ſupprimitur. Nam dum præſertim emolliunt has partes inferiores pediluvia, ſimul rarefaciunt, id eſt, ad majus ſpatium extendunt, ut quaquaverſum majori impetu nitantur, humores & obvenientia quæque ſimul moveant, disjiciant atque abripiant, ſanguinis verſus ſuperiora loca reſtrictionem relaxent ac canales forte adhuc arctatos, contractos, concidentes, concluſos, obſtructos, per longitudinem excurrentes, extendant, erigant, recludant atque liberos reddant, viasque præparent & ſic præter effectus alterantes & evacuantes, etiam hunc præſtent, ut influi humores aut parti alicui proxime imminentes & jamdum inhærentes in ſuperioribus partibus, præter quantitatem & qualitatem, etiam motu aut impedito, aut ataxia & ferocia, quando nimirum ad partes impetuoſius & confertim magis feruntur, ac ex his non commode nec ſecundum proportionem affluxus, ſive quoad quantitatem ſive velocitatem, remeant, peccantes, deorſum ſolicitentur, deriventur, avellantur & avertantur, unde tendentia atque ipſe affluxus eorum ac impetus, in pedibus major procuratur, ab aliis magis reflexus temperatusque atque immoderatior compoſitus, neque ulterius tantam moleſtiam creant, alia determinatione inducta & alibi relaxatione ubi ſanguis etiam compingebatur quaſi & hærebat ut & in ſtatu naturali alias, ſpiritus ipſi animales æqualiter per nervos in corpore fluentes, ab objectis moventur, pro diverſa conditione & modo afficiendi, quorum variis motibus & determinationibus agitantur. Quemadmodum in hunc ipſum finem etiam a practicis in variis morbis periculoſiſſimis, ac ubi ſymptoma aliquod grave vehementius urget, aut humor peccans affluxus partem infeſtavit diu, excretiones nempe in aliis excretoriis promovere, præſertim in inflammationibus, hæmorrhagiis, & ſimilibus venæ ſectiones in pede, ſcarificationes, cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ, fonticuli, veſicatoria, hirudinum ſuctus ut & alibi, vomito-

mitoria per alvum purgantia, clysmata, diuretica, sternutatoria, svadentur, celebrantur ac fide eventorum comprobantur. Siquidem & hoc tanquam regula practica bene tenendum, in morbis habitualibus, pertinacibus & longis, chronicis maxime evacuationibus revulsoriis iisque sæpius repititis pugnandum esse, ut nempe motus morbosi vehementes adeo sæpius atque diu repetiti, humores versus certa loca dirigentes sic componantur ac sedentur, alias reliquus labor frustraneus erit, imo morbus pejor redditur. Sic quondam Hippocr. V. aph. 5. Sect. V. mulieribus ad cohibendum nimium menstruum fluxum cucurbitam mammis apposuit, atque Aegyptii incisiones in suris cruentam instituebant, de quo medicationis genere PROSPER. ALPINVS de *Medic. Aegypt.* est videndus. Quid notius in foro medico est, quam quod v. gr. in tussi, humida purgantia, quibus mucum copiosum ex pectore ad alvum retrahunt, divertunt atque ejiciunt, præscribantur, aut quod per eadem in fluore albo, pertinacissimo malo & gonorrhoea, ubi ingens sæpius viscidorum humorum copia ad has partes affectas adfluit, eorum nimius appulsus avertatur, ac aliorsum derivetur aut etiam quod laxantia saltem mature adhibita, aut morbum in prima modo herba suffocent, aut immania symptomata mire leniant, in cephalalgiis, odontalgiis, asthmatibus spasmodicis, doloribus, hypochondriacis & similibus enormibus pathematibus. Quis est, qui non potius crederet, laxantia ista non tam acrimoniam dolores producentem, ex partibus affectis subducere illico, quam motus aliorsum dirigere & a partibus superioribus sensibilioribus ad inferiora invitare. Si applicationem igitur ad pediluvia addere velimus, unicum saltem exemplum suppeditare placet: pediluvia ex simplici saltem aqua tepida constantia, in narium hæmorrhagiis symptomaticis enormibus, retrocessiones exanthematum, variolarum morbillorumque ac multa mala & periculosa symptomata producentibus, utilia maxime ac necessaria sunt.

§. XIV. Ulterius, uberius ac explicatius de multifario ac amplissimo pediluviorum usu, verba facturus, statim in limine quasi haud in leve propositi momentum, præsuppono, pedibus utpote partibus nervis, membranis & ligamentis abundantibus, unde titillatio admodum sensibilis in plantis pedum, fluit, cum toto corpore singulisque propemodum membris ac partibus ejus cum capite maxime & pectore earumque functionibus intercedere, per nervos maxime, quorum propagines n soleas pedum usque excurrunt, singularem magnumque consensum ac commercium. Idcirco horum vulnera sævi dolores, horrendæ con-

vul-

vulſiones & lipothymiæ ſubitæ atque verendæ comitantur. Condolent ſic facile nervoſa, nervoſis. Etenim ut corpus ſecundum Hippocratem tranſpirabile, ita & eo modo ſenſibile eſt, quia machina, cujus ſtructura ita eſt comparata, cujusque partes ſingulæ, tam ſolidæ quam fluidæ inter ſe junctæ ita cohærent, atque inter ſe communicant, ut vitium quoddam, hanc unionem in una ſaltem parte turbans, cæteras ſtatim per motuum communicationem in conſenſum trahat, ut inde regulares motus in ea turbentur. Quem partium conſenſum deſcribere voluit HIPPOCR. *Lib. de Alimentis* ſic ſcribens: *Confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia. Et Lib. de locis in homine* §. *III. Si quis minimam corporis partem male afficere velit, tum corpus affectionem ſentit, qualiscunque tandem ea fuerit, propterea quod minima corporis pars omnia habet quæcunque & maxima.* Quivis in ſe ipſo experietur, pedibus frigore affectis, totum corpus algere; calidis vero iisdem ſervatis, incaleſcere; quare ſi pedes adverſum omnem frigoris vehementiam muniverit etiam pluribus tegumentis, non peccabit, ſed capiti unum idque leve vel exiguum ſufficiet, atque adeo per calorem paulo intenſiorem, reddet oneroſum. Conſiderantibus liquet, in plurimis morbis nusquam vero magis quam capitis & pectoris catarrho, aſthmate, phthiſi &c. antecedere aut intercurrere pedum refrigerationes, easque ex errore inductas, ex frigore incaute admiſſo, varia in variis producere mala, quod innumeris exemplis confirmari poſſet, ſi circa hæc longius immorari animus eſſet, & niſi frequens & quotidiana experientia ipſa, id ipſum moneret. Sic v. gr. (ut ex multis pauca ſaltem indicemus) exempla obvia ſunt, quod ex levi pollicis, in exſectione unguis clavique pedum cum ſcalpello, læſione, in pede aut planta pedis, tendinis aut nervi punctione facta, inſanabilis funeſtaque ut plurimum non modo inflammatio, gangræna ſphacelus, ſed & magna ſymptomata febris, deliria convulſionesque inducantur. Sic Critonem ex pollicis dolore inſanum evaſiſſe, & poſtridie mortuum fuiſſe, atque Harpalum ex pollicis luxatione; opiſthotono periiſſe, apud Hippocratem in Epidemiis legitur. Plurimis notum erit, nudis pedibus ſuper pavimentum lapideum frigidum ambulantes, colicas & diarrhœas experiri, unde & nota BRASSAVOLAE, quam refert *Cap. IX. Tract. de purg.* obſervatio eſt, qui Duci Ferrarienſi, alvi obſtructione pertinaciſſima laboranti, ſvaſit, ut nudis pedibus, ſupra pavimentum alabaſtrinum, aqua frigida conſperſum, obambularet, ac poſtea quum quinquaginta ſaltem paſſus progreſſus eſſet Princeps, felici eventu alvus eſt ipſi ſoluta. De hoc pedum cum capite in primis conſenſu legatur Simon

Pauli de febribus malignis. Huc etiam faciunt obſervationes Bartholini, quibus refert altera, fatuitatem ortam eſſe ex refrigeratione pedum, altera *vid. Epiſt. med. Cent. IV. 390.* quod pede ſauciato convulſio maxillæ ſubſequuta ſit. Illa item ſingularis N. Tulpii eſt vid. *obſerv. med. Lib. I. C. XXXIII.* quæ de dolore inter caput ac pedum reciproco, loquitur. G. Fabricius Hild. *obſ. med. chirurg. p. m. 850.* curioſum ſatis conſenſum pedum, digitorum cum corde juxta illum cum capite recenſet: Nimirum quidam thermis, Aquisgranenſibus uſi, calorem earum non potuerunt perferre, ſed vertiginem, virium defectum notabilem, imo animi deliquium paſſi ſunt; ſi vero digitos pedum extra thermalem aquam tenuerunt, nihil illorum ſymptomatum modo dictorum, perceperunt. A pedibus certe trahunt originem vehementiſſimi affectus ut epileptici aliique plures morbi, continui & intermittentes. Ab iſtis periclitatur, integra ſpirituum animalium œconomia. Quemadmodum partes ad partes ſua vitia mittunt, ita & ſua levamina, ita etiam ut per pedum affectus multi ſuperiorum partium præcaveantur & ſalvantur. Sicque v. gr. relaxatis his partibus in aliis, laxatio quædam per ſucceſſum & conſenſum contingit &c. Præſuppono item, omnem motum niſi quid obſtet ad rectilineam deorſumque inclinari, atque vias & glandulas ad recipiendos, transmittendos, ſecernendos & excernendos humores ſatis eſſe aptas & accommodas.

§. XV. Pediluvia itaque, (ut ad propoſitum magis pedem conferamus) optimo conſilio practico atque cum eximio fructu adhibentur, non modo ubi vitium in pedibus cruribusque reſidet; ſed & ſi alibi in parte aliqua vicina atque etiam longius remota, imo toto quandoque in corpore hæret, ubi humores, ſanguis & lympha in aliqua parte ſuperiori & quantitate & qualitate, motu & quiete & ſitu peccant, ac ubi non commode, nec ſecundum proportionem affluxus ſive quoad quantitatem, ſive etiam velocitatem remeant, (quod vitium a veteribus fere neglectum obſervatur) moleſtant, premunt, diſtendunt, vellicant, rodunt. fibras criſpant, impetuoſius hinc inde vagantur, ubi ſecretiones excretionesque debitæ, debitum ſucceſſum ægre conſequi poſſunt, ſed ſtagnationes, vaſorum diſtenſiones tandem aut apertiones a vaſis ſecretoriis & excretoriis glandularum a copioſo ſanguinis adfluxu dilatatis, aut inflammationes, morbi a feroſa colluvie oriundi, quos Piſo per ſeries egregie deſcripſit, & ſpaſmi qui ſanguinem maxime in plethoricis magno cum cumulo impediunt & ad caput reprimunt, ex quo multa verenda mala exſurgunt, atque convulſiones ataxiæ ſ. ſpiri-

tuum

tuum animalium, dolores, tumores &c. contingunt. Quibus casibus certe, pediluviis, & ejusmodi quæ sic divertunt, atque humorum adfluxum ad inferiora derivando & sanguinis circulum æqualem reddendo spasmorum quoque vim frangunt, melius prospicitur, quam si multis medicamentis natura saltem obruatur. Necessaria ideo imprimis sunt, quando natura certo ac stato quasi tempore adsvescit tali modo per partes superiores & nobiliores humorum copiam excernere; sic enim ea optime quasi advocatur ac aliorsum humorum impetus invitatur atque divertitur. Rursus felix eventus ab iis promittitur, quando natura per partes corporis infimas, crura & pedes excretionem molitur, aut alias adsveta transponere ac evacuare. Atque sic etiam occasionem suppeditant viamque sternunt atque faciunt expeditam, ut natura partibus, huic alterive affectæ subsidium latura, secundum suam dexteritatem, qua est donata, nobis tamen nondum satis perspecta, licet quotidie eam videamus, per vias ordinarias magis & propinquas aut extraordinarias alias etiam occultasque atque remotas adhuc exonerare contentumque depellere possit. Quorum motuum exempla occurrunt quando v. gr. in magnis suggillationibus aliisque sanguinis stagnationibus stagnantem per poros vasorum transsudare ac absorbere facit; aut pus in pleuritide per vias urinarias transponit, aut in ulcere pulmonum inveterato, per fonticulos factos, pus ejicit ejusque generationem avertit. Id quoque efficiunt pediluvia, ut inferioribus corporis partibus & sanis & integris applicata, avocato humorum impetu, temperatior pacatiorque alibi fiat motus, ut expeditior efficaciorque remedii applicati institui possit operatio. Sit e. gr. tumor aut inflammatio in collo, avocato sic magis ex illo humorum per pediluvia continuo impetu, medicamenta resolventia & discutientia intus propinata exteriusque admota citius faciliusque hærentes stagnantesque vel irruentes p. n. humores disjicere, depellere, resolvere queunt. Insuper ideo in omni morborum genere diaphoresi instituta, materiam evacuandam, mobilem, vias apertas, excretoria obstructa, vel spasmo constricta, expedita & libera reddunt, motus feroces moderantur & ad temperiem prius reducunt, quod in omnium inprimis chronicorum morborum curatione & ante omnia quidem, fieri debet.

§. XVI. Re itaque ita se habente, quod nimirum pediluvia non modo in pedum, sed & in reliquorum corporis partium affectibus utilissime adhibeantur, atque si igitur singularum partium, quibus miseri ægrotantes torquentur, vitia usumque pediluviorum in iis æstimare velimus,

limus, recte a capite incipere posse ad calcem usque procedendo, videmur. A supremo modo rem aggrediamur, primumque id genus morborum idque frequentissimum, molestissimum, pertinacissimumque ponamus, quod cephalalgia vocatur, cujus variæ species dantur, ut cephalæa, hemicrania, ac clavus histericus, fœminino sexui magis proprius. Quippe caput propriæ constitutionis atque temperamenti, ut ajunt, occasione impotens, non difficile causam in sese etiam ex inferiori corpore tum admittit, tum gignit. In his omnibus speciebus iisque etiam inveteratis, sive dolores hos dicas gravativos & obtusos aut pressorios, lancinantes, pungentes, terebrantes, pulsatorios, ex quibusvis etiam causis proveniant illi, & qui continenter excruciant somnumque magno cum periculo tollunt, pediluvia egregie non quidem materiæ peccantis correctione, sed motuum saltem directione & avocatione, si modo non febris jungatur, succurrunt, tepida saltem & ex simplici aqua cum cineribus, lixivio aut herbis inodoris modo alterata ad genua usque, adhibita. Per experientiam enim didicimus, capitis doloribus affectos, herbas floresque quos vulgo incoquere solent, ut chamomillæ, quæ alias usitatissimum ordinarium pediluviorum ingrediens est, romanæ vulgaris & similes herbas odoratas atque fumosas vix ferre, sed majora exinde incurrere incommoda, vertiginem, maxime deliquium animi, immo non raro apoplexiam atque paralysin, sexum imprimis muliebrem & eos quibus debile est systema nervosum: Siquidem de me hoc fateri necesse habeo, sc. fœminæ cuidam cephalalgia laboranti vesperi pediluvium parandum ex malva ordinavi, cui ea inscia chamomillam romanam ancilla incoxit, ex quo animi deliquium passa est, valdeque de sinistro pediluvii eventu conquesta, mox tamen ea ipsa noxam in chamomillam rejecit, cujus odorem vix unquam perferre se potuisse affirmavit. Notabilis observatio in *Ephemerid. G. IV. C. D. I. A. II. Obs. 247. p. 346.* ab Ehrenf. Hagendornio communicata legitur de cephalalgia stata affligente hora, tanta cum atrocitate invadente, ut & futuræ capitis quasi hiarent illusis omnibus aliis remediis, solo pediluvio aliquoties repetito, felicissime curata, quo simul clariss. Observator advertit ex eo factum esse, ut aura frigidissima cum totius corporis horrore, a capite ad pedes descenderet. In erysipilate capitis periculosissimo cum tumentibus colli glandulis, in fœmina, quondam, pediluvia singularis auxilii vidi, & recidiva sæpius ex ira aut terrore, aëris etiam non raro vitio revertens iisdem feliciter est aversa.

§. XVII.

§. XVII. Aeque certa remedia in reliquis capitis affectibus pediluvia sunt: Ubi id in vertigine, maxime idiopathica rotatur & casum minatur, statim mane, quo tempore hic affectus frequentissime afficere solet, in tepidum balneum immittere, & per horam & etiam ultra se detinere expedit. De hac, observationem notam habeo, in viro quodam Silesiaco, qui ex hæmorrhagia narium, hæmorrhoidibus svetis suppressis de vertigine per plures annos molestissima est conquestus, ex pediluviis vero solis, auxilium reportavit. Qui apoplexiæ ut & catalepsi obnoxii sunt, & paralysin metuunt, præsertim si pedum stuporem appropinquantis sævi hujus mali signum sentiant, aut si in abdomine spasmodici motus vagentur, qui sanguinem ad caput cum impetu pellunt, ii a pediluviis simplicibus saltem aut lixivio alteratis mane aut vesperi tempestate imprimis pluviosa & nebulosa humida, crassa adhibitis, bene prius ad rubedinem usque ardorisque sensum fricatis pedibus, emolumentum haud vile optime possunt sperare: Et sicuti eadem ab his præservant ita & ad ipsam curam, utilissime adferuntur. Immo in iis capitis vitiis, quibus mentis error jungitur, qualia sunt deliria cum & sine febre melancholia hypochondriaca, pica & malacia, furor, ipsa phrenitis & paraphrenitis, mania, maxime vero oleosa calida pediluvia, quoniam magis lassant, laxantque corpus ac animum demulcent, somnum inducunt, apprime utilia sunt, qua de re & noctambulis svadenda; nec non lethargus carus comaque ea exposcunt. Non minus in epilepsia, in qua nimirum inæqualis circulus spirituum animalium est, ut in quasdam partes illorum influxus plane intercipiatur in aliis fortiori impulsu, impetu & motu celerrimo influant atque sanguis in capite cerebroque est congestus vasis capitis intumescentibus arteriis rubentibus valideque motis, facie intumescente, spuma ex ore fluente oculisque circumvolutis, auxilium afferunt, in ejusmodi præsertim, quæ habitualis & chronica appellatur & in abdomine partibusque extremis plerumque incipit atque cujus fomes in pede delitescit, ex quo ante paroxysmum frigidum quasi vaporem per totum corporis tractum ascendere sentiunt ægri, qualia exempla quædam vidi & hic inde legi ex. gr. in BORELLI *observat. Cent.* 2. *obs.* 95. in H. GRUBE *de Arcan. Med. p.* 154. Quemadmodum vero in tali, fonticuli in talo inuruntur, ita hic acria quoque exposcuntur. Incubum, si ante somni tempus in usum ducantur, avertunt. Vigilias in voluntarias, quas a nimia pororum cerebri tensione fluidique animalis impetusiore per eosdem transitu, deducunt pathologi, quæ æstivi æstus tempore molestissimæ & in ardoribus febrilibus, quibus nihil

hil deterius accidere poteſt, in melancholia, deliriis maniacorum, furore aliisque morbis, ægre ferenda, & cum inquietudinibus frequentiſſimæ ſunt, ac contra quas alia remedia interna ſæpiſſime vix tuta ex emollientibus & anodynis, imprimis hyoſcyamo, papavere erratico & ſativo, malva, parietaria, atriplice, chamomilla, ſerpillo, foliis vitis, ſalicis viridibus nymphea alba, endivia, lactuca, ſulphure cocta, vel etiam frigida, ſaltem, melius tutiusque, aliis internis pariter & externis remediis, ſiſtunt, demulcent ſomnumque placidum inſomniisque turbulentis & anxiis vacuum procurant & deperditum vigiliis & laboribus ſpirituum ſenſuumque vigorem reficiunt. In quem finem ALEXANDRVM APHRODISEVM *Lib. II. §. 47.* lotiones pedum olim frequentes adhibuiſſe atque dixiſſe; nervorum propagines in ſoleas pedum deſinentes, aquarum mulcedinem, contrectationem blandam, ad cerebrum transmittere, legitur, ut & notum eſt, huic fini, ea Sennertum, Sylvaticum Platerum, Sim. Pauli & Celeberr. hodie Stalium magnis laudibus extollere. Quod beneficium vel a ſola ſolearum pedum pingui illinitione aut etiam leni frictione expectatur, de quo obſervatio de Comitiſſa quadam proſtat in *Eph. S. N. C. D. III. A. 7. & 8.* Pro hoc ſcopo ſi admittuntur, practici potius volunt, ut pedes extracti non abſtergantur, ſed humidi (cum humidum ſit ſomni parens) relinquantur ac linteis ſaltem calidis involvantur, quo & magis ad ſomnum diſponuntur isque longius protrahitur.

§. XVIII. Inter multiplicia curationum genera, quæ, oculorum affectus tam multi atque varii, adeo, ut ſecundum HIPPOCRATEM *epid. 6. text. 25.* multo plures habeantur quam ullius alterius partis, & Galenus CXX. eorum numeret, Jacobus vero Guillimæus centum obſervaverit & Joh. Verbrugge CXIII. prout refert STALPART VAN DER WIEL in *obſerv. Cent. Poſt. P. I. p. 772.* eique magni, exigunt, etiam non poſtrema pediluvia reponuntur, ex quibus ſuffuſiones ſive cataractæ, pterygium, hypopium, & præſertim lippitudo & ophtalmia frequentiſſimi ſunt. In his enim omnibus valentia ea remedia ex emollientibus, anodynis, ſummit. anethi, foliis ſolami papav. albi ac ſpecificis herb. verbenæ euphraſiæ & rad. valerianæ &c. ipſis oculis deprehenduntur, qui humores cum impetu affluentes ibique hærentes avocant & divertunt, & accretiones cataractarum impediunt. Practici quidam pediluvium imprimis ex lixivio, ex cineribus ligni juniperini paratum ac mane veſperique, per ſpatium unius horæ calide uſurpatum, laudant. In ſupra modo adducto H. GRVBE *tract. de Arc. Med.* & *S.* PAVLI *tract. de febrib.*

malign.

malign. p. m. 80. legitur horum effectuum caufam interdum in pedibus hærere, in quibus pediluvia ex appropriatis præ aliis neceffaria erunt.

§. XIX. Quando gravedo & deftillatio moleftant atque nares intus materia obftruit, & frequentia fternutamenta fiunt, voxque offenditur, pedes in aquam calidam, lixivio, fulphure, ferpillo, majorana & fimilibus herbis floribusque nervinis fale volatili oleofo præditis alteratam fingulis diebus, vefperi præfertim immittere convenit, quia catarrhi id commune habent, quod circa vefperam increfcant & extrema corporis, pedes maxime refrigefcant, ac pedes fere percalidos fervare juvat, ut e contrario refrigerationes pedum catarrhos inducunt aut eos exafperant peffime. In narium hæmorrhagiis fymptomaticis feu præternaturalibus, in quibus alias & revulfio cruenta in inferioribus partibus cum fucceffu adminiftratur, pedes in fimplicem faltem aquam tepidam fricationibus prius bene inftitutis, ponere quoque e re eft; In his enim aliisque hæmorrhagiis nimiis aut moliminibus eorum, quorum impetus ordinario, a fpasmis fanguinem ad certam quandam partem adigentibus & vafa venofa ibi diftendentibus originem trahunt, quæ variis congeftionibus fanguinis, doloribus fpafticis infequentibus, diverfis in partibus corporis, anfam præbent, ante omnia neceffe eft, ut fpasmodici illi motus componantur, & ad inferiora fanguinis & humorum impetus fimul avocetur deriveturque, vel ut prifcorum expreffione adhuc quidam loquuntur, vapores ad caput & fuperiores corporis partes adfcendentes revocentur, circulusque reftituatur, obftructionesque referentur. Adhibita ea, a me funt haud fimplici vice, bono fperatoque eventu, ex fimplici tepefcenteque faltem aqua conftantia in narium hæmorrhagiis fymptomaticis enormibus, retroceffiones exanthematum variolarum morbillorumque ac multa mala & periculofa fymptomata producentibus. Quod a tepidis fit, a frigidis imo frigidiffimis quoque exfpectatur, fi imprimis hæmorrhagias paffi, fubito & improvifo quafi pedes immergant, ut alias, eo malo, frigidiffimam copiofam aquam in hunc fcopum; collo, fcapulis, cruribus, lumbis affundere, quidam affolent, aut alii qui armata manu ferro ac igne patientes adoriuntur plantas pedum adurunt aut vulnera infligunt. Per eandem fine dubio rationem R. SOLENANDER *Sect. II. Confil. Med. p. 118.* pro fœtore narium, lotiones pedum frequentes, cuidam præfcripfit.

§. XX. Aurium licet affectus fint pauciores, attamen quidam etiam occurrunt, quibus pediluvia apprime conducunt, tam fanguinem quam

ſerum deturbando, ut ſunt hebetudo auditus, ipſaque ſurditas, aurium tinnitus atque parotis. Teſtimonium hujus rei ſi deſideres, ſurditatem curatam eſſe, lotionibus pedum & frictionibus ex lixiviis & herbis quas nominant capitales per duarum ſeptimanarum ſpatium ſemel factis, legas in FEL. PLATERI *obſervat. Lib. I. p. 109.* Aurium moleſtum tinnitum a narium hæmorrhagiæ ſuetæ emanſione, in fœmina quadam Lipſienſi pediluviis ſublatam eſſe, memini. Qua occaſione ſimul quoque recordor viri cujusdam 35. circiter annorum, qui a pueritia efflorefcentiam & exulcerationem moleſtam, pone aurem ſiniſtram paſſus, variis ad abigendam illam remediis uſus eſt, nihil tamen unquam proficientibus, poſt annum dein ætatis ſuæ 20. ſponte emanſit, ſed per hoc tempus, ſæpe ex terrore aut ira, priſtinum repetiit locum, quem pertinaciter ſatis retinuit; jam vero ex quo ira, qua ſæpius irritatur, commotum ſe ſentit, ſimul erupturæ pruriginis ſenſum percipit, illico pediluvia adhibet, brevique ſic ea cedit.

§. XXI. Proximum eſt, ut de oris fauciumque morbis, de labiorum tumore, de odontalgia, item de tonſillarum tumore, de columellæ laxatione, frequentiſſimo atque inflammatione ejus, rariori malo, de angina item vera nothaque id quoque dicamus, atque pediluviorum laudationem atque commendationem adjiciamus. In immani dentium dolore, ſingulare ſolatium pediluvia calida afferre notat, modo nominatus F. PLATERVS in *obſer. p. 380.* In dentitione difficili, qua ſæpe ob diſtenſionem & lancinationem gingivalis carnis, ab erupturo dente indeque natam inflammationem & convulſionem &c. complures puerorum, intereunt; Multo vero uſu eſt confirmatum, pedum in calidam aquam immerſionem, dentitionem facilem felicemque reddere, atque ſanguinem & ſpiritus animales, qui in dentitientibus copioſius & impetuoſius continuo ad gingivas moventur, alioſum avocare, motum extraordinarium infringere atque componere, ſicque incommoda multaque alia peſſima ſymptomata, ptyalismum, tuſſim, vigilias nimias, febrem, deliria, ventris tormina, aſthma, catarrhum ſuffocativum, convulſiones, epilepſiam, ſingultum, alvi fluxus enormes, aut præcavere, aut lenire optime. Curioſum eſt, quod hic ſimul adducere libet, pedum duntaxat, in dulcem tepidam aquam immerſionem ſenſibiliter, calorem & ſitim per eum excitatam mitigare, Conf. CL. H. VOGLERI *Diætet. comment. Cap. XXIX. p. 210.* Imo cum illo laudato Auctore facio, aſſerente, hoc pacto longe citius faciliusque magnam ſitim poſſe ſedari, præſertim quando corpus ab æſtu, aut a laboribus nimium incaluerit, quam copioſo potu ingeſto;

tantum

tantum enim sæpius abest, ut sitis magna extinguatur, ut quoque potius accendatur.

§. XXII. Quemadmodum sæpius jam nominatus FEL. PLATERVS *Prax. Med. Tr. 2. Cap. IX. p. 387.* & SENNERTVS *Prax. Lib. II. Part. I. C. XXIV. p. 112.* in pleuritidis acuto pungente distendenteque dolore, ex stagnante sanguine, ut humor a parte affecta omni opera revocetur, acres frictiones & ligaturas artuum extremorum corporis, valde necessarias habent, ita & ubi varia, in pectore, præsertim in ipsis pulmonibus morborum genera fiunt, ut sunt modo nominata pleuritis, peripneumonia gravissima, periculosissimaque afflictio, pulmonum erysipelas, (consimile valde, distinctum tamen, quoad certa symptomata ac superficiali minorique periculo conjuncto malum) Conf. LOMMII *obs. Med. p. 132.* ut & dyspnœa asthma maxime siccum, ubi materia morbifica subtilis & qualitate peccat, tussis ferina & sicca præsertim imo convulsiva, strangulationes præcordiales suffocatoriæ fœminis inprimis familiares, ipsa phthisis alia pulmonum vitia, singularis usus, nostra quoque præsentia remedia esse omnino autumo ac mecum multi medicorum fatentur, ex eo maxime, quod divertunt & deorsum trahunt: laxatis his partibus: tumente panniculo adiposo & in illo pituitoso nocivoque humore collecto &c. Quoniam pulmones mire sæpe infarciuntur sanguine ab eoque molestissime & periculosissime distenduntur afficiunturque, arterias venasque vicinas, nimium distendit ac impedit molesta moles, quo minus sufficienter ac debita in quantitate aër a bronchiis pulmonum excipi queat; pediluviis vero ab hoc onere iis utilissime liberantur, simulque impeditur ne huic similis denuo magna copia ad pulmones deferatur. Hos, si hæmoptysis vexat non minus eadem bene tamen temperata neque longius protracta, auxilio sunt, quia obstructiones a quibus procedunt, auferunt, irritationesque præternaturales sistunt ac sopiunt, impetumque sanguinis aliorsum avertunt ac dirigunt insuperque roborant. Ideo & placent Celeberr. D. VATERO pediluvia ex centinodio, plantagine, bursa pastoris, alchymilla, radice symphyti rubiæ tinctorum, altheæ, liliorum alborum & subinde notabile levamentum attulisse, perhibet in *Disp. de hæmoptys. Tr. 23. p. 27.* Contra hunc sputum cruentum ac peripneumoniam, quos affectus aliquoties passus est juvenis quidam Lipsiensis, hyemali tempore ex frigore contracto, hincque habitus externi constrictione, majoreque exinde sanguinis parte ad interiora & maxime thoracem redundante, pediluviis calidis vesperi adhibitis feliciter se munire solet. Aptissima item sunt, si latera pectoris, quibus cingitur,

gitur, costæ cum pleura atque musculis intercostalibus, ex sero acri maxime dolore obtuso & gravativo magis, laborant, quod ægritudinis genus apud Auctores aliud atque aliud nomen habet; Siquidem alii pleuritidem spuriam, alii rheumatismum ac arthritidem intercostalem vocant. Quando asthmaticos vehementissimus metus suffocationis angit, maxime in affectibus flatulentis & hystericis a pediluviis calidis; certissimum & promptissimum auxilium promittit J. G. Glantz uti legitur in HOEFERI *Hercule M. Lib. II. cap. II. p. 104.* In cordis, cum quo atque pedibus singularis quoque observatur consensus, graviori affectu, quem palpitationem atque in leviori illo quidem, quem tremorem cordis nuncupant, a palpitione diverso, licet vulgo cum illo confundatur, in præcipiti virium lapsu, quem lipothymiam atque syncopen nuncupant, eandem laudem merentur, quoniam nempe copiam præsertim flatuum, ob alvum adstrictam interceptorum & intestinum colon cum ventriculo & liene sursum versus prementium, ut cordis spatium angustetur, educunt. Historiam collectam de Juris quodam Doctore Haffniensi ex pedibus refrigeratis, lipothymiam gravissimam cum cordis palpitatione, aphonia & pulsu penitus deperdito, ex orci faucibus, pediluvio vini albi, gallici revocato, inveniens in BONETTI *Sepulchreto Lib. I. Sect. 13. p. 272.* Quo memorare juvabit, syncopticos saltem in planta pedis frictione excitari posse. Hic in mentem incidit, suffocatos pene v. gr. a fumo carbonum aut submersione in aquam per pediluvia etiam refocillari & in integrum restitui posse, hoc ut pro vero accipiamus, ratio non adversatur, cum per hanc incalescentiam pedum, motus vitales iterum excitentur augeanturque. SACHSIUS in *Ampelogr. Sect. II. Cap. III.* observatione, quam profert, testatur, pedum forti ac diuturniori percussione in aqua submersos & sine vita & motu jacentes vita iterum donatos fuisse. In anxietatibus præcordialibus, a varia causa protractis, opem ferunt haud parvam & fortiora quidem. Nulli dubitamus, nostra remedia atque adeo contra polypum cordis aliarumque cavitatum commendare, quia diluunt, attenuant, spasmum sistunt, evacuant, quales scopi hic primario sunt formandi, atque sanguinis copiosum nimis affluxum præcavent & impediunt, sicque progressum illius circa cor facilitant & promovent. Hic simul adhuc quoque commendare lubet, alio loco forte omissum, hæc nostra remedia in incubo haud contemnendum juvamen afferre.

§. XXIII. Nullum prorsus dubium est, quin & in reliquarum porro corporis partium morbis pediluvia egregia sint, ut in inflammationibus

bus quibusvis, nominatim ventriculi & inteſtinorum, hepatis, renum & veſicæ reliquorumque infimi ventris, viſcerum. In ſtomachi quibusvis propemodum vitiis, ea quoque utilia eſſe jam ex PLINIO *Hiſt. Nat. Lib. XXVIII. Cap. VI.* colligitur; Similiter tormina ventris, cardialgiam, in qua ordinario pedum refrigeratio eſt conjuncta, colicam, nephritidem, ex calculo dolores (ſpaſticas enim in inteſtinis ſtricturas potenter relaxant;) urinæ obſtructionem ex emollientibus & lithontrypticis confecta, leniunt, ac ſoluunt quæ & vaporibus ad abdomen aſcendentibus ſive tepore laxando, ſive imi ventris & veſicæ muſculos ſtimulando, diureſin movent, & ſic calculi excretionem promovent, ulteriorem vero calculoſam accretionem impediunt, dum ſanguinem uberiorem ex renibus divertunt & congeſtionem illius circa has partes auferunt. Diarrhœa ipſaque dyſenteria, in quibus præſertim pedes calefacere ad fluxum ſiſtendum, oportet, ſic quoque compeſcuntur. Quando ſingultus moleſtiam facit, is ſedatur per ejusmodi, quæ ſpiritus diſtrahunt, & e diaphragmate revocant aliorſumque derivant. Cumque & manus pro hoc ſcopo, in aquam ferventem, cum euphoria immerguntur, pediluvia ferventia etiam hic locum habere, nullus dubito. Item in vomitu cruento, ut & ſeceſſione nigra per ſuperiora æque ac inferiora ſuum locum obtinent, quoniam avertunt, demulcent, ſedant & dolores ſopiunt. In malo hypochondriaco, ea ſingularis utilitatis eſſe affirmat ROLFINCIVS in *Conſ. m. p. 725.* Ea modo dein paſſionem hyſtericam ſingulis menſibus circa inſtans menſium tempus, aliquoties repetita præcavent ac præſentem auferunt. Cum & humores fluxiles reddant, circulumque ſanguinis & humorum liberum ac expeditum ac novum impetum concilient, aſſeveratione haud dubia affirmare poſſum, pediluvia calida, ſuum officium haud contemnendum locare, in obſtructionibus internis viſcerum, lienis, hepatis, meſenterii ad tumores, ſcirrhos, hydropes certiſſime inſequentes pronis, in hæmorrhoidum item menſium & lochiorum ſuppreſſionibus, ubi menſes aut hæmorrhoides per inſolitas vias, erroneo motu, aliorſum pererrant, aut feruntur, ut in ſuam viam iterum dirigantur, qua de re proſtant multæ & notatu dignæ obſervationes Auctorum. Sic vir quidam, moliminibus hæmorrhoidalibus cum dolore capitis per plures annos vexatus, quorum incommodorum levamen ſentiit, ex quo, ſtato tempore, in naſo ulcuſcula ſero ſanguineque ſcatentia eſt expertus; pediluviis tandem circa excretionis tempus adhibitis, hæmorrhoides viam ſuam debitam, invenerunt. Menſes felicius expedient, ducent & promovebunt, ſi meliſſa, origanum, mentha, ar-

temisia & similes species intentioni huic, alioquin aptæ, incoctæ sunt, tam balneo pedum, qua tali, quam vaporibus calidis, abdomen calefacientibus. Nemini paradoxon videatur, si & ad internas obstructiones & ad mensium nimium fluxum uterique hæmorrhagiam, ipsum fluorem album, pedum lotiones calidas, commendem: quoniam enim ut plurimum obstructiones spasmodicasque quasdam & intervallatas arteriarum contractiones internas, causam agnoscunt, eas vero ea optime tollunt, rem jam indicatam esse censeo, ut venæ sectio alias ac salia volatilia, in utroque casu, cum successu adhibentur.

§. XXIV. Nec sicco pede prætereundum est, pediluvia speciatim egregie subvenire & noxas insequentes præcavere, affectibus animi enormibus, ira atque terrore, maxime mœrore affectis; Nimirum v. gr. irascentibus, sanguis acris ac fervidus commotus, non solum tum caput offendit, sed & ex partium heterogenearum raptu, pororum obstructione & spirituum animalium irradiatione impedita, vel nervorum præter naturali irritatione, ut & malignitatis inductione, unde vertigo, vocis privatio, venarum ruptio, apoplexia, paralysis, convulsivi motus & epilepsia, febresque malignæ, invadunt. Hic & alibi ob sanguinem per arterias rapidius commotum, sed difficillime iterum trajectum, ac proin quasi stagnantem, dolores & inflammationes, hæmorrhoidum mensiumque obstructiones & similia mala inducuntur. Sanguis sic violenter ac irregulariter fertur, ordinarie etiam extrema corporis petit, difficulterque iterum ascendit, & lymphæ quoque motum reductorium impedit, unde arthritis & œdematosi pedum tumores exoriuntur. Rursus in tristitia cor maxime contrahitur atque a terrore inprimis plethoricis spongiosis & sensibilioribus, spiritus animales & sanguis, ad interiora magis, caput, pectus, cor depelluntur, & circulatio ejus inæqualis redditur ac crasis male destruitur, & sexcenta alia insequuntur, quorum apoplexia, cordis palpitatio, animi deliquium, anxietas præcordiorum, hæmoptysis, cardialgia, asthma, icterus, hydrops, vomitus, alvi fluxus, spasmi, convulsiones, epilepsia extremorum tensiones, refrigerationes & contractiones frequentissima mala sunt. Hæc omnia inquam pediluvia cum frictionibus, hos irregulares affectus, certius avertunt, & ii pedes male iisdem affecti sunt, & stupore depravati, quod ordinarie maxime ex terrore accidit, incommoda exinde nata (*wenn der Zorn und das Schrecken in die Beine geschlagen,*) efficaciter auferunt, sanguinem fluidiorem & motum debitum circulatorium liberum & ordinatum omnium humorum reddendo, inordinatum compescendo eumque ex capite præ-

sertim

ſertim ad inferiores partes, revocando, quo & animum ſedant placantque & ad requiem diſponunt. Horum igitur ingredientia erunt: radices valerianæ, aſari, bryoniæ, aſtheæ, leviſtici, raphanus, ariſtolochia, cyclamen, folia, cucumeris aſinini, herbæ, ſabinæ, artemiſſiæ, meliſſæ, matricariæ, pulegii abrotani, mercurialis, baccæ, juniperi ſemina, nigellæ, carvi ſileris montani, aquæ & lixivio, incocta.

§. XXV. Nec non eo modo, eadem ad molæ fœtusque eductionem promovendam, adhiberi poſſunt. Neque tamen quid impedit, quin eadem ex floribus chamomillæ romanæ & vulgaris præſertim decocto parata, ad fœtum roborandum, vaporibus maxime exinde evolutis, totamque regionem uteri blande calefacientibus & roborantibus, inſtituantur. Si & gravidæ ante partus tempus, provide pediluvia repetunt, iis ad facilem & felicem partum, diſponuntur. Poſt partum vero dolores, ex eo mitigant ea & lochia debito in ordine, conſervant. Sigillatim monendum eſt, pediluvia fœminis illis, quibus per ætatem menſes deſinunt, frequenter inſtituta, ad præcavendos morbos, qui ordinario exinde inſequuntur, & quorum magnus numerus numeratur, admodum conducibilia eſſe. Per adducta nullus dubitationi locus eſt, pediluvia vim ſuam quoque exerere, in varicibus ſeu p. n. venarum dilatationibus & a ſanguine intra valvulas contento, imprimis ſi frictiones, ſimul ab inferioribus verſus ſuperiora inſtituantur; quod remedium pro ſanguine divertendo laudat (Solingen *in den Handgriffen der Wundarzney p. 433.* Ex obſervatione ſuperius a Braſſavola allata, inducimur, ut credamus, pediluvia frigida, alvi pertinaciſſimam obſtructionem vixque aliis remediis cedentem, ſolvere poſſe. Sed neque calida hic & in ipſa paſſione iliaca frigidis cedunt, quoniam mire internas ſtricturas relaxant & motus in pedibus inchoati ulterius transferuntur: ſi etiam emollientia ea ingrediantur humida ſua vaporoſitate, fomentationis adeo proficuæ explent vicem. Utiliſſimum igitur hoc remedii genus erit, ubi alvi laxatio indicatur & tamen per morbi conditionem vix licet interna præſcribere ut v. gr. quandoque in variolis, morbillis aliisque cutis excretionibus, hyſtericis affectionibus. Hinc ſuſpicari licet, ea etiam diureſin movere & hinc in urinæ ſuppreſſione, a quavis etiam cauſa ea ſit, haud ſimplici modo afferre emolumentum, maxime & ſi fluidum nerveum in ſphincteris veſicæ fibras copioſius influat, & per exceſſivam earundem tenſionem & ſtricturam, urinæ fluxui obicem ponat. In artuum affectibus fixis, curatorie in vagis præſervatorie magis pediluvia eligeremus.

§. XXVI. Reſtant adhuc morbi quidam, quibus tota occupantur corpora & ubi morbus diſtributus eſt, per omnia ſanguinis vaſa & partium receptacula. De quibus animadverſio ſit, pediluvia non ſaltem in cachexia, leucophlegmatia in phlogoſibus, quæ totum corpus invadunt, ſed & in omnis ferme generis febribus, convenire. In intermittentibus die intercalari ac ante paroxysmum potius eliguntur & lixiviis & herbis aromaticis cum vino aut etiam S. vini camphorato adhibito, ut vellicantia etiam & rubefacientia, carpis manuum admota, illarum paroxysmos mitigant. Sic ea KOZACK *lib. de ſal. Sect. XII. Cap. X. p. 455.* in intermittentibus quibusvis jubet pedes lixivio calido ante paroxysmum immergere. In tertiana legitima GALENVS *l. ad Glauc. C. 9.* ea approbat. Quartanam pediluvio ſanatam eſſe legitur in *Ephemerid. Nat. Curioſ. D. II. An. VI. Obſerv. 144. A. VIII. Obſ. 28.* In putridis ſic dictis quoque concedit P. DE SORBAIT *Meth. medend. p. 138.* aſt non niſi ſignis coctionis apparentibus, vel ægro prius purgato ac non in ipſo augmento, quia alias Rhaſe annotante, putredinem augerent, apoſtemata & horripilationes procrearent. In iisdem malignis æque S. PAVLI *Tr. de febr. malign.* ſuadet, quia per pedes, multa tertiæ coctionis excrementa exonerentur. In continuis vehementibusque urgentibus febribus ubi totum corpus exſiccatum internecionem accelerat atque ſanguinis æſtus ita tumeſcit, ut ſuo impetu ac preſſione, ſymptomata graviſſima oppreſſionemque circuli vitalis minetur, omni propemodum tempore bis in die ac præſertim circa veſperam ac noctem, uſurpata, tepida maxime ac tantum non frigida, ex refrigerantibus quoque compoſita, ut aceto, nitro maxime, roſis rubris ſiccis herbis prunellæ, ſempervivi portulacæ foliis, nympheæ albæ ſalicis, cucurbitæ, acetoſæ, acetoſellæ & ſimilibus, ſanguinem tunc temporis magis verſus corruentem revocant & ad extima magis transferunt, æquabilitatem humoribus inducunt, effrenum & reſolutum ſpirituum & ſanguinis motum, belle compeſcunt & naturam, quæ ſola ſibi minus ſufficit, juvant, onus, quo premitur, levant, æſtum reſtinguunt, deliria mitigant, ſomnum & requiem conciliant. Conferatur RIVERIVS *prax. medic. Lib. XVII. p. 312.* In lentis & hecticis, corpus lente conſumentibus, taliamodo deſcripta, circa exacerbationis æſtus præternaturalis horas ejusmodi poſt prandium & circa veſperam multi uſus ſunt. In catarrhalibus aliisque ſymptomaticis febribus pedes moderato calore & tranſpiratione per pediluvia ſervare uſui quoque egregio eſſe poteſt. Sunt qui Sylvium ſecuti in variolis ad avocandas eas & ex facie præſertim ad nitorem conſervandum avertendas, pedes

totos

totos frequenter in lac tepidum, demergendos ſvadent, ex quo etiam copioſiores in pedibus, pauciſſimæ, in facie erumpunt. In aliis laudabilis, in aliis vero deplorandus eventus eſt viſus, ſiquidem contractiones & diſtorſiones claudicatioque per totam vitam non reſtituenda, ex acrimonia varioloſa, ad pedes ubertim translata hasque partes membranoſas & tendinoſas corrumpente & diſtorquente ſunt inſecutæ. Pariter in febribus inflammatoriis poſt ſectam venam multi uſus ſunt, quoniam, uberiorem ſanguinis affluxum a loco affecto, ubi locorum etiam inflammatio ſit, diutius tamen uſurpata, ſolvendo laxandoque conſtrictas inferiorum partium fibras, affluxum ad pedes divertunt & invitant. Ad ſudores colliquativos ſedandos utiliſſima pediluvia deprehendi ex frigida beneque temperata aqua incoctis injectisque roſis rubris ſiccis, foliis ſalicis, herba burſæ paſtoris, nympheæ albæ & ex ſimilibus herbis refrigerantibus, pulvere gallarum, nitri vitrioli. Rurſus ſi ſudores repreſſi fuerint, ut reſtituantur, eadem valent, ſed calida, herbis reſolventibus decoctis additis. In his atque aliis corporis humani conſtitutionibus, pediluvia, ſecundum modum indicatum, utiliſſima & appropriata remedia ſunt atque ad citam faciunt nec moleſtam aut horrorem incutientem neque faſtidium parientem, ſed tutam blandamque promittunt medelam. Atque adeo tutiora hæc reliquis balneis ſunt, nam ſi juxta ipſum HIPPOCRATEM *Lib. II. de victus rat. ſect.* 4. perhibentem, lavandi cupidos ſi bis de die lavaveris, non peccabis, etiam his non facile peccabis, ſi & vel frequentius ſic lavaveris: ſiquidem in genere omni aſſeveratione affirmare haud dubitamus, morborum genus nullum propemodum eſſe, cæteris quidem paribus, quod in pediluviis, ſuum remedium non inveniat eaque emolumenta varia jamjam etiam indicata aliaque afferre. Atque interdum in optima etiam ſanitate timendis, & media etiam in pace velut minacibus malis ſingulis v. gr. ſeptimanis ſemel, bis, ter, rite a ſanis adhibita bonam integram conſtantem valetudinem impetus omnes verendos, a partibus nobilioribus avertendo æquilibriumque debitum conſervando ac evexiam conciliant, atque a morbis permultis præſervant egregie. Ab HIPPOCRATE *V. Lib. de internis affect.* & GALENO *V. Meth. medend. Lib. XIV. C. XVI.* aquæ calidæ perfuſionis mentio fit, qua partes corporis humani ad ruborem diſponebantur atque evſarcoſis conciliabatur. Nam pro ſanitate eſt, pedes extremas corporis partes & fonte caloris, corde, quod dicitur, longe remotas, (hinc & manibus iis invaleſcentibus morbis magis refrigerantur, in hydrope, pedes frequentius inflantur & moribundis

mors a pedibus ordinario propemodum ingruit) calidas femper fervare & quandoque præter ordinarium modum excalefacere, atque beneficia, quæ largiuntur pediluvia fuperius indicata, procurare. Nec dum caufas fanitatis turbant ac impediunt. Fertur de Italo quodam CXV. annum vegeto adhuc atque fano agente, a Cardinali quodam rogato, quibus remediis, vitam ad tam multos annos perduxiffet, eum refpondiffe: cibum bonum manducando, pedes focculis velando, caput fedulo tegendo, curas omnes fugiendo. In fpecie monere volo eos, qui folennes & falutares fanguinis evacuationes, quales funt hæmorrhoidales ac menftruæ in fœminis, ut eædem in debito ordine ferventur, neque natura ad has excretiones tendens, turbetur; ut maxime circa imminens fluxionis tempus, pediluviis utantur ac iis liberiorem fanguinis curfum fibi procurent, ac multa incommoda fimul avertant: Hoc folo medio atque remedio fœmina quædam Lipfienfis meo fvafu, clavum hyftericum, quem alias fæpius eft experta, pediluvio alternis diebus circa inftans menfium tempus adhibito, præcavere folet. In ejusmodi rei exemplum aliam & fequentem obfervationem adhuc referam: Vir quadragenarius, a juventute ad 30. usque annum, narium hæmorrhagias frequentius eft expertus, ex illo tempore defierunt, & frequentes tandem atque continuæ fere cephalalgiæ enormes, capitis gravitas, anxia & triftia, fubinde deliria, non raro colli inflammationes, fæpius cataphora, perpetui artuum ftupores, affligebant. Varia, per plures annos adhibita funt remedia; fymptomata vero femper redierunt, fpicæ ftramineæ fetæque fortius naribus funt intrufæ, fed nec his eruptio potuit procurari, adeo non potuerunt hæc priftina molimina perrumpere, cogitatum eft de narium in morem Aegyptiorum facrificatione interna, quam PROSPER ALPINVS *de Med. Aegypt. L. III. C. I. & XXI.* delineavit. Tandem alio confilio inito, venæ fectionem admifit vir, bis in anno celebratam, juxta alia remedia appropriata interna, pediluvia bis quaterque ante cubitum adhibuit, quibus per octo jam annos diligenter obfervatis, pancratice vixit.

§. XXVII. Preffo quafi tandem pede, pedum fequuntur vitia, membrorum maximæ æque neceffitatis, quæ columnas velut totius corporis conftituunt, in quorum ftructura magnus & admirabilis ordo elucefcit, licet hæc nobilitate alias cetera pleraque antecellant, & abjecta in animali habeantur, ut patet ex GALEN. *Lib. III. de ufu part. Cap. X.* In horum vitiis cum fructu adhibentur, ubi relaxandum, emolliendum, abftergendum, refolvendum, refrigerandum, firmandum, attrahendum

ac implendum eſt, & ubi ſpirituum animalium & ſanguinis, ad has partes debilitatas, major affluxus procurandus, humores in partibus lente circulantes, frigidi, laſſi diluendi, fluidi & ad citatiorem motum apti ſunt reddendi. Ex quibus primum nominanda podagra eſt; tantum enim abeſt ut noceant, verum, non tam ex repellentibus, ſed ex abſtergentibus, aperientibus, diſcutientibus, roborantibus & tonicis & emollientibus, v. gr. lixivio, ſulphure, alumine, origano, ſerpillo, hormino, ligno Juniperi, foliis malvæ, parietariæ, verbaſci, atriplicis, abſinthii, artemiſiæ, muſco, quercino, roremarino, baccis, juniperi, ſalviæ, pulegii, chamomillæ, chamæpyti & ſimilibus, cocta pediluvia. Cognovi practicum, qui ad dolores podagricorum in ipſo paroxysmo corrigendos, pediluvia ex foliis arboris, nucum juglandium virentibus coctis & ſale, pro arcano habuit. Alias ex thermalibus aquis Teplicenſibus, Hirſchbergenſibus, Emſenſibus, Wisbadenſibus, Aquisgranenſibus, Badenſibus tam Auſtriacis quam illis inter Rhenum & Herciniam ſylvam inveniendis aliisque multis, ſecundum Guntherii Andernaci de aquis medic. recenſionem & laudationem talia fiunt: Nam poros aperiunt, tranſpirationem promovent, aut roborant aut relaxant, dolores ſiſtunt, arefactiones & contracturas impediunt. Sicque tam curative quam præſervative & extra paroxyſmum indicantur, quod & nobis magis probatur, præſertim ad firmandos debilitatos exinde articulos. Pro hac, podagra nempe atque immobili pede, lotiones pedum calidæ ex muſto fermentante a P. Hochstetero vid. *obſ. med. poſth. X. p. 434.* ſunt laudatæ, atque *p. ſeqq.* aliæ ex ſale, nitro & vitriolo, ut arcanum maximeque probatum, propoſitæ ſunt. Imprimis ab aliis practicis multis, pediluvia ex urina puerorum aut vaccarum, commendantur, cum quibus Clar. Colbatſchs Anglus in Tr. de Podagra, facit, qui fotum & pediluvia ex urina vaccæ fervida, ſale marino ſoluto, ſummis laudibus, extollit. Nonnulli Anglorum hypotheſin laudati Colbatſchii ſecuti ſerum tophosque podagricorum alkalicos in dicto tractatu pronuntiantis pediluvia potius ex aceto calefacto ut alkali peccans deſtruente, eligunt. Nec eſt quod metuas pedes tumidos rubenteſque fieri conſpicias, quod & modo laudatus R. Solenander loco citato affirmat. Ad roborandos in arthritide pedes L. Scholz a Rosenav, Celeberrimus quondam Vratislavienſium Medicus pediluvium aquæ ferratæ, cui hypericum ſalv. urticæ, roſæ, lignum juajacum incoctum ſit, in *Conſil. Med. p. 675.* præſcripſit. Matthiol. *Lib. I. C. LXXXVII.* tale balneum ex Junip. ligno & baccis admirandarum virtutum eſſe dixit. In horum numerum ſequitur gonagra,

agra, ſequitur & illorum commendatio & laudatio, ſi ad has partes usque profunde pedes immergantur. Haud facile vero ſvadere vellem in ipſis podagricis doloribus pediluvia, ex aqua fontana frigida, qualia quidam tam veterum quam recentiorum concedunt, quosque Gallorum Anglorumque quidam inprimis imitantur ac pediluvia frigida inditis lumbricis terreſtribus contuſis, ſvadent; facillime enim deploranda noxa accidere poteſt, maxime ſi in principio morbi adhibeantur, de quo ſiniſtrum effectum referam: Scilcet, vir quidam quinquagenarius plethoricus, frequentes ex vino compotationes, commeſſationes amans ex ſvaſu ſui chirurgi in primo ſtatim paroxyſmi podagrici ingreſſu, pediluvium ex frigida inſtituit, ſequenti nocte ſedatis doloribus affectum ſoporoſum eſt paſſus, qui ægre medici conſilio & auxilio potuit curari, curatus tandem vigorem ingenii memoriamque imminutam reportavit. De alio ſcio, qui in ipſo dolore podagrico ejusmodi frequentius uſus eſt, tophos plurimum eosque prægrandes in pedibus ſibi contraxit.

§. XXVIII. Affines dolores pedum rheumatici ſunt, affinis quoque hæc medicatio eſt. In uſu imprimis probatiſſimo pro his ea ſunt, quæ ex formicis & a coriariis (Loh. Bäder) aut etiam urina puerorum petuntur. Sunt quidam veterum quam recentiorum, qui lavacra frigida in his recenſitis morbis, æque optima cenſent. Nobis conſtat ratio hujus curationis apud Floyerum Anglum & Guaſtallum Gallum, in quæſt. Med. Avenionenſ. ſuperioribus annis modo ventilatis. Aeque ego confidenter affirmo, contra rheumatismos pedum, pediluvia frigida magni facienda præſidia eſſe, magis tamen præſervativa quam curativa, quoniam roborando, harum partium tonum, impediunt, quo minus peccans in partem debilem, humor irruat. Perinde in aliis pedum vitiis, in ſpina ventoſa, rhachitide, tumoribus duris, pediluvia, vel naturalia vel artificialia ex vegetabilibus & mineralibus, alumine, nitro, vitriolo, ſulphure, cineribus clavellatis, herbis, ſerpilli, roris marini, majoranæ, betonicæ, abſinthii, ſcordii, lappati ligno guajaco, radice leviſtici, helenii, baccis juniperi, lauri &c. vel etiam ex thermalibus aquis ſupra modo nominatis, ſimiliter commendari ſolent. In pedum ſtupore, ex terrore contracto, cum obmuteſcentia, paralyſi, frictionibus durioribus præmiſſis, pro majori ſenſibilitate, fibris concilianda, in fluxu ſanguinis & ſpirituum advocando, humorumque diſſipatione, pediluvia penetrantia, ex ſale ammoniaco, aqua calcis vivæ & fuligine, ſulphure, auxilium præſentiſſimum, tuliſſe recordor. In eorum pariter tremore, quem non

ſolum

ſolum podagra, ſed & omnes ferme alii morbi chronici magni & periculoſi exantlati relinquere ſolent ex roborantibus, odoriferis herbis &c. ea valent multum. Ejusmodi & vel emollientia, ſolventia vel reſolventia acriora, in pedum atrophia & paralyſi ariduris & mala conformatione, magna utilitate ſe commendant, ſive etiam ea vitia ſint ex ſucci nutritii defectu, ſive a ſanguinis craſſitie, aut motu impedito, ſive partium transmittentium pororumque obſtructione aut anguſtatione p. n. Nihil enim magis, his, a centro ad circumferentiam, evocat humores, partes emollit, preſſura atque contra nitentia obſtacula perrumpit, poros obſtructione liberat, anguſtatos expandit, calorem, nutrimentum & vitam reſtituit & adducit, muſculorum ſiccitates corrigit. Inter hæc numerabimus caſum, quem Præſes Tiguri Helvetiæ quondam vidit, in viro quinquagenario, qui per duos annos pedum paralyſi laboravit, quem tandem ſcabies fœda occupavit (quam mortis prodromum nonnunquam eſſe duobus exemplis BIERLINGIVS in *Theſauro Theoret. Pract. p. 891.* declarat) in quo pediluvia ex emollientibus, abſtergentibus, nervinis optime ceſſerunt, abſterſa exinde ſcabie ſolutaque paralyſi. Nec non alibi habet expertum, in contracturis pedum a mercurii in corpus recepti noxa inductis, pediluvia ex emollientibus & reſolventibus, egregie profuiſſe. In hujus declarationem lubet commemorare, quod commemorat C. D. RIDLINVS *Linear. med. anno 4to Jun. Hiſtor.* 5. De aurifabro, qui ex deaurationis labore, cum mercurio tabe contracta, balneum aquæ dulcis per aliquot horas inſedit & mercurium e corpore ſuo hoc medio elicitum in fundo vaſis vidit. Addimus adhuc aliam huc facientem hiſtoriam, de fœmina quadam, cui ex abſceſſu pedis ſiniſtri, totus pes erat contractus, quæ emollientia ſaltem pediluvia optima eſt experta. Qua occaſione juxta ejusmodi curam non poſſumus non indigitare, cum apud medicos notum ſit, in membris paralyticis quamfrequentiſſime gangrænam a ſpirituum animalium defectu, ac partium paralyticarum immobilitate, qua tubuli a decubitu continuo, aſſidue comprimuntur, accidere, ad præcavendam eam atque avertendam in pedibus pediluvia emollientia, reſolventia cum multa frictione quoque utiliſſima eſſe. In paralyſi alias pedum pediluvia potius eliguntur ad quæ formicæ ova nidusque totus recipiuntur. Ab aliis frigida pro hoc ſcopo quoque, ad augendum motum, ſvadentur.

§. XXIX. Ad alias adhuc pedum labes pedem promovebimus. Qui ex gelu perniones pedum contraxerunt, optime ſibi conſulunt, ſi frictionibus ſimul bene aſpero cum panno inſtitutis in frigidam pedes

immittant. Quod monachis illis ex ordine capucinorum, discalceatis dictis, qui per sævissimam etiam hyemen denudatis pedibus incedunt, solenne est, ut vesperi in vas ligneum aqua frigida, plenum, pedes reponant, noxamque omnem, quam frigus alias infert, avertunt. Quod experimento constat, cum pomis congelatis facto, quæ, aquæ frigidæ injecta, crusta quasi glaciali, haud ingrato spectaculo, conteguntur & conservantur, a calida vero læduntur & corrumpuntur. Quare & medici ex consilio Sennerti præcipiunt, ut membris frigore graviori tactis, aqua frigida, nix, rapæ congelatæ, fragæ & similia, primum applicentur, ita enim pori blande aperiuntur, tubulorumque æqualitas servatur, donec humores coagulati & impediti sensim fluidi iterum fieri, in circulum suum ac calorem pristinum naturalem redire possint; verum si calida mox admoventur, moriuntur ac decidunt, quia humores compacti ac coagulati impetuosius resolvuntur, & versus interiora moventur ac intruduntur, ex quo fibræ flaccidæ relictæ ac atoniam insignem passæ, vix amplius reducendam, exitio intereunt. Ad ictus & morsus venenatos quos vocant animalium, canum, serpentum, apum, vesparum, non absona quoque sunt pediluvia tepida, quibus melissa, mentha, salvia, serpillum, pulegium, hyperic. similiaque cum sulphure aquæ, aut quod melius est, aceto incocta, qualia & in sugillationibus pedibus inductis ac sanguine in grumos coacto hinc indeque hærente, valent. Ejusmodi facile parabilia remedia sunt iis pauperculis & ruricolis, qui nudis pedibus incedentes a rubigine maligna, pustulas & ulcuscula nigricantia, inducta gerunt. Conf. RAMAZIN. *Miscell. N. Cur. Germ. D. II. an. 9. append. p. 38. D. III. an. 9. obs. 93.* Hoyerus l. c. Talia propemodum adjectis alumine vitriolo cineribus clavellatis, vel ex thermalibus aquis in ulceribus pedum antiquis instituuntur, ac pro squamosis, putridis, cariosis, lue scorbutica vel gallica infectis, admodum familiaribus, in quibus ex caryophyllis, cum aqua, vino & aceto cocto, speciatim ejusmodi Galli probant. Talia quoque acria ex formicis, thymo, siderite, serpillo inprimis parata, inductis ante & post frictionibus durioribus synapi imposito, urticis cæsione vel etiam vesicatoriis applicatis, ut obstructiones reserentur, spiritusque per nervos recte influant, sanguinisque in vasis motus retardatus acceleretur, ac ita sensus quem nervi subtiliores, ac motus quem duriores præstant, atque nutritio quæ per vasa sanguifera absolvitur, restaurentur, in atrophia, ariduris ex paralysi pedum crurumque e re sunt. Imo in posteriori affectu veteres Græci ad motum inducendum augendumque frigidam affundebant. Referatur

tur etiam, si forte podagra retrocesserit, aut retro acta fuerit, vel si ejusdem excretio segnius procedat, pediluvia emollientibus præsertim incoctis, magnum commodum promittere. De aliis ejusmodi scopis alia habemus exempla. Nimirum in fœmina quadragenaria, ex retrocesso pedum tumore, asthmatica facta, & juvene, bonarum literarum studioso, ex scabie crurum pedumque, a linimento a chirurgo non satis provide applicato, ad interiora recessa, febrem tertianam cum convulsiva colica exortam esse, pediluviis vero intentioni satisfactum fuisse memini: Nunquam adstringentibus repellentibusque pedum sudor est coercendus, quoniam a morbis liberat quam plurimis ista excretio, sed potius juvandus secundum illud Hippocratis effatum: quo natura vergit & per loca conferentia, eo eam ducere oportet. Sic & non una tantum vice habemus expertum, quod fœminæ, quas pedor distinxit, svasu anicularum, pulverem stypticum & ramenta orichalci, ad reprimendum fœtorem, soleis indiderunt, asthma convulsivum, spasmos ventriculi & intestinorum immanes, febrem lentam, hecticam, ardentem, epilepticos insultus & similes spasmodicos motus, nullis medicamentis abigendos, passæ sint; quibus pediluvia optime subvenerunt, morbus enim brevi exinde est curatus, symptomata mitigata & pedum sudores pristini revocati & laborantes, valetudini restitutæ. Etenim pedes, licet juxta manus extrema humani corporis sint, tamen per eos, plurimi fuliginosi effluunt vapores, qui retenti plurima quoque incommoda excitant, ideo Sennertus docet calceatis pedibus dormire admodum noxium esse. Eadem enim est harum excretionum indoles, eaque sulphureorum salium natura caustica, quod si ex nexu viscoso sanguinis extricentur, & ad interiora iterum recedant, immediate, maxime in partes corporis motrices agant, easque torqueant atque ægerrime afficiant. Affinis observatio, de tumore œdematoso retrocedente in corpus in Verbi Divini quodam Ministro quinquagenario cachectico sedentario, occurrit, cui femora & pedes intumuerunt, qui tempore hyemali, in templo non satis contra gelu, munito, tumore, quem per multos annos gesserat, retrocesso & exinde asthmatico facto, medicamentis ex antimonio diaphoretico, nitro cinnabari, camphora & similibus, venæ sectione etiam administrata, malum quidem subinde levantibus, sed non auferentibus, cui pediluviis tandem adhibitis tumor pedum cum pristina sanitate rediit. Hæ & similes observationes de erysipilate retroacto & pediluviis restituto, plures possent adduci, si ulterius evagari animus esset. Ad tumores œdematosos resolvendos tuto applicari possunt pe-

diluvia ex lixiviis & cineribus solutis, aqua calcis vivæ quibus incoqui solent, calamus aromaticus salvia flores anthos, majorana, mentha, ruta flores chamomilli, beton. origani, absinthii, baccæ, juniperi &c. Vulgus equidem in his tumoribus œdematosis, omnia pediluvia suspecta habet, ac si aqua fibras integumentorum nimium laxaret, hacque ratione lymphæ & materiæ peccanti locum spatiosiorem pararent; ast resolventia ex aromaticis & nervinis, vino &c. tonum potius firmant roborantque ac affluxui impetuosiori renitentiam præstant, refluxum vero juvant ac insuper transpirationem & sudorem, stagnantem aquam educunt. BRVNERVS in *Consil. 48. p. 280.* usum aquæ aluminosæ & salsæ & herbarum aromaticarum incoctarum svadet.

§. XXX. In vulgus notissimum est pediluvia, clavos pedum & unguium excrescentias præternaturales & dolorificas, callos, verrucas, cornea, etiam soliditate præditas, emollire, & abrasiones, concisiones atque extractiones facilitare, doloresque inductos componere. Alias contra fœtorem pedum adeo molestum, frequentes lotiones ex lixiviis quæ sulphur cœnosum acidum, uliginosum exterminant & abluunt, ex HB. plantag. origani floribus rosar. scordii folis quercus alumine, &c. in aqua simplici vel ferrariorum coctis, additoque soluto lithargyrio cum aceto tuto, frequentius adhiberi possunt. Sic & HELFR. JVNCKEN in *Fundam. Medic. p. 578.* ad fœtorem axillarum & pedum lotionem, ex modo nominatis præscribit. Neminem facile latet, ea non modo molestum lassitudinis (quæ species est contusionis velut & compressionis partium) sensum pedibus auferre, partes emollire ac relaxare atque fibrarum tonum restituere & tensiones gravativas lenire, humores subcutaneos ad motum lentiores forteque refrigeratos promovere, excalefacere eosque resolvere & dissipare, articulorum tendines emolliendo, temperando ac humectando, sed & nimio labore & motu corporis debilitatos, recreare ac vigorem universo corpori restituere, ex foliis nympheæ albæ salicis, vitis, capitibus papav. cum semin. ex salsa saltem aqua frigida tepidaque de quo vulgus effert: *Sie ziehen die Müdigkeit aus:* Ea certe de causa etiam legitur apud HOMERVM *Iliad. X.* Hectori ex prælio redeunti, calidum balneum, fuisse paratum. Pediluvium inprimis ex itinere lassatorum ex artemisia cocta, pedes ita confortare scribit BODEVS in *Comment. in Theoph. Lib. IX. c. XVIII.* adeo, ut nihil ei sit conferendum. Imo non nemo credulorum, artemisiam herbam ita pro hoc scopo extollit, ut vane credat, si viator eam saltem secum gestet, eum non defatigari iter faciendo. Veteres hunc in finem oleum

affere-

afferebant, hinc & oleo ungebant pedes, antequam calceos induerent, quod ex Hesychio Meursius notat, unde & ne deficeret lassitudinis remedium, lagenulam olei plenam, secum portabant, ad quod illud Plauti in Merc. tolle ampulam atque hinc eas &c. Alia ratione quoque his prosunt; quod moderata ac debita lenientia, emollientia, roborantia blandeque resolventia ex aromaticis, sale volatili turgidis &c. ipsa stamina ossea, cellulas fistulasque osseas, firment, acrimoniam ex humoribus appellentibus segregatam ac molestantem temperent, sufficientem spirituum animalium accessionem facilitent, debilitatibus, vacillationibus succurrant, nutritionem debitam procurent, minus convenientem p. n. avertant, & habitum surarum graciliorem impleant, oleum illud medullare, quod natura seu bonus promus condus in illorum cellulis fistulisque condere solet, debite sufficienterque elaboretur firmiorque hujus medullæ concretio atque inæqualior distributio corrigantur, auxiliatrices manus porrigant, de quibus vitiis observationes non ignotæ sunt. Hoc pacto simul ossa in debito, quod dicitur, temperamento conservantur, firmantur, ab injuriis variis quæ subinde accidere possunt tuta præstantur, ac ne fragiliora evadant, firmantur. Siquidem ea interdum observata est ossium fragilitas, ut fracturæ eorum etiam sine violenta causa externa contingerent, quorum exempla exhibent GVILH. FABRIC. HILDANVS *Observ. LXVI. Cent.* 2. SCHENCKIVS *Lib. V. observ.* 7. THEOPH. BONETVS *Med. Septentr. collat. Lib. I. Sect. XV. c. III.* IOH. MVYS, *Prax. Medic. Chir. rad. observ. I. Decad.* 7. Similem rarum casum ex Saxonia inferiori amicus quidam æstumatissimus mihi rescripsit, cujus historiam litteris insertam habeo: Senex scorbuticus alioquin sat bene valens, vesperi, lectum conscendit, sed titubans brachio dextro pulvinar corripiens, brachium fregit; Hoc confirmant etiam equisones, affirmantes, si equi quotidie in flumen ducantur, aut eorum pedes frigida bene fricentur atque laventur, robur pedumque ac celeritatem, eos obtinere. Ad pedum mollitiem a FORESTO *Lib. XVII. observ.* 15. IAC. HOLLERIO *observ. rar.* 7. FERNELIO *de abd. rec. causis Lib. II. cap. IX.* FABR. HILDANO *Cap. II. observ.* 66. TH. BARTHOLINO, *apud H. Velschium in observ. Med.* 22. observatam, pedum balneum frigidum ex sulphure, vitriolo, alumine & sale gemmæ præparatum, quale & descriptum apud ZACVTVM *Lib. III. Tr. adm. observ.* 127. invenies, valet. Ad maculas scorbuticas delendas DOLAEVS *Encyclop. m. de Lib. III. cap. XII.* pediluvium ex HB. absinthii rorismarini sabinæ nasturtii nitro, præscripsit.

§. XXXI. Tandem hic addere quoque non supervacaneum quidem erit, atque ad imitationem proponere quod in ossium pedis fractura HIPPOCRATES atque GALENVS pediluviis calidis usi sint, ut haud obscure colligere est, videatur *Sect. VI. p. m. 793.* & *Lib. VII. Method. Cap. VI.* Nimirum, præsertim cum membrum coaluisset & fasciæ essent solvendæ, ut illud carne implerent & modo mollius redderent, modo firmius, atque motum functionemque debitam iterum commodamque iisdem inducerent.

§. XXXII. Angli imprimis ex longo morbo convalescentibus pediluvia confortandi causa frigida suadent. Nec tepida ex aromaticis, resolventibus, adstringentibus, ut absinthio, rosis &c: alkalinis ex cineribus & bitumine aut lixivio, vino &c. parata, cum leni frictione, minus dissuadere possum, maxime iis, quibus ab arthritide perpessa debilitati & rigidi facti pedes fuerunt, aut qui œdematosos, tumores, qui convalescentium frequentissima & familiaria accidentia sunt, præcavere cupiunt. Calorem enim naturæ humanæ æmulum, iterum instaurant atque accendunt eumque diu custodiunt atque tam calore, quam salibus & partibus spirituosis, imbecillas partes fovent, stringunt, roborant ac firmant.

§. XXXIII. Ut hominum sanitati pediluvia, ita & eorum propagationi prospiciunt. In foro medico evicta res est, pedum infrigidationes concubituris officere, & maxime seminis emissioni adversari, totumque corpus refrigerare, & siccare, quod & ARISTOTELES asserit, *sect. 4. probl. 6.* & Avicenna affirmat, qui ideo priapismo & tentigine vexatis nudis pedibus obambulationem per pavimentum lapideum injunxit. Hinc RHODIGINVS *Lib. XV. c. VI.* Clinopalin nudi pedalem flaccidum hebetemque veneris usum nuncupavit. Pedum nuditas ex veterum religione castitatis symbolum fuisse constat. Sic Pythagoras sacris Aegyptiorum edoctus in Symbolis suis, animo casto & a libidinibus remoto deos adorare, iisque sacrificia offerre, nudis pedibus jussit. Apud Mauros & Saracenos templa aut loca sacra alia calceatis ingredi pedibus per hanc ipsam forterationem, nefas erat. Pariter IOSEPHVS *de bello Judaico Lib. II.* refert Berenicen Agrippæ Regis sororem, ut Deo pro salute vota solveret, nudipedem ante tribunal Flori, Præsidis, stetisse. Ad hanc castitatis sanctimoniam servandam, sanctum Franciscum sui ordinis instituti, monachis præcepisse traditur, ut pedibus nudis, solis calopodiis applicatis, incederent, Conf. VIDVS VIDIVS *de tuend. Valetud. Lib. XIII. c. V. p. 370.* Quod docte interpretatur multus in hoc argumento nec indiligens Censor LANGIVS *in Epist. Med. Lib. II. c. IX.* Hoc de hac

pedum

pedum læſione certum, quamvis alias potius contrarium efficere perhibeatur, ut cruribus & pedibus læſos ſalaciſſimos eſſe probat IOH. BENED. SINIBALDVS *Geneantropia Lib. II. Tr. II. p. 187.* Hinc Amazonum Regina Antiamira claudo nupſit dixitque: claudus optime virum agit; pede enim debilitato, genitales vires augeri quondam credebatur: Sic ARISTOTELES variis in locis aſſerit, penis naturam a pedibus aliquatenus dependere, & *lib. de generat. animal. Cap. V.* tradidit, apud quem etiam ſit fides, ea animalia, quæ pedibus carent, teſtes non, aut ſaltem non, in eo loco habere. Ex his colligimus, legitimum honeſtumque concubitum juvare, pediluvia calida cum herbis fragrantibus & ſtimulantibus cocta, ut ſalvia, ſerpillo foliis abietis, radice eryngii ſem. erucæ, urticæ, paſtinacæ, cumini, cœpis cum formicis ac cantharidibus.

§. XXXIV. Paucis adhuc monendum ſubit, convenienter ſatis eos agere, qui venæ ſectionem ſive in pedibus ſive in brachiis admittere velint, ſi I. II. III. IV. diebus ante ipſam adminiſtrationem circa noctem præſertim, pediluvia atque ea quæ totas tibias pertingunt aliquoties repetant, eo enim pacto ſanguis fluidior redditur & venæ ſectio ſic melius cedit. Amplius dicendum eſt, pediluvia tepida commode aliorum interne aſſumtorum medicaminum operationem tum ante aſſumtionem quam poſtea allata adjuvare & in actum magis deducere, quoniam præſertim corpus blande calefaciunt, ſicque præparant atque diſponunt, atque tam materiam vitioſam alterando & educendo, quam vias præparando per quas ea debet abduci, motus illorum ſecundant & ſecretiones & excretiones ſalutares, quibus totum curationis punctum maxime ponitur, facilitant & obſtacula varia, ut ſtricturas internas &c. expediunt& levant &c.

§. XXXV. Hoc primario, notiſſimo ac præ reliquis adhuc uſitatisſimo balneorum particularium genere conſiderato, progreſſum ad alia faciamus atque memoremus, quas apud veteres reperimus foveas dictas, quæ certis corporis partibus, cruribus vel brachiis ut ſtuphæ quidem toti corpori aptæ fuerunt, quarum vero pauciſſima veſtigia nobis relicta ſunt. Modus utendi eas talis erat: purgato prius corpore atque fœcibus alvinis redditis, jejunoque ventriculo, pars affecta in eas inſerebatur, inſerta ſenſim movebatur, ut paulatim actioni naturali adſueſceret, ubi manſiſſet, quantum opus fuiſſet, extrahabatur, ſiccabatur ac imungebatur oleo aliquo aut cerato muniebatur; pars vero, quæ non inſerebatur, optime tegebatur. In illarum imitationem aliud excogitavit non incelebris Autor, a Lamswerden inſtrumentum, ex corio molli utris in modum confectum, in quod aqua & liquores convenientes & intentio-

ni

ni ſatisfacientes infunduntur, & vel pes vel brachium immergitur, vel etiam dorſum ſic irrigatur. Hoc podagricis, paralyticis, pedibus captis, brachiisque morbidis torpeſcentibus ex nutritione depravata & imminuta, tabe, aridura, rhachitide obſeſſis ut & calculo renum affectis admodum commodum eſt; ſic enim in lecto decumbere & hoc inſtrumento uti partesque nominatas laborantes indere atque fovere poſſunt patientes.

§. XXXVI. Magis forte notum eſt aliud balneorum particularium genus, quod ſtillicidium ducciam & guttam vocant, quod Græcis pariter olim uſitatiſſimum erat, embroche ab eis appellatum. HORATIVS hujus meminit *Lib. I. Epiſt. 15.* ad Vallam Conf. CELSVS *Lib. II. c. XVII. & Lib. III. c. XXI.* & GALENVS, magnarum virium hoc auxilium eſſe dixit *15. method. med. cap. ult.* Cujus inſignem efficaciam experimento comprobavit IO. FANTONVS in *Diſſert. I. de Thermis Valderianis p. 43.* De hoc fuſe prodita ſunt a GABR. FALLOPIO, *de Thermis & Metall. Cap. XIII. in Oper. p. 249.* PROSP. ALPINO *de Med. meth. Lib. VI. p. 357.* ANDR. BACCIO *de Therm. Lib. II. cap. XIII. & XIV.* IOH. BAVHINO *de aquis medicatis & Fonte Bollenſi Cap. XV. p. 196.* TH. GVIDOTTO *de Therm. Britan. Cap. X. p. 190. & p. 242.* IOH. GODOFR. BERGERO *de Therm. Carol. p. 152.* IAQVES FRANC. CHOMEL *Traité des Eaux Minerales de Vichy p. 172. & 193.* Nimirum aqua calida thermalis aut medicata ex alto & impluvio velut quodam ſtillata ex collo guturnii per epiſtomium in ſubjectam laborantem denudatam corporis partem decidit. In thermis præſertim calidiſſimis, illis, ut Carolinis Bohemicis adornari ſolet; ſed & extra ejusmodi loca, ubique locorum & omni tempore decoctis fortioribus & penetrantibus ex mineralibus, ſalibus, ſulphure, bitumine & vegetabilibus, herbis, radicibus, lignis, baccis aromaticis, ſale volatili & ſulphure turgigidis ut & oleo & vino in materia pediluviorum ſæpius deſcriptis confici poteſt. Adhibetur enim majoris penetrationis gratia, ut aqua medicata majori conciliato, majorique ab impetu ac vi adjuta, fortius operationem ſuam inferat, ac lentos humores ac partes hærentes, dividat & ſolvat, fortius atque reconditas profundeque hærentes obſtructiones reſeret tonumque partium penitus deperditum & laxatum inſtauret. Atque ſubjiciuntur ſtillicidio membra indurata, reſoluta, contracta, omni ſenſu ac motu privata, tumoribus duris & frigidis obſeſſis, affectibus aliis inveteratis ac contumacibus abſceſſibus profundis fœda, quibus ut duro nodo durus quærendus cuneus eſt. Talia nimirum membra, quæ inſtillationi huic ſubjiciuntur, poſſunt eſſe,

caput,

caput, aures, collum, humeri, brachia, pedes, hypochondria quoque & regio præſertim hepatis atque lienis, ſi viſcera hæc tumore & ſcirrho laborant. In linguæ paralyſi idem efficaciſſimum eſt deprehenſum in thermis Hirſchbergenſibus adornatum. Pariter Præſes in capitis & colli immobilitate, duritie ac rigiditate frigore contracta, in Magiſtro quodam equitum in thermis Carolinis quondam exoptatiſſimum ex hoc vidit ſucceſſum. Commodiſſime adhibentur, quando in ipſis thermis aut balneis calidis privatis ſedent lavantes, aut etiam in loco ſicco & bene calido, in ſella collocati. De reliquo adhibendo modo ſequentia quædam ſcire licet: Conſultius ſtillicidio, laxantia & venæ ſectio præmittuntur, & jejuno ventriculo ante prandium aut cœnam, in uſum ducitur. Si capiti adhibendum ſtillicidium, radatur illud prius & depiletur, & ad ſuturas præſertim depluvium ejusmodi fiat. Indies hoc ſtillicidium augeatur v. gr. initio per unam, deinde per unam cum dimidia, ad duas uſque tandem horas, & una primum, deinde duabus vel tribus etiam vicibus, pro neceſſitate & ægri tolerantia, ſingulis diebus, in uſum ducatur, & tamdiu, donec ſperatum auxilium accidat, cujus ſpes affulget, ſi æger ad partis affectæ penetralia, caliditatem aquæ, ac membro affecto naturalem calorem & ſenſum redire ſentiat. Si in thermis inſtituatur commode tam potus quam balneum thermarum per aliquod tempus uſurpatum, præcedant, ut tam ſtillicidium adjuvetur, quam corpus ejusmodi balneo ſit bene adſuetum. Inter inſtillandum ſolent præſertim etiam oculos obtegumento munire. Finito illo ſingulis vicibus membrum detergatur calidis linteis beneque obtegatur & calidum ſemper ſervetur. Notandumque eſt, quod ut plurimum ægri, tunc graves ſomno fiant, qui vero omni ſtudio eſt interrumpendus; quare in Hetruria, quibus aliisque Italiæ oris hodie etiam adhuc uſitatiſſimum hoc auxilii genus eſt, in more poſitum eſt, ut conductæ mulieres in his locis ſoleant illos ſtillicidio utentes, canendo excitare. Licet omnibus recte ſe habentibus ſtillicidium hoc magnum auxilium afferat; habeo tamen adhuc, quod circa illius adhibitionem moneam, ut caute cum illo mercandum ſit, ac ſine prudentis medici conſilio temere non inſtituatur. Nimirum plethorici multos craſſos lentosque humores in venis alentes, & præſertim in apoplexiam proni, vertigini & catarrho ſuffocativo obnoxii, ab eo conſultius abſtineant. Ut hæc moneam, obſervationes a Frid. Sommero in Lib. de thermis Carol. Joh. Gunterio, Andernaco, Guidotto Io. Fantano, *de Thermis Valderianis Diſſert. I. p. 42.* aliisque, qui de illis ſiniſtro eventu loquuntur, communicatæ hor-

tantur ac suadent. Quidam in ea sunt opinione, inter quos præsertim eminens ille in medicina vir IOH. GODOF. BERGERVS in Tract. de *Therm. Carol. p. 153.* omnem etiam calidam aquam capiti viscerumque ventriculi & hepatis præsertim, regioni valide sic instillatam, præsertim autem thermalem, Germanis, utpote qui copiosiori utuntur, alimento, esse periculosam.

§. XXXVII. Huic stillicidio propemodum similis est & inter balnea particularia potius referenda quæ olim etiam veteribus usitatissima erat, aquæ calidæ, simplicis saltem, perfusio, de qua seorsim apud Hippocratem de inter. affect. legitur, quæque a GALENO allegatur *meth. med. Lib. XIV. cap. XVI.* qua multa aqua & magnis fusionibus per perfusoria partes corporis varias, tergum maxime & coxendices extra balneum ad rubedinem usque perfundebant, qua partibus corporis emaciatis, nutritione depravata correptis, torpescentibus, immobilibus, induratis, & vacillantibus membris succurrere & eusarcosin totique corpori evexiam conciliare & exoptato quidem successu, tentabant. Nec non iidem resoluta a paralysi membra aliaque ratione immobilia facta ac inertia, frigidam ubertim & vi quadam ad motum inducendum augendumque affundebant. Sic CELSVS vid. *Lib. I. c. IV.* caput ejusmodi irrigationibus frequenter subjecit. HIER. MERCVRIALIS vid. *Consult. & Resp. Med. T. IV. p. 101.* imum ventrem cujusdam Principis, qui lateris sinistri dolore ex hypochondriorum vitio laborabat, irrigari curavit. IOH. ASTRVCCIVS vid. *Les Memoires pour l'histoire naturelle de la Province de Languedoc.* similiter, capiti infirmo, catarrhis, vertigine & cephalaligiis laboranti aquas Balazazenses cum exoptato successu superfundi, asserit. Pius II. Papa R. Aeneas Sylvius, cum cerebrum ipsi nimis humidum esset, usum insignem aquarum mineralium per fistulam in verticem capitis derivatarum, commemorat. V. *Flaminii Pinelli Lettera de Bagni di Petrivolo.*

§. XXXVIII. Lotiones & lavacra manuum modo sequuntur, quæ & multa quidem in affectibus variis illarum, v. gr. rheumatismo, chiragra, luxationibus, tumoribus duris, exulcerationibus, spina ventosa, paralysi & aliis secundum seriem jam non longius recensendis, ex appropriatis æque ac in pedum affectibus pediluvia, adornari possunt. Sic in fœmina Lipsiensi affectu rheumatico & paralytico manuum lotiones quotidianas sæpiusque repetitas ex infuso & decocto calido vinoso herbarum majoranæ serpilli rorismarini abrotani, origani, admodum proficuas quondam deprehendi. Verum, non modo manibus, sed & toti propemodum

modum corpori, præſertim autem cordi, cum quo notabilis ſympathia iis intercedit, ejusque atque ſpirituum animalium affectibus, (quod etiam de pediluviis in antecedentibus ſatis dictum eſt) tam frigida quam calida, ſingulis diebus, aliquoties, ante omnia & præſertim mane etiam in recte valentibus adhibita, movendo ac excitando æque detergendo, ac evacuando, proſunt & proſpiciunt. Quare, ne multa repetamus, hi ſequentes paragraphi, qui longiſſimi eſſe poſſent, breves ſint, quia finem ſpectamus. Saltem hic exempli loco notiſſimum illud ſingultus remedium in memoriam revocemus, quo manus ad brachia usque, ſive in calidam, ſive in frigidam aquam immergunt, ſimulque commemoremus manuluvium callidum hæmorrhagias præſertim in partibus inferioribus, ano, utero, renibus, veſica urinaria contingentes, revellendo, commode ſiſtere. His annumerantur alii caſus, qui ſanguinis congeſtionem in abdomine fomitem agnoſcunt, ut abortus, vomitus, cardialgia, colica, paſſio hyſterica ac ejusmodi dolorifici affectus, quibus hoc remedio præſervatio pariter ac curatio paratur. Quivis in ſe ipſo experietur matutinam mox manuum lotionem alacritatem univerſo corpori mentique inferre. Hinc ii, qui perhibent, nec ſine ratione, quod a Deo præſcriptæ leges ceremoniales populo Judaico, etiam ſalubritatem corporis ſpectent, affirmant, lotiones manuum pro ſanitate eſſe: nam ſacerdotibus præſertim, ante benedictionem, quam pro populo pronunciabant, injunctum eſſet, ut manus lavarent. Inſuper modo adhuc legantur notiſſimi illi verſiculi, de lotione manuum ita loquentes:

Lotio poſt menſam tibi conferant munera bina
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta;
Si fore vis ſanus, ablue ſæpe manus.

His breviter indicatis miſſum facimus, Avicennæ commentum: ex manuluvio calido præſertim a paſtu, vermes generari.

§. XXXIX. Quædam ſaltem adhuc de faciei & totius capitis ejusmodi lotionibus modo dicenda, hac quidem vice, reſtant. Scilicet illæ æque ac manuum lotiones quotidie inſtitutæ admodum proficuæ depræhenduntur. Præter plurima eaque univerſalia commoda ſaltem commemorare libet, me, aliquoties in capitis frequentibus doloribus & viſus imminutione, ex humorum oculorum conturbatione, ſolius faciei quotidianas & multas lotiones, ex aqua rorismarini, fœniculi, majoranæ, menthæ, calcatrippæ, roſarum per aliquod tempus continuatas utiliſſimas expertum eſſe. Plurimi norunt ubi aqua frigida facies lavetur, aucta

aliquantum respiratione, inprimis a somno, urinam provocari. Notissimum cæterum est faciei cum frigida saltem aqua aut albumine ovi & aliquot camphoræ granis alterata, lavationem, faciem a sole exustam restituere. Totius vero capitis lavationes licet non singulis diebus, sed singulis forte septimanis semel in Italia ac variis Germaniæ locis, & quod ego modo scio in multis Silesiæ ac Sueviæ oris, pro consuetudine veniunt, quibus totum caput calida diuque satis lavant, ex quo caput exoneratum animumque liberum & ad actiones magis expeditum, sentiunt. Quidam non modo capillis nitorem gratumque colorem his lutionibus conciliare assolent, (ut TACITVS *de Germ. 4. c.* retulit, veteres Germanos, ad adipiscendos crines rufos, qui ipsis ornamento erant, sapone & lixivio, caput sæpius lavasse,) sed & ad munditiem & lautitiam capitis sibi comparandam, ac omnia sensuum organa in capite constituta, integra servanda, adhibent. Non pauci, sæpius, in capitis ejusque partium affectibus iisque idiopathicis & tam externis quam internis *v. gr.* in capitis gravitate, cephalalgia, ex crapula præsertim contracta, hæmicrania, vigiliis involuntariis, oculorum suffusione & destillatione, nubeculis, catarrhis pertinacibus, aurium tinnitu, auditus difficultate exinde sibi speque haud frustrata, auxilium quærunt. Eas, cum ad sanitatem tuendam, tum morbos profligandos, crebro usu & recte & salubriter jam Hippocrates, Galenus & Avicenna accommodarunt. Non abs re, igitur ablutiones quoque capitis, hodie propemodum abolitæ, imitatione, in usum iterum essent trahendæ; nam hodie plurimi præsertim in nostra Saxonia speciatim Misnia, lotiones capitis vel simplices multo magis autem lixivio addito easque vel paucissimas, mire abhorrent. An prægnantem satis nostrates habeant causam, hic equidem, non determinaverim; Interim tamen existimarem atque cum multis eruditis Medicis affirmarem, pluribus, vanum esse metum, quem forte illud Scholæ Salernitanæ monitum incussit: Sæpe manus, raroque pedes, caput ablue nunquam; potius eas non modo utiles, (si modo regimen bene temperatum simul adhibeatur) cautelæ debitæ observentur ac subjecta discernantur, sed & quandoque necessarias esse, ut nimirum meatuum præsertim apertio, melius juvetur & instauretur, quæ in capite a sordibus collectis, & crinibus dense consitis, sæpe est impedita, quæ multorum in capite morborum incrementum est & rudimentum, ad quam vero præstandam, capitis lotiones, recte institutæ, efficacius remedium, quam ullum aliud sunt. Materiam quam adferunt iterum pro renata varia est, siquidem modo aqua simplex calida, tepida eaque frigida sufficit, quan-

doque

doque & certis in casibus v. gr. febribus ardentibus, animi deliquio, sæpius recurrente, hæmorrhagiis enormibus & secundum quorundam observationes, frigida capitis lavatio, e re magis est. Modo & frequentius lixivium addunt, aut saponem adhibent, modo alia etiam ingredientia solvunt atque incoquunt, quæ etiam ex parte ex iis, quæ de pediluviis dicta sunt, sunt colligenda. Nimirum ubi discutiendum, diluendum, roborandum abstergendumque maxime est & lendes, pediculi item exterminandi sunt, & ubi capilli ut renascantur exoptatur, eadem capitis lavacra multa & continuata conveniunt. Sic e. gr. in capitis gravitate & crisi procuranda, ipse Hippocrates in Epidemiis in Metone, simplici saltem quodam lavacro, usus est, item alibi Fœsius in comment. aquam tepidam capiti affusam, somnum conciliare adeoque in vigiliis molestis in pluribus morbis frequentibus admodum utilem, quem effectum certius præstabit decoctum, fervorem & acrimoniam humorum temperans atque demulcens somnumque vaporosa sua substantia, inducens, sopitis & impeditis spiritibus animalibus, ne ad organa sensuum impetuose ferantur, ut præter experientiam testatur GALENVS *de sanitate tuend. cap. IV.* Qui & *Lib. III. de loc. affect. Cap. V.* medicos vigilantibus præter naturam, & phreniticis caput irrigare consuevisse docet. Pariter AVICENNA in febrium vigiliis *Lib. IV. fol. I. tract. 2. Cap. XX.* non tantum frigidam capiti adhibere, sed & istud, decocto tali calido, fovere præcipit. Plura C. CELSVS *Lib. de re med. IV. Cap. I. Cap. II. & III. IV. item Lib. I. cap. IV. & seq.* habet longius hic non exscribenda. Legimus Cleophantum Med. ante accessionem tertianæ febris caput ægri multa calida perfundere jussisse. BARTISCH. *im Augendienst p. 52. & 54. 89. 126.* ad oculorum suffusiones & cataractas, capitis lotiones, frequenter, ex speciebus ibi descriptis commendat. In surditate FELIX PLATERVS vide *observat. Lib. I. pag. 109.* Caput lixivio in quo herbæ cephalicæ decoctæ, quandoque abluere præcepit. Roborandi fini HOCHSTETERVS vid. *observat. med. p. D. C. X. p. 435.* suadet, caput lavetur lixivio, veronica, verbena, chamædri chamæpiti rosis, agarico, medicato. REINERVS SOLENANDER in *Consil. Med. p. 51.* ad præcavendos & curandos catarrhos, frequentes capitis lotiones ex cineribus solutis sarmentorum, & lignorum salicis cum betonica, verbena, foliis sennæ, rosarum item hordeo & id genus aliis decoctis confectas, & *pag. 467.* cuidam adolescenti vertigini obnoxio, decoctum rosarum, violarum, verbasci & similibus tali modo adhibendum suadet. In subjectis catarrhosis & apoplexiæ obnoxiis, capitis abluitio, aqua calida aut vino incoctis

roremarino ſalvia, majorana & ſimilibus poſt venæ ſectionem, apoplexiam, poros aperiendo, & capitis robur firmando, præcavet. Nec non epilepticos hæc & ſimilis capitis lotio ſic adhibita multum juvat. In hydrocephalo ex thermalibus aquis vel aliis appropriatis remediis compoſitæ capitis lotiones, opem haud contemnendam ferunt, quales etiam in maniacis, proficuæ ſunt expertæ. Pueris qui tineam capitis atque achores, ſavos, porriginem ut & ulcera ipſa manantia in capite ferunt lavacra ex aqua calida, lixivio, furfuribus, ſapone, vitello ovorum, herbis aromaticis & ſimilibus alterata, a vulgo etiam, cum euphoria adhibentur, quibus, per multum ſæpe tempus, caput perfunditur. In periculoſis capitis vulneribus ac læſionibus profundioribus & ad præcavendam præſertim ipſam cerebri putredinem, capitis lotiones exſiccantes calefacientes & detergentes, veteres laudabant, ex vino auſtero, aut aceto, in quo roſæ, betonica, abſinthium, calamintha, cum farina hordei, milii, melle roſato aliaque id genus, cocta erant. Poloni morbum ſuum endemium, plicam nimirum, lotionibus, ex ſale ſaltem gemmæ foſſili ſoluto expugnant. In multis aliis capitis affectibus locum ſuum quoque inveniunt, quo ſaltem hic ut ſuo loco repeto, quod modo in §. ſtatim, I. hujus Diſſertationis, de G. Anwaldo adductum eſt, quod nempe multas easque magnas morborum curationes, ſolis, capitis, juxta pediluvia, lotionibus, inſtituerit. Quoad modum exhibendi Zechius Conſult. XXVII. hanc cautelam addidit: ut caput lavandum ita in occiput declinet, ut oculi ſurſum adſpiciant, ſaponis loco amygdalæ amaræ tritæ uſurpentur, & ne calidioribus pannis, neve nimia commotione, caput plus quam par ſit, incaleſcat. Ex collectis obſervationibus, ſedulo ego hortor, ut provide proſpiciatur, ne materia acris, corrupta, repellatur, quæ ad cerebrum ejusque membranas ac nervorum, principia perlata epilepſiam aliasque graves capitis morbos, inducat. A m a t. L v s i t. *Cent. I. Obſerv. 36.* in puella obeſa & ſanguinea a capitis lotione, apoplexiam ſubtaneam ſuperveniſſe, notat. Ex capitis ulceribus obſeſſo lotione ſurditatem concitatam *Miſcel. Nat. Curioſ. D. III. An. III. Obſ. 9.* commemorant. Simulque moneo, ut caput cum capillis præſertim a lotione bene detergeatur & ſiccetur, aërque frigidus & liberior omnimodo arceatur, quoniam viſus depravatio imo amiſſio, facile ex hac cura hacque cautela neglecta, accidere poteſt. Sed cum jam longius, quam principio volui, proceſſiſſe me fatear, in recenſendis per ſeries affectibus capitis & ejus nobiliſſimarum partium, per lavacra curandis, nolo rem trahere longius, multaque circa hanc rem notabilia omittere ideo neceſſe habeo,

beo. Perinde quomodo, quibus circumſtantiis obſervatis caput lavandum quæque ante & poſt lavacrum agenda, tacitus quoque prætereo, eaque ex iis, quæ, itidem, circa pediluviorum exhibitionem, monita ſunt colligenda relinquo v. gr. ut præſertim digeſtione abſoluta, alvo libera, plethora oneroſa prius demta &c. in uſum trahantur graciles vero, catarrhoſi, capitis gravedini & doloribus obnoxii tutius abſtineant. Hoc ſaltem adhuc adjicio, quod quædam Nationes caput nunquam lavent, an recte, an male, æque jam non determinabo; ſed ſolis frictionibus modo & ſordes & morborum cauſas detrahant, & ſalubriter ſe habeant, & quod etiam a doctis hominibus ſit annotatum, capitiluvia non omnibus populis ac non in omni climate ac regione degentibus æque feliciter cedere atque regiones humidas ac magis ventoſas, incolasque craſſo victu utentes, adeoque Germanos magis præ Gallis & Italis, Hiſpanis, Indis, in hunc cenſum venire autument. Ex quibus unicum nominaſſe ſufficiet, REINERVM nempe SOLENANDRVM, qui in *Conſil. Med. pag. 467.* cœlum quod inhabitavit, tales lotiones, non ferre, aſſerit. Aſt de Sileſiis non idem dicendum habeo, qui frequenter lotiones capitis inſtituunt, optime tamen eas, iis convenire, affirmant. In commendationem, ultimo loco adhuc addo, capitis lotiones ubique locorum infantes optime ferre.

§. XL. Fomentationes humidas & epithemata aliaque ejusmodi externa remediorum genera topica, collo, pectori, humeris, ſtomacho, iguini, regioni ſpeciatim hepatis, quibus imbecillitati, obſtructioni, ejusdem obviam itur, admovenda, huc trahere immo collutiones & gargariſmata oris & faucium, gingivarum & dentium atque clyſteres eosque tam evacuantes quam alterantes e. gr. ex decocto centarii minoris, chelidonii, origani, eupatarii, ſero lactis, in ictero &c. quæ balnea gutturis & inteſtinorum craſſorum, nominare atque adere poſſemus; ſed inviti jam hanc tractationem finimus, ne diſſertationis ejusmodi limites excedamus, cum hæc omnia balneorum particularium genera, pro dignitate deſcribenda, integros tractatus, deſiderent. Ideo etiam in ſequentibus breviores fuimus, cum plurima, quæ in prioribus dicta ſunt, etiam ad ſequentia facili negotio applicari poſſint.



VIII. DIS-

* *

VIII.
DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE EQVITATIONIS EXIMIO VSV MEDICO

PROOEMIVM.

MEnſis, qui agitur, Martius, nobis in memoriam revocat, Romanos olim Equiria ſua, quæ dies feſtivi in faſtis romanis ſolennibus, equorum curſibus dicati erant, altera tertio Kalendarum, altera pridie Id. Martii, a quo annum auſpicabantur, in campo Martio propter Tiberim, aut in Monte Cœlio, ab ipſo Romulo, Romanæ Urbis Conditore inſtituta Martique belli deaſtro, ſacra celebraſſe. Occaſionem exinde nacti, equiria, velut jam noſtra meditemur quædam medica, eaque patulum in campum producamus ac circa ea ineamus certamen, id eſt, adeo proſperi motus, equitationis commoda referamus & de exercitio hoc eximio, exercitationem levem quandam componamus ac conſcribamus atque eam in ſcena quaſi publica, pro cathedra academica ſolenni ventilationi exhibeamus. Ea certe, (equitatio) ut ad varios neceſſitatis, commoditatis atque oblectationis uſus ad vitæ humanæ functiones, pace belloque aptiſſima, ita etiam in medicina, ad ſanitatem conſervandam reſtituendamque admodum proficua eſt. Ut enim non deſunt remedia, ab equis inventa, & multa ab iis adhuc deſumuntur medicamenta, vectatio ſuper equis incedentibus, quoque multis, egregio & præ aliis plus plusque valente remedio eſt. Nota alias parœmia vetus eſt, neceſſitatem equitandi uſum docere, quod ut notabile memorat atque exemplo declarat PONTANVS in *hiſtoria Danica L. VI.* Refert enim de Eſchillo Archiepiſcopo Lundenſi, quod, cum ſenectute confectus atque infirmus, equum conſcendere vix valeret, hoſtem vero adſpiciens, mira agilitate, mox in equum inſiliiſſet &c.

Hi-

Historici multa memoria & notatu digna adducunt de equis, qui sessores suos, ex præsentissimo mire reportarunt & eripuerunt vitæ periculo, ut præter illud, quod de Bucephalo Alexandri Magni equo habetur, modo laudatus PONTANVS *l. c.* singulare ejusmodi memoriæ prodidit. Cui simile est illud, quod refert PHIL. CAMERARIVS *op. subcis. cent. I. 122.* Nec ab hac re abludit, quod de Justo Lipsio vulgo recensetur. Huc etiam trahi posset, quod de Henrico IV. Rege Galliarum, historica monumenta notarunt, postquam Ipsi curru vecto pluries insidiæ structæ essent, eum dixisse, Reges semper equo vehi, habere necesse, ut undique circumspicere periculaque quibus expositi essent, a se avertere & præcavere possent. Hæc enim in medicina nostra, alia equidem ratione & dici posse aut valere, jam indicavimus & in sequentibus fuse indicabimus. Ad remedium ejusmodi particulare declarandum adhortatur ipse communis medicinæ Parens, HIPPOCRATES *L. I. loc. affect.* inquiens: circa res particulares experiri medicum oportet, qui singula artis opera, quæ universali ratione didicit, tuto & celerrime exercere voluerit. Assentitur GALENVS *Lib. IV. c. I. Method.* Atque quondam, apud eum parvæ pilæ lusus, qui pueris modo familiaris est, tantæ æstimationis fuit, ut integrum de illo librum scripserit. Multo magis operæ pretium quoque esse, de equitatione, ut momenta atque monumenta afferantur, duxi. Fatentur & jactant Hispani, quod equites potissimum equis suis, virtute, non armis, tormentis, hastis aut balistis Indos vicerint atque subegerint, (ut BENZO in *Histor. Nov. Orb. Lib. II. c. VIII.* habet) atque tantarum auriferarum Americæ regionum potiti sint. Refert acceptum Scythica gens equis suis, vastum Chinæ Regnum. Extollit Hippocrates maximas opes, ad quas per equitationem generosissimi Scytharum ascenderunt. Adscribunt Darius Persarum, Monarcha V. JVSTIN. *Lib. I. p. m. 15.* & Primislaus Bohemiæ, Rex Regiam Dignitatem, equis atque tantas victorias magnus Mogor Scach Achabar ejusque Successores ipsis. Gloriantur hinc inde, multi generosi & nobiles Equites, per decoram equitationem insignem gratiam Magnorum Principum, Imperatorum, Regum, honores, gloriam atque brabea reportasse. Nos merito, equitationem commendamus, simulque multis infirmis de ea, tanquam de certissimo auxiliorum genere, gratulamur, quia ars nostra salutaris illam impense commendat atque de ea, haud vilia emolumenta promittit, quibus etiam gaudere merito possunt. His autem nostris conatibus non phaleratis quidem fave B. L. Deus vero T. O. M. cepta nostra fortunet!

§. I. Adeo verum eſt, voluntarias corporis exercitationes tam ad ſanitatem tuendam, quam amiſſam reſtituendam, maximam facere partem, ut exiſtimandum ſit, eſſe illas omni ſpectatiſſimæ medicamentorum farragini, longe, multis de cauſis ſæpius præferendas. Si etiam mihi per multas ſeries numeres, omnes eas procul quæſitas magnoque conatu elaboratas compoſitiones, & longo formularum ambitu conſpicuas, quas & univerſam propemodum materiam medicam Dioſcoridis ingreſſam eſſe dixeris, & ideo vel ſolo adſpectu horrendas, omnia illa univerſalia, arcana atque adeo arcana, ut nemo unquam ſciverit, ubi & quibus profuerint; Sique nomines panaceas, Azoth benedictas aquas, phalajas, Drief quintaſeſſentias, elixiria vitæ, cordialia, viſceralia, aſtralia cœleſtia, ſalutis; aliaque ejusmodi glorioſæ ignorantiæ, thraſonica hyperbolica ſuperſtitioſa ſæpiusque ridicula mendaciorum nomina; Sique omnes nugas illas venales procul, vel ab Herculis columnis, a Taprobanæ Inſula, a Gange fluvio, a Nili ortu quæſitis, rariſſimis cariſſimisque, ex auro, argento, margaritis, ac ſi mavis unionibus, gemmis pretioſis confectiones, confortantes, in fine tamen claudicantes, quæ, ut LANGIVS *epiſt. L. I. 21.* loquitur, ſicuti marſupia fœnore, ita facultates corporis vitales viribus, exhauriunt, afferas; omnia tamen illa inquam eis vix ſunt æquiparanda, quoniam iisdem certiora, tutiora, jucundioraque & quæ horrorem non inferunt, juvamina præſtare poſſumus. Relatum habetur præter alia, hac ſola ratione, ſine elixirio vitæ aliisque ejusmodi ſpecioſis artificioſisque figmentis Terentiam CIII. Xenophilum Muſicum CV. Antonium Caſtorem inſignem Botanicum CXX. annos integros ac ſanos vixiſſe; atque Pythagoram Chryſippum, Platonem, Catonem Cenſor. admodum longævos ſe præſtitiſſe. Hoc enim medii atque remedii genus optimam & conſtantem ſanitatem, præſtat & conſervat, cum illa medicamentis adiuta, ſemper ſit inconſtans & fallax, cum qua æque ac cum horologiis portatilibus aut aliis automatibus propemodum comparatum eſt, quæ eo ſæpius corrumpuntur & fallunt, quo ſæpius artificis experiuntur emendationem. Namque videbis eos, qui copioſa diverſaque devorant medicamenta, ac quibus ea in quotidiano uſu ſunt, aut qui a pueritia, pharmacopoliis ſe manciparunt, debiles & languidos ex leviſſima injuria, quam errores in diæta inferre ſolent, graviter læſos. Rurſus pro comperto habemus, ægrotos, qui pharmacomania laborant, quales plurimi inter hypochondriacos præſertim inveniuntur, haud facile convaleſcere; e contrario vero eos maxime febricitantes, qui nauſea medicamentorum tenentur, citius e febribus præ-

ſertim,

ſertim, vitiorum generi hominum frequentiſſimis, evadere. Hi certi aliique morbi eo pertinaciores redduntur ac inſoleſcunt quo magis cura adhibetur, eos per medicamenta varia auferre ut & perſtrictiorem diætæ legum obſervantiam, aut corrigere aut avertere. De medicamentis enim, ſi verum fateri volumus, dicendum eſt: quod nullum fere ſit eorum, quod ſi ex una parte, juvamen afferat, ex altera quoque nocere poſſit, item quod ſint ut ſtrictus gladius in manu furioſi, atque quod optimum ſæpe ſit medicamentum, medicamentis non uti. Hanc in rem pulchre IOH. IESSENIVS in *Progr.* loquitur. *Tanto inſtauratrix hæc medicinæ pars altera illa curatrice, habenda excellentior, quanto ipſius arduum magis opus & liberalius in hanc naturæ ipſius meritum; cumque in illa æger ſufficiat cum natura, hæc ſine medico hic ſæpe nihil valet.* Aſclepiades hinc maxime laudandus, qui hanc rem præ aliis curæ cordique habuit, quare blandimenta varia excogitavit, imo, ut cubantium optioni ac commodis ſubſcriberet ac inſerviret, eo uſque proceſſit, ut plane negaret ægris danda eſſe medicamenta, ratus, eam eſſe illorum conditionem, quæ artem medicam, non modo difficilem & operoſam, ſed & tædioſam, ac dubiam reddat. De hujus (Aeſculapii) medicina quædam GALENVS ſuggerit. *Lib. I. de ſanit. tuenda p. 218. ſeq. Edit. lat. Frob.* quem locum integrum ut adſcribamus forte non tædioſum B. Lect. erit. *Nos ægros quotannis non paucos perſanavimus, ſolis animi motibus ad debitum modum revocatis. Eſt vero non ſpernendus hujus ſententiæ teſtis, ipſum patrium nobis numen Aeſculapius, qui multas ſcribi cantilenas mimosque ridicularum rerum fieri, & melodias quasdam, inſtituit iis, quibus vehementiores animoſæ partis motus corporis temperamentum juſto calidius efficerent. Aliis quibusdam, neque iis paucis venari, equitare, atque armatos exerceri juſſit iisdemque ſtatim tum ipſorum motuum ſpeciem, utique quibus motus injungit, tum armorum, quibus armatis exercitari præcepit, definivit. Non enim quo pacto excitetur, erigaturque animoſa pars, cum imbecilla ſit, præcipere ſat habuit, niſi etiam menſuram illius ab exercitationum idea definiret.* Adhuc alii jam pridem, ut Petronas ac Herodicus etiam durioribus nimis exercitiorum laboribus atque moleſtiis, morborum moleſtias, depellere tentaverunt, ob quod tamen tanquam modum tranſcendentes ab Hippocrate damnabantur. Moderatiores hoc in paſſu fuerunt: Antyllus, Aetius, Avicenna, Celſus, Aurelianus, Galenus qui, v. gr. ut lethargici ſemitertiana, quotidiana febri decumbentes, phlegmatico capitis dolore, hydrope affecti, ut & (quod apud ALEXANDR. TRALLIANVM *Lib. IX. cap. III.* legitur) apoplectici, paralytici & reſoluti, nephritici, podagrici, lectica circumferrentur, voluerunt.

§. II. Etenim corporis exercitiis, quæ sunt voluntariæ (nostro sensu) agitationes externæ, paulo plus minus fortiores validioresque ad respirationem mutatam auctamque, ut plurimum & sudoris usque eruptionem, citra tamen sensibilem fatigationem, sive illius ex loco in locum, sive corpori insitarum & propriarum motricium virium, sive ab extra advenientium ope, id efficimus, ut motum adeo ad conservationem & continuationem vitæ & sanitatis necessarium, in ovulo ab elatere masculo inchoatum omnium corporis partium fluidarum humorum ac spirituum pariter ac solidarum earumque tam simplicium, quam compositarum decompositarumque, quæ, commune quoddam vinculum habent & quodam consensu inter se continentur, atque conspirant, juvemus, impellamus ac intendamus i. e. (ut explicatius loquar) beneficio illorum fluidæ impelluntur partes, ut fortius solidas impellant, & rursus solidæ partium fibræ musculares, flexibiles redduntur ac aptæ ad vibrationem facilitandam stringuntur atque impelluntur, ut fluida majori nisu impulsa citatiori cursu per vasa volvanrur, quo reciproco motu, optime æquilibrium inter solidas & fluidas partes, conservatur & restauratur. Etenim in venis ut laxioribus ex sua natura arteriis, præsertim reducentibus sanguinem, intra musculos sitis, regressus ejus languidior est, qui maxime motu & exercitatione corporis adjuvatur, id quod clarissime conspicitur, quando vena incisa sanguis mittitur, tunc semper digitis compressis, celerius effluit. Si enim frequens & copiosus sanguinis est per vasa ad cor affluxus, major etiam ejus expansio est, & quo major hæc, eo etiam major est contractio, sicque liquores corporis nostri vitales atque laudabiles, æquali jugique motu progressivo mediante intestino juxta motum, veteribus ignotum, tonicum, sive proportionatam illam fibrarum carnearum extensionem, expeditius circulantur, non modo per cor, tanquam centrum, sed & per vasa omnis generis & omnes majores & minimos etiam tubulos & omnes partes extremas alluunt sicque concinnam fluiditatem nanciscuntur atque nativum calorem suscitant atque augent meliusque quam quid aliud: (calor hyeme prope fornacem inertes & debiles facit, valido motu vero excitatus alacres ac agiles) immo quoniam videmus, procedente ætate multa aboleri vasa, sic hoc medio magnum quoque robor firmis partibus additur, quod nimirum plurima vasa exilia compressa concreverint in fortiores membranas, ut liquida dein per vasa majora ferantur. Omnes pori aperiuntur meatus & ductus & dilatantur quo in extremis præsertim artubus, nervi, membranæ, ligamenta, musculi & ossa, roscida irrigantur humiditate & recrean-

recreantur ſimulque totius corporis agilitas & promtitudo ad agendum comparatur. Mediantibus his, partes ſanguinis multifariæ adeo & mole motu indoleque diverſæ intime miſcentur, ſubiguntur, ac uniuntur, quippe quæ, ut principia ſanguinem conſtituentia per ſe non ſunt miſcibilia, neque levia, non tenuia minusque inter ſe convenientia, atque ad corruptionem prona, ſed aſperæ, graves, rudes, rigidæ particulæ inſunt, quæ ad ſe invicem preſſæ, interventu motum ſuſpendunt, unde facile in grumos abire poteſt tota commixta maſſa. Etenim inſunt oleoſæ, aqueæ, ſalinæ, terreſtres, mucilaginoſæ: quas chymicæ operationes & experimenta detegunt; quæ debita quantitate & qualitate invicem exacte miſceri debent, ut homogeneus quaſi humor exſurgat atque appareat ſimulque imminens corruptio avertatur. Quando vero non accurate miſcentur, ſecedit aliqua pars remanetque rudis terreſtrisque ſicque tandem perit ſanitas. Inſuper ejusmodi corporis motus attritione ſimul viſcidiores, lentæ, craſſiores, quibus pleraque certe morborum debentur initia, dividuntur, attenuantur, abſterguntur, ſicque tenuitas debita fluiditas & ſpirituaſcentia augetur. Spiritibus ipſis animalibus qui reliquas partes animant actuantque, motum fortiorem imprimunt & influentibus faciliorem tranſitum concedunt, nervorum per quos fluunt, proportionatam tenſionem efficiunt, ipſosque intime cum reliquis humoribus commiſcent ac uniunt; Nam obſervare licet, copiam ſpirituum & minus ſubactam & per minima diſtributam, minus compoſitam, laxiorem cohæſionem, unionem, non adeo intimam, obeſſe durationi, quoniam ſunt admodum activi; hinc dein ſtatim fit illorum inæqualis & inconſtans, inordinatus & ſubſultorius, & conſequenter diſſolvens, deſtruens, conſumens motus, atterunt, & inter ſe atteruntur. Partes vero a nimio ſpirituum influxu corrumpi & lædi manifeſte videmus in gonorrhœa, a ſemine nimis ſpirituoſo & in convulſionibus, ubi inſigni impetu & majori influunt: inæqualitas enim, eſt diſſolutionis mater. Hinc ſpirituum compoſitionem ne nimis prædentur, id eſt, ne nimis acres vaſa corrodant aut evolent, ſacere ad longævitatem, ignis exemplo declarat ac edocet Illuſtris BACO DE VERVLAMIO *H. V. & M. p. 566.* His ſecretiones naturales quarum præcipua ad illas perpetrandas prædiſpoſitio omnino plurimum in ſufficiente tenuitate ſeu fluxilitate ſanguinis verſatur per glandulas nimirum perficiendæ, quæ reliquarum functionum ſunt fundamentum, juvantur & ſtimulantur, omnibus bene prius ſic præparatis nam his turbatis reliquæ mox ſuum patiuntur impedimentum, in quibus præ aliis ob ſtructuræ horum

 orga-

organorum teneritudinem flexuras & contorsiones motu subinde novo opus est. Juxta has (secretiones) excretiones eæque quoque superfluorum eorumque subtiliorum maxime, circa quas ordinandas & corrigendas fere conservatio, præservatio & curatio versantur & absolvuntur, non minus promoventur simulque stagnationes & tandem corruptiones vel imminentes vel incipientes prævertuntur suppprimunturque, ut corpora ad instar frumenti agitati conquascatique atque bene cribrati, cui nihil inest impuri ac vitiosi, se habeant. Diaphoresis imprimis commune universaleque humanæ naturæ emunctorium, qua nulla operatio tutior & utilior omnis inutilium superfluorumque volatiliorum, sulphureorum maxime ejectio omnisque utilium atque congruorum in corpore nostro conservatio extat atque continuatur hoc medio atque remedio optime juvatur & plenitudo verenda avertitur. Quadrat huc Aphorism. SANCTORII in *Med. Stat. Sect. 5.* Exercitio corpora leviora fiunt item GALENI sententia *3. Aph. comm. 20.* exercitatio supplet vicem purgationis humorum, qui sunt in profundo corporis, & *3. aphor. comm. 15.* exercitia collectas singulis diebus superfluiditates expurgant. Etenim pulsus massæ humorum, vix aut admodum difficile potest stagnantium infarctum auferre; per motum vero externum fortiorem accedentem eæ, quæ obstructiones efficiunt partes, moventur atque dissolvuntur potenter, omnes actiones, quæ in humano corpore instituuntur, expeditiores redduntur & meliores, pulmonum maxime, inspiratio scilicet & exspiratio liberiores instituuntur atque per eam non modo aër crassior e pulmonibus educitur citius, sed & simul spirituosum excrementum, fuliginosum vulgo dictum, per pulmones emitti solitum, promovetur commode, appetitus acuitur, alimenta assumta a motu ventriculi subiguntur, melius digeruntur & in bonum chylum convertuntur etiamsi ea mala fuerint, ulterius, promoventur, nutritiæ partes & laudabiles bene distribuuntur, apertis undique poris, affluxu earum invitato ac suscitato, ac partibus assimilantur, omnesque dein succi animales laudabiles debite elaborantur atque somnus & requies prompta, profunda, placida & jucunda recreans mentemque gratissimis imaginibus mulcens invitatur, corporis membra illorumque omnes partes componentes, fibræ nimirum carneæ & ex his conflati musculi, vera motus voluntarii instrumenta, nervi ac tendines cum juncturis fiunt validi atque corroborantur vasa stringuntur & dilatantur & frictione hac blanda & assidua non modo ab adhærentibus forte ipsis impuritatibus repurgantur, ut cum aliis recrementis sanguinis simul possint excerni; sed & subindurantur, intendun-

tenduntur & confortantur, immo partes junceæ atque graciles assidua exercitatione crassiores evadunt (hinc dextrum brachium ordinario crassius validiusque cernitur) ut totum corpus reddatur levius, purius ac solidius compactius, duriusque, quod dein adversus causas externas munitum, externisque injuriis minus obnoxium permanet. Talem bonum corporis habitum talemque vim & robur non tam qui tenuis erat ut Mercurialis in Lib. de Gymn. testatur, sed continua corporis exercitatione, magnam vim, elaterem ac robur, solidarum partium fibris inducente, veteres Græcorum ac Romanorum athletæ atque gladiatores sibi acquirebant. Sicque ciborum digestio, chylificatio, sanguificatio, spirituascentia rite perficiuntur, vita prolongatur, sanitas constans & integra simulque facies nitidior ac florida (sanguinis boni renascentis liberique per vasa fluidorum motus, indicium) atque formæ dignitas caloris bonitate tuetur atque habitus tandem athleticus adeo celebratus comparatur, imo omnium sensuum externorum vigor integer conservatur. Manifesta in ipsis equis videbis, qui si frequenter strigili depexuntur, non modo impinguescunt sed & alacres atque vivaces redduntur, adeo ut exinde æque ac ex nutrimentis, beneficium capiant. Fuerunt qui gustatu exploraverunt lac, ab asina emulctum bene strigili tractata, quod dulcius deprehenderunt quo documento asserunt, exinde humores attenuari atque repurgari. Ad hanc rem notatu dignum est, ipsam almam naturam, ad commodam exercitationem admonere, cujusvis omnis, in motu posita est, eamque non modo infantes & pueros atque omnia animalia, bruta juniora, (quibus alias a natura est tributum, ut quæ ad vivendum sunt necessaria, prosequantur declinenturque ea, quæ nocitura videantur) statim ab ortu, admotum, agitationem collusiones, cursus, subsultationes atque saltationes nec sine voluptate etiam ad summam defatigationem stimulare (ut nempe juncturæ membrorum flexiles & fortes mature reddantur, sanguis in puritate sua servetur ejusque circulatio libera maneat, transpiratioque facilis atque omnia organa per gradus quasi extendantur usque ad mensuram proportionatam) sed & motum fortiorem tanquam exercitium involuntarium instituere, quo a morbis se liberare satagit, sternutationem puto pandiculationem, singultum, tussim, vomitum &c. (quæ omnia sanguinem accelerant) &c. aliosque in sanguine impetus vel saltem ad ejusmodi motus instituendos invitantia, pruritus & similia irritamenta excitare. Ad quos motus instituendos omnes corporis partes semper quasi se offerunt sponte & paratæ sunt nutusque exspectant, ut ad sui modulum per tensionem illam con-

conſtantem, quæ omnibus præſto eſt quaque, donatæ illæ ſint, quæque tonus alias vocatur, agant, atque mira non raro agilitate & promptitudine ab externis injuriis imminentibus ſe tueantur etiam citra voluntatem mandantem. ex. gr. impræviſum caſum, artus varia motitatione & jactatione avertere tentant, oculi, obveniente ictu aut plaga, protinus ſe claudunt, ſub lapſu manus & brachia ſe prævertunt &c. Elegans commendatio exercitationis corporeæ Fulgentii Neapoli in muro horti Capellæ in tabula publica extat, ut ſit omnibus cognoſcenda: *Exercitium eſt humanæ vitæ conſervatio, caloris naturalis lima, excitatio dormientis naturæ, virtutum corroboratio, ſuperfluiditatum conſumtio, otio inimicum, temporis lucrum, juventutis debitum, & ſenectutis gaudium ſalutis adjutorium deſtructio omnium malorum V. N. Chytræus* in *deliciis Europæ p. 65.*

§. III. Plus dicam, exercitationes non modo corporis actiones ſartas ſervare tectasque, vel imminutas aut depravatas concitare, corrigere, reſtituere, ſed & animum mire (has magis tamen illas minus) ejusque robur, vires & operationes alere & excitare, ſenſusque internos, quos vocant, inſtaurare incolumitatem memoriæ vigoremque ingenii atque imaginationem in excogitando, inveniendo ac intellectum ratiocinando, judicando valentem & illuminatum præſtare. Hinc alta ingenia & erecta motu gaudent, motumque amant, paſſiones ſic dictas moderatas confirmant, & inordinatas moderantur ac ordinant, quod præclare ſentit atque ſcripſit GALENVS *l. de conſuet.* ab exercitiis animæ univerſæ virtutes augentur, & robur accipiunt. Rurſus *L. I. de ſan. tuend.* exercitiis modicis, tum corporis tum animi cuſtoditur intra ſanitatis fines nativus calor. Innuit PLINIVS *Lib. I. Ep. 2. & 6.* & SENECA *Ep. L. I. p. 56.* affirmat, illis animum ali, & *p. 219.* de tranquill. animi dicit: in ambulationibus apertis vagandum, ut cœlo libero & multo ſpiritu augeat attollatque ſe animus. Adoleſcentes Græcorum ex inſtituto Solonis Gymnaſticam exercuerunt non ſolum bonæ habitudinis acquirendæ & ſanitatis conſervandæ cauſa, ſed &, ut animoſiores fierent & ad rem militarem præparentur, ut plura jam non addam, cum rei teſtimonia ipſa adſint ubique. Viſi ſunt multi ſtupidioris ingenii, quos phlegmatici temperamenti eſſe, diceres, ex nimia humiditatum earumque craſſarum & viſcidarum copia, corporis motionibus frequentioribus ſagaciores & prudentiores facti; Nec jam mirandi cauſa eſt, cur omni tempore corporis exercitia, ut modo prælibatum eſt, a magni nominis Principibus atque Heroibus, Sapientibusque frequentiſſime inſtituta fuerint, ut documento poſteris quoque eſſe poſſint Hercules, Achil-

Achilles, Auguſtus, Marius, Antoninus Philoſophus aliique multi, & eo ipſo ſimul præluſerunt virtuti, quam admiraturus poſtmodum eſſet terrarum Orbis. Pittacus Rex Mytil. rotam verſabat, Lacedæmonii juventutem quotidie & varie exercebant laboribus, venationibus, curſu, immo fame, ſiti, calore, frigore &c. Hinc cum pueris Socrates ſapientiſſimus, ludere & longa arundine equitare, (de quo differens adeatur P. HUGHIUS *illuſtr. quæſtionibus P. II. 19.*) non erubeſcebat; licet etiam ab Alcibiade riſus eſſet, quod etiam ab Ageſilao factum eſſe legimus. AELIANUS *Hiſtor. Var. Lib. XII. cap. XV.* PLUTARCHUS *in Vit. T. III. p. 372. Valerius Maximus Lib. VIII. cap. VIII.* Scipio & Lælius bini iſti ſine exemplo integerrimi viri, concharum marinarum ad ripam prope Cajetam atque Laurentum collectione, ſe recreando certabant. Scævola Pontifex Maximus, Vir gravis, pila ludebat ac calculis vacabat, in rebus enim ſeriis Scævolam, in luſibus hominem eſſe, volebat. Pariter GALENUS in agro tum ligna findere, tum fodere, hordeum in pila contundere ac deglubere ac alia quædam ruſticatus opera facere, nonnunquam ſolitum fuiſſe, commemorat *Lib. II. cap. II. de ſanit. tuend.* Nec fruſtra opinor, Ariſtotelem Peripateticum fuiſſe, qui pariter ac Plato in ipſis Gymnaſiis philoſophari ſolebat, ut ſimul cum corporis exercitio etiam ſpiritus ipſi & animus alacriores redderentur. Neque primum alium in finem exercitia, quæ equeſtria vocantur, inſtituta ſunt præmiisque propoſitis, quam ad fortitudinem excitandam, ad emendandos & præparandos ad meliora corruptos mores & immodicas voluptates, quæ ex deſidi otio exſurgunt, avertendas, ut de Ageſilao & variis Perſarum Regibus habetur. Alexander Magnus, poſtquam enim (ut CURTIUS memorat *Lib. V. c. III.* Aſiam in ſuam poteſtatem redegerat, & in urbe Babel per ſat longum tempus cum ſuis permanſerat, iique otio &, quæ ab eo procedunt, vitiis, luſu, ſcortatione, furto, commeſſationibus aliisque illecebris voluptatis corrumpebantur, militaria excogitabat exercitia, ut haberent quod agerent, & a vitiis deflecterentur. Nec Romanis & Germanis &c. per poſtera ſecula alia mens fuit aliusque ſcopus, ut de his ſpeciatim TACITUS de veterum Germanorum diſciplina memorat, eos primæ juventæ honorem in labore atque exercitatione collocaſſe, quo id quidem conſequuti ſunt, ut plus ibi valerent boni mores quam alibi multæ leges. Aſt & hoc eſt tenendum, quod, ſicuti hoc circa motum regimen, rite inſtitutum, ex ſtupidis ſecundum modo adducta, ingenioſos, ex debilibus robuſtos, ex morbidis ſanos, ita & frivolos ex ingenioſis audaces & tandem mali moris homines formare valeat.

§. IV. Quam infelix igitur eorum conditio eſt, quibus ſocors eſt animus, qui ſegni in otio, (quod ipſum vitium eſt,) nullum negotium tractante humores incraſſante, quia non debito modo moventur, a quo motu particulæ, humorem quemlibet componentes, ſubtiliores & exiliores fiunt, (cum juxta ſe ſemper moveantur alteranturque) & quod ſecundum HIPPOCRATIS effatum *2. de Diæta 28.* humectat & corpus debile facit, ex quo ingnavia creſcit, torpent & velut attoniti aut ad inſtar Coloſſi immoti ſedent aut jacent, & claudorum (ut ajunt) incurvatorumque ad modulum ſutorum domi corrumpuntur & perpetuo ſentientes fœtorem propriarum ſordium & ſui ipſorum latitant, vix noti viciniæ, in angulo ut glires per hyemem vel ut IUVENALIS *Lib. III. Satyra VII.* belle expreſſit: *genus ignavum quod tecto gaudet & umbra;* ex quo, tanquam equo Trojano, innumera mala exeunt, qui inter perpetuum illum ignaviæ comitem, luſum ſocordem atque inertem, inter alearum chartularumque luſoriarum petulantiam atque inſane ſtudium & ingluviem, Bacchi & Cereris illa lautiſſima munera, flagitioſa diligentia occupati, qui mollitie effœminati propemodum diffluunt & qui non ſine mollitiei nota exercitationibus non oblectantur, hi corpore & animo pariter languent, hi mollitie membrorum quadam tenera & fragili præditi atque juncei ac graciles apparent aut obeſitate quadam minime ſalubri tumeſcere videntur. His artus rigent & ſitus quaſi contrahitur, vitia ſimul utraque emergunt & inoleſcunt, materia vitiorum impura collecta, retenta, ſenſimque aucta, ſenſimque magis corrupta, ac lentorem acquirente, particulis facile ſe intricantibus atque motibus ſingulis, qui juſti alioquin calorem interni debitam, ſtagnationes verendas, impediunt langueſcentibus & imminutis, partibus torpeſcentibus aut laxatis aut infarctis. Quemadmodum enim ut notanter ARISTOTELES *VII. Polit.* loquitur: tempore pacis & otii homines petulantes evadunt ita & humores in humano corpore infeſti atque inertes fiunt in quiete. Sicuti aquæ ſalubriores fiunt ſi agitentur, at ſi ſtagnent, corrumpuntur ac inſalubres redduntur. In quam rem belle quoque SENECA loquitur: *otio paulatim effeminatur animus atque in ſimilitudinem otii ſui & pigritiæ in qua jacet ſolvitur;* Nec minus eam graphice deſcribit LOMMIUS *Comment. in Celſ. Cap. I. p. 14.* ſequentibus: *Certe quantum incommodi neglectus ex toto motus deſesque illa vitæ inertia mortalibus afferat, ex eorum habitu cognoſcere eſt, quas longi carceres arctarunt; nempe his calor omnis intermoritur veluti color decorque perit, tum fœdiſſimo ſitu corpus tabeſcit & penitus, ut ſic loquar, cadaveratur, adeo ut multos conſtet hujus rei grave periculum vitæ*

ſuæ

suæ impendio testatus fuisse. Hinc inter eos, qui ejusmodi vitæ dediti sunt, adeo multos invenies, qui non modo gravibus & diuturnis passionibus sunt correpti, ut asthmate malo hypochondriaco, calculo, arthritide, cachexia, scabie, scorbuto, hydrope, similibus, ex copia & impuritate humorum eorumque stasi infarctu & obstructionibus viscerum alibique locorum, (ubi scilicet vasa arctissima sunt,) imprimis oriundis, sed & animum habent demissum. Hic certe motus est Medea, quam Diogenes apud Stabæum non veneficam sed sapientem celebrat quæ incantamento quasi homines molles & effœminatos exercitationibus, robustos, vigentes, sanos atque longævos præstat, & rejuvenescere illos efficit, ut locum olim fictioni fecit, OVIDIVS *Lib. VII. Metamor.* quippe traditum est, ipsam regiam Colchidis Principem, Jasonis conjugem, Peliam Thessaliæ regem a filiabus suis trucidatum vitam atque coquendo juventutem restituisse. Superfluæ enim nutritiæ partes adultorum, senum, (utpote quorum corpus non amplius ad augmentum iisdem habet necesse, tamen adeo multa assumunt ac pueri & adolescentes) ad fibrosam habitus texturam, quotidie deponuntur, apponuntur illamque occalescentem velut reddunt, ut ad motum minus sit apta & agilis & perspiratio simul impediatur, atque circulo, dein segniori indies sic facto, vita sensim quoque tandem deficiat. Pollicetur hinc Galenus neminem ægrotaturum, si integer ante cibum exerceatur, ac a cibis pravis crassisque abstineat: atque adeo opinatur LVD. MERCATVS *de Sanit. & ejus Conserv. p. 54.* quod corporis exercitium non solum benefaciat ipsi, sed & emendet victus rationes, quibus fiat, ut fere universa sanitatis ratio in exercitando corpore sita sit. Notanter Plato has artes civitatibus necessarias esse, judicavit, Gymnasticam scil. & Musicam, animorum, corporumque nutrices: Hac de causa Apollini Gymnasium ab Atheniensibus dicatum censet Plutarchus. Xenephon refert, Cyrum regem tanti corporis motus fecisse, ut injunxerit, ne, Persæ unquam sine labore cibum caperent, valetudini atque fortitudini perinde exercitationes necessarias ratus. Neque attinet dici, per exercitia ejusmodi deprædatorio motu atque calore quos efficiunt, multas laudabiles partes separari, dissolvi, immutari atque consumi, quæ quiete & otio conservantur. Sed neminem fugit ratio quod salva res sit, si & modus in his teneatur. In hujus aliqualem illustrationem insuper sistam dictum illud Marci Catonis ut apud Gellium habetur & quod sequentem in modum se habet: Vita humana probe ut ferrum est, si exerceas conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: melius tamen est conteri illud,

quam ſic abſumi, ita homines exercendo videmus conteri, ſi nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti facit quam exercitium. Aeque in hanc eleganter ſcribit PLVTARCHVS magni judicii vir in *Lib. de Tuenda Valetud. T. II. p. m. 135. Sanitas non otio atque inertia venalis eſt, quæ ut maxima mala morbis accidunt. Et nihil differt homo, qui bonam valetudinem inertia & quiete obtineri poſſe exiſtimat, ab eo, qui ut oculis tueatur, non videt, & ut vocem nullum ſonum edit.* Et brevi poſt: *Verum haud eſt, in otio viventes, magis valere.* Hunc etiam admodum perbelle cauſam egiſſe videtur, qui clepſammio adſcripſit: *ipſa quies vitium eſt.* In hanc rem notabilis eſt ordo & ductus naturæ, quæ ſedecim aut octodecim horas motibus & exercitiis corporis obeundis, octo autem vel ſex aut ſeptem ſaltem requiei deſtinavit, per quas delaſſata membra, defectumque virium iterum reſarcire ſolet. Atque commode hic quoque commemoratur, ſanitati ac vitæ non adeo obeſſe exceſſum internorum motuum, quam illorum defectum.

§. V. Cum nihil tam certum, quam otii vitia negotio diſcuti, atque nihil tam ſalubre, quam ſuperfluidatum mala, motu abſumere, cumque inertiæ dulcedo facile ſubeat atque inviſa primo deſidia, poſtremo ametur. Ideo qui ſtudet, ut recte valeat mens in corpore concinno, vegeto ac ſano, frequentibus at modicis convenientibusque excitetur exercitiis, ſine quibus & optime valentes & validi perdendi valetudinem ſuam periculum incurrunt, milites imitatus, qui media ac alta in pace ſupervacuis quaſi laboribus ſe exercent, ut ſufficere neceſſariis poſſint, & nobiliores ſpiritus ad martium atque militare decus & opus optime præparent atque accendant. Præferenda igitur omnino ſunt, ſecundum veterum ſapientiæ & artium bonarum & ſalutarium Magiſtrorum præcepta, ne exercitia ſed improbi labores evadant, quæ non minus bonam corporis habitudinem, ſanitatem & convenientem membrorum compoſitionem, quam animi delectationes, agitationes, cogitationes (quæ ſecundum HIPPOCRATEM *Lib. VI. Epid. I. Sect. V. T. I. p. 810.* ejusdem ambulationes ſunt) vires & virtutes atque generoſos ad præclara impetus præſtare, excitare, conſervare & augere poſſint, quæque corpus noſtrum ita præparant, ut rationis imperiis non adverſetur ex quo duplex redit emolumentum: liber enim & excitatus animus ſimul benefacit corpori, ut Galenus jam recte monuit, quare Plato ſcitiſſime dixit, quod corpus nunquam ſine animo, & animus nunquam ſine corpore, exercendus ſit. Nam quibusdam, qui in vili & illiberali arte verſantur atque labores ſolius corporis viribus, nulla ingenii virtute perficiunt,

corpus

corpus quidem vehementer satis exercetur, mens vero ita sopita & & quasi stupore oppressa, vel in alias cogitationes deducta jacet, ut vix corporis motum sentiat, & si sentit eo parum afficiatur. Placent magis & item conferunt exercitia, quæ citra tædium ac repugnantiam sed potius gaudio atque voluptate quadam animum afficiunt atque illam Græcorum ἀνταρκειαμ ingerunt quæ & facilius perferuntur, licet etiam sint duriora (hinc mercenariis opificiis occupati rectius valent, qui alacriore & in spem lucri aut gloriæ erecto animo opus faciunt) ac quæ grata atque delectante quadam varietate, quæ æqualiter corpus & omnes partes & placide & optime movent. Quod CELSUS indicat *L. I. c. II.* Levat lassitudinem laboris mutatio; Eorum optima censentur secundum Transactionum philosophicarum Anglicanarum explicationem Ann. MCCXVI mens. Jul. August. Septembr. in quibus simul loca mutantur. Meliora etiam sunt, quæ propriis musculorum viribus peraguntur quæque fiunt sub dio & aura liberiori, ubi pacatum nitensque apertum cœlum spectatur ejusque serenitate fruitur, qualis est rusticanus, quam quæ sub tecto & inter urbium, platearum domorumque mephitim, melioraque quæ in umbra, quam parietes & viridaria efficiunt, instituuntur. Ex quo duplex capitur emolumentum: nam una opera & corpus movetur & a campestri illo aëre purissimo nimirum & sincerissimo spiritus egregie reficiuntur. Eligenda quoque quæ scopo, pro quo instituuntur, magis conveniunt. Permagni enim ubique interest, quibus motibus aut quomodo hoc aut illud moveatur, quod & de microcosmo, corpore humano valet, ad quasdam enim actiones, quasdamve agendi intentiones motus saltem tonicus, ad alias pressorius, ad alias quassatorius ad alias circulatorius motus, &c. requiritur, quæ res sane digna omnino videtur ut penitius consideretur, hinc & optime BACO DE VERULAMIO ut ex *Lib. IV. de Augm. Sacent. p. 106.* constat, advertit, exercitationum species, quæ in sanitate tuenda plurimum pollent, neminem ex medicis bene distinxisse, cum vix inveniatur aliqua inclinatio in morbum, quæ non excitatione quædam propria corrigi possit, autumatque morbis renum globulorum lusum, pulmonum sagittationem, stomachi deambulationem, gestationem & sic porro magis convenire. Tales certe motuum differentias & has quidem v. gr. in motu musculorum in motu locali totius corporis, alias in respiratione, masticatione, chylificatione & sanguificatione, alias in fluidis promovendis & secernendis, in nutritione in utilium porro ac minus utilium secretione, nec non horum excretione observamus atque specialem simul cuilibet fere corporis parti tensio-

nem peculiaremque cujusque ſtructuram & actionem advertimus. Ita Claud. Perraultius *Lib. de Sono P. I. Cap. IV.* obſervavit: ſonos tympani, tubæ aut chordarum panduræ majoris nonnunquam pectus percutere, neque tamen omnes ſonos ſed illos tantum, qui conformes ſunt tono ac tenſioni diaphragmatis. Scaliger *Exercit. 134. Lib. VI. p. 230.* lepidam hiſtoriam recenſet, de equite quodam Vaſcone, qui audito teſtudinis ſono, urinæ involuntarium effluxum eſt expertus, de alio ſimilem (hiſtoriam) Celeberr. Zwingerus *Diſſ. de Antipathia p. 27,* habet. Ita Boylii ſervo, ob æqualem aut proportionatam membranæ aurium & tympani cum membrana gingivas inveſtiente tenſionem, quoties cultros cote acuebat, ingratus ſtridor gingivas cruentabat: Conf. Bartholinus *C. IV. Epiſt. 152.* Si præter hæc alia adhuc quæras hujus rei exempla, exemplo tibi ſit tarantiſmus, de quo Baglivius, qui ex ingenio magis quam commentariis ſapit, teſtatur *de tarantula c. XIX.* eum ſanari largo ſudore oborto a ſaltatione, & non ſequi ſudorem idem præſtare, provocatum ab ordinariis & vulgaribus diaphoreticis, ac illa venenum non eliminare ex maſſa humorum perinde ac ſaltationem, per quam viæ apertiores fiunt & corpuſculorum ſtaſis optime tollitur. Sic navigantes per mare & curru vecti in poſteriori currus parte ſedentes quidam, nauſea ructu & vomitu modo tentantur ſicque ſolo motu vorticoſo vertigo inducitur & inconcinnæ muſicæ harmonia ſi v. gr. in pandura pone ponticulum plectro nervi plectuntur, item tritura ferri &c. ingratam ſenſationem, horripilationem, ſtuporem dentium inferunt, ſicque pertinax alvi obſtructio non alio facilius corporis motu volutatione in lecto ſolvitur &c. Porro perſpectum eſt, quod reflexus tantum & reciprocus tremulus aëris motus ſonum efficiat, ubi nimirum partes aëreæ ſphærulæ percuſſæ & vibratæ cedunt atque recedunt, & inter ſe invicem reſiliunt & reflectuntur atque pro varia vibratione aëris in ſono & vibrationum concurſu vario, item proportione, frequentia & combinatione ſoni oriuntur fortes, aut lenes, acuti & obtuſi, harmonici & diſſonantes, ac ſic exinde ſpiritus in aurium nervis varie attinguntur ac moventur. Rurſus per ſonos certos, vitra rite collocata contremiſcunt & franguntur, de quo vide celeb. Morhof. *de Scypho vitreo* &c. & in ſcyphis vitreis aqua repletis, motu digiti tremulo madefacti & in circulum acto in margine aqua contenta, in bullulas elevatur &c. Quidquod? in tota rerum natura videmus. (cum motus ſit univerſaliſſimum medium productionis & operationis) varios effectus & mutationes varias, pro diverſa motuum ſpecie, proficiſci comperimur. Facile exinde fluit, eodem modo in nobis motus ejuſmodi fieri,

fieri, atque hinc ad gaudium, tranquillitatem vel triſtitiam & inquietudinem vel ſomnum componi, aut alacritatem excitari, exindeque varios morbos oriri, aut ſanari.

§. VI. Sunt nempe exercitiorum corporis permulta paci belloque utilia & apta ac quæ tam ad corpus quam animum recreandum excitandumque inventa ſunt & inſtituta & eorum quidem tantum non innumera, quæ tamen plurima GALENUS *Lib. II. de tuend. ſanit.* enumerat, quæ ſecundum gradus, tempus, modum, quantitatem, qualitatem, vehementiam, celeritatem, locum, ordinem &c. differunt, quæ plurima, ſi provide & modice tractentur ſanis, pauciora ægrotis ſunt, congrua. Plurima æſtivo, quædam hyberno ſaltem tempore inſtitui poſſunt, ut traha vectio, ſuper glacie currendi ratio, non modo apud Belgas, Cimbros, Danos, Suecos, Ruſſos & reliquos populos ſeptentrionales maxime familiaris & apud Saxones quoque non ignota atque a multis quæſita. Hæc ibi, illa alibi amantur. Sic Græci generatim dicendo cheironomiam choricomachiam atque celadiam vid. CAEL. AURELIANUS *de morb. chron. Cap. XI. Lib. V.* exercitia ac ludos atque ſpeciatim Crotoniatæ & Bœotii, palæſtram, Athenienſes ludos navales, Lacedæmonii, pedeſtria, Theſſali equeſtria exercitia, venatum Cretenſes, ſaltationes Sybaritæ, Thraces atque Carthaginenſes aliique ut notæ ſunt ſaltationes Teleſiæ Pyrrhicæ, Floreales, Laconicæ, Siccineæ, Scænicæ, Caſtoria aut Tripudia, Lydii pilæ luſum, Jones eundem & chorum, Thebani tibiarum modulationem quondam aliis præferebant. Multa in veteri ævo celebrabantur, quibusdam noſtro, adhuc multi delectantur; multa vero in deſuetudinem abierunt, nihilque præter nomina ad poſteras ætates pervenit, ut certamina & ludi varii, publici & privati, inter exercitia veterum Romanorum numerati pugilum, andabatarum, luctatorum, curſorum Lampadodromiorum &c. exercitationes &c. ludi Circenſes, Olympii, ab Hercule inſtituti Pythii, Nemei, (in Nemea ſylva in memoriam Archemori, Lycurgis, legiſlatoris illius eminentiſſimi, filii habiti) Iſthmii Jovi, Apollini, Cyrrhœo, Baccho Nyſæo, Neptuno, Herculi aliisque idolis nec non memoriæ Palæmonis & Melicertæ conſecrati magnaque pompa celebrati, item Megalenſes, Capitolini, Compitalicii, Conviuales, Florales, Votivi, Trojani, Caſtrenſes Plebeji, Taurii, Secularia, ac Lupercalia, Boalia, Dionyſia, exercitia, eaque quæ JUSTINIANUS Imperator *Lib. I. & L. fin. Cap. de aleator.* Monabolon, Contomonopolon, Quintanum &c. appellat. vid. PETR. GREGORINI *ſyntagm. Juris Lib. XXXIX n. 3 ſeq.* lucta, diſci-projectio

&

& jaculatio aliique privati ludi, latrunculi, tali tesseræ, fritillus, harpastum, halteres, petaurus; &c. De quibus prolixe satis celebris ille Græcus Poëta, Pindarus & qui in eum sunt commentati disserunt vid. inprimis ERASM. SCHMIDIVM in *Pindaro* it. ARISTOTELEM *Lib. I. Rhetor. Cap. V.* Exolevit vero jam pridem omnis exercendi corpora nuda, consuetudo, sic ut neque olei jam neque pulveris vestigium ullum sit relictum: ita & hodierno tempore desiit Ἀκροχειρισμὸς ut est apud Lucanum atque illa χειρονομία, quæ species saltationis erat cum gesticulatione a Mauris olim in Galliam introducta. Apud Judæos, ut Hieronymus scribit, juventus lapides e terra extollebat. Annumerantur quoque his illiberalia etiam ac mercenaria opificia atque labores diversi domestici, licet coacti, sanis pariter & quibusdam infirmis proficui, ut lignorum fissio, truncorum arborum serratio, terræ fossio, remigium &c. atque ii opificum multifarii, quotidiani v. gr. pileorum, figulorum, textorum, tornatotorum, eorum qui machinas calcant, qui coria pedibus subigunt &c. qui omnes diversimode corpus movent atque exercent. Singulorum aut certorum saltem morborum curandorum & individuorum &c. certa eorum differentia notatur; quænam enim corpus æqualiter exercent, quædam certas magis partes, hæc species huic parti altera alteri, aut pluribus corporis partibus ex usu sunt, imo aliæ aliis corporibus conveniunt, ab his anima magis, ab illis corpus magis accipit commodum aut incommodum v. gr. deambulatio optima etiam exercitiorum species, per loca munda & amœna, alta & diversa, æqualiter magis corpus, præcipue tamen crura movet, & capiti, oculis, collo, pectori stomacho magis auxiliatur. Vid. ANTYLLVS *apud. Oribasium*, *6. Collect. C. XXI. &c.* non convenit vero iis qui tumoribus œdematosis vexantur, qui semper de die augentur, imprimis in stando vel deambulando. Notabile in hanc rem est, quod XENEPHON notat, *in* Fest. Cursores, qui olim inter cancellos decurrebant, crura ac pedes magis crassos, at humeros leviores ac tenuiores, luctatores vero humeros crassiores & crura tenuiora habuisse. Parvæ pilæ lusus vero e contra partes superiores, magis brachia sc. & pectus, exercet atque confortat & epilepticis, vid. AVRELIANVS *Lib. I. Chr. C. IV.* in calculis extrudendis, (quare Augustus Imperator eam amavit, vid. SVETON. *in ejus vita C. LXXX. & LXXXIII.*) alvi profluvio, tumore, vid. CELS. *L. I. c. VI.* rheumaticis, senibus de quo MARTIALIS *L. IV. epigr. 45.* proficuus, minus vero in lippitudine, de quo HORATIVS *L. I. serm. satyr.* v. Globulorum lusum calculo & renibus, sagittationem pulmonibus & thoraci conducere asserit

rit BAGLIVIUS *de Fibra moti. Lib. I. p. m. 363.* Saltatione (quæ Socrati vid. Laertius Lib. VII. & EPAMINONDAE Theban. Princ. famigeratissimo illi *Alex. ab. Alex. Gen. dier. Lib. II. cap. XXV.* AESCHILO PLATONI vid. *Lib. II. de Legib. & Lacedæmoniis* imprimis placuit atque Lycurgus vid. PLUTARCHUS *Com. de laude scripſ. &* CHRYSIPPUS præceperunt) totum fere corpus commovetur atque agitatur præcipue tamen crura, eaque firmantur; gravidis autem secundum HIPPOCRAT. *l. de nat. puer.* nauseabundis, herniosis, calculosis, asthmaticis, procidentia uteri adfectis & menstruis fluxibus nimiis, & seminis profluvio, pedum doloribus & tumoribus obnoxiis adversatur, & capitis gravedinem & dolorem sentientibus & vertiginosis, (si corpus nimis in gyrum frequentius vertatur) adeo molesta est, ut quoque choreas vix possint spectare. Præterea de hac observatur, assiduos saltatores in senectute fieri arthriticos, & podagricos, conf. PANAROLUS *observ. med. 30. p. 162.* præ aliis vero deprædicatur in morsu tarantulæ, chlorosi & hysterica passione. Saltationem porro inprimis cum subsultu proficuam fuisse, viro quodam, intolerabili dentium dolore excruciato, ut & in auditus difficultate legitur in BARTHOLIN. *Act. Haffn. Vol. V. Obſ. 126,* ORIBASIUS *Lib. VI. Collect. med. Cap. XXXI,* ex Antyllo refert. Exilire accommodatum remedium esse diuturnis morbis capitis, thoraci, atque materiæ quæ ad partes superiores propensa, fertur. De quo subsultu maxime Plautus dixit, quod loco, noxia materia pellatur quæ vel dentes vel aures occupat. Pariter puerum quendam febre quartana a longo abhinc tempore detento, saltatione curatum fuisse fertur in *Eph. G. IV. C. D. III. A. III. obſ. 110.* Diglatione vero manus potissimum firmantur. Sic disci projectio, apud veteres usitatissima, ut validum satis exercitium, thoracis morbis adfectis, noxam haud exiguam sine dubio inferebat. Navigatio pariter per mare, cacochymicis propter fastidium & vomitum quem excitat atque aliis multis in morbis, phthisi maxime, remedio est, ob quod, quondam multa trans mare, itinera facta sunt; ast preter illud, quod multi, hæc ulcera sanandi virtutem, maris salsugini exsiccanti potius adscribant, v. ARETAEUS *de curat. morbor. diuturn. L. I. cap. VIII.* de hac etiam comperti sunt varii navigantium morbi, quorum quidem pervicaces satis sunt, atque adeo pervicaces, ut constet vertiginem v. gr. ab agitatione navis contractam, ægerrime posse curari, adeantur *Eph. G. N. C. D. 1. an. 3. obſ. 196.* nam agitationem inæqualem & duram navigii, vi ventorum impulsi, præsertim sub procellosa tempestate, transpirationem insensibilem impedire, & hinc plenitudinem nimiam atque

excernendorum humorum retentionem & accretionem efficere dicitur. Præterea & corpus male perturbat, quod jam Hippocratem dixiſſe, *ex 4. aphor. 14.* apparet, atque præſertim juxta vertiginem modo nominatam, alvi obſtructionem, nauſeam & vomitum excitat. Legatur Cokburni Angli de navigantium morbis liber. De curru-vectione hodie uſitatiſſima, Avicenna ſpeciatim dixit: eam ex oculis laborantibus valentem eſſe, quoniam tenet faciem a parte poſt; verum & obſervatio & æſtimatio Sanctorii ejusmodi eſt, *Med. ſtat. ſect. 5. aph. XXX.* Vectio in curru inconveniens eſt, non enim ſolum perſpirabile incoctum exſpirare facit, ſed etiam ſolidas corporis partes & maxime renes offendit, nephritidem imprimis ſcil. inducendo, calculosque commovendo. Conf. Boerhaven *aphor. de cogn. & cur. morb. p. 371. &c.* Incommoda enim varia incurrere interdum ex curruum commoditate poſſunt, qui eam amant, quia perpetuo inſident, iis & alternatim pedibus incedere negligunt, ex aſſiduo hoc ac nimis violento ſæpe motu corpus concutitur & crurum præſertim ac reliquorum membrorum juncturæ, enervantur, ac torpidæ redduntur; unde pedum tumores œdematoſi aut contrahuntur, aut enormiter augentur: (hinc & in malo iſchiatico, arthritide & podagra & calculo nocet) flatus ſurſum ventriculum verſus adiguntur (quare hypochondriaci ægre illam ferunt) renes facile inflammantur inſuper & nauſea & vomitus quandoque inducuntur, & ad hæmorrhoidum moleſta ſymptomata diſpoſitio exſurgit. Quanquam & pro varietate & aptitudine curruum ut & aliorum accidentium quæ in ipſo itinere occurrunt, variat ipſa quoque hæc vectio: nimirum currus penſilis & liber, longe commodius, æqualius, lenius molliusque, fluctuatione quaſi convenienti, movet corpus, atque per locorum difficultates ſi inæqualia ea ſint, ruposa, lapidoſa, duriter ſat inſidentes concutiuntur.

§. VII. Singulare & maxime laudabile quoddam præ omnibus exercitiis aliis equitatio habet, quæ ideo optima exercitationum ſpecies merito habenda eſt. Quippe equitatio ex ſeſſione & ſtatione mixta atque duplicis etiam exercitationis vicem explet, illius nempe, quæ a nobis fit, & iſtius, quæ ab aliis perficitur. Namque equitatio eſt ſpecies motus translatitii corporis, equo inſidentis divaricatis conjunctisque firmiter cruribus, ab hujus greſſu dependens. Greſſus autem quadrupedis omnis fit, partim ſtatione, partim translatione aliquarum animalis partium, quæ aliis partibus quieſcentibus innituntur. Concipi enim poteſt equus velut machina quædam, mediante freno injecto flectenda regendaque oblon-

ga,

ga, quatuor fulcris terræ innixa, quæ in ſtatione equi firmiſſima conſtituunt rectangulum quadrilaterum, prope cujus centrum, e centro gravitatis equi, cadit linea directionis. Incipiente translatione per elongationem pedis ſiniſtri poſtici ad inſtar conti, centrum gravitatis, anterius promovetur, conſequenter flexis tribus columnis erectis tota machina, anterius protruditur. Deinde firmis manentibus tribus pedibus centrum gravitatis comprehendentibus, ut machina a caſu præſervetur, anterior pes ſiniſter transfertur anterius, & centrum gravitatis cadit in centrum rhombi cujusdam, quod formant tres pedes, cum puncto in quod pes ſiniſter transfertur. Confecto greſſu duorum ſiniſtrorum pedum incipit translatio, poſtici pedis dextri, & deinde anterioris, atque ita greſſus equi abſolvitur. Crura autem equi erecta ob ſuam duritiem, pondus incumbens tum innixæ machinæ, equi corporeæ, tum inſidentis, equitis, facile ſuſtinent, dum eques ſic equo vehitur atque movetur. Inſidens & quieſcens quaſi duplicem corporis diſpoſitionem & affectionem format & experitur; compoſitio vero ea corporis, in equitatione ex ſtatione & ſeſſione compoſita eſt, quoniam ex arte eſt, ut equites tam erecti in pedes, eos firmiter ſtapedibus infigant, conſtantesque ibi ſemper teneant, quam ut regione perinæi ſaltem ephippium attingant, non totis incumbentibus clunibus, ut in ſella inſideant; ſtatio vero certa quædam motus etiam ſpecies eſt, ubi æquilibrii tenſione muſculi magnopere tonico motu contenduntur, quatenus tota corporis moles, ad perpendiculum incumbit. Ejusmodi motus tonicus, in unam partem unumque angulum ſine alteratione determinatus, omnium difficillimus eſt & corpus non parum fatigat, ſuſtineri enim debet pondus, quod quo majus eſt eo quoque moleſtius, quoniam membra in eodem ſitu & ſtatu ſaltem quoad ſenſum detinentur, non obſtante, quod quaſi quies hic quædam appareat, quod appoſite Scaliger avium exemplo declarat, quæ in aëre pendentes nec alas movere videntur cum tamen eas movent, quia ſi quædam earum mortua, in aëre ſtatuatur, decidet. GALENUS *de Trem. rig. palp. C. IV. & Lib. I. de Motu muſcul. C. VIII.* hac de re ita ſcribit: *Non enim quæ moveri videntur, ea moveri ſola pronunciaverunt veteres; multa ſiquidem circa motum eſſe videntur, unum eundemque locum obtinentia, nihilominus autem moventur.* Siquidem & quivis tota die percipiet ſtare majorem laſſitudinem, ambulatione parere, unde qui certis motibus atque in unam partem ſunt aſſueti, reciprocis antagoniſtarum motionibus exequendis minus idonei ſunt, hinc & adeo non delaſſatur corpus, ac quidem, ſive in aliis corporis motibus, ſive etiam ſeſſionibus,

ut

ut in navicula, lectica &c. in qua corporis positura alias, ut humorum descensus facilitatur, ita ascensus inhibetur, & musculi certissime validiores redduntur, venter emollitur, urina provocatur; maximopere vero offenduntur, qui renum inflammationem, hernias &c. patiuntur; asthmatici vero levantur, unde etiam Hippocrates in ulceribus curandis, quietem imperavit, stare & sedere ipsis inimica pronunciavit, & Cœlius Aurelianus stationem in epilepsiæ curatione stans exercitium vocat; sub hac vero corporis positura, ex sessione nimirum & statione mixta, quoniam & cum vicissitudine corpus minime adeo fatigatur: nam & optima hæc quoque ejus conditio est, quod instituatur tota, præcipue equis lenitur incedentibus in adsvetis citra molestiam atque laborem citraque notabilem defatigationem, spiritum animalium deperditionem atque virium dispendium, quod a paucis aliis exercitiis est sperandum. Insuper & hoc amplius commemorandum est, quod pedes commode inter equitandum varie & sursum & deorsum commoveantur, quando firmiter stapedibus insistunt, qui ut frequenter exerceantur maxime opus est, quoniam pedes remoti sunt a fonte vitæ, caloris & humorum vitalium, unde ut mora quam nectit hic sanguis, quasi compensetur, nec stagnatio hic, tam facile fieret. Naturam iis motiones validiores per ambulationem, ut brachiis & manibus per labores, injunxisse videtur.

§. VIII. Præsertim vero in hac (equitatione) juxta universarum corporis partium & æquabilem exercitationem palpitatoria quasi non dorsi crurum saltem & pedum, sed & totius corporis omniumque membrorum etiam capitis cum cervice ipsius cerebri, blanda succussio & motus tremulus pedetentim factus alternativus reciprocus sæpe adeo repetitus & continuus, sive sursum deorsumque agitatio tolutoria qua sanguinis moleculæ eunt quasi redeuntque retrogradusque sic motus liquidorum, in vasis quem certissima observata docent, atque commonstrant, augent seorsim notari & magni æstimari meretur, utpote qui præcipue sanguinis partes heterogeneas disponit, ut debitis in locis secernantur atque purus sanguis arteriosus ad partes veniat; circulatio enim per se, illum non æque reddit aptum ad disjungendas segregandasque particulas; sed has per conquassationem simul quandam eandemque continuam aptas redditas ad excretionum loca devehit, ubi singulæ, locis propriis deponuntur & transcolantur. Inprimis viscera in thorace contenta pendula, concinne concutiuntur sibi invicem leviter quasi affricantur, interim aër majori impetu in pulmones eorumque vasa agit atque illis

suam

ſuam efficaciam tribuit omnibus his ſimul conſpirantibus, permultæ fiunt mutationes. Maxime vero omnium omnis impetus & terminatio in abdomen fit, deſcendit ac terminatur, quo ventriculus, diaphragma, inteſtina (quæ per ſuas revolutiones omnes partes abdominis in eo contentas tangunt, easque ad ſuum officium exequendum excitant, ut bene RIOLANUS animadvertit in *opuſc. anat. novis contra Pecquetum p. 161.*) & imi ventris omnia viſcera, quæ plurima ex parte æque pendula ſunt ac illa thoracis, illorumque glandulæ vaſaque reliqua ſecretoria & excretoria &c. optime afficiuntur, agitantur, vibrantur, cedunt, recedunt, motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, qui præcipua cauſa & ſecretionis chyli & ejus progreſſus per vaſa lactea, ut & ſcybalorum ejectionis foras, exiſtit, quo nullus motus in œconomia animali propemodum magis neceſſarius & utilis eſt, egregie juvatur atque impellitur. Quam proficuus, quam laudabilis ejusmodi motus reciprocus blandusque ſuccuſſorius ac tolutorius ſit, de motu v. gr. diaphragmatis ſæpius repetito, conſtat, per quod ventriculus ſurſum deorſumque quoque continuo movetur & ſimilis ideo ejus motus eſt propemodum illi, qui in equitatione fit; nam per hanc externam concuſſionem, ſolutio ciborum ſimili ratione facilitatur, ſicuti videmus ſolutiones diſcontinuationesque ac ſubactiones concretorum, alias agitatione & conquaſſatione externa felicius citiusque inſtitui. Quod tam neceſſarium, quam palam eſt, nullibi fere in corpore humano quam per abdominis viſcera, quæ motu ſatis non gaudent, (ut per eorum vaſa ſanguis jugiter feratur) impeditiorem, tardiorem ac difficiliorem circulationem ſanguinis eſſe, ſub quibus nimirum non ſolum ventriculum & totum inteſtinorum canalem, ſed & potiſſimum meſenterium, pancreas, lien, hepar atque omentum intelligo atque de his hanc cenſuram addo. Per hoc in ſpecie (omento) ſanguis difficilius fertur, quod non niſi membrana tenuis eſt, ex venis arteriisque conſtans, fibris carneis, muſculoſis & nerveis ſufficientibus tamen deſtituta, quodque forte inſervit ſanguini abundanti, in corpore toto diverticulo, ut ſpatium habeat ibi ſe diffundendi ſecedendique, ne cor atque pulmones, ceteraque viſcera nobiliora graventur. Hinc Obſervationes practicæ ac anatomicæ paſſim teſtantur, atque confirmant, plurimorum morborum chronicorum ſedem hic eſſe, quia repertum eſt illud ſcirrhoſum, exeſum ac putrefactum. Per venas enim ſanguis in his partibus difficilius regreditur, quoniam debito impulſu ſunt deſtitutæ, imprimis cum ſurſum per eas, ſanguis debeat moveri, motu hoc naturæ legibus per ſe repugnante, quippe omne grave cor-

pus ſponte ſua tendit ſuoque motu, deorſum. Non minus cauſæ graviſſimorum morborum chronicorum nidulantur in meſenterio, per quod omnis chylus omnisque lympha ferme ex toto corpore, ad receptaculum lymphæ & chyli pergit, ubi non debito impulſu fertur & circulatur hytaditum, lymphæ extravaſationum, abſceſſuum, ſcirrhorum, obſtructionum viſcerum, cauſam ſubminiſtrat. Pari modo ſe res cum hepate habet, per quod ut denſum admodum viſcus, liquorum fluxus refluxusque non ſatis eſt expeditus ſed difficillimus. In culpa non levi ſine dubio eſt & vena Portæ, cujus ſtructura & uſus eſt plane ſingularis, nam diverſa plane eſt ab aliis venis omnibus: e minoribus enim canaliculis divaricatis, ad majores, & dein iterum in minores dividitur, in qua ejusque præſertim perpendiculari adſcenſu impulſus ab arteriis & motus diaphragmatis & muſculorum abdominis, ſub reſpirarione, vix ſemper ſufficiunt, qui omnem ſanguinem ex tot viſceribus redeuntem per omnes & minimos tubulos, per hepar, ad bilis ibidem ſecretionem perficiendam hincque in venam cavam atque iterum ad cor propellere poſſint. Hinc ex circulatione hic impedita, multa magnaque incommoda ex hoc fonte promanant, & plura ſane quam quidem medicorum vulgus ſatis perpendit aut credit; Ut vero ſanguis omnis jugiter per hæc aliaque vaſa propellatur, equitatio, ſingulari ſua motione atque agitatione, omnium optime efficit. Quod perſpiciens ſagaciſſimus SYDENHAM in *obſerv. med. circa morb. acut. hiſtor. & cur. S. IV. Cap. VII.* inquit; ſi enim nobiscum reputemus, ventrem inferiorem, in quo diſpoſita ſunt organa ſecretoria, hoc maxime exercitio vibrari, eaque ſuccuſſationibus aliquot mille, uno in die agitari ſolere, facile credamus, eadem ſuccum quemlibet recrementitium ibi impactum, ope dicti exercitii, poſſe excutere, & (quod majoris adhuc eſt momenti) validiora iſta caloris nativi excitatione, ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in ſanguine depurando, recte defungantur. Nec in poſtremis eſt, quod erectio capitis, cervicis univerſique corporis, quæ in hoc exercitio præ omnibus aliis ſervatur, ſanitati inprimis conferat ut ex arte eſt equitesque decet; hac enim recta corporis poſitura omnia corporis organa in ſuo naturali ſitu conſervantur, plurimi muſculi in ſua actione permanent hocque pacto, vaſa ſanguifera movent premuntque ut facilitetur circulatio, ſuccique inſuper ipſi occaſionem ſtimulumque accipiunt, ut propria gravitate facilius deſcendant ſicque partes inferiores, quæ a corde tanquam fonte atque origine motus ac circulationis, longius ſunt remotæ, debite afficiantur ac incaleſcant hincque ſecretio-

cretiones & excretiones, ibi promtius instituantur simulque partes superiores liberæ ac expeditæ conserventur, quod certe haud postremum, sanitatis longævitatisque momentum est. Et licet has partes superiores erectas continere, equites annitantur, nihilominus in ipso renixu, succussationis effectus se exerit, quod similiter, de humeris & brachiis cum thorace usu venit. Quoniam vero pedes, stapedibus firmiter insistunt, simul ascensus sanguinis atque humorum, dein iterum occasionem accipit atque impulsum. Alia denique equitibus accedunt commoda, ut varia aëris mutatio, per quem paulo validius transeunt &c. quæ singula corpori, novi quasi modi sunt, qui differenti ratione fibras nerveas, blande vellicant easque modo implicant modo explicant aut expandunt & contrahunt commode. Taceamus varia objecta quæ, hinc illinc, tanquam novas subinde scenas conspiciendas, non sine notabili animi accepta quadam occupatione atque jucunditate, se offerunt.

§. IX. Ex præfatis jam facile colligitur, hoc motu plane peculiari, cui par alius vix datur alibi, justum omnium fibrarum, tonum conservari ac firmari, elanguidum vero & flaccescentem restitui, sanguinem & humores omnes, ad promptiorem circulationem excitari, eos subtilisari fluidioresque reddi, secretiones & excretiones lymphæ, fermenti ventriculi, bilis, succi pancreatici, mesenterii & reliquarum omnium glandularum juvari, obstructiones aperiri, digestiones instaurari, morbificas vero particulas humorales, a glandulis intestinorum, maxime secretas, immutari, excuti ex tubulis, stagnantes, spissas, lentas ac viscidas moveri, dissipari, resolvi vid. Celeberr. HERM. BOERHAAVE *Instit. med. p. 238. §. 913.* & omnia omnium optime præstari, quæ supra in genere recensita sunt. Hæc eximia commoda, quæ equitatio præstat, permoverunt Clariss. Baglivium, ut Popularibus suis, Urbis Romæ civibus, a malo Jove, aëre nimirum humido & nebuloso pressis, eam ut summum arcanum, contra ægritudines ipsis adeo familiares, commendaret. Specialius modo adducamus de hoc observatum SANCTORII vid. *loc. cit. aph. 30.* equitationem respicere magis perspirabile, partium corporis supra lumbos, quam infra. Hincque inferam transpirationem per cutis poros præter alias excretiones, præsertim eam quæ per vesicam fit urinariam, æqualius promoveri. Quare hoc genus exercitationis, cætera albis (ut ajunt) præcurrere equis mihi videtur, quod homine dignissimum eique convenientissimum, totum corpus omniaque ejus membra laudabiliter exerceat, & quæ ad quævis munia exercenda, facilia & expedita reddat, quodque omnis ætatis, omnis conditionis, sexus omnis-

que

que temperamenti hominibus, tranquillitatem amantibus, & animi impetus magis ſpectantibus, omnique tempore omnique fere loco convenit, & ad omnes modos peraccommodatum, vehementer, leviter, celeriter, tarde, mollius aut durius &c. inſtituendum. Puerilis ætas jam lenem equitationem optime ferre poteſt, ut modo Julius Cæſar exemplo eſſe poteſt, qui ut ſupra adductum eſt, in tenera ætate adhuc conſtitutus, equo inſidere conſuevit, equumque in orbem circumagere fortiter potuit. Siquidem & hodie nobis omne ſtat conſilium cum GVMPELSHAIMERO *de Exercit. acad. p. 228.* ut omnia exercitia, ita & præſertim equitationem eſſe excolendam, antequam corporis habitus obdureſcere incipiat. Etiamſi & ſenes in hoc non parum peccant, quod molliter plerumque vivendo, propriam naturam minus quam par eſt exerceant, verum ex adverſo ſæpius conſpicies octoginta annorum ſenes, qui cum aſſidue curſitando aut equitando in perpetuo ſunt motu tam pedibus valent quam multi juvenum, quique & cibos bene appetunt & ſomnum quiete capiunt. Puellis etiam equitationem Plato ſuo tempore, præcepit. Præ omnibus autem aliis equitatio eaque frequentior & fortior, quadrat iis, qui ſpongioſum laxumque corporis habitum gerunt, & qui vaſa habent anguſta, quoniam in muſculis debilis eſt circulatio ſanguinis, unde & multa excrementa ſeroſa, tartareo-ſalina, in ſanguine colliguntur, iisque quos ſanguineo-phlegmaticos, & ſanguineo-melancholicos, aut phlegmatico-melancholicos nominares. Præſertim etiam equitatio, ut Magnis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Aulicis, Nobilibus, ingenuis & liberalibus hominibus, præ cæteris digniſſimum exercitium, ita & medica æſtimatione, iisdem, neceſſarium eſt, quoniam plurimi morbi, in ſequentibus nominandi, perfrequenter, in aulis regnantes, per eam averti præcaverique poſſunt. Nec non ſuadenda ea præ aliis eſt iis, qui vitam agunt ſedentariam, ſpeculativam, ſtudiis, lectionibus librorum, lucubrationibusque aſſiduis, deditam, curis publicarum aut privatarum rerum, ſolicitudinibus, cogitationibus profundis, & adminiſtrationibus perpetuis, gravibus & moleſtis, detentam atque conſtrictam, quoniam palam eſt, ejusmodi hominibus, ex vita ſedentaria & laboribus animi immodicis, magnam præ aliis ſpirituum animalium jacturam facientibus, hincque viſceribus ac reliquis mollioribus partibus eosdem detrahentibus ſicque atoniam inducentibus phtiſin, hydropem, morbum hypochondriacum & melancholicum, & viſcerum obſtructiones, atrophiam, hecticam, ſcorbutum, colicam, nephritidem, arthritidem, aliosque morbos in ſequentibus quoque recenſendos, eſſe familiares.

miliares. Accepimus, vide CASP. LOHENSTEIN *Armin. P. II. p. 421.* Germanos & Perſas olim equitationem in tanto adeo pretio habuiſſe, ut dedecori ducerent curru uti, ubi equo vehi poſſent, atque BENZO in *Hiſt. novi Orb. Lib. II. c. VIII.* notavit de Hiſpanis in America, quod equites ſemper feliciſſime rerum potiti ſint, dum ſcribit: quæcunque loca pedeſtres adire Hiſpani, quæque equi penetrare non potuerunt, in iis ſemper ab Indis victi ſunt. Eundem in modum, ſit mihi propemodum cenſendi jus, exercitationes corporis, ſi quis vellet inſtituere, utilitati maxime ſibi ducat, non alio modo quam equitatione (ſi datum ſit) eas inſtituat, ſicque felicius optatum obtinebit effectum. Hinc & ea ſemper maximum remediorum genus, tam quoad ſanitatem integram conſervandam quam amiſſam reſtituendam, habita eſt. CELSO referente *Lib. II. cap. XIV.* Aſclepiades trium tantum communium auxiliorum genera poſuit, equitationem nempe, frictionem & geſtationem. Apud veteres, Xenophonte imprimis annotante, ac ipſo Hippocrate, ut patet ex libris de Diæta, atque Antyllo, Aetio, Avicenna, GALENO, teſtibus, equitatio commendatiſſima fuit. Qui ultimo loco nominatus *Lib. II. cap. II. de tuend. valet.* ſpeciatim equitationem ad bonum corporis habitum conſervandum, & recuperandam ſanitatem, multum valere, confirmat. Sic & Aeſculapius, ut apud Marc. Antonin. Imperat. legitur, eam coordinavit. Antiqui, qui ordinario fere medio die dormiebant, levandi animi cauſa, excuſſo torpore meridiano, pauliſper equitabant SIDONIO *Ep. IX. Lib. II.* memorante. Hodie in Anglia præſertim, in frequentem remedii venit uſum, ut conſtat ex obſervationibus & commendatione Anglorum, Sydenhamii, Pechei, Fulleri, Bagnardi aliorumque doctiſſimorum Medicorum. Nec deſunt alii clariſſimi Medici, qui equitationem encomio ſuo illuſtrant, ut inter Italos Baglivius, & Germanos Frid. Hoffmannus, & G. E. Stahlius eminent. Agnovit etiam hoc, eminens in omni literarum genere vir, IVSTVS LIPSIVS, ut patet ex epiſtola *56. cent. 3.* ubi ad amicos ſcribit, ſe alere equum & voluptati & valetudini. Hæc dicta atque dicenda de motu & exercitio, quod equitatione perficitur, referuntur; Verbo modo quaſi adhuc memoremus, quod multi non in poſtremis habent, robur atque vigorem conciliare equitationem etiam, ob ſpirituum animalium, qui ab animali generoſo & animoſo, equo proflante ſpumanteque proficiſcuntur, perceptionem, æque ac equi delaſſati, ab hominum ſudore recreantur, unde aurigæ iisdem pileum aut mitram porrigunt atque naribus applicant. Quo ſimul conſiderant, circa equos, in itinere, noctu & ſuda tempeſta-

te, ut BACO DE VERVLAMIO meminit *Novi Org. Lib. II. p. 334.* sudantibus, quandoque flammulas leves atque corruscationes quasdam, ut alibi de juvenibus quibusdam legitur, apparuisse. E converso etiam Lentilius de Hydrophobia observationem addidit, qua notat, in juvene quodam convulsiones & hydrophobiam, quæ mala quondam passus esset, ab exhalationibus equi contagiosis quo per horam vehebatur iterum excitata fuisse.

§. X. Ex modo descriptis colligere licet, inter omnia reliqua exercitia & motiones corporis, exercitium tornatorium, Principibus atque Magnatibus hodie quoque familiare & gratum, equitationi propius, aliqua ex parte accedere, quoniam in eo tornatores in sedili sedentes, super scamno tornatorio, torno tornant, pedes sursum deorsumque movent, simulque abdomen, ac universum pene corpus hujusque musculos fere omnes, æquabiliter & ad æquilibrium magis, etsi non simul, alternatim tamen exercent, tollunt atque attollunt. Quod exercitium ideo commendandum venit iis, quibus alias equitatione uti, minus licet, iisque, qui membra habent infirma, aut qui in abdomine & artubus sentiunt incommoda, qui malo hypochondriaco, obstructionibus lienis & hepatis tentantur. Exercitium tornatorium, in hac consideratione, sequitur curruvectio, quæ plurimis hodie magis placet, atque tanquam optima medicina, nec sine ulla prorsus ratione, probatur, qua & Seneca alias, anhelitu admodum difficili, quo premebatur, se liberavit. Nec eapropter quidam, ullum discrimen inter equitationem & curruvectionem admittunt; sed antecedentia modo advertenti statim constabit, hæc duo exercitationis genera, licet aliquo modo sibi similia, tamen etiam dissimilia esse. Præter alias etiam rationes, quæ equitationem ab hac, & similibus motionibus distinguunt, etiam ea notabilis est, quod horologia protalitia paucissima, (quæ forte non validioribus elateribus, beneque fabricatis rotulis, sint instructa,) equitationem sufferre possint; facile enim ex ea, non æque vero curruvectione alterantur, & illorum motus vitiatur. Affinis ideo illi & per mare navigatio est, ejusmodi licet etiam sint, cum equitatione tamen, nunquam in comparationem gloriæ referenda, ex rationibus potissimum supra commemoratis, ut alia commoda taceam. Aliquam quoque eo nomine affinitatem habent labores illorum, qui folles ad organa musica inflant, vel ignem fabrorum ferrariorum, suscitant, aut rotas in officinis metallicis ducunt, atque textorum, qui in textrino sedentes, insilia pedibus, alternativo motu calcant, item pannificum, ut & coriariorum, qui corium pedibus versant.

Quibus

Quibus laboribus nimirum pedes majori nisu sursum, & eo simul musculos & viscera abdominis attollunt; quæ vero mechanicæ occupationes, suis potius relinquuntur.

§. XI. Utile quod, spectamus, honestum decorumve atque eximia dignitas præclare commendat atque condecorat. Regiam exercitationem non inconvenienter equitationem dixeris. Si quod enim exercitii genus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Magnatibus, Heroibus, Aulicis, Nobilibus, virtutisque amantibus conveniens quodque illos magis vel deceat, vel condecoret ex ipsius Serenissimi Angl. Regis IACOBI I. *institut. Lib. III. p. 188.* regia auctoritate, equitatio atque elegans ars equestris certe præ omnibus aliis est, qua velut per concinnam corporis compositionem ac agitationem, illud generoso animo congruens, reddere satagunt. Hanc Principibus propriam quasi esse Carneades celebris Academicæ sectæ Philosophus, quondam dixit, quoniam nobiles & ingenuos animos atque fortes excitat & ad varias alias quoque virtutes, magnis Heroibus dignas, exercendas media atque occasiones suppeditat. Idem apud FRANCISCVM PATRICIVM de *Regn. & Regis instit. Lib. III. tit. 2.* legitur, sequentibus verbis expressum: *Omnium exercitationum, quæ ad futurum Regem pertinent, præcipua habenda est equitandi ratio.* Siquidem & ab equitatione, omnesque dignitates & ordines, qui Equestres vocantur, quibus nihil illustrius habetur, originem sumunt. Atque quondam Romanorum Reges in ipsis solennibus, Equites sunt creati, quem ritum præsertim graphice in Vita Guilielmi, Comitis Hollandiæ, describunt Historici. Apud istos (Romanos) ordini equestri adscriptis, Censores equum cum annulo offerebant. Nec non ubique apud nos suspensa modo epitaphiis & sepulchris Heroum ac Nobilium calcaria ad equitationem pertinentia, in hanc contemplationem notabilia satis momenta sunt. Ejusmodi etiam est, Nobilium Clarorumque virorum, Heroum ac Regum defunctorum corpora cum armis & equis præsertim apud Græcos, Latinos, Romanos, Aethiopes, Gerros & Tauros, Scythiæ olim populos, Thraces, Getas, Gothos & Vandalos, Gallos atque Germanos, quondam cremandi vel tumulandi consuetudinem fuisse ut ex ALEX. AB ALEXANDRO *Lib. VI. dier. Genial. Cap. XIV. p. 609. edit. Lugd. Batav. de anno 1673.* HOMERO *Lib. XXIII. Iliad. p. 171.* HERODOTO *Lib. IV.* IVLIO CAESARE *Lib. VI. de bello Gall. Cap. XIX.* C. TACITO *Lib. de morib. German. p. m. 647.* IOH. KIRCHMANNO *in Append. ad Lib. V. de funer. Roman. Cap. VI. p. 706. seq.* GYRALDO *Cap. I. de sepult. & vario sepeliendi ritu* potissimum colligere est. IOH. IAC.

SCHIFLETIVS teſtis ocularis eſt, qui repertas in tumulo Childerici I. Regis Franc. varias reliquias & inter alias equi quem diligebat, ſoleam ferream, oſſa ejus capitis, & maxillas cum dentibus vidit ac perquiſivit *in Comment.* ſub tit. *Anaſt. Childer. Cap. XV. p. 225.* In ſummis Principum Aulis, feſtivis ludis & certaminibus ludicris ſeriisque Equeſtribus velut exercitiis Equeſtris ordinis propriis (quibus ibi nihil ſolennius aut dignius habetur) in decurſionibus atque torneamentis, (per plurima jam ſecula, apud diverſas gentes celebratis, ad leges cenſorias Imperatoris Henrici I. Aucupis ſtrictiſſime ſervandas) Gottingæ & Magdeburgi, adornatis, virtutis ſuſcitandæ, pace belloque ac delectationis cauſa, in haſtiludiis & equiriis, in conventibus publicis, ingreſſibus, exceptionibus, nuptiis aliisque lætitiis publicis, nec non funerum ſolennitatibus aut exequiis, multum gratiæ & decori venuſtæ & expeditæ artificioſæ equitationi accedit, qua nimirum ad pompam atque ſplendorem comparata, equites agilitatis ſuæ ſpecimen edunt ac detinent ſpectantium oculos & merentur applauſum. Hæc certe vel tacitam etiam aliquam commendationem habet, varia ſolertia atque agilitate & dexteritate inſtructos, in ſublimes ſaltus ſcite inſtigantes, curſum incitantes generoſorum equorum, eosque, pernices gyros atque exiguum orbem pulcherrima variatione ducentes atque circumflectentes &c. equites videre, artem admirari, phaleratorum equorum indolem diſcernere, docilitatemque laudare, atque quando equites ipſi mutua inter ſe æmulatione delectantur, atque armati, decurſionem, ad præmia inſtituunt, Teſtantur hoc illi Ludi equeſtres ſingulari magnificentia atque ſplendore exquiſitiſſimo præ aliis hinc inde celebratis admodum memorabiles, ſc. qui An. 1475 a Georgio, divite cognomine, Duce Bavariæ Landshuti, vid. IOH. IAC. MVLLER *im entdeckten Staats-Cabinet P. II. cap. XIV. §. 7.* illi ab Auguſto Elect. Saxon. Dreſdæ vid. ANTON. WECK *Beſchreib. Dresden. p. 58.* & qui præterito quidem hocque præſenti ſeculo An. 1662. & 1666. Viennæ vid. LVDOLPH. *Schaubühne P. III. p. 137. vita Leopold. J. R. 1708. Lipſ. edit. T. II. p. 156. ſeq.* & eodem anno a Ludovico XIV. R. Gall. *ibid. p. 1405.* a Carolo XI. Suecor. *R. 1672.* Holmiæ *ejusd. IV. Tom. p. 1371.* atque illi, aliis facile præferendi qui Dreſdæ 1719. illi qui Monachii an. 1722. tandemque Bononiæ 1724. habiti ſunt. Equiriorum quibus utilia delectantibus miſcebantur, apud Romanos jam celebritas tanta fuit, ut nullum ſpectaculum iis ſplendidius oculisque gratius edi potuerit. hinc & Circi illorum adeo ſumtuoſi erant, inter quos maximus ille, Antonii Caracallæ, admiratione dignus cenſebatur, de quo PLINIVS *Lib.*

XXV.

XXV. Cap. XV. p. m. 642. videndus. Hinc & adhuc Julio Cæſari laudi a ſcriptoribus maxime ducitur, quod puer jam ad equitationem animum & corpus applicaverit, & agilem ſe præſtiterit, ut & Alexandro M. qui induſtrius in equis tractandis fuit, quare & miratus Rex Philippus deſilientem aliquando ex equo, oſculo excepit, dicens ei, aliud jam Regnum quære, Macedonia enim te non capit. Xenophon, cum Cyri R. caſtra ſequi apud animum conſtitueret, equorum venationisque diſciplinam prius ſummo ſtudio adſecutus eſt, reputans, inutilem eſſe militem, qui in illis non magnopere verſatus eſſet. Simile quid habet STUCKIUS *in Carolo M.* cum Presbyterium munus dignitatemque Epiſcopo conferret atque eum lætitia geſtientem absque ſuppedaneo, uno impetu, alacriter in equum inſilientem, conſpiceret, ſtatim revocavit, vales inquiens, ut video, viribus, & eques haud malus es, opera itaque tua, in bellis, ubi virtus tua eniteat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo in ovium gregem dominium relinque. Ei pariter, ut & in univerſum Francis ab EGINHARDO in *Vit. Carol. M. Cap. XXII.* ponitur in gloria ſimulque equitationi ſingulare decus accedit, ſcribente, Carolum M. exercuiſſe aſſidue equitationem ac venationem eamque illi gentilitium quoddam fuiſſe, quia vix ulla in terris natio eſſet inventa, quæ in hac arte, Francis poſſet æquari. Quantumne decus, quanta dignitas & laus quantaque præmia Nobilibus Germanis a ludicris equeſtribus certaminibus (Turniere) tempore Heinrici, Aucupis cognominati, Imperatoris R. inchoatis, a Gallis & Anglis deſumtis ac certis legibus circumſcriptis, ſunt tributa! V. RUEXNERUS *in Præfat. des Turnier Buchs*, GOLDAST. *in Reichs-Satzungen edit. Anno 1609. p. 4. ſeq.* Nec in poſtremis eſt, quod apud Zonaram legitur, de Baſilio ex fece plebis alias nato, ſed ob equitandi peritiam, Michaëli Balbo Græcorum Imperatori præprimis charo, adeo ut ſucceſſorem conſtituerit illum; Ut e contrario equitationis imperito Ramiro Arragoniæ Regnum, non alia ex cauſa eſt ereptum. Hiſtorici magnis extollunt laudibus Comitem Tyrol. Albertum, Teutonicam bellicoſiſſimam alias nationem, in obſidione urbis Mediolanenſis, anno 1158. dedecore vindicaſſe, a Longobardis illi adfecto, quod Teutones nempe, equitare neſcirent: vid. ZEILER. *Epiſt. 314. p. m. 356.* Apud Longobardos enim imprimis magna fuit equitationis dignitas atque maxima illius, qui rei equeſtris curam apud eos gerebat In VANNEFRIDII *Tr. de geſt. Longobard. Lib. II. cap. IX. p. 780.* legitur, Alboinum Regem, Giſulphum, ſuum nepotem, virum per omnia idoneum, quem lingua propria Marpachis appellant, Forojulianæ civitati &

& toti Regioni Ducem præfecisse; ac de Cuniberto Rege dicit idem *l. c. Lib. VI. cap. VI. p. 898.* cum stratore suo, intima communicasse consilia. Helvius Pertinax Imp. Rom. neminem, aulicis, nisi aut arte equitandi conspicuum aut literis deditum, adscripsit, hinc etiam sine dubio (ut obiter hoc commemorem) procedit, quod hodie adhuc in summorum Regum ac Principum Aulis, Comitis stabuli officium sit nobilissimum, uti apud Romanos, Longobardos, Germanos & in specie Gothos aliasque germanæ originis gentes, fuit semper. Sic inter præcipuos Caroli M. Ministros, Comitem stabuli ponit Hinckmarus. Apud Persas & Parthos equo vehi, nobilitatem, a vulgo distinguebat, ut recenset ALEXAND. AB ALEXANDRO *Gen. dier Lib. V. fol. 29.* & in ludis Circensibus Romanorum pompæ ordinem sequentes, illi tantum equis vehebantur, quorum patres in equitum censu erant, ut habet JVL. CAES. BVLENGERVS *de Circo rom. p. 102.* De eodem propemodum intelligendus est ille locus in sacris *Ecclesiast. X. cap. v. 4. Vidi servos super equis insidentes tanquam Principes, Principes autem euntes tanquam servos, supra terram.* Nec abludunt alia ibi reperienda loca dignitatem, majestatem, potentiam atque gloriam significantia ut *Apocal. Cap. XIX. v. 11. & 14.* ubi S. Johannes in Cœlo equum album & verbum Dei ei insidens, atque totum cœlestem exercitum, albis equis equitando insequentem vidit. Cœlestem exercitum per equos & currus denotatum *II. Reg. Cap. VI. Sirac. XLVIII. v. 9.* & sanctitatem æterni summique Dei, equorum cymbalis inscriptam *Zachariæ Prophet. Cap. XIV. v. 20.* legas licet. In profana historia & in augurali quidem disciplina per equos imperium significatum sæpe fuisse comperimus, ut legere est apud SVETONIVM in *Cap. I.* CAESARE *Cap. LXI.* Romani olim summo honori ducebant, quando alicui Heroi equestrem statuam ponebant, rati, Heroum gloriam per animal adeo nobile & generosum simul ostendentem, hanc maximum fastigium adipisci, quales ut prisco ita & novo ævo adhuc statui consueverunt. Atque iidem pompas ad ludos Circenses equestres spectantes, non solum hominibus, spectatoribus sed & ipsis diis gratissimas esse, in quibus quotquot deorum templa & simulacra in foro essent circumequitent, hos ludos sectantes, arbitrabantur. Quantæ in omni ævo de reliquo equitationis æstimationis fuisse inter omnes PLATO præsertim *in Hippia* & *in Lachete* declarat. Hodie adhuc Regibus Persarum, Legatos equitando admittere atque audire solenne est, quod & suo tempore factum esse P. DE LA VALLE *in Itiner. P. II.* meminit, quem morem apud eos usitatum confirmat Legatus, a Rege Persarum ad

Regem

Regem Galliarum Ludovicum XIV. ante paucos ſaltem annos miſſus, de quo legimus, cum Rex Galliæ ut adeundi eum poteſtatem ipſi faceret, currum regium obtuliſſet, Legatum vero negaſſe, accipere eum atque dixiſſe, ſe nolle in latibulum ſe recipere (ſic currum nominabat) equumque conſcendiſſe equitemque, Regem acceſſiſſe. Atque adeo iſti Mahomedis aſſeclæ in paradiſo magnam gaudii felicitatisque partem in equitando ponunt. Hic ſubit recordatio, me ab amico quodam, D. Fr. qui ante aliquot annos Legatum Regis Angliæ, Algeriam comitatus eſt, relatum habuiſſe, quod Præfectus ibi Turcicus, Legatum in ſtabulum duxiſſet equosque ſuos monſtraſſet, ac optionem dediſſet, ut ſibi aliquem eorum eligeret, unicum ſaltem reſervando, ſuper quem eorum aliquando in Paradiſo equitaturus eſſet. NEITSCHVTZ in *Itiner. Lib. VII. cap. CCXV.* memorat de ingreſſu in urbem Hieroſolymitanam, quod ibi adeo magni equitatio æſtimaretur, ut nemo ex peregrinis & advenis Chriſtianis in urbem equo vehi debeat. Notanter Plato illam liberum hominem cæteris decere, dixit in Lachete & in Hippia memorat. Quam utile, quam neceſſarium hoc exercitium a noſtra Germanica gente ſemper habitum ſit, ſatis ſuperque conſtat, adeo ut proverbiis quibusdam locum fecerit, quando alterum de ſciente: *Er iſt in alle Sättel gerecht*, alterum de ignorante, effertur. *Er kan weder reden noch reiten.* Rurſus aliud non minus notum eſt quo dicitur; *Wer will fortkommen unter den Leuten, mus vier R. haben oder können Reden, Rechnen, Rathen, Reiten.* Guilielmi Comitis Naſſovienſis ſymbolum fuit: *Rathen und Reuten thuts.* Adhæc, eſt certe inter mirandas Potentiſſimi & Sapientiſſimi Dei rerum Opificis creaturas, non poſtrema equus. Ut enim nobiliſſimum, formoſum maxime & docile pariter ſimulque & corporis viribus ac ad multos hominum uſus longe utiliſſimum, & tam in pace quam in bello admodum neceſſarium, quo adeo admiranda & illuſtria opera efficiuntur, ita & formidabile animal eſt, adeo ut audaces ſatis cenſendi ſint illi, qui equos indomitos primum conſcendere, auſi ſunt. Hinc & ſine dubio veteres paganorum, equitandi artem atque inventionem non hominibus, ſed diis adſcripſerunt; Siquidem ea, Neptuno Hippio, ideo etiam dicto, ex Homeri Sophoclis, & Pauſaniæ ſententia, acceptum eſt relata. Alii rurſus, magnis Regibus, Heroibus & fortiſſimis hominibus, hanc inventionis inſtitutionisque gloriam attribuerunt ut Bellerophonti Regis, Glauci filio, ut Plinius, Seſoſtri Ægyptiorum Regi, Dicæarchus & Ælianus, Amazonibus, ſecundum Lyſiæ mentem, ea aſſignata eſt, Poſt Bellerophontem

tem ſpeciatim Theſſalos iisque finitimos Lapithios, in bello, equitatione uti cœpiſſe eamque ob cauſam Centauros vocatos fuiſſe, MERCVRIALIS habet *Lib. III. cap. IX.* Hoc admirabile animal ejusque vires IOBVS jam notabiliter & diſſerte deſcripſit dicens *Cap. XXXIX. v. 20. 28. Num das equo robur? num veſtis collum ejus fremitu? Num facis ut exultet ſicut locuſta? Gloria narium ejus terror fodi in valle ungula terram tum gaudet robore; exit adverſus arma. Ridet timorem, & non conſternatur: & non revertitur a facie gladii. Super illum ſonat pharetra, fulgur haſtæ & lanceæ. In concuſſione & commotione exhaurit terram (ungula) ubi audierit buccinam, dicit hui & e longinquo odoratur prælium, fremitum principum & clamorem.* Alibi quoque equorum virtutes deſcribuntur, ut apud ISIDORVM ſic loquentem: *Vivacitas equorum multa: exultant enim in campis, odorantur bellum, excitantur ſonitu tubæ ad prælium, voce accenſi ad currum provocantur, dolent cum victi fuerint exultant cum vicerint: quidam hoſtes in bello ſentiunt:* alii etiam proprios dominos recognoſcunt obliti manſuetudinis, ſi irritentur. Ariſtoteles in Ethicis inter alias virtutes in equo eam præcipue laudat, qua ſit ad currendum portandumque hominem idoneus & ad invadendum expectandumque hoſtem minime formidoloſus. Xenophon de re equeſtri, equum nobilem & ingenuum & Galenus de partibus prævalidum animal & generoſum heroicumque appellat. Etenim pugnat acriter, mordendo, calcitrando, ſaliendo ac toto corpore; jubam erigit, ſpumam ore emittit, inflat nares, fremit & hinnit, nec ſonantibus tubis ac tymbanis nec fulgentibus gladiis terretur. Ob hanc fortitudinem generoſitatem & animoſitatem ſuam equus belli ſignum erat ut ex VIRGILII teſtimonio conſtat, quod habet *Aeneid. Lib. III.* *dicentis:*

Bella armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Marti belli Numini olim ſacer erat, ac ei Romæ & in Oriente hinc inde gratæ victimæ loco Decembr. aut Octobr. Idibus immolatus. In hanc rem memorabile eſt, quod famigeratiſſimus ille Hetruſcorum Rex, Porſenna, audaci Clæliæ, Virgini Romanæ, in ſignum & præmium valoris, quem præclare exhibuit, equum admodum ſpecioſum, dono dederit eique in honorem, Romæ, ſtatua equeſtris erecta fuerit, & quod in condenda urbe Carthag. ex reperto equi capite in primis fundamentis ponendis, auſpicium lætum, bellicoſum potentemque populum futurum ſignificans, habitum fuerit, ut IVSTINVS *Hiſt. Lib. XVIII. cap. V.* habet. Hincque etiam ſignum & prærogativam Ordo Romanorum Equeſtris

atque

atque Generosa Nobilitas ab equis, quibus in bello maxime utebantur quibusve donabantur, accepit & exinde atque ab equitando appellati sunt equites. Siquidem etiam Nobiles Generosi & excitati animi equos & equitationem præ reliquis tanquam convenientissimam ipsis atque dignissimam occupationem juxta & oblectationem amant, uti in Nobili maxime juventute statim videmus. Apud SILIVM ITAL. *Lib. IV. bell. punic.* quod obedientes sint dominorum vocibus equi laudantur:

Tunc stimulans grato plausæ cervicis honore
Cornipedem alloquitur, fulgur Martemque minorem.

Item apud OVIDIVM *fragm.* quod fortitudinem & victoriam affectent, legitur:

Hic generosus honor & gloria major equorum
Nam capiunt animis palmam gaudentque triumpho:
Seu septem spatiis circo meruere coronam
Nonne vides victor, quanto sublimius altum
Attollat caput & vulgi se vendicet aura,

Apud LVCRETIVM hæc habentur,

Quippe videbis equos fortes, cum membra jacebunt
In somnis sudare tamen spirareque sæpe,
Et quasi de palmis summas contendere vires.

Equi in Numidia adeo dociles erant, ut neque frenis neque ephippiis opus esset, sed solis verbis aliisque significationibus facile regebantur, ut DAN. C. a LOHENSTEIN in *Armin. Lib. IX. P. II. p. 1370.* indicat. Equorum docilitatem ulterius comprobant exemplis SCALIGER *Exercit. 209. Sect. 1.* LIPSIVS *Cent. III. ad Belg. Epist. 56.* SALMVTH. AD PANCIROL. *C. P. 1. Tit. 48.* CAMERAR. *Cent. I. Subcisiv. Horar. Cap. XX. p. 107. Cap. XXIII. p. 122. Cent. II. Cap. LXXX. p. 315. Cap. LXXXXII. p. 352.* ZEILER *Epist. P. I. Ep. 40.* DIGBAEVS *de immort. animæ rat. Tract. 1. Cap. XXXVII. No. 2.* SCHOOCK *de anima belluar. p. 136. & 198.* FRANCISCI *Geschicht-Spiegel p. 1381. seq.* De subtilis phantasiæ equorum effectibus quos sæpe numero produnt, ut præter jam adducta de Mithridatis Ponti R. equo apud IVSTINVM *XXXVII. Lib. II. cap.* de Julii Cæsaris SVETONIVM *Cap. Lib. XXXI.* de aliis PLINIVM *Lib. VIII. Histor. Nat. Cap. XLII.* legi potest. Insuper & de natura ac indole equorum Solinus & Plinius præ aliis prolixe scripserunt, quibus Claudius Poëta jungendus, qui egregio carmine Honorii Cæsaris equum laudavit. In hanc rem notabile est,

 equum,

equum, inter bruta solum juxta dentium mutationem quam quoque obtinet, in cerebro reti mirabili (cujus usus forte est, impetuosiorem sanguinis influxum ad cerebrum in illis diverticulis infrigere ac mitigare) carere, ut plena vis sanguinis mox ad interiora cerebri penetret, ex quo, quia nempe in iis quædam pars sanguinis ob id, (rete mirabile) prælabitur priusquam sanguis ad ventriculos cerebri & plexum choroideum pervenerit, animalia ista minus generosa existere asserit TH. CRANNEN. *de homine p. 390.* Haud scio an aliud quoddam animal irrationale equo sit comparandum: Hinc veteres equos notabiles non solum maximo modo ornaverunt ut VIRGILIVS de Rege Latino refert *Lib. VII. Æneid.*

- - - - Jubet, ordine ducit
Instratos ostio Alipedes; pictisque tapetis
Aurea pectoribus demissa monilia perdent,
Tuti auro fuluum mandunt sub tectibus aurum.

Sed & memoriam eorum conservarunt, quod de Alexandri M. equo, Bucephalo, & Hadriani imperatoris, Borystheno, notum est, cui hoc monumentum in tabula marmorea in Provincia Gallorum prope Aquas Sextias inveniendum positum est:

Borysthenes Alanus,
Cæsareus Veredus,
Per æquor & paludes,
Et tumulos Etruscos,
Volare qui solebat,
Pannonicos in agros,
Nec ullus insequentem.

§. XII. Mihi autem ulterius dispicere destinatum est, qualia & quanta commoda equitatio afferre possit. Ut vero ad investigandum hoc viam mihi muniam, necessum est, ut innuam, hujus exercitationis rationem differentiarum ut & virium corporis, aëris, temporis, quantitatis, loci & modi esse habendam, ne quid nimis fiat & intempestive neque frustra, sed cum recta subsequente efficacia, cum equorum magnum sit discrimen variaque indoles & magnum ideo quoque equitationum. Ejusdem scil. modorum diversorum, variarum, constitutionum & conatuum actionumque conditiones sunt spectandæ. Hæ in leniores & graviores distinguendæ sunt, ac illæ his salubritate ut plurimum anteponuntur. Ex lenioribus equitatio gradaria est, quæ æquali nisu, omnes corporis partes

partes afficit ac quietum magis equitem tenet & movet, ac nullum virium decrementum ac corporis lassitudinem post se relinquit, adeoque universo corpori magis est proficua, & perspirationem inprimis æqualiter promovet; Hanc sequitur tolutilis, (Antrit. Pass.) quæ equo Thieldone aut Asturcone leniter, celeriter, æqualiter & molliter non vulgari gradu incedente, seu ad numerum velut colligente ungulas ut Martialis effert vel ut PLINIUS *Lib. VIII. cap. XLII.* loquitur, molli alterno crurum explicatu glomerationem edente instituitur, quæ optima est, quoniam succussionibus repetitis frequenter, & celeriter, blande tamen & æqualiter equo attollitur eques, motusque subsultorius blandus & tremulus in eo augetur. Ad hanc propemodum accedit ea, quæ fit equo saltibus quasi currente (gallopiren;) licet equidem velociter ea fiat, moderata atque placida tamen etiam esse potest, si nimirum equus est levis. Hanc vero vehementia atque pernicitate ast ob perniciositatem quam sæpe affert, verenda, superat ea. Hæc equitationis genera hoc commodum habet conjunctum, quod ex hac in aëre commotione, ventus lenis, quidam, quem equitantes, hunc in modum, tempestate etiam tranquilla, adversum sentiunt, aërem ventilans, ambientem illumque ad salubritatis modum redigens, tanquam assidue renovatus, calore corporis equitantis tepescens simul, efficiatur. Hæc aëris hoc medio commotio, forsan efficit ut ex BAC. DE VERULAMII *vid. Histor. Ventor. p. 458. & p. 46.* colligere est, quod quandoque equitantes leves turbines, pulveres paleasque excitantes, neque tamen magnopere ventum sentiant, dicitque quod hi hic fiant prope ex auris his contrariis se mutuo repellentibus & circulationem aëris ex hac concussione facientibusquæ concitatissimo cursu ac equis velut volantibus fit, & quæ ad equestris venationis genera pertinet, quibus cum vertagis cervos aut accipitribus, ardeas aut lepores insequuntur, venatores. Omnium violentissima & impetuosissima est ea, quæ, cum contentione ac violentius equo succussorio duriter & vehementer sese agitante & inæqualiter, instituitur, hæc quadrupedans alias dicitur ac molestissima, cum desultoria est. Rursus alia recto gradu & cursu sive recto itinere fit, alia, quando equus in hanc vel illam partem vertitur aut in gyrum agitur gyrique sic diversimode hinc inde variantur quam flexuosam & circularem vocant, quæ etiam cum ea, quæ cum variis & violentis equi saltibus est conjuncta, minus est conveniens, quoniam repentino vehementerque fit ac caput afficit, vertiginem excitat, pectus, adeoque anhelosos hæmoptysi obnoxios, qui pulmones infarctos habent, offendit, ac facile rupturam vasorum potest

 afferre.

afferre. Nec minorem his attentionem meretur acclivis declivisque, nimirum quæ fit per aſcenſum deſcenſumque, per quam motus attollens adjuvatur augeturque, ac cum quadam varietate eques movetur, quare & talem corporis motionem CELSVS *de Medic. Cap. II.* præ aliis laudat, ideoque ea præferenda qua per montoſa collinaque loca itur, illis, quæ plana in regione inſtituitur. Tametſi non negandum eſt, ſeorſim conſiderando, ut quemadmodum ea quæ per aſpera, arenoſa, acclivia loca fit, magis corpus attollitur, ita illam qua per declivia deſcenditur, magis conquaſſare, addo illam inæqualem equitationem aſcendendo nimirum deſcendendoque varietate quadam, (quæ alioquin delectat) univerſum corpus optime quoque moveri minusque fatigari cum ut ARISTOTELES dixit. *v. Probl. 1.* requiem mutatio præſtet, adeoque illam magis eſſe ſalubrem. Aliquam adhuc meretur commemorationem atque laudationem ea, quæ per arva laxata ac emollita exercetur, quoniam motus ille attollens adeo laudabilis auctior redditur, dum equus altius pedes attollere per ſciſſas vomere glebas cumulatasque cogitur. Si & aratores terram ſic ſcindentes equo tunc inſequi velis aliud quoque beneficium haud contemnendum afferre tibi poterit, effluvia nempe illa ex terra tunc ſpirantia ſaluberrima, ore naribusque hauriendo: Hic enim ſpiritus terræ catholicus, ſalinus, acidulus ac analepticus eſt, qui recreat ſpiritus animales, motus præternaturales in corpore humano exortos componit ac longævitatem conciliat, Conf. BACO DE VERVLAM. *H. V. & M. p. 530.* FERRAND. IMPERAT. *Hiſtor. N. Lib. VIII. cap. XVIII. p. 289.* BAGLIV. *Op. med. pract. p. 387.* Sellarum denique conſtructio & habitudo haud leve etiam momentum confert ad equitationis tollerantiam, quo nomine Viennenſes ſellæ omnium commoditiſſimæ atque aptiſſimæ habentur. Equitantes omnes cæterum ſibi caveant ſedulo a ceſpitatoriis Virgilio ſuffoſſis ac ſternacibus & incertis pedibus ingredientibus, a calcitronibus mordacibus, refractariis, ſtatariis, pavidis, ferocibus atque indomitis equis, evitentque ſalebroſa loca. Porro perpendere oportet quantitatem, tempus, occaſionem &c. ſed de his inferius explicatius agendum erit. Hoc loco paucis ſaltem adhuc indicandum eſt: Mediocrem, lenem, gradariam, æqualem, tolutoriam, celerem leniter attenuare per inſenſibilem tranſpirationem expellere, ſalutaria naturæ molimina quæcunque per narium hæmorrhagiam per hæmorrhoidum menſiumque fluxum &c. expedita reddere, ſecretiones juvare, excretiones facilitare, calorem modice ſuſcitare &c. Validam vero equo vehementius ſe agitante, ſuccuſſorio, &c. inſtitutam

muſculos

musculos & nervos robustos efficere, sudores expellere, dissolvere, obstructionum claustra, fortius perrumpere, exsiccare &c. Sicuti in genere de omnibus insuper exercitationibus dicendum est, mediocrem & levem & quandoque in usum ductam ad valetudinem servandam, longævamque vitam contrahendam ut plurimum sufficere: paulo validiores vero & iteratas sæpius ac assiduas ad morbos graviores & pertinaciores curandos requiri, ita & de equitatione propemodum censendum esse, constat. Quæ cuivis morbo primario conveniat, per series in sequentibus observandas, deinde ubi necesse erit, indicabitur. Quantum & intersit num mulo aut camelo (quam vectionem Avicenna præsertim comprobat) ut & alce, quæ & ad equitandi usum, in Borussia, Ungaria & Illiria cicuratur, nec non elephante, qui mollissimo incessu corpus leniter agitat, ac si navigio veheretur, unde quondam Regibus tantum erat concessus, quis vehatur, quoniam apud nos non usitata est, jam supersedeamus explanare. Insuper præsupponendum est, ut equitantes debite, ut equites decet, corpus teneant optime compositum, ut ante prospiciant, utrisque femoribus, equi costis concinne inhæreant, crura extendant, plantas pedum stapedibus paulo fortius figant, collum ac dorsi spinam rectam sustineant &c. (nam prono corpore equitantes molestias certius sentient, ut videmus labores prono corpore peragentes, caput cum omnibus sensoriis gravatum & infirmum sentire) neque instabiles se gerant sed infixi firmiter sedeant, alias citius lassatum fatigatumque corpus, aliasque molestias experientur.

§. XIII. Sed ne nos de commodis equitationis acturos, equi fessores (ut ajunt) rapiant, rem quam habemus institutam prosequamur strictim. Me non monente jam quivis ejusmodi amans intelliget & expertus affirmabit, motu suo modoque domandi, agendi tractandique equum, equitationem, animum ingeniumque excitare, oblectare, & voluptate, hilaritate & alacritate quadam longe majori aliis exercitationibus afficere, erigere atque firmare, tristes vero cogitationes & sollicitudines fugare, simul tamen etiam arduis rebus atque negotiis meditandis ansam atque occasionem commodam suppeditare. Hispani proverbio dicunt, quod equus equiti sit gratus comes, quoniam equites inter equitandum ex equorum forma, pulchritudine, obsequio, docilitate, actionibus, exercitiis, quæ secundum equitandi artem cum iis instituunt; jucunditatem quandam & beneplacitum accipiunt. Equitationem vero præ aliis animi hilaritatem & fortitudinem addere, & instrumenta omnium sensuum purgare & acutiora reddere, Antyllus jam

olim apud ORIBASIVM *Lib. IV. cap. XXIV.* notanter dixit, a quo non alienus AETIVS quoque videtur *Tetrabl. I. serm. III. Cap. VII.* & GALENVS *II. de T. S. Cap. XI.* Agilitatem pariter corporis ac robur atque vigorem, ut ad omnes suos motus illud sit expeditum ac bene convenientem & concinnam membrorum corporis compositionem, formam & accretionem corporis, vultum colore vividiorem &c. præstat, quod in pueris ac adolescentibus videmus, qui si mature, ad equitationem & saltationem se applicant, meliorem corporis posituram sibi acquirunt. Hæc modo prolata in summam eleganter contraxit HENR. RANTZOVIVS, Eques Holsf. *de conserv. valetud. Cap. VIII.* ubi de equestri venatione sequentia verba facit: *Venatio non solum universas corporis vires & partes ex æquo exercet, sed etiam animum mira voluptate afficit. Facit nos ante lucem somno excusso levari, frigoraque & calores tolerare: totum corpus venatoris movetur, eoque pacto insitus calor augetur, lacerti, brachia manusque agitantur; canum strepitu, clamore & latratu, aurium sensus acuitur, vociferatione thorax & vocalia instrumenta exercentur; dum feras fugientes summo studio venator insequitur cursu, ad quoduis opus efficiendum agilior redditur. In velocitatem celeritatemque ferarum, atque in canum incursum insultumque acies oculorum intenditur; quare visus melior perfectiorque efficitur. Sæpe numero in venando animus, ubi ferox aliqua bestia sese objecerit, ardore quodam incalescit, deinde cupiditate & honoris studio captus, cæde ferarum mire afficitur; dumque omnibus corporis advocatis viribus, omniumque nervorum contentione certamen aggreditur, conficitque tandem, laboris victor reapse lætatur. Membra quoque & instrumenta reliqua venatoris, ex mutuo ipsorum attritu redduntur duriora & robustiora; spiritus vehementius movetur, musculi & nervi validiores efficiuntur. Taceo quæ consilia in feris indagandis, quam diligentiam in capiendis, laborem in feriendis & percutiendis studium venatorium requirat; ex ipso etiam canatu ad multa meliores & sapientiores evadimus.* Habetur apud Romanos, equo publico qui in Capitolium vehebatur, eum in jus vocare neminem potuisse; sic jure dicendum est nobis; equitatione legitime qui utitur, eum sanum, vegetum & salvum, ac a morborum insultibus tutum atque immunem diu manere. SYDENHAMVS equitationem confortans maximum vocat, *in Opusculis suis p. 521.* a quo non alienus est Pecheus, ut inferius mox patebit. MICH. ALOYSIVS SINAPIVS in *Paradoxis medicis p. 114. seq.* non dubitat, Polonorum vigorem ac robur præter alias rationes, etiam frequentiori equitationi, quam exercent, adscribere. Dehinc & jactis his fundamentis, jam paulo fusius spectemus, quibus in morbis loco remedii, & optimi etiam remedii sit. In

genere

genere prius dicendum est, illam fere omnibus gravissimis spirituum nervorumque affectibus, spasmodicis & convulsivis, (de quibus consilium vide in celeberr. FRID. HOFFMANNI *Med. Consult. P. IV. p. 120*) qui a spirituum perverso & irregulari motu, per habitumque acquisito, infensisque partium quæ exquisite sentiunt, motusque vitales gubernant, stricturis, suos natales & origines ducunt, & chronicis tardis atque inveteratis iis, qui ab insigni quadam partium solidarum, vasorumque moventium debilitate & hereditariis, incurabilibus alias rebellibus & pertinacibus morbis, iisque qui a copia, languore, crassitie ac infarctu humorum ac meatuum obstipatione in visceribus maxime obstructione, atque diu suppressis excretionibus proveniunt, item cachexiæ salinæ & serosæ, ac illi corporis statui ubi effœta languida & pene emortua massa humorum & spirituum primario peccat, & ubi sanguinis vigor deficit, optime mederi. Ingenue fatetur I. PECHEVS in *Promptuario med. pract. Cap. XXV. p. 154.* esse nihil ex omnibus, quæ ipsi hactenus innotuissent, quod adeo impense sanguinem spiritusve foveat firmetque, ac diu multumque fere singulis diebus equo vehi. Hinc in corporis languore spirituumque defectu GALENUS equitationem commendat in *Lib. de uteri cura.* Fatetur idem BAGLIVIUS *in Dissert. de Tarant.* incurabiles morbos chronicos, se equitatione sola prorsus eliminasse irritis omnibus aliis herculeis medicamentis &c. Speciatim innuere convenit quod Celeberr. BOERHAVIUS in *Instit. Med. p. 237. & seq. §. 912. & seq.* equitationem liquorum tam nimiam fluiditatem quam spissitudinem corrigere, ut & morbos fibrarum debilium atque laxarum sanare asserat. Atque ut curat morbos, ita quoque iis præservat cum secundum HIPPOCRATEM in *Lib. epid.* quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent. Hæc generatim dicta adeo vera sunt, ut constet, equites nullis aut certe paucissimis morbis recensitis & fusius modo recensendis, ne quidem quoque obnoxios esse. Et si etiam adeo pertinaces & inveterati sint morbi, ut eos equitatio penitus non auferre possit, ita tamen eos mitigat ea, ut facile tolerentur, nec magnopere functiones animi impediant.

§. XIV. Ast dicat quis forte otiosum & absonum esse, equitationem in quamplurimis morbis commendare atque paucam gratiam in medicum, hoc remedii genus suadentem redire, facile & patior mihi persuadere, plurimis hodie plerumque inconveniens remedium videri, atque delicatulis rude audire, ignaræque plebi aut nasutulis hoc ridiculum esse, si quis medicorum v. gr. colica habituali aut podagra, aut febri

quar-

quartana &c. laboranti proponeret, ut lectum relinqueret, equum conscenderet, atque per aliquot milliaria equitaret, quod tamen a prudentibus nec modicæ auctoritatis viris factum est. Verum enim vero, cogitet mecum, cui hoc durum videretur, duro nodo, durum sæpius quærendum cuneum esse, neque id adeo, ac quidem primo intuitu appareat, factu difficile esse. Indulgeant etiam delicatuli genio suo, volutent se desides mollibus in plumis, contemnant atque abhorreant hoc, equitationis rudes aut meticulosi nimis; certum tamen propemodum habeo, quod si Nobili cuidam aut viro militari aliisque cordatis viris optio daretur, loco apozematum sive decoctorum herbarum, magnis haustibus ex Græcorum Arabumque speciosis commendationibus hauriendorum, aut thermarum aquarumque aliarum salubrium in diffitis ac inviis locis quærendarum, aut nauseosorum pulverum, bolorum &c. ipso saltem auditu aut visu, miseris nauseam, aversationem planctusque incutientium, quotidie aliquoties deglutiendorum, equitationem potius instituendam sibi hi eligerent. Asserti hujus veritatem, possibilitatem & facilitatem commonstrat fidemque facit ipsa experientia in Anglia præsertim longo usu confirmata, loquuntur, confirmant ac suadent magni nominis Virorum testimonia atque auctoritates, in sequentibus suo loco commemorandæ. Interim & in antecessum attendant ac audiant cordatum TH. SYDENHAM. ac experientissimum G. BAGLIVIVM. ille nempe in *Differt. epistol. edit. Lips. p. 522.* cuidam in sacris Antistiti, affectu hypochondriaco gravissimo laboranti, omnibusque adeo multis variique generis medicamentis, per multos annos continuatis, incassum adhibitis, illisque partim morbo diuturno fracto, diarrhœa colliquativa (quæ in tabe aliisque morbis chronicis, ubi omnes omnino digestiones sunt prostratæ, mortem anteire solet) accedente, suasit, pharmacis nullum amplius locum relinquendum esse reputans, ut statim se equo vehendum curandumque traderet, modico primum itinere, quale ferre posset valetudo ita infirma, (ut nisi judicio valuisset, rerum interiora altius penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci) rogavit autem, ut quotidie in eo persisteret, donec ex animi sententia convalesceret; nec fefellit consilium, sed fidem felix implevit eventus: nam non convaluit modo, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum exinde acquisivit sibi. Hic, BAGLIVIVS nempe *Praxi med. Lib. I. p. m. 138.* equitationem variis in morbis proponens ita loquitur. *Neque obstat quod æger sit nimium debilis & viribus adeo prostratis, ut ne quidem in lecto moveri valeat, siquidem in tali casu exercitium* in-

inchoandum primo erit rheda ad pauca ſtadia; exinde vero ſenſim ad plura milliaria equitatione abſolvendum.

§. XV. Jam ad rei cœptæ ſeriem veniamus, & illos ſpecialius adducamus morbos, in quibus ſingulare equitatio ſe commendat remedium. Unde autem potius quam a phthiſi & tabe graviſſimo ac periculoſiſſimo morbo, muſculoſarum totius corporis fibrarum, tonum ac robur omnium maxime evertente, ordiar? Quia certum eſt, melius equitatione remedium vix haberi. Præſertim ad ejusmodi apte quadrat, quæ fit ex hypochondriorum, ſive primarum viarum ventriculi, inteſtinorum & viſcerum abdominis, vitio, ob humores viſcidos & acres, ſcorbuticos, vel eroſine vel induratione & obſtructione nimirum & circulo ſanguinis tardiori quæ juxta M. Sanguineam ſubjectum cauſæ materialis conſtituunt, tamque ad eam quæ ab aliis morbis principalibus, ictero, ſcorbuto, lue venerea, chloroſi, ſputo ſanguinis, ulceribus internis in aliis viſceribus latitantibus verum putridæ quandoque materiæ per pulmones exitum molientibus, de quibus notabilia exempla DIEMERBROCCIVS *Obſerv. LXVII.* & TVLPIVS *Lib. II. Obſerv.* conſignaverunt, ut & externis, febribus, aſthmate, variolis, hydrope, dyſenteria, animi pathematibus, melancholia, utpote cum ſit ut plurimum ſecundaria, ac exercitii neglectum ſæpiſſime cauſam remotam agnoſcat (ut & ferme omnes morbi chronici) dependet, quamque adeam quæ fit ex glandularum obſtructione & intumeſcentia ipſarum, infarctu pulmonum, quam Rhaſes aſthmaticam vocat, ſique pulmones tuberculis ſcatent, ſi ſtagnatio ibi eſt ſeri corrupti. Nimirum ille ſuccuſſationis motus continuum quaſi deſcenſum harum partium abdomen verſus concitat, unde palam eſt, varias obſtructiones & infarctus hinc expediri. Nec non certam promittit medelam in ea, quæ ex nervorum vitio aliarumque partium ſolidarum earumque motu depravato juncta cum appetitu ſumme proſtrato, virium languore & atrophia, quæ Anglis nervoſa dicitur, ſanguinisque circulum ibi debitum omnino impediente, promanat. Imo in ipſa exulceratione pulmonum atque adeo conſumtione, locum invenit a liquorum nimirum ſeroſorum maxime motu prius per minutiſſima vaſcula plus vel minus impedito iisdemque ibidem cumulatis & dein forte exagitatis, latera vaſorum diducentibus, extenuantibus eorumque poros ampliatos juſto copioſius ſubeuntibus, ex quo aliter hinc fieri nequit, quam ut intimior particularum contextus diſſolvatur tubulique extenuati atque extenſi elangueſcant humoribus autem ſtagnantibus paulatim corruptis ac putreſcentibus, labes contracta intimius ſe in-

ſinuat usque dum humores currupti tubulos vitalitate omni exutos ad putredinem pronos, diſcerpant atque in liquamen tandem haud abſimilem vertunt. Atque non modo leviori malo & gradu affectis, ſed & conſummatis jam, & pro deploratis habitis, non crebriori tantum tuſſi, non hæmoptyſi & macie excruciatis, ſed nocturnis jam ſudoribus & diarrhœa colliquativa fere confectis, (quæ præſentem modo mortem ante fores jam prænunciare ſolent, & eſſe ultimam lineam rerum, ut laudatiſſimus Autor Th. Sydenhamius loquitur, ſimulque hoc ipſum aſſerit) ex quotidiana, matutina tolutili equi gradu validiori quoque & incitatiſſime equo currente & diuturniori (cum etiam illa omnia lentius ſeu ſecurius procedant & opitulentur) ad lenem usque ſudorem in aëre vel in aërem ſalubriorem proficiſcendo, ſpes optima redit. Ideo etiam ejusmodi debiles admodum, viribusque adeo proſtratis, ut ne quidem ſe movere valeant, ex lecto trahuntur inviti & primum in rhedam deinde ſuper equum ducuntur ut modo ex laudato Sydenhamio audivimus. Phthiſis enim eorum eſt morborum, qui irritam ſæpiſſime faciunt & ſpem ægri & gloriam medici atque quorum partem affectam pharmaca efficaciſſima alias, licet etiam eorum uſus ſit continuus, infracta nimis & debilitata attingunt; Quomodo enim pus efficaciter abſtergent, aut ſaltem materiam tenacem impactam reſolvent, cum tuberculis & ulceribus illis applicari nequeant. Et quomodo ſanatio ac conſolidatio fieri poterint, niſi pus prius fuerit bene mundificatum, cum ut GALENVS *Lib. IV. de l. aff.* loquitur, externas quidem putridas partes abſcindere & urere poſſimus; pulmonibus vero horum auxiliorum neutrum adhibere liceat. Ad hoc, medicamenta, quæ in phthiſi adhiberi ſolent, licet adeo numeroſa ſint, pauciſſima tamen non ſuſpecta, ob tenerrima & delicatiſſima pulmonum ſtamina (omnia enim ejusmodi cum morſificatione quadam licet etiam leviori agunt, quæ huic tamen pulmonum conditioni eſt infeſta) inveniuntur, quod facile per omnes ſeries dare poſſemus probatum, ſi diutius his immorari vellemus & v. gr. de calidis balſamicis inflammationem inducentibus, adſtringentibus, excretionem ſupprimentibus, exulcerationem augentibus, opiatis narcoticis repentinas virium dejectiones adferentibus, ab humorum cumulatione expletionibus ut & oppreſſionibus ſuffocationibusque accerſitis, cenſuram addere. Certe, ſive etiam mihi nomines expectorantia dicta vel pectoralia adeo laudata ſub decoctorum forma, largiſſimis hauſtibus propinata, vel balſamica illa, ſive temperata, ſive acriora magis, ſive vulneraria ſtringentia, ſive etiam opium aut calces antimonii aut bolum fabrilem & hæma-

hæmatiten cum conſerva roſarum, vel emulſiones amygdalarum dulc. (egregia præ aliis virtute prædita medicamenta) vel ſpiritum ſanguinis humani a Boyleo, Anglo, adeo commendatum &c. ſi & curam lactis aſinini (quod alias detergit, febrim hecticam contemperat, parte ſua roſa caſeoſa conſolidat, & butyroſa nutrit) addas, ac ne quid de ſpecificis magis dicam, de pulmonibus vulpis, leporis, vituli, cum illorum hepate &c. (ſi illa ſpecifica eſſe credas) ſi & tandem omnia & compoſita atque etiam decompoſita, tot ſirupos, conſervas, looch, eclegmata pulverem Haly Abbatis adeo decantatum, Langianam trageam, & Mynſichti ſpecies diaſaturni, aquas pectorales Dorncreilii aliaque ejusmodi antiphthiſica; ea tamen omnia, inquam, eo nomine vix ac ne vix quidem cum equitatione æquanda. Hinc, licet exquiſitum ægri obſequium obſervent, rarius tamen hæc tabes aut nunquam ex aſſe ſanatur, frequentius tantum mitigatur. Ancipites etiam adhuc hæremus, an copioſæ ſanguinis miſſiones, quas quidam Anglorum equitationi præferunt, huic ſint æquiparandæ ſi non anteponendæ, qua de re THOM. DOVER, Anglus in *Tract.* quem *Legs d'un ancien Medecin à ſa Patrie*, inſcripſit, p. 40. conferendus. Hæc enim ad eorum pertinent claſſem, de quibus Scaliger facete dixit, ſimiles eſſe eos malis mulieribus, quæ non niſi morte auferantur, quod ingenue fatentur præter ipſum HIPPOCRAT. *Lib. I. de morbis v. ſ. 2. t. 9.* GALENVS *Lib. I. de loc. affect. c. 8. & Lib. V. meth. meh. c. 1. & 8. Foreſt. Lib. XV. obſervat. 45.* R. A FONFECA *Conſult. med. T. I. 58. T. XI. Conſul. 48.* SCHOLZIVS *in aphoriſ. med. Sect. VII. 982.* BRVNO SEIDELIVS *lib. de morbis incurabil. p. 20.* BALD. TIMAEVS A GVLDENKLEE *Epiſt. L. XI. epiſt. 2. & ſeqq.* practicus prudens, circumſpectus ac experientiſſimus poſtquam ſolitorum ibi antiphthiſicorum in ſufficientiam ſolide demonſtraſſet haud erubeſcit confiteri; in tota ſua praxi, quam per annos XXXVII. exercuit, ſe neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerint, integræ ſanitati reſtituere potuiſſe, etiamſi nihil intentatum reliquerit, neque ab aliis celeberrimis Medicis quenquam reſtitutum vidiſſe. Ego item ingenue confiteor, me ex plurimis phthiſicis ut & in ſequentibus nominandis, hecticis, atrophia laborantibus, vix unum & quidem maximo medicamentorum apparatu atque molimine ſervatum & ex aſſe reſtitutum noſſe. Hanc difficultatem per medicamenta phthiſin ſanandi agnoſcentes quondam ejusmodi ægros ex Celſi & Galeni conſilio ad montem tabianum & Ægyptum ablegabant. Etenim abſterſionem, mundificationem, conſolidationem, appoſitionem natura primario magis & immediate hic perficere debet, hoc vero modo ſic optime

me adjuta citius efficaciusque perficiet, atque in pulmonibus ſangvinis ſero præſertim ſtagnatio efficaciter abſolvitur ac ipſa ſanies abſtergitur & absque tuſſi, vel leviore illa expellitur; vivus vero magis & circulans citius & ad extrema partium, novo aëre omni momento pulmones ingrediente, tot corporis concuſſionibus factis, propellitur, teneriores fibræ harum partium, pulmonum, nimirum (qui ceu viſcus amplum vaſculoſumque membranoſum, veſiculoſum ſtagnationibus ſangvinis & ſeri ob tonum & robur labefactatum valde obnoxii ſunt, unde ad obſtructiones, exulcerationes & corruptiones aptiſſimi) firmantur, roborantur vivificanturque, ut excretioni materiæ peccantis moleſtantisque ſint pares, pariterque eo modo armantur, ut ulteriori humorum ſtagnationi reſiſtant, ſicque reſtitutio in integrum reſtituitur ac præſervatio adornatur optime. Nec eſt, quod te ſuſpenſum dubiumque teneat, ulceribus nocere acris liberioris acceſſum, putredinemque promovere, quem ſcrupulum tibi ita eximendum eſſe cenſeo, commonefaciendo: aëris liberioris in pulmones ingreſſum admodum neceſſarium eſſe, adeoque prohiberi non poſſe eſſeque tunc aërem inſpiratum, atque per os, aſperam arteriam, nares tranſeuntem, calidum ſimulque repleri eum humido vapore ibi exhalante. Eam Angli præſertim ob id maximo in hoc morbo in pretio habent, inter quos gravem & cordatum SYDENHAMIVM, ſi ſolum dixerimus, confecta auctoritas erit procul dubio, qui equitationem *Oper. p. 524. & 781.* ſupra alia remedia in tali affectu adeo extollit, & merito quidem extollit, multiplicique experientia affirmat, ut minus dubitet affirmare, eſſe equitationem in phthiſi (quæ flagellum Angliæ vocatur) remedium ſpecificum ſine pari, quo neque mercurius in lue venerea, neque cortex peruvianus in febribus intermittentibus, aut ipecacuanhæ radix in dyſenteria, efficacius aut certius, eoque magis neceſſarium, quo laxius particulæ morbificæ, acres, in maſſa ſangvinea cum reliquis cohæreant, & quo æqualius eædem per emunctoria quævis ſecerni debeant, quæ hujus morbi eſt conditio, quæque exigit medela. Atque adeo *pag. 574. Tr. de podagra* ex equitatione emolumentum ingens & quaſi ſtupendum & incredibile eſſe dicit, quod phthiſici & morbis chronicis detenti percipiunt. Succedant præ aliis ex noſtratibus, Germanis, huic merito illius, nec modicæ auctoritatis aſſenſores, Illuſtres & Excellentiſſimi D. G. E. STAHL, FRID. HOFFMANNVS qui in *Med. Rat. Syſtemat. T. I. p. 401.* ita loquitur: *Equitationi poſtponendæ omnino ſunt aliorum remediorum vires, quæ in diſpoſitione phthiſica, hectica, ſcorbutica & cachectica alias utramque faciunt paginam facere putantur.* Ille in

pro-

programmate quodam inaugurali, novum specificum antiphthisicum equitationem vocat, ibique multa lectu digna de ejus efficacia insigni affert, firmatque alio in loco *Differt.* nimirum *de motus voluntarii usu med.* §. 32. exemplo Herois cujusdam gloriosi nominis, qui sub infirmissima phthisico-hectica constitutione, vehementia equitationis venationibus non solum longam vitam, sed & bonam valetudinem sibi comparavit. Stat quoque ejus apud me laus & commendatio, cum eximium usum in viro phthisico annis abhinc plus minus duobus comprobarim. Relatum habemus Lusitanos hac lue pulmonari, quæ apud eos endemia est, equitatione se immunes præstare. Hinc ob motum ejusmodi fere tolutantem potissimum phthisicis & hæmopticis, navigatio per mare maximo quondam erat ex usu, non minus ac leprosis, hydropicis, apoplecticis, stomachi infirmitatibus & inflationibus obnoxiis vid. AVICENNA *II.* Septentrionales gentiles (ut videre est ex TH. BARTHOL. *de causa contem Danis mort. Lib. II. c. VIII.*) falso credebant ad Valhallam (s. Heroum Paradisum) non nisi equis perveniri posse. Nos adductorum intuitu, potiori jure ratum habemus, phthisicos ad salutem vix, nisi equitando, posse redire.

§. XVI. Verum non phthisi solum, sed & cæteris pectoris & pulmonum morbis equitatio moderate instituta, egregiam fert opem, quoniam excrementa per pulmones emitti solita, per eam commodissime promoventur. Primum hic id genus morborum pulmonum ponam, quod vomica vocatur & a phthisi differt, quod in hac pulmones exulcerati sint, in illa apostema in eorum substantia resideat: & quemadmodum exulceratos pulmones, ut modo est adductum, restituit, ita & abscessum in iis latitantem excernit, imo empyema quoque ex cavitate pectoris exturbat. Sic & celeberr. HERM. BOERHAAVE vid. *Aph. de c. & c. morb. p. 204. & seq.* eam in peripneumonia vera pro apostemate rumpendo & rupto præcepit, quam rupturam alii, risu valido, clamore, tussi, vomitu, vaporibus acidis ore excipiendis, curru vectione concitatiori & duriori itemque navigatione per mare, tentare solent: nam ejusmodi valido motu pulmones valide quoque agitantur, tenduntur atque concutiuntur, quos simul tunc diaphragma tot repetitis conquassationibus fortioribus instigatum commotumque sursum premit ac comprimit assidue. Pro hoc scopo certius obtinendo, quidam alimenta prius pinguia & emollientia eaque copiosa assumenda suadent, ut nimirum plenus turgensque ventriculus, diaphragmate pressus pulmones comprimat, simulque copiosus chylus allatus gravet eosdem at-

que extendat. Porro magnum levamen affert præfertim ea quæ anhelitum concitat, ut nimirum tam excrementa expectorentur, quam reftagnatio aëris vi, impediatur, in eo affectu quem fedentaria vita fæpe affert & in vomicam jam nominatam aut tabem definit nimirum in afthmate fimplici imo & in convulfivo, cujus rei teftem adduco BAGLIVIUM *in Oper. medic. pract. p. 38.* Ex illo clariffimo Auctore confirmatur, in ejusmodi morborum genere, quod ut HELMONTIVS *in Oper. de Afthm. & tuffi p. 356.* loquitur, remedia renovativa & ad generis amplitudinem affurgentia expofcit, equitationem optimam effe, quæ per arva recenter aratro culta, inftituitur, quoniam & eques magis attollitur, fi equus fuper fulcos progreditur, & effluvia illa temperata, falina, fubtilia ex glebis recens ruptis elata, ore naribusque haufta, refocillant, & pulmonum ftamina relaxata roborant, vifciditatesque, quæ obfident, quoque refolvunt atque expurgant. Notabile in vicinia noftra occurrit exemplum de viro afthmatico, qui, quoties paroxyfmus acceffit, equum confcendit, atque ad incalefcentiam usque equitavit, & tunc tuffi & fcreatu calculos quosdam pifi, magnitudinem æquantes, e pulmonibus ejecit, & ab urgente hoc malo ad longum tempus fe liberavit. Quemadmodum in tuffi pectorali, chronica pertinaci, ficca, maxime exercitia optima funt, ita & equitatio omnibus aliis hoc in cafu diutina & longior palmam præripit confer. iterum de hoc SYDENHAMIVS *p. 307.* Cafus occurrit hic commode trahendus ac ad ulteriorem æftimationem & confiderationem perducendus in VALENTINI *Chirug. med. Nofocom. academ. VI. p. 699.* de cordis palpitatione & fyncope ex aortæ obftructione, a quibus malis æger, equo vectus, fuit immunis, pedibus vero infiftens in ea incidebat, quoniam fanguis non nifi fub infigni tali corporis motu e corde in aortam propelli potuit, adeoque inferre convenit, ejusmodi corporis commotionem fortiorem polypofam in vafis fanguiferis concretionem optime avertere, quoniam celeriorem fanguinis per vafa efficit curfum, unde fortior fit calor, quo magis illud quod eft gelatinofum in fanguine in ferofum magisque tenue liquamen diffolvitur ut in febribus comperimus præfertim continuis vehementesque auctum illum calorem, fpiffos fuccos, & pinguedinem corporis confumere & obefos graciles reddere poffe. Pleuritidem nullo remedio medicabilem, equitatione forti multumque repetita tolli afferit Celeberr. BOERHAAVIVS in *Aph. de cogn. & cur. morb. p. 218. §. 898.*

§. XVII. Juxta hæc morborum genera, nulli magis conveniens remedium, quam quotidiana æqualis, ad moderatos etiam quandoque

fudores

ſudores protracta, equitatio eſt, ubi præternaturalis corporis æſtus laudabiles ſuccos depaſcit, febribus lentis hecticis, quæ ex inteſtinorum ſaburra acida, lenta, viſcida ibi collecta meatus obſtruente ex perverſa forte febrium intermittentium tractatione, nimio intempeſtivoque figentium, præcipitantium & adſtringentium abuſu, aut frigido potu calenti corpori infuſo aut ſudoribus ſcorbuticis retro pulſis &c. exſurgunt, ſive etiam eædem ejusmodi ſint, quæ uti ex pulmonum, ita ex aliarum partium v. gr. hepatis, meſenterii &c. corruptionibus procedunt & lento gradu & calore vires vitamque conſumunt, quæque alias medicamenta copioſa longaque ſerie longoque tempore continuata vix ferunt. Per hanc enim viſcoſus lentor ſive effœtus chylus, qui vaſa & habitum corporis jam infarcit, vel etiam putrida materia ſanguine intime mixta influxum ſpirituum animalium ſolito majorem in cordis muſculos, arterias irritando concitans, æquabili ſuccuſſione efficaciſſime diſcontinuatur, abſtergitur, excernitur atque natura, roboratur id eſt, certa ea ſanguinis diſpoſitio, vigor partium activarum ac conſiſtentia nativa ſarta tectaque ſervatur, appetitus iterum reſtituitur, novus chylus laudabilis ſanguinis ac humorum ſpirituaſcentia erigitur, & ejus circulatio libera atque æqualis redditur, viresque conſervantur atque reſtituuntur, ſanguinis & humorum textura ac mixtio tuetur. Expedit innuere, in lentis morbis equitationem auctam & frequentem apprime utilem eſſe; in hecticis vero ſtricte ſic dictis, in quibus omnia ſymptomata jam ſenſibiliora ſunt & auctiora, moderatiorem magis convenire.

§. XVIII. Proximo dehinc jure ſtatuendus affectus dolorque hypochondriacus, hominibus imprimis vitam ſedentariam agentibus præ aliis infeſtus. Cum enim nihil adeo impenſe huic conferat, quam leniora & cordialia remedia juxtaque hæc, motus & potus, &c. quæque motum ſangvinis hoc in morbo impeditum ſuſcitare, viſcidos humores hinc inde latentes diſcutere & tranſpirationem juvare poſſunt; Verum econtrario remedia omnia ex pharmacopolio petita, præſertim violentiora, ut cathartica diuretica &c. pejorem reddunt eum, ſpiritus & nervos potiſſimum occupantem: Nullum certe certius ſecuriusque remedium, contra hoc malum excogitari poteſt, quam equitatio, & quidem ſuccuſſoria magis & fortior, quoniam omnis æquabilis & oſcillatorius motus, in inteſtina & viſcera terminatur, quæ partim, partem conſtituunt affectam, partim ſuppeditant fomitem, ventriculum puto & inteſtina, diaphragma, oeſophagum, meſenterium, pancreas, lienem, hepar, cum vaſis ſangviferis, & vena portæ præſertim quippe hac poten-

tentiſſime infarctus & obſtructiones inteſtinæ tolluntur, vitioſus ventriculi & inteſtinorum tonus emendatur, motusque eorum periſtalticus inſtauratur, & humorum maſſæ craſſities atque fixitas reſolvitur ac ſubtiliſatur, ſpasmodica affectio aufertur, ſecretiones laudabiliter iterum inſtituuntur, ſpirituum defectus reſtituitur. Multi hypochondriaci confirmati inprimis ex vita ſedentaria tales facti & de quibus vulgo dicitur: *Es müſſe ihnen alles im Leibe zuſammen gewachſen ſeyn*, effectum certiſſimum ſentientes, ſingulis exercitiis equitando inſtitutis mihi levamen perceptum his verbis ſignificaverunt: *Sie fühlen daß alles im Leibe los werde, und daß es gleichſam durch den gantzen Leib gienge und ſich bewegete.* Hoc teſtatur & probat aliquoties jam laudatus SYDENHAMIVS, qui *Diſſert. epiſt. de hyſtr. paſſ. p. m. 476.* malum hypochondriacum hac ſola, ſine aliis remediis curatum eſſe, aſſerit. BAGLIVIVS *de fibra motr. Lib. 1. p. m. 327.* idem affirmat; eum hypochondriacos pene deſperatos equitatione ſuper aſinum in aere ruſticano facta perfecte ſanaſſe. Ex equitatione diuturna in viro hypochondriaco annotavi, humores nigricantes intermixto velut ſangvine coagulato vomitu & ſeceſſu cum euphoria excretos eſſe. Quare equitatio præ aliis hominibus litteratis, ſtudiis deditis & ſpeculativam agentibus vitam, convenit, in quibus & ſimul optime ſeſſio illa peſſima, incurvato corpore, quam inter legendum ſcribendumque vix vitant, reſpirationem, motum diaphragmatis, & muſculorum abdominis ſufflaminans, ſicque remiſſiorem ſanguinis per abdominis partes circuitum efficiens, avertitur & corrigitur, equites enim decet ut erectum corpus gerant. A malo hypochondriaco nomen ſortitur ſuum melancholia hypochondriaca ſortitur & ſuam medelam, illamque optimam, ab equitatione, ut in illa illam inſtituere jubet LEONH. FVCHSIVS *de curand. rat. p. 98.* FRAMBESARIVS *Canon. & Conſult. med. lib. II. p. 67.* equitationem per loca amœna novarum rerum plena & virida ſimiliter ſvadet, vt anxiæ & triſtes curæ animique angores pellantur, ac ut liberior & tranquillus animi ſtatus acquiratur, nam hoc genus morborum pharmacevticis alias remediis vix obtemperare ſolet. Nec aliud ſenſit & ſcripſit NIC. PISO *de M. C. C. c. p. 88.* Ejusdem pariter efficaciam leges in celeberr. F. HOFFMANNI *Med. Conſult. P. IV. caſ. VII. p. 55.* Affectus huic affinis hyſterica paſſio eſt; quæ nempe ſpiritus & nervos occupat remediaque iſta violentiora maxime purgantia fortiora reſpuit, quæ ventriculi tonum & robur ſanguinisque craſin deſtruunt atque evertunt: affine ergo & erit remedium; hanc enim equitationem nempe, hic maxime & notanter curru vectioni antepo-

nit

nit modo nominatus. Nic. Piso *de m. c. & c. L. III. p. 394.* a qua potius illam metuit & vomitum conf. Pechevs *Prompt. med. c. 25. p. 154.* qui & ideo ejusmodi mulieribus eam quidem quotidianam ante omnia præcipit. Exinde haud dubitanter infero, non minorem causam esse, quod mulieres Anglicanæ, quæ equitationi æque ac mares sunt adsuetæ, non adeo hystericis ac hypochondriacis passionibus ac quidem nostrates, obnoxiæ sint, atque quod nostrates rusticanæ ac pauperes, laboribus durioribus vitam protrahentes, isto morbo nunquam corripiantur.

§. XIX. In discrimen jam propemodum venirem, an non inter morbos hac ratione tanquam universali remedio curandos, ut universalibus generalioribusque speciebus ex atonia viscerum oriundis, ubi totus corporis habitus non laudabili & balsamico sangvine, sed corrupto, vappido & aquoso irrigatur, & fibræ exinde simul præter modum relaxantur, ac a robore & tono debito recedunt, atque speciatim nominando hydropi (medicorum scandalo æque ac phthisis cum podagra) anasarcæ maxime, primus locus sit concedendus, præsertim, cum in genere dicendo, ejusmodi ægri ut fugiant quietem & vitam sedentariam, admodum necesse sit. Laudant hanc quam plurimi v. g. (ut plures non nominemus Alex. Trallianvs *L. IX. c. 3.* Fvchsivs *l. cit. p. 327.* Brvele *Med. p. 152.* Ramazinvs *de Morbis Artif. C. XXXVI.* Hoc in malo præstantior equitatio habetur, si in sole fit, capite tamen rite tecto, aut velato, & ad largum etiam sudoris profluvium protrahitur, & excretio urinæ uberior simul procuratur. Ut propriam experientiam insuper addam, sequentem historiam describam. Vir quidam anasarca quondam laborans catharcticorum frequentissimorum aliorum super alia cumulatorum exhibitione, subinde mulierum ac medicastrorum suasu, adeo confectus & debilitatus, ut omnium corroborantium & diureticorum apparatus nequicquam efficere potuerit, inito consilio, in loco & oppido vicino Gr. ad equitationem pervenit, qua, exhibitis simul debitis diureticis, perfecte convaluit. In hydrope, ascite quoque J. Anglicus suadet, ut illa detenti super equum suaviter incedentem modicum equitent, adeatur Scholzii a Rosenav *Consf. med. p. 362.*

§. XX. Ad colicam biliosam pertinacem inveteratam sæpius recurrentem sanandam & persanandam fatetur experientissimus & felicissimus Anglorum quondam Machaon Sydenham *l. c. p. 264.* nihil adhuc præstantius unquam excogitari equitatione potuisse, longius protracta, & in alias regiones usque instituta, post evacuationes sed debitas sufficienter peractas, nam inquit: *Hujusmodi enim exercitiis materia morbum*

committens in corporis habitum deducitur; & sangvis perpetua agitatione comminutus de novo quasi depuratur, ipsaque demum intestina caloris nativi excitatione haud parum corroborantur ac refocillantur: Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse. Pro scopo curatorio maxime laudatur in morbi (a qua causa etiam fit) declinatione. Notabile exemplum adducitur a Clariss. & accuratiss. J. N. PECHLINO in *observ. med. L. III. n. 35.* cujusdam colica ex obstructione laborantis, eadem methodo perfecte curati, quod etiam jam AETIVS testatur *Tetrabl. III. S. J. c. 5. & N.* PISO *de c. & c. m. L. III. p. 242. §. 20.* Expertus testor, singultum pertinacem sola equitatione paulo fortiori sæpius feliciter, cito pariter ac jucunde fuisse sedatum.

§. XXI. Nec cum alio facile remedio unquam in comparatione efficaciæ equitatio conferenda est, & quidem validissima ac succussans, (utpote quæ ad obstructionum claustra adeo firma reseranda humoresque in viscerum tubulis hinc inde stagnantes impactosque discutiendos satis potens est) in obstructionibus, quibusvis iisque præsertim ac indurationibus scirrhescentiis viscerum, hepatis, lienis, mesenterii, pancreatis. Hoc enim itu reditque humorum moleculæ illorum, omnium optime sic dividuntur, ut per vasorum obstructorum ultimas angustias transeant, ad latera carnalium attritæ atque solutæ, ut sine impedimento possint transire, capacitate simul eorum aucta. Æque scorbutum, illam notissimam & frequentissimam, altius firmiusque humoribus inhærentem corruptionem quam expresisse Hippocrates sub magnis lienibus videtur, a vitio viscerum quoque & exinde provenienti excrementorum copia, ab emunctoriis depurationi sangvinis inservientibus, obstructis, ut cutis, alvi, hepatis, lienis, renum, oriundam, avertit & abigit optime equitatio frequens ad modicos sudores usque protracta; in bilioso tamen & calido, (scorbuto) moderatior & gradaria, in frigido sic dicto, ubi nimirum pulsus magis est tardus, & horrores fixique dolores, impotentia motus, langvorque & rigor junguntur, velocior tolutoria plus, minus concussoria & frequentior requiritur. Nam motu tali, imprimis motus sanguinis liberior redditur, benigna humoribus indoles inducitur, robur partibus solidis additur, necessariæ secretiones & excretiones promoventur, quibus mediis curatio absolvitur ejus. Belgæ ideo in ictero eam magno in pretio habent, habent & illam Itali, inter quos Baglivius eminet, qui in omnibus obstructionibus intestinis eam herculeum remedium nominat, quam rem RAMAZZINVS *de morb. artif. Cap. XXXV.* con-

confirmat, quando de equite quodam teſtatur, quod ex ſola equitatione poſt perpeſſam periculoſam febrem ab inſequuto lienis morbo & imminente hydrope licet infirmus maxime, intra unius menſis ſpatium liberatus fuerit. Ut concuſſoria & fortior obſtructiones ejusmodi curat, coagulatum humorem jam reſolvendo, & vaſa a crudioribus & coagulationem inducentibus libera vacuaque præſtat, ita lenior eas præcavet. Hic motus enim remiſſior licet, & intendit & armat fibrarum motricium tonum earumque vim, ac ſic in glandulis viſcerum, imo in omnibus partibus corporis impedit, ne omne fluidum ſanguinis ibi hæreat, vel fluidior ſaltem ejus portio exprimatur, relicta craſſiori parte, ſed ut æqualiter refluant liquores, per convenientia vaſa, egregiam ſymbolam addit. Sic in hepate puram bilem, & in pancreate ſuccum ideo pancreaticum dictum, in aliis glandulis alios ſuccos rite promovet.

§. XXII. Mire & præcavet equitatio calculum, ad deſtruendos nimirum illos lapides non ad ædificandam ſed deſtruendam domum œconomiæ animalis aptiſſimos, valida & ſuccuſſoria, tolutoria imprimis, tam veſicæ quam renum atque ureterum, quas partes præ aliis abdominis viſceribus equitatio afficit, quod eo probabile magis eſt, quo frequentius etiam manifeſtæ partium earundem læſiones a motu iſto conſequuntur. In quibus, ut & vero ſimillimum eſſe videtur, futura calculi rudimenta & nuclei generantur & in veſica ſucceſſive augmentum capiunt ac cortices ſuper inducuntur, dum ſegregationem & tranſitum lotii accelerat, & ſimul cum eo materiam calculorum ejicit, hinc ordinario urinæ magis craſſæ, turbidæ, rubræ redduntur, ſiquidem, quoniam ad ejusmodi concretiones, mora requiritur, frequentior urinæ redditio, ad hunc ſcopum utiliſſima eſt. Experimur enim ad hoc, in vita ſedentaria manifeſtum calculi incrementum quotidie ſe prodere: e contrario vero ſcimus, quod qui, vario motu corpus exagitant ut incaleſcat, ſæpius ex calculi decremento, manifeſtum levamen accipiant. Atque inſuper renibus & veſicæ robur addit, ad ejiciendum humorem calculoſum inibi hærentem; compertum enim habemus non modo ibi, ſed & in aliis locis, uti multifariæ obſervationes teſtantur, calculos potiſſimum inveniri, ubi illarum partium obſervatur debilitas. Eam ideo & duriorem Ioh. Zechius *in Conſult. p. 542.* D. Cæſ. de Molara Nobili Rom. diligentiſſime commendat. Ejusque hic efficaciam ſummam non ſatis deprædicare poſſum, expertus. Cæterum & congeſtionem ſanguinis circa renes, ex qua illæ omnes nephriticæ paſſiones, obſtructiones, inflammationes, exulcerationes & concretiones dein proficiſcuntur, utpote quæ ſæpiſ-

ſime cauſam, materialem remotiorem pariter ac occaſionalem & diſpoſitionem, renalem ſubſtantiam corrumpentem, ſicque ad calculum diſponentem, conſtituunt, feliciſſime diſſipat, aufert ac præcavet. Frequentiſſime enim (ut explicatius paulo loquar) ſanguis in tubulis renum, quavis ex cauſa etiam ſit, ſtagnat ob copiam in progreſſu impeditus, unde illæ noxæ, hinc & ut plurimum nephritide, prius calculoſi afficiuntur. Non ſolum vero præcavet, verum & curat, quando calculos jam factos, non adeo quidem grandes, ex renibus pariter & veſica urinaria præcipitat, deturbat atque excernit. Inprimis, ſi in ductibus uretherum aut collo veſicæ calculus reſtitet, quem olim cucurbitulis ſiccis extrinſecus promovebant referente PHILIP. SCHERBIO in *Theſ. med. XVI. §. 61.* equitatio eum juxta ſcalarum aſcenſionem ac eam corporis compoſitionem qua æger unum genu alteri imponit talique modo ſeſe conſtringit reſpirationemque retrahit, ut omnia abdominis viſcera ſurſum trahantur, ut hoc pacto calculus e veſicæ collo retrahatur ægrotusque de dolore liberetur, omnium potentiſſime promovet. Quidam volunt, ut adducit I. IOEPSERIVS in *Manud. ad vit. longior. p. 583.* equum ephippio carentem equitent imamque ventris regionem equi dorſo fortius appriment, ut eo certius calculus vel ad veſicæ capacitatem relabatur, vel foras prorumpat. Aſt caveant ſibi ſedulo, ne calculus major juſto ſubſit & anguloſus, quod medici prudentis relictum maneat judicio. Quod ipſi forte enaſci poterit, ex accurata præteritorum & præſertim ſymptomatum, juvantium & nocentium &c. collatione. Ut equitatio ad præſervandum curandumque calculum facit, ita haut obſcurum calculi ea poteſt ſuppeditare ſignum, ex Cardani conſilio, quod ſequentibus in HIPPOCR. *Aphor. p. 467.* indicat, inquiens: *Cum volueris ſcire certius, an aliquis calculo veſicæ laboret, jube eum equitare, ſaltare exercerique vehementius, exhibe lapidem comminuentia, inde ſubſidentia in urina inſpice, in qua ſi tribus aut quatuor diebus pulvis appareat, lapis eſt durus, ſi lapidum fruſta, & quaſi arenæ, non autem arenæ tophus eſt, ſi nihil horum appareat, lapis procul dubio non eſt.* Atque hoc in morbo Anglis, Gallis æque ac Helvetis nihil eſt ſolennius aut utilius. Idem ſentiunt ac ſcribunt AVICENNA *L. III. F. 18. tr. 11.* I. PECHLINVS *obſ. L. CXI.* ſimiliter in ipſo calculi dolore illam ſuadet THEODOSIVS in *Epiſt. med. p. 369.* His Auctorum teſtimoniis addo ſequentem obſervatam hiſtoriam: Vir militaris robuſtus alias, adhuc vegeta ætate conſtitutus, calculo veſicæ acerbius quam alias excruciabatur, advocat medicum, qui advolans debita proponit applicatque remedia; ſed majorem calculum animadvertens,

tens, parum grato prognoſtico hoc ipſi indicavit. Æger doloribus immanibus excruciatus ſectionem optabat, quæ tamen ob chirurgi ſatis idonei ad hanc operationem, defectum non ſperanda erat, ſequentes binas noctes extus linimentis emollientibus, & intus anodynis adhibitis, quietior transegit, niſi quod dolores ſubinde graviores magis ſenſerit, tertia die ad vicinum pagum negociorum cauſa vocabatur, ſatis validum ſe credens ad hoc iter duorum milliarium, medico præſentibusque diſuadentibus, equum conſcendit, vix emenſo unius milliaris equitans ſpatio, doloribus longe tamen minoribus iterum & inferiorem partem magis occupantibus, eſt affectus, ac calculum haud parvum, quamvis non ſine mictione cruenta, excrevit. Ac ſi non forte obveniret tædium, adhuc huic jungerem aliam: Nimirum juveni ſtudiis alias dedito, ſubinde de calculo conquerenti, per loca montoſa, anfractuoſa equiti iter facienti, derepente dolores calculi exorti ſunt acerbiſſimi cum urinæ ſtillicidio, adeo, ut coactus fuerit equi ſiſtere gradum, exacto ſic circiter quadrantis horæ ſpatio, equo, invito interim equite, progreſſo, veſicæque regione ephippio duriter alliſa, calculus ſat grandis cum urina ſanguinolenta, protruſus eſt. Quod de calculo dixi, etiam de ſuppreſſione urinæ omni aſſeveratione affirmo; hæc enim ſub equitatione feliciter ſolvitur, quia per eam perinæum efficacius afficitur. Idem etiam de ſtranguria & dyſuria tenendum eſt. Nec non ad præſervationem mictus cruenti utiliter adhibetur, licet in paroxyſmo ejus incommoda ſit.

§. XXIII. Non minus auxilium affert ſtomacho, cum inteſtinis ac viſceribus reliquis; has enim partes præ omnibus aliis exercitiis firmat equitatio; hinc & in ejus debilitate & exinde pronata chylificatione læſa, ex qua adeo multa proficiſcuntur mala ſumme eſt proficua, atque omnium optime iis medetur ſuccuſſoria imprimis appetitui proſtrato, anorexiæ, reliquisque in genere ſtomachi vitiis, ex viſcida & craſſa colluvie, debitæ ſecretionis partium earum laudabilium defectu, quæ digerendis & ſolvendis compoſitis aptæ ſunt, ſpirituum animalium influxu impedito atque ſegniori juſto oriundis. Cum ſcilicet reſpiratione exinde aucta atque muſculorum abdominalium motum & diaphragmatis ſimilem adaugeat reciprocum, qui ventriculum cum inteſtinis ſingulis exagitat ac premit, calorem ejus accendit, ut ſolutio ciborum juvetur, qualis ad omnes ſolutiones facilitandas confert multum ſimulque hæc (viſcera) ad ſe mutuo quaſi affricet, ſicque detergantur omnia ſanguinisque ipſius influi calorem adaugeat ac humores tenues & fluidos reddat, liberiorem

ſpirituum & ſanguinis quoque in ventriculi, ut digeſtionis officinæ, tunicas, influxum concitet, motu tremulo optime glandulas ventriculi ſolicitet, ut menſtruum, ut ajunt, ſecernant ſtillentque, contenta diſcontinuet, dividat, ſubigat, ſicque digeſtio tota inſtituitur per eam melius atque omnium optime. Teſtes hujus rei ſi deſideras, præter quotidianam experientiam tibi ſe ſiſtunt. PLINIVS *Lib. XXVIII. c. IV.* AETIVS ET ORIBASIVS, F. IOEL & THEODOSIVS in *Epiſtolis m. p. 269.* Hic obſervatio illa memoratu digna videtur, quæ deſcripta a GVIL. DERHAM. atque *Philoſoph. Transact. Angl.* inſerta reperitur *Anno MDCCXVI* ſub tit. *An. Acount ofthe Miſchiefs enſvingthe Swallowing ofthe ſtones of bullace andslaes.* Ibi enim refertur de ſervo quodam, qui in juventute ſubinde multa pruna ſylveſtria cum nucleis deglutivit, qui per decem annos, in ventriculo hæſerunt, quo temporis ſpatio exacto, demum in affectum ſtomachi periculoſiſſimum eſt dejectus, ſummum urſit faſtidium, a cibo aſſumto ſumma ſtomachi gravitas fuit & præcordiorum tenſio moleſtiſſima, neque retinere potuit ullum cibum, in dies crevit malum perniciemque propinquam adeſſe, medici putaverant, adhibita ſunt varia etiam vomitoria eaque fortiora ac iterata; ſed ſine ſperato ſucceſſu, tandem crebriorem ac fortiorem equitando ſuaſerunt motionem, per quam CXX. nucleos deglutitos, vomitu una vice ejecit & ſucceſſu dein temporis plures, ex quo bene ſe iterum habuit. Nec non in ventriculi & inteſtinorum inflatione magnopere prodeſt equitatio, maxime ſi corpus faſciis devincitur, flatus deorſum agentibus. Inprimis in iis, qui expreſſione ſanguinis in vena portæ congeſti proveniunt, per eam enim iſtæ partes, ad quas ſurculi venæ portæ excurrunt, afficiuntur varie, nam mox dilatantur, mox iterum conſtringuntur, ex quo atonia harum partium inducitur, ex qua deinceps flatus colliguntur facile. Aliqua & ſpecialiſſima quædam hic debetur animadverſio atque equitationis laudatio, affectus nimirum illius ſatis frequentis, licet a pauciſſimis obſervati, deſcripti ac nominati, cardialgico-ſplenetici alias barbare mirachialis dicti. Scite tamen a Clariſſ. STAHLIO *de Vena Portæ Porta Malor. p. 42.* indicati. Hæc enim paſſio in ſangvineis ſubjectis maxime, & plethoricis morſibus, & tenſionibus in ventriculi regione ac anguſtiis, anxietatibus, duritie abdominis & inflatulentia, nauſea quandoque, imo vomitibus ſubſequentibus, & quæ tandem in tabido-hecticum ſtatum, aut etiam intumeſcentiam œdematoſam ac aſcitem abeunt, niſi fiat medela, ſe exerit. Cauſam agnoſcunt hæc pathemata congeſtionem ſangvinis circa vaſa ſplenico-ſtomachica,

quam

quam ut & exorta exinde moleſtiſſima hæc ſymptomata, avertit atque propellit equitatio egregie. Dubius adhuc hæreo ex ratione in ſequentibus alleganda, quod nempe equites frequenter ſtyptici ſint, cum mihi non ſatis felix de eo eventus conſtet, an nimirum equitatio bene conveniat in pertinacibus alvi obſtructionibus quibusvis, & in iliaca paſſione, quam tamen in hiſce multi practicorum, quemadmodum curru vectionem commendant. In ſpecie præcipiunt eam a ſumto in medelam horum affectuum mercurii vivi hauſtu, ut motu hoc vehementius celeriusque corpus moveatur. In iis vero alvi obſtructionibus, quæ fiunt ex contractione ſpaſmodica, a preſſione ſanguinis in vena portæ hærentis, inductis atque in iis, quæ ex vita ſedentaria & meditationibus & lucubrationibus nimiis proficiſcuntur, non habeo jam ambiguum affirmare, eam quoque utilem eſſe. Hac de re quia ejus intereſt hoc monendum occurrit, equites qui interdum in hoc & illud latus inter equitandum inclinant, femoraque quandoque levant alternatimque ſic inſident, minus alui ſtypticitatem experiri, quemadmodum & fœminæ, quæ ad unum ſaltem latus, non divaricatis cruribus ephippio inſident, de hac nullatenus conqueruntur, quod apud Anglos notiſſimum eſt. Interim hæc ipſa ratio monet movetque, ut credamus eam haud contemnendum in omnibus alvi fluxionibus morbificis diarrhœis aliisve levamen atque juvamen præſtare, præſertim ſi C. Celſi conſilium quod *Cap. XIX. Lib. IV.* de ventris fluxu ratum habemus dicentis: in hoc vehiculo ſediſſe vel magis etiam equo prodeſt, ex ea ratione, quod ea magis quam ulla alia res inteſtina confirmat.

§. XXIV. Nec dubium eſt, quin & reliquarum partium morbis egregiam conferat opem. Nimirum quod ſc. COEL. AVRELIANVS graviſſimus, ſcriptor *Lib. I. de morb. chron. Cap. I.* in cephalæa vectionem ſertoriam, quam vocat, magnopere præcipit, in ejusmodi quoque malo, equitationem, quæ ex hoc genere eſt, jure meritoque admittere poſſumus. Eundem enim in modum, in dolore capitis ex frigore contracto, motu corporis, equo vecto, ut utatur æger perhibet atque hortatur L. FVCHSIVS jam citatus *Tract. v. 19.* In eodem ex frigida intemperie illam magni facit ALEX. TRALLIANVS *Lib. I. cap. X.* Novum aliquod hujus rei exemplum addam, quod anno MDCCXV. in novellis ſive diariis noſtrorum temporum gallicis Lugdunenſibus Batav. legi: in his enim, ut memoratu dignum erat ſcriptum Londino de die 30. April. quod Comes de Sunderland dolore capitis graviſſimo variisque aliis capitis affectibus, ut vertigine &c. laboraſſet, quos ex aſſidui-

tate

tate & ſtudiis contraxiſſet ſibi, ad quos amoliendos tandem omnibus irritis aliis remediis, frequentem equitationem, iter & commorationem in loco aliquo ſalubri X. vel XII. mill. Londino remoto ſuaſiſſent medici, ex quo interjecto aliquot ſaltem dierum ſpatio, priſtinæ ſanitati eſſet reſtitutus. In auditus gravitate, quemadmodum motiones plurimum conferunt (unde monente HIPPOCRATE *Epid. l. v. Text. VI.* in ſurditate ambulare erit utile & maneſurgere, ne ſomnus multus afferat gravitatem capitis, &c.) ita præ aliis eandem ſuadet idem *Lib. III. cap. VI.* Præter ipſius Hippocratis noſtri conſilium THOMAS BARTHOL. in *Actis Hafn. Vol. v. Obſ. CXXVI.* obſervationes aliquot adducit, ad hanc rem apprime facientes; nam refert auditus difficultatem & dentium dolorem ſubſultu fuiſſe curatum; nobis vero jam conſtat ſubſultum corporis optime, convenientiſſime & commodiſſime per equitationem maxime eam, quæ ſubſultoria dicitur, fieri, per quam equitationem materia peccans dentes vel aures occupans, æque expellitur. Et ratione & exemplis notum eſt atque manifeſtum, homines qui catarrhis atque ophthalmiis humidis obnoxii ſunt, non melius ſe præſervare poſſe, quam ſi ſæpius & modice aëre tamen tranquillo equitent, quoniam recrementa ſeroſa, humida, abundantia ac ſtagnantia a motus & tranſpirationis defectu exorta, quæ cauſam horum affectuum conſtituunt atque originem, diſcutiuntur. Affectus ſoporoſos, temulentias, ſtupores capitis hoc noſtrum remedium potenter diſcutit ac corrigit, cujus rei exemplum modo noviſſime in Nobili quodam vidi, qui equitando mane, ab his incommodis ſe liberavit, & a periculoſis caſibus immunem ſe præſtitit. Imo & ipſam apoplexiam & paralyſin ſimili modo adhibita equitatio, certius præcavet, & epilepſiam avertit. Ubicunque etiam alias & convulſivi ſpaſmodici motus, uti in his ſubſunt (apoplexiæ enim validiori omni ſpaſmodici quid ſubeſſe ex vomitu plerumque vel antecedente, vel ſubſequente & contorſione convulſiva artuum ſub ipſo mali impetu hariolari licet) aptiſſime conducit equitatio. Ejusmodi enim ſtagnatio humorum acrium circa membranas &c. tollitur optime, novaque indoles, novusque motus ſpiritibus inducitur atque a forti illa agitatione, externa contraria, motus ſpaſmodicus internus aliter determinatur, ſufflaminatur atque ſedatur. Conf. GALEN. *L. V. Aph. Comm. 7.* Alex. Trallianus ex equitatione magnum auxilium promittit, ſi ea a leviori ad validiorem procedat. Ob hanc ipſam rationem, cordis palpitationem, quæ non niſi cordis vehemens ſpaſmus eſt atque convulſio, compeſcit, ac ſanguinem ſimul, polypum tandem inferentem,

craſſum,

craſſum, diſcutit, diſſipatque. In omnibus ulceribus inveteratis, calloſis, ſanioſis, recrudeſcentibus & fiſtulis mirum præſtat, diu protracta & inprimis iter faciendo aërem mutando, equitatio. Lucem dictis fœnerabitur evolviſſe T. DE MAYERNE *Conſil. de phthiſi, Act. Haffn. Vol. 3. obſ. 43. 476.* PARAEVM *Lib. X. c. VIII.* RIDLIN. *Lin. med. an. 95. p. 256.* ſanies enim & acrimonia parietes ulcerum exedens atque abſumens, & nutrimentum partis corrumpens impediensque ne illud iis apponatur ſic removetur, ſanguis dein purus continuo ad partes eo modo appulſus, cum lympha, roſcida, blanda, viſcidiuſcula, conſolidationem felicius citiusque efficit; Equitatio certe hic plus valet, quam omnia balſamica & ſimilia intus adhibita, utpote quæ lentius & imminutis eo perveniunt viribus. Hoc enim exulcerationibus ſolenne eſt, ut ad longum tempus producantur, conſolidatio vero citius dein ſubſequatur. Præterea conſtat expertis, omnia, quæ urinæ excretionem promovent, accelerare ulcerum vulnerumque curationem; equitationem vero urinæ fluxionem augere, ſuperius jam eſt probatum. Nec dubium eſt, quin & in ſcabie ferina & ſimilibus affectionibus ſalinis acribus & cutis fœdationibus pertinacibus egregie, vehementior paulo conferat. Ut in hæmorrhoidibus obſtructis moleſtiſſimis Angli expertam equitationem habent, ita & fœminæ Anglicæ in menſtruæ purgationis difficultate, optimo cum ſucceſſu illam in uſum ducunt quotidianum. Quin imo in fluxu ſanguinis hæmorrhoidali cum febre ſuadet CORNARIVS COMITI cuidam, vid. *Conſ. med. 19. p. 14.* ut ad unam vel alteram horam equitet, quod ad ulteriorem obſervationem dirigatur, nihil ad minimum contradictorii ſubeſſe certiſſime perſuaſus ſum, ſi utrumque malum ab obſtructione ſuum ducat ortum, ut certe utplurimum ducit. Hic legatur obſervatio quam Præſes a D. D. Pfiſtero Scaphuſano quondam celeberrimo Medico recenſitam habet de viro quodam hydrocele laborante, qui equitatione & compreſſione exinde facta curatus fuit, ex quo per aliquot temporis ſpacium immunis ab ea vixit; elapſo vero anno recidivam paſſus arborem aſcendens, qua adſcenſione iterum has partes laborantes compreſſit, hic tumor iterum eſt diſcuſſus, indicio forte quod ſerum extraverſatum locoque peccans per proceſſus peridonei in abdominis cavum fuerit protruſum. Quantum in chloroſi valeat ſuccuſſoria, magis lubet ſequenti affirmare obſervatione: ſcil. memini cujusdam virginis primariæ cachecticæ chloroſi, per multos annos laborantis, quæ in ſeceſſu illo Angliæ amœnisſimo in pago Ritſchmont non procul a Londino, ut loco commodo & ſalubri per æſtatem commorabatur,

tur, & quotidie bis equo incitatisſime currente vehebatur, ex quo ingentem copiam corruptorum humorum ejecit, ſicque ſubinde ſine aliis remediis vividum & aſpectu gratum faciei colorem & bonum corporis habitum ſibi conciliavit.

§. XXV. Quod primum ARISTOTELES meminit *Probl. XIII. Sect. IV.* equites eſſe libidinoſos, id in ſequentibus temporibus per frequentem obſervationem pro vero eſt acceptum, adeoque exiſtimandum, conjugatis venerem languidam & quidem ſeminis virilis defectum hujusque genitalis humoris legitimam minus ſecretionem & excretionem, ob lentorem indeque pendentem ſterilitatem paſſis, emolumenti haud vilis fiduciam exinde redire. Conf. MERCVRIALIS *de arte Gymnaſtica L. IV. c. VIII.* Etenim ſub hac agitatione blanda imo quandoque ſuccuſſante ac tremulo frictu, lumbi ac vicinæ partes genitales cum vaſis ſuis omnibus adferentibus, præparantibus & deferentibus incaleſcunt eoque ſimul laxantur ac amplificantur atque laudabiliter irritantur, ut ad hæc vaſa commoveatur magis, ſatis attritus arterioſus ſanguis ac in teſtium complicata ex arteriis ſubſtantia, ſecernatur purum vegetumque atque acre genitale liquamen, ſuo tempore debite legitimeque excernendum. Etenim diutius equitanti intumeſcunt inguen & ſcrotum renesque incaleſcunt (qui potiſſimum vero ſiniſter ad generationem plurimum conferunt conf. JOH. MATTHAEI *Cent. Difficult. med. Quæſt. XC. p. 270 ſeq.*) uti eunti, pedes. Commendant in hunc uſum CHRIST. A VEGA & WILH. INSVLANVS *lib. de ratione victus ſalubris Cap. 15.* SCHENCKIVS *Obſ. Lib. IV. obſ. 7.* impotentia virili cuidam laboranti, notanter ſuadet, ut juxta reliquam, quam addit victus rationem, ante cœnam trium horarum iter equeſtre peragat, per eamque feliciter fuiſſe ab ea liberatum, ſcribit. Atque adeo FERDINANDVS *hiſt. 26.* poſt benignam gonorrhæam, ex equitatione, priapiſmum ingentem obſervavit. Ob hunc motum etiam idem Ariſtoteles textrices mulieres quæ nimirum texendo æque ac in equitatione fit, pedes, crura & infimam præſertim corporis regionem movent atque attollunt partesque contentas conquatiunt ac calefaciunt, motuque hoc alternativo terunt confricantque genitalia, ex quo ferveſcunt & pruriunt, humoribus ſpiritibusque advocatis, libidinoſas eſſe pronunciavit. Ob ſimilem rationem etiam ſaltatrices ſalacitati ut plurimum addictas eſſe ab aliis cenſetur. Memorabile hinc præter alia eſt, apud veteres Germanos equum loco dotis fuiſſe, atque tradidiſſe gentiles, venerem equeſtrem ipſum filium Aeneam vocaſſe, ac eam hujusmodi ſub effigie coluiſſe. Huic aſſerto obloquitur quidem

HIP-

HIPPOCRATES. *l. de a. & locis*, & in *lib. de genitura*, comprobatque Nomadum exemplo, quibus ob frequentem equitationem fortiorem gestationemque continuam armorum, ex lassitudine fere perpetua, juxta regionem quam inhabitant frigidam & humidam infœcundam, & habitum corporis quoque humidum & mollem, vel equina libido extingueretur, ideoque morbo, quem fœmineum vocat ea propter Herodotus, laborarent plurimi. At vero certe modo comparet, culpam non tam in equitationem quam in lassitudinem perpetuam, quæ venerem quoque dejicit, ac in regionem frigidam humidam & infœcundam mulierumque Scythicarum otium & perparcum menstruorum fluxum cum ipso Hippocrate rejiciendam esse; frigidus enim aër & humidus præter modum, partes genitales facile debilitat, & habitum quoque corporis humidum, mollem atque relaxatum efficit. Accedit quod simul commemorat summus hic Autor, paucissimas feras, easque justo parviores istam regionem (de boreali hæc intelligo potius, quam JVSTINVS *Lib. II.* non de australi, quam MVNSTERVS & BODINVS *in Meth. Hist.* describunt conf. & JOH. MATTHAEI *supra citat. Difficult. med. Quæst. XCI. p.* 274) alere. Plurimum adhuc & maximum addit (Hippocrates) conferre momentum, concisionem vasorum pone utramque aurem & profusionem sanguinis arteriosi magnam (vox enim φλέβες in veterum scriptis, ut liquet ex Hippocrate, Aristotele, Galeno, Celso aliisque non de venis tantum, sed & de arteriis quin etiam de nervis, vid. JOH. ANTONID. VAN DER LINDEN *Medic. physiol. Cap. XVI. p.* 819. *seq.* accipitur) quam ordinario instituerunt (& forte læsionem nervorum) quo remedio ipsis doloribus articulorum mederi voluerunt, occalescentiamque vasorum exinde sequutam; nam ob spirituum inopiam deinceps ad torpidum usque præ imbecillitate somnum feruntur, ut scimus a venæ sectionis abusu enervari debilitarique homines. Non longius jam consensum, quem quoque adducunt nonnulli, aurium cum partibus genitalibus singularem, in probationem afferam sententiamque meam superaddam, unde v. g. LAVRENTIVS *Lib. VIII. anat. quæst.* 4. de Jure consulto quodam memorat, qui præcepit ut latronibus aures præscindantur, ne latrunculos generent, quod forte veteres adduxit ut scortatoribus adulterisque aures abscinderent, ut a lascivia & fœdo facinore impedirentur. Nec inanis prorsus hæc conjectura est, Andreæ Vesalio, si fidamus observanti, a sexta nervorum cerebri conjugatione nervos numerosos descendere in testes & vasa seminalia & sectionem venæ in malleolo infœcundos reddere, cui senten-

tiæ ſubſcribunt VALESIVS *L. H. & Philoſ. c. & Lib. II. & controverſ. 8. p. 72.* perhibens ſola arteriarum pone aures ſectione, homines ad generandum impotentes reddi, & RAD. A CASTRO vid. *quæ ex quib. Lib. IV. c. V. p. 262.* Hunc, harum partium, conſenſum cum aliis partibus quoque confirmant aliæ Auctorum obſervationes, v. gr. quando IACOB FONTANVS *l. a.* ex in dorſum caſu & percuſſione ſuper os ſacrum, HILDANVS percuſſione capitis, *Eph. N. C. anno 2. obſ. 104. p. 177.* & BAGLIVIVS, de fibra *motr. p. 347.* impotentiam virilem enatam fuiſſe, referunt. Ad hæc quoque facit, ſi diutius fonticuli plures geſtentur, obſervantibus SENNERTO *Lib. III. Part. IX. Sect. 2. cap. I.* MERCATO *de morb. mulier. Cap. V.* IOH. VARANDAEO *lib. de morbis mulier. cap. de ſterilitate* ad prolis generationem ineptos reddi homines. Jungatur ea obſervatio, qua BALLON. *Epid. p. 261.* indicat: impotentiam ex vulnere in ſura eſſe enatam. Huc etiam aliqua ex parte facere poſſet aſſertio, ſi vera eſſet, quam quidem ARISTOTELES & PLINIVS *Lib. VIII. cap. XLII.* afferunt: equorum libidinem juba tonſa exſtingui. Inſuper circa hanc ipſam rem notanter Cardanus *Commendat. ad Hippocrat. de a. a. & l.* advertit ex ipſo Hippocrate equitationem, ſine ſtapedibus, quæ apud Scythas tunc temporis nondum in uſu erant, (hæc enim imprimis ſuccuſſoria incommoda plura infert, illa quæ cum ſtapedibus inſtituitur) & coxarum dolores inducere & genitalia maxime lædere, & teſticulos præſertim comprimere, contundere atque ad ſcirrhoſitatem eos diſponere, ut ſcitiſſime jam ipſe HIPPOCRATES retulit *Lib. III. de fracturis*, corpus maxime debile reddi, muſculis & nervis femorum laborantibus. Hæc inquam ſi omnia contrahantur ac juſte æſtimentur, ſtatim apparet, equitationem moderatam ac convenientem, hic non accuſandam eſſe, ſed nimiam & inconvenientem, has partes & imprimis muſculos penis, qui erectioni inſerviunt, contundentem, cujus rei non deſunt Auctorum teſtimonia. In exemplum jam ſolum vocetur modo adductus IACOBVS FONTANVS *Conſ. 2.* Ut viros equitatio hoc ipſo reſpectu, ita & mulieres juvat, quo nomine Anglicanis ea probatur maxime; nimirum pari modo confert, ut ad muliebria ovaria ſanguis per deſtinatas arterias hoc modo attritus debite ſanguis tranſeat, & ſecretio exinde partium delineationi fœtus in veſicula aptarum fiat commode, quo medio atque remedio ovuli ſterilitas, vel monſtroſa partium formatio aliaque vitia ejus præcaveantur, impediuntur ac evertuntur. In præſens memorabile eſt, quod HIPPOCRATES in *lib. de a. a. & l.* de ſcytharum mulieribus dicit, eas nulla exercitatione corporis uti, atque ideo eſſe non admodum fœcundas;

das; famulas vero propter exercitationem juxta gracilitatem carnis, concipere frequentius. Hic tandem quoque de hydrocelico, feliciter equitatione curato, exemplum proponam, in quo compressione facta exinde sero extravasato per peritonæi processus in abdominis cavum protruso, aliquoties tamen recidivam passo, equitatione iterum instituta, tumor discussus est.

§. XXVI. Perinde & in artuum morbis, membris paralysi affectis, maxime admodum aucta (corporis enim conquassatio ejusmodi mire hic valet) in rheumatismatibus tam potissimum quidem præservandis, quam etiam curandis, commendanda venit, etiam licet primum augeantur dolores. Sic in malo ischiadico, expertissimum illam esse remedium, observationes testantur. Hinc scite inde coxas firmari ac roborari PLINIVS *Lib. XXVIII. cap. IV.* & femora, JOEL perhibent: THEMISON tunc ante omnia equitare consuluit ejusmodi ægrotantibus, quo magis ob vehementiam motus vexationem faciat, ut memorat COELIVS AVREL. *Tard. pass. Lib. V. c. I.* Non aliter scripsit THEODOS. PRISCIANVS *Lib. II. cap. XXXIV.* ischiadicos & rheumatismis excruciatos, & scorbuticos, itineribus, laboribus coactis, juvandos esse iisdemque expedire vectationem equo. Angli (ut ipse apud illos observavi) ad brachia & manus sic laborantes & paralyticas firmandas & juvandas convenienter satis in anteriori sedis & ephippii parte pulvinar ponunt, cui innituntur, ac pedes stapedibus; & majorem exinde fructum percipiunt, cum motus succussorius has partes exactius afficiat. Nec ideo veritati jam fucum faciam, si dixerim, equitationem valere in arthritide & speciatim podagra, utpote in qua iterum medicamenta sæpius spem conceptam fallunt, & in qua facilis per ea ipsa ad interitum gradus est. Qua de re ita SYDENHAMIVS scribit: *Fidenter assero multa & longe observatione suffultus, maximam partem eorum qui podagra periisse putantur, non tam ipso morbo, quam sublesta atque indebita medicatione fuisse peremptos.* Quæ verba, loco ulterioris explicationis illius, quod indicare volui, sint. Præcavet certe & curat singula hæc morborum genera equitatio, dum potissimum salia morbosa humorum, ex imbecillitate viscerum & roboris virium defectu, per debita emunctoria non secreta, ut eliminentur, robur additur. Exindeve mox apparet indicium & judicium, quod constet podagram communiter invadere eos, qui pathemata circa abdomen, colicam, cardialgiam, obstructiones viscerum & similes morbos experiuntur, illamque præcordiorum angustiam, asthma, gravedinem & similia comitari. Conf. GALENVS *Lib. VI. aph. c. XXVIII.* ubi affirmat:

exercitationem podagram fieri prohibere, & SYDENHAM. *Tract. de podagra p. 591. & p. 596.* Immo quotidie longeque in usum ducta & validior quoque pro subjecti natura & indole, tamen temperata non solum generationem tophorum impedit, sed & generatos jam, imo inveteratos & induratos solvit, ut idem testatur l. c. Hanc adeo extollit, Clarissimus ille Anglus (Sydenhamius) ut spondeat, quod si cui innotesceret medicina, quam & celare vellet, æque efficax in hoc morbo atque est equitatio constans & assidua, opes sibi exinde amplissimas facile posse cumulare. Equidem fateor supervacaneum hoc consilium hoc in passu maxime plurimis videri cum equitationem & pedum in stapedes repositionem ineptitudinem corporis ad motum, soccordiam cum doloribus podagricis vix convenire, appareat; Verum cogites vix molestum molestia abigi, nullam ullis vim inesse remediis, omisso motu, prætereaque hanc ob causam morbo cumulari morbo, perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim, multa siquidem & aspera sunt, quæ tamen sanitatis spe libenter admittimus, & licet primo aliqualem afferant molestiam, sensim tamen sensimque continuata non amplius ejusmodi causabitur, cum natura facile iis soleat assuescere atque aliis. Nostra hac ætate adhuc notus est Vir Generosus & Perstrenuus, bene Severi Imperatoris sententiæ memor; caput imperet non pedes Dom. Ge. de R. qui dolores sentiens podagricos statim, quovis etiam sit tempore e lecto surgit, equumque volucrem conscendit, & equitando his doloribus pertinacibus alias se immunem præstat. Perutile etiam consilium fuit iterum iterumque hic commendandum quod Nobili cuidam podagræ subinde obnoxio, pro ea avertenda suppeditavi: suasi nimirum, ut quando urinæ fluxus imminutionem sentiret (quæ urinæ imminutio ut plurimum alias signum adventantis paroxysmi podagrici est) statim per aliquot horas equitaret usquedum hæc excretio iterum flueret, quo observato ab hoc malo per octo jam annos, liber mansit. Etenim existimo quietem, quando ad illam trahuntur podagrici, ideo illis maxime nocere, quia humoribus ob motus defectum magis subsistentibus imbecillitatem augentibus, impuritates magis magisque cumulantur, ex quibus cumulatis malum subinde crescit. Materia namque arthritica profundius hæret intra membranas aut ligamenta arctissimis fibris contexta, ut ideo majori & frequentiori motu opus habeant, si corrigi ad excretionem disponi & eliminari debeant. Amplius existimo ex diuturniore affectu arthritico atque podagrico detenti, si quieti nimium indulgeant eos variis quoque morbis insequentibus aut concomitantibus reddi obnoxios,

noxios, ſiquidem ordinario videmus podagricos longiori decubitu fieri quoque calculoſos. Non ſolum efficacius & certius, ſed & tutius hoc remedium eſt, cum non ſolum artus, ſed & viſcera moveat, nam compertum mihi eſt, atque ab aliis annotatum, illas motiones quæ pedes ſaltem valentius movent v. gr. nimiam ambulationem, podagram in abdomen repellere, ibique viſcerum inflammationes & ſphacelum quandoque inducere, quæ vero ſimul eo modo avertuntur. Commode jam conſilii Celſi recordor: Si cui, inquientis, dolere nervi ſolent, huic, quantum fieri poteſt, exercendum; ſimulatque illis Hippocratis dicti, exercitatio eſt artuum & carnium cibus i. e. refectio ac robur articulorum & muſculorum. Majorem hinc podagricorum numerum inter voluptuoſos, delicatulos in otio viventes, & qui lectica portatili vehuntur, reperimus. Equidem adverſari ſibi ipſi videtur, quando alio in loco ſcribit *Lib. IV. cap. XXVI.* cui genua dolent, equitare omnium inimiciſſimum eſt &c. *Cap. XXVII.* equitare podagricis alienum. Dicatque HIPPOCRATES ipſe *l. de a. a. & l. Cap. XI.* femorum pedumve diuturnos labores oriri ab equitatione exemplo Scytharum paulo ante commemorato, qui vehementer ægrotabant, claudicabant & coxendices ipſis contrahebantur. Iterum iterumque largiamur hoc facile ipſi, cruribus divaricatis, & pendentibus pedibus per frequentem nimis & concuſſoriam duramque, maxime incommoda contrahi; inventis tamen hodie, atque ubique notis ſtapedibus, de quibus SEPTALIVS videndus, in *Comment. ad* HIPP. *de a. a. & l.* vel conductos ſtratores, quos vocabant alebant, qui equos conſcendentes miniſterio ſuo juvabant, quibus ſiſtuntur pedes firmiter, ſuſtentanturque cum toto corpore, factum eſt, quod antea metuebant, ut id nunc amplius non adeo metuamus. Scythis enim, ſi ad antecedentia paululum reſpicere velimus, adeoque & Hippocrati atque Romanis dein, tunc adhuc ignoti erant, loco enim horum, vel in viis eminentes lapides poſiti erant, quos aſcendebant, quorum PLVTARCHVS *in Gracchis*, & *Xenophon in Hipparcho* mentionem facit, quorum aliqui, in via Appia præſertim alibique hodie adhuc videntur. Laſſitudinem artuum, a lenta ſanguinis circulatione, phlegmaticisque cumulatis humoribus, omnium optime equitatio aufert. His ita animadverſis, notare non inutile eſt, Anglis, Helveticis, equitationem in pedum luxationibus eſſe probatam, quoniam motu illo partes luxatæ iterum commode reponuntur.

§. XXVII. Ferunt, ac ut rarum ſingulareque quoddam notant, Telephum & Peliam ab equa enutritos eſſe. Nobis dicendum eſt: ab

equis

equis, (si iis vehantur modica scilicet equitatione) macie confectos & graciles, ut & atrophia vel aridura partium & nutritione earum depravata ægre se habentes, & spina ventosa correptos, atque rhachitide (morbo illo in figura vitiata, rariori & Anglis quondam endemio,) sive etiam primaria ac nervosa appellata, id est, quæ ex vitio fit nervorum eorumque perverso & spirituum animalium statu præternaturali, sive secundaria magis ex hypochondriorum labe, laborantes, augmentum aut emolumentum atque medelam capere, dum ex equitatione non modo tonus & robur atque blanda strictura partium, debita iis maxime ad nutritionem necessaria accedit; sed & nutrimentum & roridus vapor, per illam ad partes madidas & turgidas magis transmittitur, assimilatur & corpus redditur compactius, aut confusa appositio corrigitur atque avertitur. Conf. B. MORTON *Phthisiol. p. 6.* ut & GLISSONIVS *de Rhachit.* CHARLETON *Ex. pathol. X.* MAYOW. DOLAEVS in *Encycl.* sanguinis enim circulus præcipua causa nutritionis & augmenti corporum est, quod maxime a repletione tubulorum a succis dependet, quoniam per motum progressivum nutritius succus per arterias ad partes mox iis assimilandus adducitur. Ad hoc quoque scire licet, ad soliditatem partium conciliandam necessarium esse, augeatur vis motrix & elastica, quæ expandendo, succos in partium poros adigat, & quasi incuneet. Vim hanc elasticam atque expandentem, in nutritione vegetabilium manifeste deprehendimus, quæ succrescentia, vicina contigua & circumposita corpora, eaque sat ponderosa, dura & compacta, solida, ut lapillos, frustula ligni & vitri, testæ &c. submovent atque diruunt. Exinde etiam per se intelligitur, assiduam equitationem impedire, ne carunculæ aliqua in parte, ejusque superficie aut cavitate interiori, in canaliculis &c. inordinate excrescant, & ne verucæ, polypi & in pedibus tophi, molæ in uteris muliebribus generentur. Quod scribenti mihi venit in mentem locus a Suetonio notatus: cum in Germanico Imp. R. formæ minus congrueret gracilitas crurum, eam paulatim repletam fuisse assidua post cibum equitatione; Crura enim in equitatione super stapedes præsertim hodie usitatos, multum intenta atque infixa, multum exercentur atque dum eorum fibræ & musculi intenti & pressi habentur, sanguis quem suggerunt arteriæ, inibi detinetur nec tam facile per venas refluit sicque partes hæ uberius aluntur ac mole augentur. Membra vero bene sæpiusque exercita omnia, ut ex supra jam adductis constat, crassa, ampla ac fortia magis redduntur ut v. gr. pistores quia massam quotidie depsunt manus amplas crassioresque habent; exercitium enim, ut ait Avicenna

cenna membrum magnificat. E contra etiam, ubi extenuatio propoſita eſt, ut in obeſitate nimia ac monſtroſa, æque conducit. ubi nimirum eo devenit corpus, ut nec ingredi ſine moleſtia, nec ſedere propter ventris molem, nec reſpirare libere ſic vitiatus homo poſſit, quod vitium (non pauca certe incommoda parit, quæ AVICENNA *Lib. IV. F. VII. Tr. IV. Cap. V.* recenſet, ut coarctationem vaſorum, interceptionem ſpirituum animalium difficultatem reſpirationis, ſyncopen, apoplexiam, paralyſin, palpitationem cordis, diarrhœas, febres &c.) curandum non leviſſimum unum ex officiis medici eſt, ut GALENVS ait *Opp. T. VI. Lib. XIV. text. 15.* Præter id genus monſtroſa quandoque extenuanda etiam corpora ſunt; quod Hippocrates præcipit, quando evexiam athletarum tanquam periculoſam tollendam eſſe, exiſtimat; ſi autem fortior extenuandi cauſa equitatio ſuſcipitur imo fortiſſima diuturnior, ſæpiſſime ac quotidie iterata omnino requiritur, & ad ſudores usque largos protracta, ut ſuperflui, alibiles ſucci & ipſa corporis pinguedo atterantur, & attenuentur mediante motu valido, & in auras inſenſibiliter reſolvantur; Quo modo (ut fertur) Nicomachum Smyrnæum ea craſſitie conſpicuum vel potius horrendum, ut ne poſteriora quidem tangere, neque ſe movere poſſet, Æſculapius curavit. Hæc ut illuſtrentur, ſiſto illud HIPPOCRATIS dictum *l. de ſal. diæt.* pingues, qui graciles fieri volunt, omnes labores jejuni facere debent; & cibos aſſumere anhelantes adhuc ex fatigatione, & rurſus illud *Lib. VI. epid.* Extenuatio fieri debet motu nimio & exiguo cibo, refectio motu moderato & cibo multo, conſervatio utriusque moderatur.

§. XXVIII. Quando exercent febres intermittentes diuturnæ rebelles, equitando quoque exerceatur corpus, ſecundum CELSI illud præceptum quod ſuppeditat *Lib. III. cap. XV.* Quo die quis febrem exſpectat, anteſurgere & exercere dareque operam oportet, ut in ipſam exercitationem tempus febris incurrat: Sic enim ſæpe illa diſcutitur. Eæ enim, (ſecundum meam quidem ſententiam, ac ut veriſimile eſt) oriuntur, primum ex pororum cutis obſtructione, viſcida craſſaque materia, & inde facta conſtrictione & repulſione humorum a peripheria ad centrum, tonoque ſimul vitiato, ſpasmoque dein vaſorum ſanguiferorum & nervorum circulationem humorum ſic alterante, inducto: Quare in illorum reſeratione, perſpiratione materiæ peccantis viſcidæ, ſalſæ, ſubactione ſpasmi, canaliculorum compoſitione & toni reſtitutione, curationis præcipuum quoque momentum ponitur, quod optime æqua equitatio præſtat, non ſolum vero placida, mediocris, ſed & ſi cauſæ contumacia

id exigit, valida, fuccufforia, & ea quæ cum contentione fit & in circulum actione. Inter quas, quanto pertinacior quartana, tanto commendatior hujus ufus eft. Galli imprimis paroxyfmo inftante, pro hac illam inftituunt, pofteaquam vinum generofum (mofchatum præ aliis fuadent,) fat large in quantitate biberint, tamdiuque ea corpus commovent, ufque dum largiter fudore perfundantur; fiquidem ejusmodi curationis methodum felici fucceffu aliquando me Parifiis commorantem, in juvene Germanico quartana pertinaci vexato, vidiffe recordor. Recordor tamen etiam fimul, ex immoderata & vini generofi fimul potatione, Nobilem Juvenem Anglum, plethoricum, ibi tunc quoque degentem, ex febri fimplici tertiana, in continuam, deliria & alia gravia fymptomata incidiffe. Refert ad inftitutum & ad autoritatem comparandam adducere obfervationem XXXV. Cl. Pechlini, qua cujusdam quartana inveterata laborantis, mentionem facit, qui medicamentis tandem pertæfus, paroxyfmo appropinquante, equo afpero & parum domito vehebatur atque magno nifu obluctabatur ferociæ ejus, quo febrem hanc contumacem penitus fugavit. Ejusmodi remedii genus, laboribus & exercitiis fortioribus nimirum, fimilem incipientem præfertim morbum abigere, Afclepiades affirmavit. Meminit Celeberr. FRID. HOFFMANNVS in *Med. Rat. Syftem. T. IV. Sect. I. Cap. VI.* viri cujusdam hypochondriaci & febri catarrhali ægerrime conflictati, qui equitatione, non omiffis tamen medicamentis convenientibus priftinæ valetudini ex toto redditus fuit. Quid? quod ipfe (Afcl.) præcipue quoque ipfa (equitatione) ufus eft in febri ardente vehementi, adhuc tamen recenti, ut refert CELSVS *Lib. II. cap. XV.* quod ego equidem hodie non facile fuaderem. Cæterum cum blando & uniformi motu ad fuave fomnum invitemur, equitatio lenis & gradaria fomnum læfum aut amiffum corrigere & reftituere poterit, M. A. SINAPIVS in *Parad. med. P. II. p. 109.* refert: Tartaros de lue venerea fufpectos, corpora fua longis equitationibus ad fudores largos usque exercere, juncta inedia & pulvere calami aromatici fæpius exhibito, iisque remediis hanc luem depellere. Quantum valere poffit præfervatione contra morbos contagiofos, hic faltem annotaffe fufficiat, (licet alia facile caufa etiam inveniri poffit) quod Rhafis ABVBETER, Medicus Arabs citante MERCVRIALI *de arte gymnaft. Lib. III. cap. XV. & Lib. VI. cap. ult.* nobis refert: contigiffe in quadam pefte, ut cum fere omnes perirent, foli equites venatores ob fummam valetudinem affiduis exercitationibus partam, incolumes evaferint; Ad hoc referunt experti, equites milites peditibus, familiaribus

ribus alias morbis & epidemice grassantibus in castris febribus malignis, petechialibus, morbo hungarico, dysenteria &c. minus vexari.

§. XXIX. Sigillatim indicandum est, equitationem omnibus aliis remediis anteponendam esse, in illis morbis pertinacibus, qui ab animi pathematibus, ut diuturno angore animi atque mœrore & tristitia oriuntur, quæ plus adhuc afferunt mali, & in quibus juvamina, quæ a medicamentis petuntur, frustranea utplurimum sunt quandoque vero noxia, de quo testis est Exper. BAGLIVIUS in *Dissert. de Tarant. Cap. VII.* & *Prax. med. Lib. I. cap. XIII. §. 4.* Angli quoque ejusmodi in casibus non satis hanc possunt laudare. Quippe hæc maxime in partes nervosas, & quæ sensibus & motibus sunt dicatæ agunt, repetitis spasmis eas afficiunt, earum robur ac motum violant planeque immutant, singularemque in chylificationis officinam exercent tyrannidem: nam per illa mire tonus ventriculi & intestinorum labefactatur ac destruitur, eoque alimentorum digestio, secretio, excretio, turbatur, laudabiles succi omnes, maxime spiritus animales, consumuntur, iisque alienus perversus & turbulentus motus infertur, spirituascentia impeditur, & reliqua humorum massa singulari languore notatur, sicque universi corporis vires solvuntur, obstructiones gignuntur, ideoque aut graves producuntur morbi, aut benigni alias eique leviores, graviores & insanabiles atque lethales redduntur. Hos alienos atque perversos motus, hic laudabilis per equitationem motus corrigit, aliam determinationem, ab extra sic advenientem inducit & inordinatam atque perversam componit, fluidi nervei influxum interceptum restituit, sanguinem, cum reliquis humoribus temperate movet. Certior exinde sperandus effectus, si equitando iter ad alium locum ejusmodi affectuum intemperantia læsi instituant, ubi relicto, quod turbavit objecto, mutatione ac novitate loci simul recreantur, adversorum vero obliviscuntur. Talis instituti ratio his in casibus omni medicamentorum apparatui longe est anteferenda, cum perspectum sit, quod in his remedia ex pharmacopolio petita, licet etiam mihi nomines species lætificantes Galeni aliaque, parum aut nihil proficiant. Ut hos motus anomalos, sic inductos ejusmodi corporis motus corrigit præsentes, ita & contra futuros munire animum potest, quippe animi affectuum ea indoles est, ut levi ex causa facile suos motus irregulares repetant. Qui semel animi mœrore magno longoque est contristatus, aut metu ac horrore paulo sæpius perturbatus, aut iracundia accensus, præter voluntatem deinde levi occasione, frequenter sic afficitur. Ratio ex modo dictis jam patet, & antecedentia persuadent, ubi

eſt indicatum, equitationem hilaritatem quandam & fortitudinem animo addere. Exinde porro liquet quoque hoc remedii genus apprime quadrare iis hominum, qui mira impreſſionis vi capti, morbos ſibi varios ipſimet fingunt eoque certe accerſunt quosque nec medentes illique perſpicaciſſimi ſæpe nec ipſimet ſignis ſatis perſpicuis manifeſtare poſſunt.

§. XXX. Cum merito equitatio confortans maximum a Clariſſimo Sydenhamio ſæpius adeo laudato ſalutetur, nullum dubium ſupereſt, quin vires priſtinas per eandem recuperare feliciter poſſint, a longis & pertinacibus morbis debilitati, convaleſcentes, præſertim, cum ita cum iis comparatum ſit, quod ſi corpora ſua non leniter ſubinde exerceant, ut parcius lentiusque, aut vix integras vires recuperent, aut hoc ipſo morbos revocent: ut enim omnia recte in corpore humano peragantur, motus omnino neceſſarius eſt, & tunc egregius equitationis imprimis eſt uſus, gradariæ lenis quidem placidæ ſæpius, ſed non diu una vice in uſum ductæ. Nominandi hic ſunt ſpeciatim phthiſin, febres tertianas & quartanas pertinaces, gonorrhœam veram, largam hœmorrhagiam, dyſenteriam perpeſſi, univerſo corpore imbecillo exſanguique facto. Talis placida & modica equitatio, præſertim in adſuetis vires deperditas exhauſtasque certe & mire reſarciet, appetitum penitus deſtructum reſtituet, digeſtio ciborum & diſtributio alimenti debita ſuccedet efficietque, ut citius priſtinus redeat vigor, & recidivæ quas vocant, & morbi, qui alias non raro convaleſcentibus accidere ſolent, avertentur, haud alia ratione, quam quod lentores a morbo relictos dividat, digeſtiones revocet, calorem naturalem ſuſcitet, ſanguificationem & novi bonique ſanguinis influxum, ſpiritualſcentiam adjuvet & tonum laxatum reſtituat.

§. XXXI. Neque penitus obliviſcendus eſt alius equitationis uſus, nempe, ut modicam corporis motionem nec inconvenienter amant, qui miſſiones ſanguinis per phlebotomiam & ſcarificationem admiſerunt, ita placida equitatio hic quoque præ aliis eligenda eſt. Hinc Angli atque Helvetici imprimis poſt venæ ſectionem, quam vere & autumno præſervationis gratia inſtituere ſolent, hoc exercitii genus conveniantiſſimum cenſent, in aëre liberiori ruſticano inſtitutum, quare tunc eam vix unquam intermittunt. Nec nobis quisquam eam diſſuadere facile poterit, nam liberior & exinde æquabilis per omnes partes ſanguinis diſpenſatio optime fit, diſpendium vero forſan ex detracto ſanguine citius reſarcitur, calor & ſpirituaſcentia reſuſcitatur, eoque modo

modo ſimul incommoda, quæ largiorem ſanguinis miſſionem ſequuntur, ut ventriculi debilitas, cruditates &c. avertuntur, adeò, ùt novus ſanguis, ſi per aliquod tempus quotidie continuatur, melius ſubigatur intimeque uniatur. Nec ante venæ ſectionem inutilis erit, ut ſpiſſus ſanguis ſubtilior & fluidior reddatur eoque melius circuletur atque ex vena promtius proſiliat quemadmodum Celeberrimus F. HOFFMANNVS uti videre eſt *in Med. ejus Conſult. P. VII. p. 268.* cuidam ſuaſit magna humorum impuritate laboranti, ut ante venæ ſectionem corpus per ambulationem & equitationem commoveat.

§. XXXII. Poſtremo loco pari modo non omittendum eſſe cenſeo, quod mulieribus gravidis, quum ordinario multis ærumnis graventur, ad partus niſus feliciter ſuperandos, quotidiana modica, lenis tolùtans imprimis, gradaria equitatio aut circa ultimos menſes, nec ſine ratione obſcura, utilitati ducenda ſit. Frequenti igitur fœminis Anglicanis prægnantibus atque partui vicinis, hæc in uſu eſt, qua facilem felicemque partum ſibi conciliare credunt. Nec fallit opinio: Quanto enim prægnantium intereſt, ut per totum geſtationis tempus vitales humores omnes in debita proportione, temperie & motu conſerventur, ut tam ipſarum quam fœtus tenerrimi ſaluti conſulant, ac quanto ipſæ ad varios hoc in ſtatu affectus præternaturales per ſe jam ſunt proclives, tanto inquam exactior ea ipſis ſit vivendi ratio. Hæc, præter reliquum regimen, imprimis etiam modicam corporis complectitur motionem, quæ nullo non geſtationis tempore apprime conducit; Eo magis ea neceſſaria eſt, quo magis hæ ad quietem ſunt pronæ, quæ matrem & fœtum torpidum reddit, eaque partum minus facilitat; Hoc tamen moderamen probe obſervent, ut primis geſtationis menſibus, mediocris hæc motio in uſum ducatur, cum ob debiliorem adhuc cum utero nexum, abortus periculum ſit timendum, ac ultimis dein liberaliori indulgeant. Hæc modica corporis motio & ſecretiones & excretiones debitas, præſertim inſenbiles tranſpirationes, quæ in gravidis, variis ex cauſis juſto parciores eſſe ſolent, quas omnes intermiſſa debita corporis motio inhibet ac plane ſufflaminat, utiliſſime exſuſcitat ac promovet, ſicque impedit, ne excrementa cumulentur, ſimulque quicquid torpet convenienter excitatur, omnia in debito circuitu debitoque ac amicabili calore conſervantur, atque foventur, ſingula digeſtionis & egeſtionis genera, maximopere juvantur; atque vitia illis admodum familiaria, ut obſtructiones, tumores œdematoſi &c. præcaventur. Ultimis

præfertim menfibus palpitatorius ille motus fæpius iteratus, egregie ad faciliorem enixum omnia præparat, viamque commodam fternit.

§. XXXIII. Quod vero omnibus omnino remediis commune eft, nifi modi, durationis circumftantiarum, individuorum, ætatis, temperamenti, habitus corporis, temporis, vitæ generis, confuetudinis, aëris victus, proportionis, ordinis & valetudinis præfentis, morborum &c. ne ullo modo excedant, habeatur ratio, aut fruftraneus illorum eft ufus, aut damnum ingens fubfequitur; etiam hoc de omnibus exercitationibus, adeoque & de equitatione neceffe eft, fateamur; fecundum enim HIPPOCRATIS monitum *6. epid.* labor &c. omnia mediocria facienda. Meo igitur & hic non defuturus officio, circa equitationem, quæ falutarem in finem fufcipitur, rite in ufum trahendam, faltem generales quasdam adhuc regulas tradam: Nimirum debilibus teneris, ficcioribus cholericis, plethoricis, non affuetis, in quibus lenis placidaque brevis, iterata indiesque fenfim fenfimque aucta; robuftioribus, carnofis & quibus ferum in fanguine abundat, vero, viribus valentibus, aut quibus periodici quidam morbi, certo tempore redeunt, validior, frequentior longiorque expetitur, placet & confert, quod hunc in modum præclare dixit CELSVS *Lib. II. c. XV.* levia quidem genera exercitationis firmiffimis ac recte valentibus conveniunt, valentiora vero his, qui jam pluribus diebus febre liberati funt, aut his, qui graviora morborum initia fic fentiunt, ut adhuc febre vacent. Ut & alias HIPPOCRATES innuit *l. de fal. diæt.* carnofos ambulare citius oportet, graciles vero tardius. Vertigini obnoxii non in orbem forte equitent, ne offufa oculis caligine, in terram delabantur. Juvenibus in quibus velocior adhuc eft fanguinis circulatio, moderatior atque alimentorum quantitati, quam affumunt accommodata equitatio imprimis convenit. Ill. BACO DE VERVLAM. *Sermon. fidel. 18.* Pueris quibus jam agiliffimum corpus eft, a feptimo anno, equitationem poffe concedi, minorem tamen quam vires ferant, recte autumat. Concedit iis, & illam GALENVS *l. de tuenda fanitate cl. II. p. 130.* Senibus præfertim ejusmodi motionibus adfuetis fecundum HIPPOCRATIS *Aphorifmum 49. & 50. Sect. II.* equitatio maxime utilis imo neceffaria videtur, hinc fæpius adeo adductus Sydenhamius vitæ ἀκμὴν prætergreffis, multo diutius in hac exercitatione perfiftendum, quam infra hanc ætatem pofitis, præcipit, fed iis non diuturniorem nimis & duram defatigantem, fed placidam lenemque potius fuaderem. Confuetudo enim, ut in rebus non naturalibus maxime ita & hic confideranda: Videmus hoc in tabellariis, qui licet fenes & in-

validi

validi multa sæpe milliaria haud difficulter, pedites conficiunt. Diu enim multumque agitatæ partes ad labores indurantur ac non tantum robur insigne sed & promptitudinem aliquam ad motum acquirunt, ut scite EMANVEL STVPANVS in *Comment. ad Apor. Hippocrat. physiol. p. 149.* explicat. Eleganter hoc ipsum CICERO expressit *de senectute p. m. 84.* sequentibus verbis: *Potest exercitatio & temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.* Ratio illius in patulo est, nimirum in his & fibrarum vigor & sanus humorum status deficit, quoniam is nimis spissus est atque pituitosus ad obstructiones pronus & inde major fibrarum immobilitas & lentior sanguinis circulus est, & hinc dependentes necessariæ secretiones & salutares excretiones lentius quoque procedunt, hinc excrementorum copia major evenit insuperque senilis calor, qui per se debilis existit, debilior fit, nisi commoveatur atque a moderato exercitio excitetur simulque ciborum appetentia eorumque digestio & recrementorum egestio juvetur & promoveatur ejusque sic beneficio robur vitæ ac membrorum vires sustineantur secus alterutro deficiente perituræ. Atque cum in his abdomen maxime patiatur, quia sanguinis circulatio per venam portæ præsertim & adjacentium viscerum vasa difficilior lentiorque evadit, unde tonus debitus harum partium perditur, qui ad calculos, hydropes, scorbutum, apoplexiam, hæmorrhoides, stranguriam & similes affectus senibus familiares, expeditam parat viam. Nam hic, eum observamus naturæ ordinem, quod secundum ætates soleat per partes ordinario descendere, cujus fundamentum in fibrarum habitudine, tono, robore, tensione, ac elatere validiori aut invalidiori & fluidorum laxiori aut strictiori invicem cohærentia, maxime est fundatum. Sic primum infantilem ætatem, ob fibrarum mollitiem & pendentem hinc atoniam, juxta serum impurum, capitis defluxionibus, tinea & convulsionibus, epilepsia &c. affici comperimus. Mox juvenilem, in qua fibræ jam sunt tensiores & sensibiliores, sanguis magis abundat, hæmorrhagia narium, hæmoptyses, spasmi thoracis, tusses, pleuritides, phthisis invadunt. Virili ætate dein major fit fibrarum tensio, unde majores iis, pluresque dolores, inflammationes, arthritides & similes morbi sunt familiares. In senectute denique sanguis magis vappidus redditur & viscidus, transpiratio minuitur omnesque digestiones debilitantur omnesque functiones suam pristinam naturam atque constitutionem amittunt; speciatim infimus venter magis patitur, ac calculi, hœmorrhoides, stranguria, dysuria &c. contrahuntur, unde & senes toties urinam pituitosam reddunt. Idem

quod

quod a me modo indicatum eſt, ſentiit & ſcripſit Clariſſ. Frid. Hoffmannvs *Med. Rat. Syſt. T. II. p. 344. §. 23.* frequentem corporis motum maxime equitationem vires & valetudinem ſenum tueri. Hoc ipſum Cato jam indicavit his verbis: Reſiſtendum ſenectuti eſt, ejusque vitia diligentia compenſanda ſunt, pugnandum, tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Videmus non raro agricolas & tabellarios, qui utut octogenarii, labores eosque ſat duros ſtrenue obeunt atque facili membrorum agilitate, curſu defunguntur, quique ſi vitam ſedentariam agerent, male ſe protinus haberent brevique morerentur. Nec vero corpori ſolum ſubveniendum eſt, ſed menti atque animo multo magis. Nam horum facultates quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, exſtinguuntur ſenectute. Quare juvenes ſedulo moniti ſint, ſi a puerili adoleſcentique ætate ſanguineos tenuoris texturæ, longioris ſtaturæ, ſanguineo cholericos, aut ſanguineo-melancholicos & phlegmaticos, præſertim ſe ſentiunt, aut crebris catarrhis, narium hæmorrhagiis tentantur, aut eædem præpoſtere ac immediate cohibitæ fuerunt, aut ſi hereditaria hæc mala metuunt, niſi & citius, præprimis phthiſin, hecticam, nephriticos cruciatus, aut podagricos, incurrere atque iis tandem perire velint, ut habeant decentem & modicam corporis motionem, & præſertim equitationem ſibi commendatiſſimam. Licet moderata equitatio omnibus temperamentis quadret: attamen, præ omnibus aliis maxime convenit etiam quandoque fortior, & auctior conſtitutionis humidæ & frigidæ hominibus, quos phlegmaticos vocares, quibus calor valde eſt remiſſus, & ſegnities membrorum notabilis, indicio, motum cordis hincque transpreſſionem ſanguinis eſſe langvidam & in fibris muſculoſis tenuem, remiſſam, ex quo etiam exercitiorum genere, paulo acrius ſuſcepto mox rubeſcere incipiunt. Spectat huc locus ab Hippocrate notatus *Epid. L. VI. Text. 2.* calidi, & qui pauco utuntur cibo, reficiuntur otio, & ipſis exercitationibus labaſcunt; frigidi & qui multo utuntur cibo, inareſcunt otio, exercitationibus reficiuntur. Nec non ſanguineis gradaria admodum utilis & neceſſaria eſt, his enim motus & abſtinentia ordinario loco optimi medici & remedii ſunt, ſanitatem diu, incolumem ac ſalvam conſervandi. Ubique vero & ſemper tolerantiæ & adhuc magis conſuetudinis eſt habenda ratio, quæ plus facit ad tolerantiam, quam robur, & movendi facilitatem concedit, juxta Hippocratis monitum *Aph. 49. Sect. II.*

qui solitos labores perferre consuevere, etiamsi invalidi sunt, aut senes, eos facilius ferunt, quam qui non adsueti, quamvis robusti & juvenes. cui affinis est illud CELSI *in Lib. I. de Med. C. III. Omnem etiam laborem facilius vel puer vel senex, quam insuetus homo sustinet; atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis est; quia potest incidere laboris necessitas.* Alibi præcipit idem Hippocr. utile esse sanis quandoque ad insueta transire; ac rursum Celsus confirmat, nullis certis legibus obstrictum esse, interdum quiescere, frequentius exerceri, pro sanitate esse.

§. XXXIV. Semper etiam, (quod de omnibus exercitiis est tenendum, ut nempe in initio & fine debeant esse lenta) si nimirum pro curando pertinaci inveteratoque morbo diuturnior sit suscipienda, prius aut leni fricatione aut ambulatione, corpus ad validiores motus suscipiendos præparent atque a levioribus per breve tempus equitationibus, & modicis itineribus, præsertim non adsueti & imbecilliores ad longiores & per itinerum dissita spatia procedant, cum ex effato HIPPOCR. *Sect. II. Aphor. 51.* multum & derepente evacuare aut replere, aut calefacere aut frigefacere, aut aliter quocunque intempestive corpus movere, periculosum sit atque constet omnem repentinam mutationem esse noxiam. Equites vel in ipsis suis equis hoc observare possunt, qui, si in itineris initio statim nimis incitantur, brevi fatigantur & in cursu deficiunt. Hic ordo, hæcque ratio naturæ semper magis consentanea est, & conveniens, quæ etiam molestiam, quæ quandoque non adsuetis accidere solet, avertit. Sanguis enim crassior & copiosus vehementi frequentique agitatione impulsus, per minimos tubulos difficilius vibratur ac volvitur, & ubi dein restagnat, vel ad vicina vasa remeat, tensiones vasorum dolorificas & insignem corporis languorem parit. Totum etiam corpus, quod antea quiete placatum est, si repentino motu subito concutiatur, gravissime inde læditur. Præsertim ideo hunc modum teneant hypochondriaci & melancholici, qui ordinario si fortius mox incipiant moveri, illico angustias & molestias magnas persentiscunt. Clarissimus Sydenhamius, postquam quotidie gradatim suscepta equitatio fuerit, tandem ad vigesimum, imo ad trigesimum lapidem usque (secundum computum Anglicum scil.) in morbis diuturnis & pertinacibus phthisi, hectica, malo hypochondriaco &c. eam producere, & per menses aliquot in eadem perseverare suadet. Bis in die, mane scilicet & vesperi corpus exercere conducit, tam ad sanitatem & vitam diu conservandam, quam labefactatam reficiendam. Conf. GAL. *lib. de parvæ pilæ lusu.* Secundum SANCTORII *in Med. stat. Sect. V. Aph. 23.*

 inqui-

inquientis: *Tunc exercitium est saluberrimum, quando post factam primam & secundam coctionem corpus reducitur bis in die ante cibum ad consuetum pondus* & ipsius HIPPOCRATIS sententiam *Epid. Sect. 4. tit. ultimo* labores seu corporis exercitia, cibos præcedant, igitur & equitatio, hæc enim appetitum excitant. A prandio aut post pastum, non nisi placidissima, lenissima, ac levissima instituenda, ne velocius cibi quam par est, ex ventriculo ad intestina rapiantur, & chymi & chyli expressio citius validiusque nimis urgeatur, sicque ciborum solutio debitaque distributio impediatur. Quod aliquando Fridericus III. Imperat. Rom. in duobus ad mortem damnatis & decollatis, deprehendere oculis, concessit. Vid. HOFFMANNVS *Lib. V. Institut. cap. XXXII.* Hinc quoque ex eo infestant capitis perturbatio, vertigo, oculorum obfuscatio, colici dolores, scabies, abscessus &c. Imprimis equitantes corpus cibo & potu non gravent nimio, cum ii non solum (imprimis hypochondriaci a paulo fortiori equitatione male se habeant, & si præ aliis assumtis, lac, pinguia, acida, vinum &c. sumserint) ructus & stomachi ardores persentiscant, dum assumta ad duodenum ipsumque ventriculum regurgitant, sed & atque maxime præ aliis alio exercitio exercitatis tunc non raro hoc incommodo vexentur, quod dolorem punctorium & lancinantem rarius in dextro, in sinistro frequentius latere, & respirationem sufflaminantem cum apparente interdum tumore sentiant, quod nihil aliud est, quam spasmi flatulenti species, a flatibus, colon potissimum ex dextro hypochondrio surgens, sub ventriculo ad sinistrum latus flexum, lieni connexum, & recurvatum, una cum monocolo distendentibus & inflantibus oriunda, ut & alias experitur sinistro hypochondrio plures flatus colligi. Vulgus lien accusat, & merito quidem, quandoque, cum juxta modo descriptam coli intestini inflationem spasmodicam, sæpius infarctu forte sanguinis pressus, inæqualem motum patiatur ac relaxetur, quam relaxationem fibræ lienis longitudinales tunicarum exteriores æque ac intestinorum &c. ex facili admittunt, unde vaporum enascentium spatium conceditur, ac molesta distensio in actum deducitur. Persuadent hoc quoque fœminarum menstruatarum tunc inflationes dolorificæ per plures dies infestantes, nullisque clysteribus cedentes, concomitantes sequentesque fluxus hæmorrhoidales, in viris, cruenti vomitus & similia symptomata. Liquet vero ratio simul, cur equitibus familiaris hic dolor hypochondriacus sit, quod pedibus interdum stapedibus fortius innixis, abdominis musculi stringantur attrahanturque. Attamen nec confert ejusmodi exercitia jejuno plane stomacho instituere,

quem-

quemadmodum experimur, laborantes & corpus moventes ob vacuum ventricuum, variis incommodis premi, ex capite laborare, nausea affici &c. Imprimis biliosi habent, quod eos molestat ac lædit, utpote qui inediam perferre sine subsequenti noxa vix possunt, de quo notum est HIPPOCRATIS effatum *lib. epid. text. 18.* Cibo & potu bilis fervor temperatur & eorum abstinentia exuritur, acriorque fit. Repetit & confirmat idem *Lib. VI. text. 24.* Atque jejunos tunc molestat frigidus præsertim aër, cum ille potissimum halitibus niveis turgidus, imprimis si nix copiosius delapsa iter moratur vid. BARTHOL. *de nivis usu Cap. XXXIII. p. 187.* respiratione in ventriculum illapsus, plus faciat desiderari cibum, pungendo & convellendo ventriculi tunicas Conf. FROMMONDVS *l. v. meth. Cap. V.* Unde ex. gr. stomachicum optimum erit secundum RONDELETIVM *Method. cur. morb. p. m. 428.* caro suilla fumo indurata & lucanicæ Bononienses, quoniam coarctationem ventriculi impediunt (SIBALDVS *Prodr. Hist. Nat. Scotica P. II. S. 2. Cap. I.* resinam abietinam suadet. Ex hac dubio sine ratione, crusta panis adeo profuit Bruto illi apud PLVTARCHVM *Lib. VI. Sympos. 18.* Apolloniam per nives proficiscenti bulimia affecto. Insuper acceptum quoque referimus cum modo adducto PLVTARCHO *l. c. quæst. 8.* retentionem halituum spirituosiorum, ex obstructis undique corporis poris, conversionemque introrsum sanguinis & spirituum, facileque credimus exinde fieri ingentem fibrarum motionem, imo quoque dolorificam sensationem. Igitur parcior, levior ac humectans non flatulentus ante hoc præsertim exercitium cibus sumatur; A quali pastu dein & equitatio placida lenis & levis confert, qua assumta blando motu subiguntur, solvuntur chylusve novus perficitur meliusque ad sanguinem defertur, hinc PLINIVS memorat *Lib. II. cap. LV.* Athletas maluisse semper cibos ambulatione quam somno perficere, ratos, somnum ad corpulentiam quam firmitatem magis conferre. Insuper crebrescentibus his exercitiis plenior respondeat victus, parcioribus in pastu tale sit & exercitium. Quæ regula diætetica ubique hæc commoda habet, quod nutrimentum ad partes alendas magis transmittat ac per sudores excretionem facilitet, unde perfectior in partibus assimilatio, simulque corpus reddat solidius compactiusque minusque deprædantibus spiritibus obnoxium: e contrario vero spiritus magis incendantur attenueturque nimis humidum corporis, intimiora nimis concutiantur, quæ quidem magis quiete gaudent, ut scite explicat illustris BACO DE VERVLAMIO *in Histor. Naturali Cent. IV. p. 817.* Priusquam & sic exerceantur, alvum & vesicam exonerent,

quia omnis motus species, imprimis hæc nostra, ad corporis ambitum pellit ac intestina aliquantisper quasi exsiccat, Conf. GALENVS *Lib. III. aph. com. 20. & Lib. II. de sanit.* Si imprimis validior vehementiorque equitatio futura sit, latera fasciis aut cingulo cario confecto ligentur, quo mul dolor ille pungitivus præcavetur & avertitur, nisu contrario musculos retrahendo & spasmos mitigando. Sub motu hoc, animus, quantum fieri possit, liber maneat a curis, solicitudinibus, anxietatibus & meditationibus profundis, sed objectis suavibus oblectentur sensus, ut corpori & animo, vitæ & sanitati eo magis is conducat. His hoc quoque addendum est, ut diuturnis & pertinacibus morbis detenti medicamentis illis dicatis prius assumtis equitationem desuper instituant sicque sanguinis circulum commode accelerando eorum quoque vires intendant atque in actum deducant.

§. XXXV. Ut cæteræ exercitationes, cæterisque paribus, vere, autumno & hyeme fortiores & diuturniores conveniunt, quam æstate, ob poros ex aëre calidiori magis patulos, ac subsequentes copiosiores humorum excretiones, hincque vires debilitatas. Secundum enim SANCTORII calculum in *Med. Stat. sect. 2. §. 29. & 41.* æstate singulis diebus, libram unam æquans quantitas major per transpirationem insensibilem ex corpore humano excernitur, quam hyeme, ac ARCHIB. PITCKARNIVS *Dissert. de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam sanguini reficiendo idoneam Th. 10.* optime argumentatur: hyeme plures fluidas partes sanguinem, spiritus animales in omnes corporis partes, ac imprimis in musculos influere: ita & de nostra dicenda est, unde præclare HIPPOCRATES dixit *lib. de salubri diæta §. 2.* qui exercitio utuntur hyeme, currere debent, æstate verum parum currere, aut minime, sed multum deambulare secundum ventum & frigus. Æstate, ea in umbra facilior, fortior & securior, imprimis si caput patitur, habetur; hyeme vero in sole validior, frequentior, longior, concitatior conceditur. Veteres in gratiam exercitantium, ut nimirum quovis tempore exercitia instituere possent, Gymnasia, exedras, porticus, palestras, Xysta quæ HIER. MERCVRIALIS *de arte Gymn.* describit, construebant. Sub frigida forte aëris constitutione, corpus bene muniant probe vestiti equo iter facientes; aër enim undique ad corpus allapsus, multa tunc incommoda inferre solet. Etenim secundum Physicorum demonstrationes vide GRAVESANDE *Physs. Elem. Mathemat.* corpora per fluidum mota resistentiam pati atque corporis moti aucta velocitate, hanc resistentiam augeri, quoniam & cohæsio particularum fluidi superari debet,

&

& partibus fluidi conciliatur motus. Proin, equites per aërem velociter vecti cum actioni æqualis fit reactio etiam magis aër premit eorum pulmones, atque, dum talis frigidus aër ingreditur fauces vasaque simul harum partium ab aëre resistente ac contraria actione & reactione commoto valide comprimuntur ac angustantur, constrictis vero his & humoribus condensatis exinde atque impactis, accedente adhuc ac collaborante aëris hujus valida ad centrum in has partes pressione, ex facili obstructiones horum locorum ingeri possunt, quas simul humorum per vasa motus ex equitatione auctus, impetum in loca modo obstructa quoque auget. Inprimis exinde & facile inflammationes, abscessus intus, & morbi laterales, asthmata, anginæ peripheumoniæ, pleuritides perniones, phlyctenes, contracturæ, sphacelus ipse, provenire possunt; transcolatione nempe sanguinis hinc inde sufflaminata & congelato eo velut, in his aut illis partibus stagnante. Frigus certe, equites lædit licet etiam sint bene vestiti, facilius, pedestre iter facientibus, vel alio motu corpus moventibus, etiamsi tunc non adeo bene sint vestiti; frigidus enim aër per continuam respirationem in os internum atque fauces frequentissime irruit, quo vasa ibi ab aëre resistente & contraria directione moto, valide comprimuntur ac angustantur, quibus sic constrictis simulque aëris in has partes valida pressione conspirante, obstructio facile ingeritur, eoque magis, quo simul auctus humorum per vasa motus, inter equitandum, impetum in loca obstructa, auget. Quoniam lenius moventur ac incalescunt; hinc equites aliquamdiu pedibus iter facere necessum habent, nisi succussorio vehantur equo. Ubi mihi in mentem venit obiter referendus casus, in *Eph. G. C. D, I. anno III. Observ. 41. a.* B. GARMANNO notatus de viro, qui sæviente hyemis frigore, inter equitandum paralysin penis incurrit, unde impotentia coëundi, nulla iterum arte curanda, successit. Oculis tunc imprimis maximum impendet detrimentum, tum quod repellens, nivis & specularis quasi scintillarisque glaciatæ albedo (Anaxagoras tamen nivem atram esse, non erubuit, affirmare) radios luminatos ad teneriores oculorum fibras violenter nimis reflectendo easque movendo, oculorum tunicas notabiliter lædat, tum quod & frigoris morsus eis noceat. Ad hujus illustrationem adducit OLAUS MAGNUS, sæpius lupos in locis niveis & frigidioribus reperiri oculis privatos vid. *Lib. I. cap. XXII.* Nec non idem confirmat observatio, quam habet THEVENOT. *Itin. Orient. Part. I. cap. V.* a terra & saxis candidis in Maltha Insula oculos continuo dolore affici, nisi nigro velamine vultum tegant, errantes.

Contra quod milites Persarum pannis nigris ante oculos gestis, felici cum successu usi sunt apud XENOPHON. *Lib. IV. Expedit. Cyri.* Conf. & GALENVS *Lib. X. de usu part.* Simillimi quid legitur in *Itinerar. Persico* I. B. TAVERNIR. *Lib. I. cap. II. p. 11.* Incolas vero Regni Tibet, ocularibus non equidem vitreis, sicuti apud nos usu venit, sed ex retium quodam genere contextis uti, narrat NVREMBERGIVS *Histor. Natur. Cap. LXIX.* Evitetur item studio (aër) minus sanus, malignus, adversus, nebulosus, turbidus, pluviosus, humidus, pulverulentus. Evitetur & ventus vehementior & adversus inprimis frigidior maxime, sub vehementiori præsertim & incitata equitatione: vento nimirum flante magis percipitur frigus, quoniam vicinus nobis aër, ilico a corporis nostri calore calescens omni momento difflatur simulque frigidior (aër) mox in ejus locum succedit: omne enim exercitium violentum, ubi fortius spirat ventus, malum habetur: confer. SANCTORII *Med. Stat. Sect. V. Aph. 25.* Ratio in promptu est, violentius frequentiusque aër in fauces irruens atque pulmonibus magno impetu haustus, intruditur, unde liber sanguinis motus impeditur, dum pulmonum bronchia opplentur & distenduntur: hinc sanguis & incalescit nimis rarefactus, hincque vasa præter modum dilatantur & pleuritis, peripneumonia, angina inflammatoria aliaque ejusmodi mala inducuntur; majori adhuc cura radiique solares urentes atque molesti avertendi. Per locum, si modo occasio ita ferat, instituatur, & ad locum etiam quandoque peregrinando remotum, (ut motus motu continuetur, & locus cum loco mutetur) gratum atque amœnum, salubrem, apertum, laxum, ab orientalibus & septentrionalibus ventis perflatum, (ordinario magis salubribus,) atque quem stagna & paludes fœtoresque non inquinant: Nam magna semper habenda ratio est conditionis loci, & major, in quo exercemur & cibum ac potum assumimus, quam ubi quiescimus ac somnum capimus; Sub exercitio enim incalescit rarescitque corpus, pori fiunt patentiores, & inspiratio major & frequentior, adeoque citius tum magis aërem insalubrem, ejus impressiones in se recipit corpus, atque ab eo afficitur sensibilius ac gravius. Aëris rusticani, quem veteres Philosophi & Medici jam adeo æstimarunt, & jure quidem æstimarunt: (urbano, ordinario, effœto, impuro, pro spiritibus recreandis, & sanguini in pulmonibus exaltando minus idoneo præfertur) hic quoque primaria stet laus, primariusque locus, ut relicta scilicet urbe suburbiisque atque illorum junctis sedibus & turbulentis soliis, relictoque aëre illo culinarum vaporibus, inter ædificiorum umbras inquinato, mephitibus, fumis, fœtoribus

bus cloacarum vitatis, eligantur discreta, diversaque loca quæ placent & iis rarioris liquidiorisque aëris laxitas inest atque ut ad geniales villas & recessus, ad nemorum sylvarum atque montium, camporum, pratorum, fontium, vallium, rivorum amœnitatem & salubritatem, (ut varietate gaudeant) ac ut ad rorem ibi matutinum, (suo saccharo dulcissimo & optimo, occulto vitæ cibo & naturæ nostræ gratissimo, mire homines recreantem, ut HELMONTIVS habet, vid. *Tract. imag. ferment. p. 33.*) atque ad florum, arborum virentium & fragrantium odorem, equitantes trahantur. Hinc PLVTARCHVS *in Problem.* Templum Æsculapii Romæ ideo extra Urbem ædificatum fuisse scribit, ut major ibi salubritas haberetur; Hincque apud Strabonem legimus, veteres, athletas Ravennam misisse, ut in salubriori aëre commodius exercerentur. ANTYLLVS *apud Oribasium Collect. Med. Lib. VI. cap. XXI.* inter alia ambulationem vel equitationem magnifacit in rore, & locis avium volatu frequentatis, quoniam avium frequentia, quandam aëris salubritatem inducit, & volatu illarum aër ventilatur. Mane circa montes, a meridie ad vesperam usque, circa fontes & flumina, aër salubrior erit; tum, quod ibi aër tunc temporis purior fiat & illustrior, hic a sole inclinante & occidente illustretur & sincerior videatur; tum quod mane non admodum æstuemus, propter præcedentem humido-frigidam noctem; a meridie vero & circa vesperam, per meridianum æstum molestum, suave refrigerium ad aquas inveniamus. Hujus rei rationem ACTIVS SANNAZARIVS sequenti eleganti epigrammate complexus est.

Sol jubet exoriens faunos dryadasque puellas
Quærere, & herboso ducere monte choros.
Declivis vitreas suadet descendere ad undas,
Doridaque & lusus o Galatea tuos.
Caussa patet: quia sublimes cum tendit in arces,
Nos quoque per saltus & juga summa rapit.
Quum vero hesperios petit imæ Tethyas amnes
Exemplo ad fontes nos vocat ipse suo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua, cæruleis vespere gaudet aquis.

Sub diluculo tamen & crepusculo aër non solet esse salubris; hinc CARDANVS *Lib. IV. de Sanit. Tuend. Cap. II.* merito damnat consilium medi-

medicum Pio IV. Pontifici Roman. Septuagenario & infirmo datum, ut æstate sub diluculo equitaret. Legere hic convenit illud Celsi monitum. *Cavere meridianum solem matutinum & vespertinum frigus, tumque auras fluminum atque stagnorum, minimeque nubilo cœlo, soli aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor moveat* præcipientis. Non protrahatur tamen equitatio, ut in genere saltem dicendum est, ad multam lassitudinem, sed ad instantem saltem, ac finis sunto respirationis alteratio magna & facilis, (quæ si nondum erat aucta, signum erat Galeno exercitii imperfecti, vid. *de San. T.* passim. cumprimis *Lib. XI. & c. XXIII.* Conf. & Aegineta *Lib. I. cap. XVI. seqq.* Oribasivs *Cap. XXIII.*) debita corporis intumescentia, calor æqualis, & color faciei floridus, sudor modicus, (nisi morbus hac ratione curandus fortius quid suadeat,) aut saltem calidi vaporis proruptio, atque tamdiu continuetur, quamdiu motus alacriter, æquabiliter edatur, quamque sequatur appetitus bonus, somnus quietus &c.

§. XXXVI. Ex equitatione forte paulo nimis calefacti, sollicite sibi a subita refrigeratione auræ, & potus frigidioris admissione & ingurgitatione cavere debent, a quibus tam facile, tamque multi morbi v. gr. epilepsia, capitis dolores, vertigines, aurium susurrus, graves inflammationes, imprimis pleuritides, peripneumoniæ, rheumatismi, viscerum obstructiones, hectica, phthisis, asthma & febres præsertim ardentes, eæque malignæ, imo ipsa mors non raro repentina, sæpius exoriuntur, quia ex transpiratione inhibita, partes excrementitiæ retinentur, alias sine intermissione excernendæ. Harum enim plurimæ subtiles sunt, volatiles, salino-sulphureæ, acres atque activæ, tales vero majorem inferunt noxam, spasmos excitant, & humores ad putredinem disponunt &c. Frigida vero potio corpori calefacto affatim ingesta, quia hæc faciliusin poros venarum calore dilatatos sese insinuat, coagulum inducit humoribus, & liberum sanguinis circulum inhibet. Memorabile exemplum Londini annotatum habeo militis, qui a vehementi equitatione cerevisiam potavit, & statim exanimatus est. Sudor dein bene abstergendus, indusia mutanda, in aëre temperato corpus tenendum &c. lassitudo enim magis augetur, si sudor non probe fuerit abstersus. Veteres, ut ante, ita & post ejusmodi exercitia, lenes frictiones, consulto, vel simplices, vel cum oleo inunctiones, quandoque in sole & ad ignem, ut Celsvs præcipit vid. *Lib. I. cap. II.* vel balnea quoque instituebant, tum ad spiritus prohibendos, tum lassitudinem tollendam, tum excrementa penitus secludenda &c. quam medicinæ partem apotherapiam

voca-

vocabant, ut videre licet ex GALENO *Lib. III. de Sanit. Tuend. Cap. II.* Non ſtatim ab equitatione forte fortiori, ſed prius ſedata in corpore, perturbatione forte facta, per horam puto, cibi capeſſendi ſunt; Experimur enim, cibum & potum, ab omni commotione valida corporis & animi, nocentiſſimos eſſe. Facit huc Aphoriſmus SANCTORII in *Med. Stat. corpora, quæ a nimio exercitio illico cibantur, læduntur, quia ut defeſſa & cibo gravata, minus perſpirant.* Ratio eſt, quia ciborum ſuccus ante debitam ſolutionem, corporis poros intrat, atque ſimul digeſtionis viribus, motu exhauſtis & imminuto ventriculi robore, notabile detrimentum accedit. Poſtea requieſcere paululum convenit, quo ſimul ſenſus contractæ forte laſſitudinis, juxta frictionem ſimul lenem inſtitutam excutitur, optimeque moleſtiæ reliquæ ſopiuntur, ſecundum Aph. HIPPOCRATIS *S. II.* In omni corporis motu, quando dolere cœperit, interquieſcere ſtatim laſſitudinem curat. Defatigatio enim corporis provenit ubi nervi præter modum extenduntur unde patiuntur & dolent muſculi atque ſpiritus animales tenuiſſimi rapidiſſime diſſipati per anguſtiſſimos nervorum poros penuria exinde laborantes, non debite progrediuntur, viis nimis extenſis atque laxatis vel nimis contractis. Attamen non ſtatim forte ſedendo quieſcant ſed paulatim prius obambulent: Huc ſpectat CELSI effatum *de Med. Lib. I. cap. III. Levat laſſitudinem etiam laboris mutatio; eumque quem novum genus cujusdam laboris preſſit, id quod in conſuetudine eſt, reficit.* Cæterum ab exercitio plenior paulo, ſed laudabilis victus concedendus, ut ſuccus nutritius, tenuis & utilis iterum reſtituatur; attamen victus quantitas ſemper reſpondeat exercitio, ita & præſertim is iterum ſucculentus atque humectans, auctoque ubique inſtituatur potu. Siſto hic merito CELSI monitum apprime utile, quod habet *Lib. I. cap. III. §. 28. Omnibus fatigatis aptum eſt cibum ſumere, eoque humido uti, maximeque ea, quæ urinam movent, & vinum aqua dilutum.*

§. XXXVII. En medicinam jucundam, veram, efficaciſſimam, enque medicinam, Magnis Principibus, Regibus, Nobilibus Generoſis ac Equeſtris Ordinis Hominibus maxime convenientem, atque in paucis acceptiſſimam, quam omnibus aliis remediis pharmocopolium redolentibus, vel ex ſolo auditu aut aſpectu ſæpius nauſeam moventibus, anteferant longe. Quare qui equitationem ex Medicina proſcribere vellet, detrimento hoc haud exiguo illi foret, non minus ac olim Romano Ordini Equeſtri, maximo dedecori ducebatur, equum adimere. Attamen etiam cum ratione, delectu, omnia in ea dirigantur & cura; Si vero

immoderate inconſiderateque peragatur (ut vitioſa & frequentiora nimis exercitia, quondam virtutibus expoliendis & excitandis inſtituta, athletarum mores corruperunt, & Græcis mollitiem & ſervitutem attulerunt vid. PLVTARCHVS *L. de t. valed.)* dicere neceſſum habemus, multa incommoda neque exigua hanc ipſam quoque afferre, ac majora forte mala, quam quæ Lacedæmonii ex imprecatione credebant, quam pro ſæviſſima habebant & ἱπποτροφὴ ab illis vocabatur, ex eo, quod magno ſtaret impendio, & homines ſuavi captu ad perniciem duceret. Vid. ALEX. AB ALEXANDRO *l. c. Lib. III. fol. 165.* verendumque ne equi ſui quos ad oblectamenta & emolumenta ſibi comparanda conſcendunt exitio ſint vel ad inſtar equi illius Sejani mirabilis, purpurei atque formoſiſſimi pariter & validiſſimi quidem ſed (ut recenſetur) eo nomine famoſi, quod ejus poſſeſſores miſerandum in modum perierint, omnes, ſiquidem non modo Cnæus Sejus ſed & poſt eum Cornelius Dolabella, Cajus Caſſius & Marcus Antonius maximo ſuo detrimento experti ſunt; vel Sibaritarum voluptuoſorum exemplo, qui ſaltantibus equis ſonum tubæ audientibus cladem acceperunt. Hoc ſi plane negare vellemus, eandem propemodum cenſuram incurrere poſſemus, ac quondam Caligula Imperat. R. qui Incitatum ſuum, aut Antonius Verus, qui Volucrem ſuum (equos) ſupra modum amabant, ornabant atque honorabant, ſtatuisque marmoreis ac aureis atque epitaphiis ſumtuoſis, (quale equi Caroli Capelli, Legati, Florentiæ ALDROVANDVS vid. *de Quadrup. Cap. I. p. 121.* & CHYTRAEVS vid. *Delic. p. 143.* viderunt) in Vaticano, Colle, & prope Veneris fanum memoriam eorum conſervabant. Utique aliquis error ſubeſt, equo non ſemper (ut in proverbio ajunt) ne credite Teucri atque quod de equis vulgo dicitur; quod non tam bonus ſit, qui non ceſpitet, calceis ferreis etiam indutus ac labatur interdum, id etiam de equitatione dicere poſſumus. Equidem moderata, lenis, gradaria omnibus omnino quadrat, & lædit neminem, nec ullum virium decrementum ac laſſitudinem equites exinde, ſive etiam per totum diem equitent, ſentiunt. Nec illi minus accurate æſtimant, ſed ex ingenio tantum commmiſcuntur perhibentes: equitationem minus commodam eſſe, ob angulum ſeſſionis, quem formarent equo vecti aut ob ejusmodi poſituram corporis, gravem partium preſſionem fluxui ſanguinis contrariam timentes. Nimia ſaltem & immodica nimis dura gravis, quadrupedans & præter modum ſuccuſſans, & equo refractario inſtituta, aut in ephippio contorſio atque contuſio damnum facile poteſt contrahere: Quippe ea fibras muſculorum, ipſiusque cordis & cerebri

cerebri cum nervis exinde oriundis, nimium intendit, pectus, pulmones, viſcera & omnes partes interiores & exteriores acerbius affligit, conquaſſat, adeoque humores plus juſto concitat, ſicque horum omnium tonum deſtruit, rumpit, effuſiones humorum procreat, animales ſpiritus nimis movet, deprædatorios illos reddit, humiditates laudabiles corporis, per nimios ſudores exinde concitatos abſumit, variisque aliis modis lædit. Notabile in hanc rem eſt SANCTORII *Aph. 19. Med. Stat. Sect. V.* Exercitium omne animi & corporis violentum, ſenectutem accelerare & mortem: Adeoque non mirum, ſi exinde, præſertim non adſueti plethorici, ſcorbutici, calidioris temperamenti homines, laſſitudinem, virium debilitatem, capitis dolores, palpitationes cordis, oculorum affectus, ophthalmiam, viſus hebetudinem, Conf. ARISTOTEL. *Sect. V. Probl. 13.* rupturas vaſorum, hæmorrhagias, hæmoptyſin, Conf. RAMAZZINI *l. c.* renum tabem, alvi ſegnitiem, febres acutas inflammationes, præſertim renum ac ani teſticulorum intumeſcentias, mictus cruentos eosque quandoque dolorificos admodum, quandoque indolentes plane, (ſi nimirum a dilatatis ſaltem non ruptis fiſtulis renalibus proficiſcuntur) hernias, hydroiden, attritiones cutis in regione perinæi doloroſas, hæmorrhoidum pathemata, ut & ani mariſcas quod MARTIALIS *L. XIV. 84.* ita expreſſit:

Stragula ſuccincti venator ſume veredi;
Nam ſolet a nudo ſurgere ficus equo.

ulcera, fiſtulas varices in cruribus & malum iſchiadicum, (quod ideo HIPPOCRATES *Lib. de A. A. & Loc.* Tartaris familiare dixit, quoniam frequentiſſime equitatione uterentur,) &c. ſibi contrahant. SCHENCKIUS *Lib. IV. Obſerv. 5.* refert, quendam, equitatione vehementi alterutrum teſticulorum in ephippio contorquendo adeo preſiſſe, ut inter abdominis muſculos ad inguen retro cederet, qui nullo modo deinceps reduci iterum potuit. Similem caſum, addit FABRICIUS HILDANUS *Cent. V. Obſ. 55.* & WEDELIUS *in Ephemerid. Nat. Curioſ. A. II. Obſ. CCXXXV.* IDO WOLFFIUS *Obſerv. Chirurg. Med. l. I. obſerv. 50. p. 167.* in Generoſo quodam viro compreſſionem ſcroti & teſticuli ſiniſtri, cum dolore & intumeſcentia ingenti, ex fortiori equitatione obſervavit. Memini jam in Academia noſtra Lipſienſi, quondam, juvenem Nobilem, Sileſium, in hippodromo ex equitatione ſuccuſſoria & in gyrum acta, valida, ſputum ſanguinis expertum eſſe, cum ſubſequente pulmonum ulcere. Pariter Capitaneum Saxonicum cognovi, qui longiori itinere

per Saxoniam, Silesiam, Poloniam in Moscoviam usque facto, cum veredariis cursim equis vectus, fistulam ani molestissimam ac incurabilem sibi induxit. Facile quoque largiamur HIPPOCRATI *L. de A. A.* & *L. c. XI.* & WIERO, vid. *Observ. Med. p. 84.* immoderatam, continuam, nimis violentam, parere hippurim, ideo ab ipso Hippocrate vocatum morbum, ex nimia scilicet & minus convenienti equitatione contractum, sive femorum pedumve & artuum reliquorum ex defluxionibus atque tumoribus diuturnos labores. Quinimo observatur & id, veteranis equitibus tandem genua incurvata manere, & totum corpus rigidum, & articulorum siccitatem inductam, (ut sutores genua habent inflexa, atque sartores cubitos incurvatos fabriferrarii pedes oedematosos, cursores crura incurva &c.) Tametsi & observare datum est, equites veteranos aeque ac pugiles, nimis frequenter pedibus laborare prae saltatoribus. Non quoque plane habeo ambiguum, neque inficiari possum, quod supra jam quasi digito monstravi, equitationem nimiam, duram nimis & succussoriam, esse e causis remotioribus, virilem potentiam impedientibus, qua nimirum musculi virilis membri comprimi, cogi, contundi, atque sic erectioni inepti reddi possunt, quale v. gr. exemplum IAC. FONTANVS *Cons. 2.* de Nobili quodam habet, in quo hi musculi sic erant depravati, quales alias ex casu ab alto, aut percussione alia harum partium violentiori, aut modo ossis sacri ac dorsi gravi contusione accidere assolent, cujusque rei exemplum invenies apud HILDANVM *Cent. 6. Observat. 59.* notatum. COBERVS in *Observ. Med. Castr. D. II. p. 7.* observatum reliquit, equitantes continuo iliacis passionibus magis obnoxios esse quam pedites: An a violento & continuato motu, an a potu insalubri non adsueto, aut aliis causis hoc deducendum sit, longius non disquiram, contrarium ipse innuere quoque videtur, inferens, *l. c. Observ. 8.* in scholiis: Turcas, qui tamen aeque fere semper equis vehuntur, nullis vero intestinorum torsionibus, vel etiam profluviis obnoxios esse. Hoc saltem adhuc, cum compertum sit aperte lubensque concedam, veteranos equites, ut plurimum esse stypticos. Aliud & quod mores quidem spectat Plato Atheniensis respexit, quando equo vehi noluit, dicens, se vereri ne fastu atque superbia ex incessu superbo phaleris praesertim accenso colligenda & ferocitate equina caperetur nam quiddam equitare habet magnificum parumque Philosopho dignum LAERTIVS *Lib. III.*

§. XXXVIII. Diffiteri quoque nemo potest, equitationem omnibus morbis, ut ephippium omnibus equis (ut est in proverbio) vix quadrare:

drare: v. gr. vertiginosi, & quibus debile caput est, non ferunt equitationem paulo incitatiorem, minime vero si equus in gyrum agitur, vel si succussor fuerit. Facile quoque majorem noxam suo jumento sibi arcessere per paulo violentam & duram equitationem possent graviter forte vulnerati, aneurisma passi ac herniosi, (nisi hi subligaculo bene sint muniti, & ephippio lato & molli instructi, stapedibus non longius productis). Ab equinis pariter (ut ajunt) pedibus tutius Casti Hippolyti, Thesei Atheniensis Regis nati memores (quem ferunt Ovid. *Lib. XV. Metamorph.* ab equis esse dilaniatum ab Aesculapio medicinæ inventore vero resuscitatum & consarcitum) procul secedant gonorrhoea affecti, & qui inflammationibus viscerum & inprimis renum, intestinorum, erysipelate crura & pedes occupante tentantur. Sic & inutiliter equitationem adhibebis in ascite maxime inveterata, & ubi vasa lymphatica sunt lacerata, licet etiam in alia ejus specie, fructuosissimum hoc remedii genus sit deprehensum. Sed receptui cano atque ab equitatione jam calamum avoco, hisque cursum sisto. Deo vero Ter-Optimo Maximo sit honor & gloria semper.

❁ ❁

IX.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE FRICTIONE,

PROOEMIUM.

Scitissimum stabilitumque ac rationi admodum consentaneum illud Physicorum axioma est, sine motu nihil fieri. Adeo certe amplissimus varius mirandus motus nobilissimæ illius corporum naturalium affectionis effectus ac usus atque universalissimus, ut mediante atque operante illo universa omnino omnium rerum, quæ in hoc universo reperiuntur, existentia atque earum alterationes, spectabilis pul-

chritudo atque ornatus conſervatio & deſtructio producantur, id eſt, omnes omnium corporum ſive ſimplicium ſive compoſitorum, viventium pariter ac non viventium, animalium, vegetabilium, mineralium actiones, operationes, paſſiones, mutationes, generationes, nutritiones, augmentationes, abſumtiones, conſumtiones, diviſiones, compoſitiones, mixtiones, multiplicationes, translationes, diſſolutiones, corruptiones &c. motu perficiuntur. Quo ſublato & impedito infinitus torpor res occupat omnes & in horrendis æternis tenebris atque nihilo ſepultæ manent. Quam ob rem, cum tanta ſit vis motus, merito Philoſophi ſagaciores duo rerum principia ſtatuerunt, motum ſcilicet & materiam. Motum igitur ejusque leges qui ignorat, univerſam rerum naturam ignorat. Et licet ſenſibilis non æque ſemper deprehendatur motus in rerum mutationibus atque compoſitionibus; revera tamen ineſt, uti ubique in Phyſica ſpecialiori & experimentali docetur, atque adſeritur, nullum abſolute corpus in rerum natura quieſcere, ſed in minimis moveri: ita omnia ſunt, quæ aliquo modo ſentimus in perpetuo motu, augmento & decremento. Hinc ob uſum motus, adeo infinitum non dubitaverunt nonnulli eundem pro principio omnium corporum naturalium agnoſcere. Aſt facili negotio refellitur horum opinio, ſi quis ſolummodo perpendat, motum ipſum per ſe non dari ſed demum in ſubjecto exiſtere & per ſe nihil aliud eſſe, quam modum & accidens corporis, quod per ſe ſubſtantiam procreare & mutare, variare, determinare minime potens eſt. Si vero eſt merum accidens quod a corpore adeſſe vel abeſſe poteſt & modus ſicut alii formarum conſtitutivi, ut quantitas, figura, quies & ſitus præſupponit per conſequens motus aliud principium movens. Sicque motus eſt tantum medium, per quod corpora generantur. Quantum etiam ſtaſis atque intempeſtiva quies rebus naturalibus nociva, tantum motio illis proficua. Unde belle OVIDIUS ait:

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:
Ut vitium capiant, ni moveantur, aquæ,

Omnium itaque in noſtra etiam medicina, nobiliſſima arte inſtitutus plusque minusve interdum auctus humanum corpus exercens, inter ſex res n. n. non infimum ille obtinet locum: quippe eximium & nunquam ſatis laudandum atque adeo neceſſarium uſum non ſolummodo ad vitam inchoandam & continuandam, ac ſanitatem conſervandam, ſed & amiſſam reſtituendam præſtat; imo ſine quo medicamenta fere omnia nunquam

nunquam effectum optatum edunt. Imprimis excitatus paulo longius atque productus opem suam confert, quando situ & quiete peccantia promovenda atque eliminanda, torpida excitanda, influxus conciliandus, partesque ad illum admittendum, aptæ reddendæ sunt. Quæ eximia emolumenta optime & frictio, simplex licet, tamen nobilissimum motionis ac exercitationis genus, operatur, cujus ideo, uti in communi vita mechanicis artibus & physica, chymia &c. ita & medicina est amplissimus usus amplissimaque utilitas. Hinc & a veteribus semper magno in pretio habita, crebroque usu adhibita est. Ab Anglis præsertim, uti apud eos cognovi, hodie in usum fere quotidianum adhuc trahitur, quibus & maxime probatur. Idcirco non injucundum neque abs re fore duxi, materiam hanc utilissimam hac occasione pertractare, illamque paulo diligentius commendare. DEVS vero T. O. M. dirigat hoc meum institutum, ut in multorum cedat commodum.

§. I. Agemus de frictione, sub cujus nomine intelligitur actio sive motio alterna quasi pressione & relaxatione partium corporis facta, plus minusque fortior, quæ operatione manuum, digitis solummodo, vel linteaminibus calidis, vel panno similique paulo asperiori instrumento, adjectisque oleosis, aqueis, salsis, aliisque liquoribus & decoctis, vel sine illis, extrinsecus in cute sursum deorsumque trahendo & terendo perficitur, ad humores sanguinem spiritus animales excitandos, alliciendos, fluxiliores reddendos; ad fibrarum sensibilitatem conciliandam, poros aperiendos, laxandos, transpirationem insensibilem præsertim promovendam, ut noxii & superflui humores evacuentur, aliaque commoda tam ad sanitatem conservandam, quam amissam restituendam efficiantur.

§. II. In hac descriptione frictio primo dicitur motus plus minusve fortior, interdum enim superficiaria saltem, quæ ad titillationem quandam accedit, sufficit, & successiva cutis pressio, utplurimum autem modulatione, inductione unguium vel manuum sursum & deorsum in corporis peripheria ac rasione, tractione, linteis calidis interdum pannisque asperioribus ex pilis confectis, pectine, scopulis & excutiis setaceis &c. peragitur. Interdum ad moderandam eam, vel ad majorem efficaciam obtinendam & penetrationem, pro vario scopo adhibentur salia, sal commune, saliva, fermentum pistorium, semina contusa, aut manducata v. gr. sinapi semen, amygdalæ amaræ &c. sacculi impleti herbis, floribus, seminibus &c. Vel oleis & aquis destillatis, decoctis, aceto, succis

ſuccis herbarum expreſſis, ex urticis &c. alioque liquore appropriato, manus, chirothecæ, linteamina imbuuntur, & per tractiones iteratas in cutis ſuperficie ſurſum & deorſum trahuntur, in ſanis pariter morboſisque ſubjectis, tam ad præſervationem quam curationem. Diverſis quidem & omnibus propemodum temporibus inſtitui poſſunt, omnium tamen optime fortiores & multæ tempore matutino & jejuno ſtomacho adhibentur. Pro rei exigentia etiam ſæpius & in die ter & quater repeti poſſunt. Atque conſultius ſuper fluiditatibus excretis v. gr. a ſanguinis venæ ſectione aut ſcarificatione, in plethoricis in uſum ducuntur. Sic SOLENANDER *in Conſil. med. Sect. II. p. 161.* tutiores eas exoneratis prius alvo, veſicaque urinaria cenſet, quod de fortioribus ſine dubio, nec ſic ita male etiam intelligit, præſertim ſi frictiones ſupra caput faciendæ. Hoc commodum jam olim Græci obſervabant, qui frictiones in Gymnaſiis, non niſi in lotio coctionis ſignis apparentibus alvoque a fœcibus liberata inſtituebant. RANZOVIUS *de conſervanda valetud. p. 40.* quibusdam ſummopere ſub noctem ad focum ſingulis diebus peractam contuliſſe dicit. Anni tempora, vernale, autumnale ac præſertim hyemale, frictionibus inſtituendis magis convenientia ſunt. Præ omnibus vero reliquis, vernali tempore diligentiſſime, libera perſpiratio per corporis habitum procuranda. Conveniunt quoque frictiones omnis ætatis, temperamenti, ſexus & conditionis hominibus, ſi modum reſpicias. v. gr. In infantibus, pueris, decrepitis molles ſint, duriores, fortiores, auctioresque in fœminis utpote humidioribus, viris, in quibus languidior quoque tranſpiratio eſt, & quæ ab impedita ea celerius & acerbius affliguntur, in iis, qui alias exercitationibus & motionibus corporis deſtituuntur, qui vitam ſedentariam ſtudiis & profundis meditationibus occupatam agunt, apprime utiles erunt. Senes ſpeciatim non ſpernendum ſanitatis præſidium exinde expectare poſſunt, quoniam in iis ſecretiones & excretiones omnes, præſertim tranſpiratio, languent. CATO hoc optime innuit ſequentibus verbis: *Reſiſtendum ſenectuti eſt, ejusque vitia diligentia compenſanda ſunt, pugnandum tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Gallicanæ olim mulieres referente MAGNINO *Lib. de Reg. Sanit. P. II. Cap. III. fol. 4. & 5.* conſueverunt, recens natos ante omnia ſupra nudas paleas ponere, iisdemque eos temperate, nec non farina ac cute porcina modice aſpera fricare, quo malæ ſuperfluidates ab eorum corporibus reſolvi ajebant. Nec vero corpori ſolum ſubveniendum eſt,

ſed

ſed menti atque animo multo magis; nam hæc quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguitur ſenectute. Sicuti & imbecilles & valetudinarii & ex morbis convaleſcentes ideo iisdem opus habent. Neque ulli temperamento adverſantur frictiones, ſi in iis iterum ſit modus, atque hoc obſervatum, ſi nimirum mitiores ſint & non adeo frequentes, ſic & cholerico & ſanguineo bene quadrabunt. Neceſſariæ autem magis ſunt phlegmatico, cutis obſtructioni & ſeroſorum humorum infarctui valde obnoxio ac melancholico viſciditate humorum, ſtupore lentoreque ſpirituum animalium prædito. Qui & frequenter cibis & potibus utuntur minus tranſpirabilibus viſcidis, acidis, duris, carnibus, leguminibus, lacticiniis, multis fructibus, horæis, cereviſiis craſſioribus, oleoſis, dulcibus, frictiones frequentes adhibeant, quæ horum vitium corrigunt. Inter ipſas frictiones gelidus & extreme calidus aër vitetur. In loco tamen calido potius inſtituantur, utpote a cujus atmoſphæra humores fluxiles magis evadunt & præparantur quaſi. Secundum veterum ſententiam, qui circa frictiones debite peragendas admodum ſolliciti erant, de quorum methodo pluribus ORIBASIUS agit *Collect. med. Lib. VI. p. 87.* Corporis extrema ut a centro caloris & motus longe remota, ut primum brachia & pedes, dein humeri pectus & dorſum, tertio coxendices & ubique ſecundum muſculorum ductum fricentur atque inter fricandum anhelitus cohibeatur, ut etiam ſpiritalia tendantur. Illæ enim corporis partes, quæ debilius tranſpirant ut extremæ, & venter, facies, nucha fortius frequentiusque ſunt fricandæ. Addimus pro rei exigentia, volas manuum, plantas pedum, carpos & temporum regionem. Cæterum ſint in principio blandæ, dein magis violentæ. Motio hæc terendo ſurſum deorſumque & ſi ab extremis imprimis vaſis baſin verſus fiant, qui & optimus modus, nervos, arterias, venas, vaſa lymphatica, glandulas, partes muſculoſas commovendo itu quaſi redituque humores, ſanguinem & ſpiritus majori in copia majorique vi allicit, dum fibræ nerveæ per omnes partes excurrentes ſollicitantur, eoque ſpiritus invitantur, ut tubulos atque fibras illarumque folliculos ovales ex quibus conſtant inflent atque abbrevient. Motis ſic fibris tam nerveis, quam carneis, ſtrictura illa non modo vaſa ad conſtrictionem & per hanc ad ſanguinis progreſſivum motum expeditiorem animantur, ſed & ipſo hoc motu attritivo, particulæ expanduntur eæque craſſiores, viſcidæ attenuantur, quo pacto & motus inteſtinus, qui ab illo aliquatenus pendet, augetur, fluiditas & ſpirituaſcentia promovetur, pori, viæque excretoriæ humiditate irrorantur, ampliores fiunt & ſpatioſæ,

per quas humores aliquo modo ſtagnantes, ſituque peccantes, noxii, & hinc inde hærentes, mucoſi, gelatinoſi præſertim & excrementa inter interſtitia fibrarum & muſculorum ſuſcitata & rarefacta in motum deducuntur, & vel ad vaſa iterum reducuntur, vel per inſenſibilem tranſpirationem educuntur; laudabiles vero magis adducuntur. Et quia cum illis quoque pars alimentoſa ſimul validius advehitur, & per relaxationem pororum via expeditior facta eſt, eo facilius aſſimilatur partibus, quæ ſubinde magis magisque dein impingitur illicque firmatur motu illo ſubſequente, quod claro & quotidie obvio exemplo videmus, in equis aliisque animalibus, quæ ſæpius pectendo & ſtrigilando pleniora, obeſiora & nitidiora atque alacriora redduntur, imo delaſſata & debilitata reficiuntur. Equidem non omnes fidem HELMONTIO in eo adhibent *lib. de ſeptupl. digeſt. aliment. human. p. 28.* aſſerenti, aſinam lactantem inſtar equorum eſſe ſtrigili mundandam, & ex lactis guſtu dignoſci poſſe, an aſina pexa fuerit iſto mane, an non. Hinc pars bene fricata florido rubore rubet, & ad tumorem perducitur, atque calorem plus minus acutum imo dolorem tandem ſentit, a motu aucto ſanguinis & reliquorum humorum tam inteſtino quam circulatorio, quo per partem rubram ſic factam ſanguis in plurima minora vaſa in quibus naturaliter antea non hærebat, pellitur. Calorem enim nihil aliud eſſe quam celerrimum motum particularum ſingularum in corporibus mixtis, ſalino-ſulphurearum ex Phyſicis patet, & nihil in ſe frigidum vel calidum eſſe, ſed per accidens per agitationem varie modificatum id demum fieri. Quibus itaque invicem motis organa tactus blande afficiuntur, & gratiſſimus ſenſus producitur, a quali motu omnia animalia, vegetabilia & mineralia ſuum calorem ſuamque vitam habent. Si diutius ac fortius frictio protrahitur, tandem veſiculis quaſi cuticula attollitur. Singulare eſt, quod in BARTHOLINI *Actis Haffnienſibus Vol. I. obſ. 102.* legitur, in quodam, ex frictione vel leni, continuos ſemper ructus ſubſequutos eſſe.

§. III. Frictioni huic aliquo modo cum aliis intercedit cognatio ut cucurbitulis ſiccis, rubificantibus, ſinapismis, picationibus, dropacibus, urticationibus, veſicatoriis &c. quæ non niſi frictiones fortiſſimæ ſpecies ſunt. Imo huc trahenda aquæ calidæ perfuſio, quæ ab HIPPOCRATE *de intern. Affect.* & GALENO *Meth. Med. Lib. XIV. cap. XVI.* allegatur, quæ partem ad ruborem diſponebant, ut eidem ἐυσαρκωσιν conciliarent. Trahenda huc pariter vellicatio pilorum, cujus apud veteres quoque mentio facta, quæ fit, ſi quis illos apprehendat, & manu aliquoties

quoties elevet, donec cutis attollatur. Huc accedit & palpitatio, qua manu fortiter totum corpus ſucceſſive palpatur. Quondam cognovi fœminam, quæ hanc palpitationem magni faciebat, adeo, ut dicere ſoleret: *Sie klopfte alle ihre Krankheiten weg.* Simili fere ratione ſe res habet cum ligaturis dolorificis, quippe quæ humores quidem primum, dolore excitato irritant, ſed ob firmam & diuturnam ſtrictionem, in certa aliqua parte, retinent. Pectinatio porro quæ in capite fit, ut & tractatio ſcopulis ſetaceis & quæ veteribus ſolennis erat, percuſſio partium gracilium non modo ſtrigilibus, quas HIER. MERCURIALIS deſcribit *de Arte Gymn. Lib. I. cap. VIII.* ſed & ferulis parvis levibusque & modice illitis, donec illaruberent & attollerentur, quod ἐπὶκρῶσιν nominabant, vid. GALEN. *M. M. Cap. XVI.* Hæc & inſtrumentis & effectu majori vel minori & eductorum quantitate &c. a ſe invicem diſcernuntur. Commemorare quoque hic, ſed minime ſuadere licet, Japonenſium illam conſuetudinem, quando Primates, ſi appetitu imminuto aut ex alio certo morbo laborant, a ſervis ſuis, iteratis vicibus, calcantur, atque illam in tota India orientali communem, qua prono corpore ſe in terram projiciunt heri, quos ſervi in tergo genubus manibusque fortiſſime fricant atque habetur, reſolvi exinde ſanguinem & a putredine præſervari, vid. MANDELSLOH *Itiner. Orient. p. 89.*

§. IV. Hæc & aliæ frictionum differentiæ ab autoribus notantur, quarum præſenti negotio ſequentes ſaltem adhuc nominemus. Nimirum aliæ ſiccæ ſunt, quæ manibus ſolis vel inſtrumentis adhibitis, adminiſtrantur; aliæ humidæ, quæ oleo aliove liquore appropriato manibus aut linteaminibus madefactis fiunt, aliæ molles, quæ molli inſtrumento, molli panno ſerico, aut lineo inducuntur; quæ vero duriori & aſperiori celebrantur, duræ audiunt, quæ fibris ſolidis tenſionem magnam, magnumque humorem ſanguinis & ſpirituum affluxum concitant. Inter illas ſunt quoque mediæ multæ, paucæ & mediocres, a quibus quoque hinc fluunt, quarum quasdam GALENUS *Lib. II. de ſanit. tuenda* nominatac varias earum operationes innuit. *Frictionis varii effectus ſunt, rara denſat & mollia durat, dura mollit & tenſa laxat.* Et *L. III. l. c. Frictio mollis, quæ tenſa ſunt, remittit, & quæ inter vehementius laborandum fatigata ſunt, emollit.* Et HIPPOCR. *Lib. II. de Medici Offic. Frictio poteſt ſolvere, ligare, carne implere, minuere; dura ligare, mollis ſolvere, multa minuere, mediocris craſſefacere &c.* Notas addit *l. c. Rubor & tumor cum in carne apparuerint, ſunt mediæ frictionis notæ, uti multæ detumeſcentia carnis. Frictio enim primum quidem attollit, poſtea tamen contrahit, ac contractam ex ipſa*

 auctiorem

auctiorem molem deponit. Vid. & FOREST. *Observ. T. I. S. I. p. 7.* GALENUS *l. c.* quinque alias differentias adjecit & rectam, transversam, circularem obliquam, subrectam, subtransversam frictionem describit.

§. V. Ut vero frictionis aetiologiam, & quid inde in corpore humano eveniat quaeque eam moderantur, distinctius cognoscamus, partium, in quas operatur, structuram & habitudinem naturalem inspicere conveniet. Tegmen illud commune totius corporis extimum, retis ad instar tendinosi illud investiens, cutem scilicet omnium immediate magis frictiones afficiunt. Exterior ejus lamella cuticula s. epidermis vocatur, translucida ac sensus experte & est quasi cutis verae subjacentis operimentum quodque eam a tactu dolorifico paululum defendit. Si enim ab illa separatur, cutis cruenta deprehenditur. Licet cute tenuior sit, & in aethiopibus tenuissima eaque candidissima (adeoque ater color in cute crassa inveniendus per hanc transparet) nihilominus tamen iterum sicuti cutis pelliculis diversis, quae & squamulae communiter vocantur, distincta est, quae ex observationibus Loewenhoeckii pentagonam referunt figuram. Praeter pelliculas istas diversas & suos quoque porulos, poris subjectae cutis accuratissime quoad situm respondentes possidet ad communem usum evaporationem scilicet vaporum, i. e. exspirationi sensibili & insensibili transitum concedendum. Nec desunt illi vasa, quae Schwammerdam detexit, qui ope siphonis in vasa sanguifera cuticulae foetus, liquorem aliquem coloratum injecit: Cutis verae praeterea vasa omnis generis, ad illam appellunt. In convalescentibus ex morbis maxime diuturnis, ex febribus aliisque squamulae hae exteriores secedunt, ex quo deinceps facile iterum restaurantur, uti Felix Platerus, & de podagricis Salmuth testatur. Duplex illa visa est (quod rarum) a Fabr. ab Aquapendente. Si aqua fervens ei superfunditur, aut phoenigmi &c. applicantur, facile a cute vera separatur.

§. VI. Huic dein substrata est vera cutis, quae pariter tunica est in duas lamellas juxta Lindanum & van Horne divisibilis, sextuplo fere cuticula crassior, quod tamen indifferenter de qualibet ejus parte intelligi nequit; siquidem in capite & collo crasissima est, tenuior in manus vola, tenuissima vero in labiis. In subjectis junioribus foeminisque, ut & in calida regione versantibus tenuior & porosior est, quam in adultioribus & viris, & ubi frigidus aër corpora ambit. Cum reti admirabili comparatur ob mirificam ejus texturam ex variis & diversi generis fibris in se invicem contextis. Nam si cultro anatomico subjicitur cutis, primo in illa deprehendimus fibras tendinosas a tendinibus partium subjectarum

jectarum oriundas ſecundum Stenonem, & nervoſas, quæ filorum inſtar varie inter ſe artificioſiſſime contextorum, pannum veluti denſum conſtituunt adeo intricatum, ut nulla arte explicari queant. Præter jam commemoratos intertextos nervos, alia vaſa omnis generis continet, lymphatica ſcilicet, arterioſa quanquam exigua & capillaria, quæ ſanguinem adducunt, & cum illo ſuccum nutritium, pro cutis nutritione atque augmentatione, itidem venas, per quas ſecundum circulationis legem reliquus ſanguis iterum reducitur. Vaſa hæc potiſſimum a jugularibus, brachialibus, mammariis, intercoſtalibus, lumbaribus, epigaſtricis & cruralibus enata ſunt. Vid. VERHEYEN *Anat. p.* 47. Spatiola intermedia ſub poris replent copioſæ glandulæ exiguæ admodum a forma ſic dictæ miliares, ex conglomeratarum familia, a STENONE primum deſcriptæ in ſua *Adenographia*, & OLAO BORRICHIO, uti colligere eſt *ex epiſtolis ad Bartholinum datis*, quæ habentur in *Act. Haff. Vol. I. Cent. III. N.* 65. & 97. quæ ex ſanguine per arteriolas adducto laticem particulis ſalino oleoſis ſuperfluis aliisque impregnatum ſecernunt, perque ſua peculiaria vaſa excretoria excernunt, quæ hinc inde extraverſus ſpectant, vid. STENO *Myol. Specim. Geomet.* MALPIGHIVS *Tr. de Externo Tactus Organo p.* 32. & 39. BARTHOLINVS *Cent. III. Epiſtol.* 65. PECHLINVS de Purgantibus, quæ vaſa poris cutis apte reſpondent. *Vid. Bibl. Anat. P. I. p.* 13. Glandulæ hæ interiori tunicæ intertextæ ſunt, vid. WILLIS. *Pharmac. Rat. Vol. II. S.* 3. *Cap. V. p.* 461. In ſanis ob exilitatem vix conſpiciuntur, in illis tamen, qui hydrope, anaſarca laborant, ſub axillis atque in inguine quandoque deprehenduntur. Lindanus ultimam ſ. carneam nuncupat.

§. VII. Vaſa excretoria glandularum ſub ſquamulis cuticulæ oblique patentia, excipiunt pori, tanquam oſtiola vaſorum excretoriorum, undique per totam cutis ſubſtantiam conſiti, iique adeo minimi & copioſi, ut ſecundum computum Lœwenhœkii in ſpatiolo quod arenæ granum contegit, 250 retiformes ſquamulas cuticulæ, ſquamula vero hæc 500 canaliculos excretorios cutis contegat. Hos aliqui Anatomicorum per microſcopium conſpectos duplicis generis eſſe affirmant, majores ſcilicet e quibus pleriſque pili, (qui excretioni non parum conducunt, poros cutis apertos ſervando, ſicuti circumcirca baculum terræ infixum ſiccior fit) emergunt, atque per intervalla ex utroque latere cujusque rugæ cutaneæ ordine parallelo diſponuntur; & minores, qui præcedentibus numero longe ſuperiores omnia ſpatia iisdem interjecta creberrimis punctis perforant; illi vero tertii nimirum generis non

nisi in aqua macerata digitis comprimantur. Horum singulorum alios esse destinatos emissioni humoris superflui, alios admissioni hujus vel illius rei, apparet secundum RUYSCHIUM in *Thesaur. Anat. I. p. 29.* Vid. VERHEYEN *Anat. p. 49.* Est tamen & texturæ pororum diversitas, quorum alii laxiores facilem humoribus vaporibusve transitum concedunt, alii strictiores, qui eundem refrenant. In introitu illorum singulorum pelliculæ quædam sive valvulæ sunt positæ interiora spectantes, observante accuratissimo MALPIGHIO *in Tr. de Tactus Organo*, quæ exitum quidem, sed ingressum fluidorum non admittunt. Et licet ab humidis laxari, quin & particulæ aliquæ humidæ penetrare possint, aërem tamen minime admittunt, quod experimento illo palam fit, quo aqua per poros vesicæ animalis cujusdam, salibus repletæ, penetrans salia in deliquium resolvit, aër tamen, etiamsi humidissimus fuerit, nullatenus penetrare potest. Per hæc cutis spiracula transspiratio humorum subtilium peragitur, cujus notabilis copia, quæ, quando rite procedit, omnes alias corporis excretiones superet longissime, necessitas & usus videndus est apud *Sanctorium* ex ejus per 30. annos comprobata experientia, in *Medic. stat.* Alimenta enim ut plurimum quotidie non tam propter necessitatem, quam hominum vagum appetitum assumuntur, a quo sæpius invitantur, ut nullam rationem nullumque delectum illorum habeant, tam quod quantitatem quam qualitatem concernit, non ut vitam sanitatemque conservent, sed ut palato blandiantur. Proinde non potest non evenire, quin vel superflua vel plane incongrua ad massam sanguineam perveniant, in ventriculo intestinisque prius elaborata & a fæcibus secreta. Quapropter opus est, ut quotidie iterum hæc superflua atque incongrua evacuentur, quod & per alias vias continuo fieri assolet; sique hæc spiracula non adessent, corpus sub æstu exorto ab elastica aëris fluidorumque, humorum, vi, crepatura periret. Sic corpus nostrum in continuo est fluxu atque affluxu. Materiam itaque transspirationis suggerit, ut ex Physiologia satis cognitum satisque perspectum est, sanguis per arterias ad omnes partes corporis apportari solitus, ubi per glandulas miliares subcutaneas serosa ejus portio eaque admodum subtilis velocioreque motu agitata, separatur, quando sanguis intestino & circulari motu per vasa cutanea propellitur, ubi necessario partes subtiliores exuberantes per tubulos ibidem patentes exhalant. Quo vero innuimus extra quoque ejusmodi glandulas, hoc naturæ opus perfici atque simul interstitia fibrarum carnearum & membranarum illi operi velificari, ut v. gr. clarissime patet, serum per pulmonum vesicularem

subſtan-

ſubſtantiam fluores ſecerni, citra glandulas, ſola presſionis ope. Copioſior vero ſeparatio illarum particularum ſeroſarum accidit a motu paulo fortiori tam inteſtino quam circulari inſtituto, ab aëre calido alioque calore intenſiore ambiente, aut a motu & exercitio corporis, vel ob poros nimis laxos a denegato aliquantum ſpirituum animalium influxu &c. Etenim motum ſanguinis & calorem inde inductum, tanquam cauſam efficientem tranſpirationis, aër inſpiratus & partibus fluidis permiſtus adjuvat, uti PECHLIN. *de Alim. & Aëris defectu p. 114.* annotavit, reſpirationem & transſpirationem certam habere inter ſe proportionem, nempe animalia calidiora, ut reſpirationem habent vehementiorem ſic & tranſpirationem copioſiorem. Quemadmodum aër inſpiratus interne operatur, ita non abſonum eſſe videtur, quod & externe itidem opituletur: quippe corporibus ſuis fluidis ſecum raptis permixtus, in cutis peripheria proruit, & tranſpirandæ materiæ motum ad extra facilitat. Vid. B. ETTM. *T. I. p. 129.* Concurrunt imprimis fibræ nerveæ cutis, quarum blanda ſtrictura tam ex glandulis, quam vaſis ſuis excretoriis, per poros materiam ſucceſsſive expellit, contentam. E contrario transſpiratio imminuitur, ſi motus ſanguinis non robuſtus ſatis, vel ſi velocior juſto eſt, quod non ſpatium temporis, ut a glandulis ſecerni posſit, concedatur, ſicuti id in febribus ardentibus quandoque accidit; ſi ſerum ſecernendum viſcidius exiſtit, vel ſi cum ſanguine firmius cohæret; ſi glandularum vitium & pororum anguſtia & conſtipatio adeſt, ſive illa a nativitate, ſive a cauſa adventitia ut ab aëre frigidiori vel ab alia cauſa ſpasmodice contrahente provenit, exinde rigiditas fibrarum & conſtrictio pororum inducitur.

§. VIII. Dari vero continuam talem, durante vita per corporis habitum evacuationem, edocent alterationes veſtimentorum quotidianæ, admotio manuum corporibus politis, animalia hyberno tempore fumantia, & SANCTORII ſupra laudati *obſervationes inſtitutæ & deſcriptæ* & ante eum NICOL. CVSANI, Cardinalis in *Dialogo de Stat. Exper.* Conf. & *ejus vita* deſcr. in FREHER. *Theatr. Vir. Erud. Clar. P. I. Sect. II. p. 19.* Cum particulis his aqueis interdum & plurimæ partes oleoſæ & chyloſæ laudabiles, excernuntur, præprimis in ſubjectis vulgo ſic dictis calidioribus, i. e. in quibus motus impetuoſiores & pori ad transmittendum congrui & aperti & ſpatioſiores ſunt, ubi ſine notabili incommodo, abeunt; cum magno vero detrimento præſertim, in hecticis excernuntur. Salinarum inſuper particularum præſentiam ſapor & pruritus evincit. Ad oculum vero demonſtravit, dari ſalia in ſudore, TACHENIVS *in Hippocr.*

Hippocr. Chym. p. 77. experimento, quo ex ſudore ſal volatile deſtillavit. Imo interdum nudis oculis in ſubjectis præſertim ſcorbuticis & podagricis conſpicienda occurrunt, quippe quorum cutis ſæpius arenoſa quaſi deprehenditur, uti obſervationes Autorum pasſim teſtantur. Imo me ipſum ejusmodi ſubjectum in noſocomio Amſtelodamenſi ibi locorum verſatum vidiſſe recordor, per cujus poros arenæ granorum rubræ inſtar ſudore protrudebantur, ut radula abradi potuerint. In Helvetiæ pariter Metropoli virum quendam ſcorbuticum cognovi, qui intolerabili pene pruritu vexabatur, unde ſemper induſia ex linteo aſperiori induebat, ut mediantibus illis ſe ſcalpere poſſet. Vid. & BARTHOL. *Cent. I. hiſt.* 34. Quia & omnis ſuccus corporis humani ſpiritibus animalibus ex parte turgidus eſt, illos ſimul in auras abire multis modis evincitur. Vid. BAC. DE VERVLAM. *Op. in H. V. & M. p.* 566. *& ſeqq.* Primarius uſus tranſpirationis eſt, ut expurgentur ex maſſa ſanguinea partes excrementitiæ, tenuiores, ſeroſæ, oleoſæ & ſalinæ aliæque; ſecus ſi retinentur, plurimi morbi exinde oriuntur, uti Autores & quotidiana experientia paſſim teſtantur. Secundarius vero transſpirationis uſus eſſe poteſt, ut maſſæ ſanguineæ motus acceleretur, ſanguis ſpiſſus attenuetur & reſolvatur, ne fiat ejus ſtagnatio, ſed promoveatur potius ejusdem ventilatio, uti docet B. ETTMÜLL. *T. II. p.* 767. Nec a rei veritate aliena Malpighii ſpeculatio eſſe videtur, tranſpirationi adhuc alium uſum adſcribentis, ut humectentur nimirum papillæ nerveæ, ne ex aſſiduo illarum uſu exareſcant, neque illi harum partium conformatio & locatio repugnat.

§. IX. Tandem papillæ illæ nerveæ commemorandæ veniunt, quæ nihil aliud quam extremitates nervorum eo decurrentium ſunt, quæ miris flexibus inter ſe laminam iſtam prius perreptant, dein extremis ramulis in ejusmodi apices vel turbines pyramidales, per utriusque laminæ poros eminentes, deſinunt, & hæ ſunt verum & adæquatum tactus organon: Hæ enim pro varia ſua figura ac motu ſenſum imprimunt intus hærentibus ſpiritibus animalibus, hincque copioſiores in extremitatibus digitorum, quam in aliis partibus, interdum & ſub alis, in hypochondriis & labiis, vid. B. LANGII *Op. P. I. p.* 168. reperiuntur. Illarum inventor pariter MALPIGHIVS fuit, qui fuſius iſtas deſcribit in *Exercit. epiſtol.* In brutorum naribus multæ & conſpectiores ſunt. Papillæ hæ moventur a quibuscunque corporibus, quæ apta ſunt & tali modo figurata, non adeo ſubtilia & ſic etiam mota, ut papillulas iſtas attingere & motum illis imprimere, non vero eas pertranſire poſſint. Sic æther

&

& atomi, quamvis etiam corpuſcula ſint, tamen ob ſubtilitatem, qua gaudent, & tenuitatem particularum ſuarum papillas iſtas non movere poſſunt, ſed ſuperficietenus prætereunt, nullumque ſenſum atque perceptionem relinquunt. Pro diverſitate illorum corporum, quæ ita comparata ſunt, ut motum imprimere poſſint, ſecundum varias modificationes ſuperficierum, varie quoque percelluntur & moventur papillæ, unde variæ naſcuntur tactus ſpecies, prout objecta dura ac mollia, ſolida ac fluida, humida & ſicca, aſpera & lævia, calida & frigida, pinguia & viſcida, friabilia &c. ſunt; indeque evenit, quod alius tactus gratus, alius ingratus, qui dolor alias vocatur, ſentiatur. Iſte a concretis tenerioribus, mollioribus, lævioribus, blande attingentibus & moventibus; hic vero ab acutis, aſperis, inæqualibus, radentibus, ſcindentibus & plus minus fortius irritantibus excitatur. Ille lævem & æqualem, perque illum delectationem, hic inæqualem, rodentem, lacerantem, triſtem ſenſationem communicat. Uſus hujus ſenſus toto corpore æqualiter fuſi, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris & caloris &c. appulſus ſentire poſſimus, nobiliſſimus ampliſſimusque eſt, ut ſine illo animal ne quidem animal foret, & ſi vera fateri fas eſt, unus ſolummodo ſenſus tactus ſc. qui reliquos ſub ſe, tanquam ſpecies comprehendit. Guſtus & olfactus a motu extremitatibus nerveis in tunica organorum nervea impreſſo; auditus & viſus ſimili ratione a motu in organis ſuis per ſonum & objecta lucida excitato, ac mediantibus ſpiritibus animalibus actuato, percepto & dijudicato, dependet. An vero ſedes ſenſuum internorum in certis cerebri locis, an in ſenſoriis externis locanda ſit, jam in medio relinquo. Conf. MOLINETT. *Diſſert. Anatom. & Pathol. Lib. IV. c. I.* GLISSON *Tr. de Ventric. & Inteſt. C. XII.* LE GRAND. *Inſtit. Philoſ. Nat. P. VI. art. 6.* SVICERVS *Phyſ. Ariſt. Carteſ. Quæſt. 369.* DIGBY *Inſtit. Peripat. L. II. Lect. 18. & de Nat. Corp. C. XXXII.* Alii, quod tantum adduxiſſe ſufficiat, tam veteres quam recentiores de organo tactus conſtituendo maximas moverunt controverſias, dum alii carnem, alii nervum, alii aliud quid, eſſe ſtatuunt, vid. SENNERT. *Inſtit. Med. 120.* alii credebant membranas adæquatum organon tactus eſſe, receptis propaginibus fibrarum tenuiſſimarum inſtar araneæ cujusdam filorum, ex ſubjectis partibus. Vid. GALEN. *de Uſu Part. C. XV.* Hinc manuum cutem præ aliis partibus omnium ſenſibilium normam eſſe & tactus inſtrumentum prudentiſſimo animali proprium, quo velut communi inſtrumento ad res tangendas & apprehendendas omnium qualitatum tangibilium differentiæ rectius quam ulla alia parte di-

gnoſcuntur, annotavit. Equidem negandum non eſt, has omnes partes ſenſiles exiſtere, ſi enim ab inſtrumento ſecante, urente, pungente, fricante &c. afficiuntur, illico a nobis id perſentiſcitur; ſed diſtinctam nobis cognitionem minime exhibent, ex qua cauſa & ſenſus diſtincti illius tactus ſcilicet organa non habentur.

§. X. Inſuper alios præter memoratam ſuperfluorum & illaudabilium exhalationem non minus utiles cutis obtinet uſus, nimirum totum corpus amicire, illud ab injuriis externis munire, facere ad majorem pulchritudinem & gratiam omnium corporis humani partium, & in certis illius locis ad pilos faciendos, qui tam tutelam contra frigus, quam ornatum certis quibusdam partibus præſtant. Præter cutem aliæ partes ei ſubjacentes frictione afficiuntur, nervi nimirum & illorum incolæ ſpiritus animales, vaſa ſanguifera venæ levi quidem, arteriæ validiori preſſione & lymphatica, contentaque illorum ſanguis & reliqui humores, glandulæ, partes muſculoſæ, & in illarum interſtitiis reſidens ſanguis & humores alii, membranæ. Actuata enim hæc omnia motu illo copioſiorem ſpirituum & humorum affluxum concitant. Eſt adhuc ut referamus: halituoſas in capite per ſuturas exire non vanam prorſus perſuaſionem eſſe; quidquid etiam alii objiciant. Juxta cutem integumentum quoque illudque tertium pinguedo conſtituit in tenuibus membranulis collecta: Hæc æque varios uſus obtinet, ut nempe his oleoſis globulis rurſus ſolutis ac conſumtis corpus in morbis & inedia nutriatur, ut corpus in ſtatu naturali vigens unctuoſitate lubricetur, lævitate pulchrius & ad motum aptius reddatur contra frigus maxime aliasve injurias muniatur, nimia tranſpiratio inſenſibilis atque ſalia acrioresque particulæ, ne damnum parti vicinæ inferant, coërceantur. Non vacat illa, quæ nondum ſatis prolixe deſcripta ſunt in antecedentibus, nunc graphice delineare, cum chartarum harum anguſtia id vix permittat. Quare & longiori & repetitæ inſtrumentorum frictionis recenſioni, quam ordo nunc poſtularet, ſuperſedere me poſſe arbitror, cum illa jamdum ſupra ſufficienter, ut opinor, declarata fuerint. Sed ut in compendio illa tantum nominaſſe ſufficiat, frictionem præſtant omnia, quæ ſuperficie ſua varia plus minus aſpera partibus applicantur, ibidemque hinc inde tractione ducuntur, unde partes moventur, vellicantur, & calor excitatur, &c.

§. XI. Subjectis frictionis phyſiologice jam adumbratis, operæ pretium eſſet, ut illa & pathologice deſcriberem. Cujus deſcriptionis multa exempla in pathologia occurrunt v. gr. corroſiones fiunt per frictionem quandam per partes acriores &c. Quia vero hic latiſſimus campus

pus panditur, ut pagellæ hæ vix sufficiant, penitus hæc omittere cogor: imprimis dum in sequentibus, quando de fine frictionis sermo erit, præcipua huc spectantia simul monenda erunt. Itaque potius transgressum faciam ad frictionis finem usumque describendum, quem præsertim L. BELLINUS *de Sangu. Miss. p. 137.* VERULAMIUS *Oper. p. 538. & seq. p. 769. & 941.* GALENUS *de Sanit. Tuend.* CORNEL. CELSUS *de Med. passim* HIPPOCR. *de Medici Offic.* describunt & commendant. Modum adhibendi optime ipse GALENUS præscribit *Lib. II. de Tuend. Sanit. ut primum manuum ductibus blandius, inde sensim paulo fortius fricemus, idque semper violentius, eatenus aucta frictione, ut premere leviter, at citra læsionem carnem videatur.* Multifaria sane commoda & facultates atque tantæ efficaciæ & virtutis, ut diversos ac sæpe contrarios quoque (pro varia nimirum eas adhibendi ratione:) effectus perficere possimus, ab Autoribus frictioni adscribuntur, in sanitate integra conservanda, amissa aut læsa restituenda & integranda, vita prolonganda, quorum quædam testimonia in antecessum & in prægustum quasi transcribamus. Ita HIPPOCRATES *Tr. de articul. S. VI. p. m. 823. frictio potest justo laxiorem articulum vincire & justo duriorem solvere,* & GALENUS *Lib. V. de Tuend. Sanit. Lassitudinis,* inquit, *affectum sanat, & imbecillem distributionis vim conciliat, robur vitale excitat & conservat, modice calefacit. Lib. IV. l. c. Concoquit crudum succum. Lib. II. l. c. Dura ligat, mollis solvit, tenues meatus recludit & excrementa, quæ caro continet, fluxilia reddit & solidas emollit partes. Frictio ex oleo administrata humectat. Frictionis omnis commune opus est calefacere. Frictiones sunt inter corpus evacuantia annumeranda. Corporis habitum laxum reddit, & cutem raram.* ARISTOT. *Sect. 38. Probl. 5. Corpus, cui secundam conciliare volumus valetudinem, non densum sed rarum reddendum est. Nam ut urbs locusque quicunque salubris est, qui placide perspirabilis; ita & corpus, quod placide perspirabile est, sanitati opportunius.* Asclepiades in plurimorum morborum curatione frictiones, quarum etiam inventorem CELSUS *Lib. II. de med. Cap. XIV.* eum deprædicat, reliquis omnibus remediis & maxime medicamentis ore assumendis, haud immerito præfert. Siquidem etiam universæ Methodicæ Sectæ laudi ducitur, quod frictionibus plus adversus morbos quam medicamentis pugnarent. Erasistratus, reprobatis omnibus fere medicamentis, exercitationes per frictiones, balnea ac inedia potissimum injunxit. Ægyptii æque ac Græci teste PROSP. ALPINO *Lib. IV. de med. Ægypt.* eandem summis extollunt laudibus, & quivis in veterum scriptorum & medicorum lectione sæpius eas maxime commendatas videbit. Chinenses

 hodie

hodie adhuc frictiones optima remedia in morbis habent. W. Piso. *Hist. N. & M. Brasil. Lib. I.* scribit, quod Reguli ipsi medendi sibi facultatem arrogent, ad quos matres suos infantes ducunt, qui ab illis fricantur & tabaco consputantur. Ex ejusdem testimonio relatum habemus, quod empirici Brasilienses vagis frictionibus iisque imperite directis mira præstent & in præservanda sanitate & curandis morbis. Willisius *de anat. cerebri Cap. XX. p. 104.* de quodam Anglo scribit, quod magno cum successu omnis generis morbos sola frictione sanaverit, de quo & conf. Paulini *im Philosoph. Feyerabend. p. m. 561. seqq.* Borellus *Hist. & observ. Centur. IIXC. p. 186.* de quodam scriba refert, eum innumeros quovis etiam morborum genere detentos sola frictione pristinæ sanitati restituisse. Quinimo videmus ipsam naturam non raro ad frictiones stimulare, quando enim pruriginoso fervescenteque sensu molesto, diversæ partes afficiuntur, homines a frictione atque scalptura vix sibi temperare possunt. Idem in brutis quoque deprehendimus: Etenim volucres instante pluvia rostris pennas & cutem fricant & forte hac ipsa vellicatione cutis tonum a tempestate humida relaxatum aut relaxandum restituunt, noxamque exinde avertunt. Pariter canes tum temporis ut & simiæ atque feles, sues, asini & id genus, partes posteriores & terga in terra fricant, aures vellicant &c. Taceo quod ad munditiem servandam egregie frictio conferat, cui veteres magis quam nos hodie studuisse videtur, in cujus gratiam balnea & *frictiones* quotidie atque haud una vice saltem adhibebant, quorum instrumenta strigiles vocabantur, quæ etiam hinc inde adhuc inter curiosa asservantur. His mediis quæ munditiem conciliant hodie quidem frequens indusiorum mutatio successit, sed multi squalores cuti adhærentes per hoc vix possunt deleri. Quodsi autem omnes frictionum usus colligamus, videmus eos abstergendi, mundificandi, excitandi, alliciendi, discutiendi, aperiendi, revellendi, derivandi, roborandi, siccandi, insensibiliter plus minusve evacuandi, esse.

§. XII. In hac ipsa tractatione ordinem illum servemus, ut prius consideremus quantum frictio faciat ad indicationem prophylacticam & præservatoriam, sive ad illam medici functionem, qua status s. n. sartus tectusque servatur diu, & morbi præcaventur. Tuetur autem medicus illa sanitatem, massæ sanguineæ aliorumque humorum vitiosas dispositiones ad morborum generationem producendam facientes, alterando nimirum corporis habitum, roborando omnes coctiones, quas vocant instaurando, humores lentos incidendo, stagnantes & quiescentes

movea-

movendo, crassos atque spissos, glutinosos attenuando, multos & superfluos evacuando, calidos refrigerando, frigidos calefaciendo, mordaces contemperando, fluxiliores inspissando; vel imperando rerum ad vitam necessariarum usum legitimum, aëris nempe, cibi & potus, motus & quietis, somni & vigiliarum, excretorum & retentorum atque animi pathematum; explorando climatis frigidioris aut calidioris constitutionem, conditionem ætatis in infantibus, pueris, juvenibus, consistentis ætatis hominibus & senibus, sexus in gravidis, puerperis, lactantibus, menstruatis, aut similiter affectis, consuetudinis in rusticis, delicatioribus &c. ne varii gignantur morbi. Communis sane persuasio, communisque hodie error est, medicum solummodo accersiri læsa jam dum sanitate & periclitante vita, aut quando mors jam ante fores serpit. Maxima nam in prosperis rebus fragilitatis humanæ oblivio est. Quam male autem illi sibi consulant, loquitur quotidiana experientia: cum multi a morbis immunes esse possent, si medicum de conservanda sanitate sua in consilium vocarent. Facilius enim, uti commune fert proverbium, non admittitur, quam ejicitur hostis.

§. XIII. Sed ut ad scopum nostrum hæc applicemus, frictio præsertim versatur inter illa circa motum & retenta potissimum. Etenim frictio nihil aliud quam corporis exercitatio est, speciemque ejus tantum ejus motus constituit, unde & GALENUS *Lib. II. de Sanit. Tuend.* exercitia & frictiones conjunxit. J. ZECHIUS *Consult. p. 602.* loco exercitii in debilioribus frictiones diversarum partium valentiores singulis diebus mane & vesperi jejuno ventriculo institutas commendat. Ad sanitatem nimirum tuendam amissamque restituendam non minimum momentum exercitationes habent, quod non tantum autorum constanti assertione, sed & ipsa experientiæ fide exploratissimum ab omnibus semper habitum est. Unde Hippocrates universam tuendæ sanitatis rationem duobus his includere videtur: non satiari cibis, & impigrum esse ad labores, i. e. motiones corporis, ut aliorum v. g. Galeni, Aristotelis multorumque recentiorum testimonia velut supervacanea, taceam. Satis superque enim ex Physiologia cognitum, satisque perspectum est, vitam & sanitatem pendere maxime a partium fluidarum i. e. humorum omnis generis perenni atque æquali circulatione & motu progressivo per omnes etiam minimos corporis tubulos rite constitutos, satis pervios ac amplos justoque dilatatorio constrictorioque motu debitoque elatere præditos. Quod si recte hic motus secundum leges suas comparatus est, viscidiora, crassiora attenuantur & dividuntur, inutilia, su-

perflua hincque excernenda per debita sua emunctoria & transpirando potissimum per poros evacuantur, fluiditas, spiritualcentia & calor augentur, utilia vero & laudabilia retinentur atque in vitalitate sua conservantur, respiratio & pulsus fit citatior, appetitus excitatur chylosis adjuvatur, nutritio perficitur corporisque aliæ actiones integræ servantur. Itaque motus hic circularis est, qui totum corpus ejusque omnes partes ab omni putredine, morbo, ac morte ipsa tuetur. Immo exercitationibus animi quoque vires majores acquiruntur, excitantur & conservantur, cujus testimonia clarissima inter alios GALENUS *Lib. de Consuet. & Lib. I. de Sanit. Tuend.* atque PLIN. *Lib. I. Epist. 2.* scite perhibent. E contrario ex genuina pathologia elucescit, plurimos morbos a circulo sanguinis potissimum impedito & imminuto dependere. Ut paucis multa complectar, vita ipsa nihil aliud est, quam continuus quidam spirituum, hinc sanguinis & reliquorum humorum motus bene ordinatus, a quo sanitas etiam effective dependet. Motum vero hunc sanguinis tam intestinum quam progressivum frictio præ multis aliis corporis exercitiis optime ac commode adjuvat & calorem fovet & excitat. Affirmat hoc (ut alios jam taceam) JOH. FOLLINUS *in tuenda sanitat. Synops. p. 75. seq.* inquiens: nullam suaviorem aut commodiorem ex omnibus cogitari posse exercitationem, quam quæ suscipitur per frictionem. Per illam enim actionem & tractionem exterius institutam musculi legitima illa motus instrumenta, nervi, arteriæ, venæ glandulæ atteruntur, moventur & excitantur, atque ad motum progressivum expeditiorem humores in iis hospitantes stimulantur, quo & intestinus eorum motus simul & ex necessitate augetur. Ab illa quippe vellicatione fibrarum carnearum nisus & tendentia naturalis aliquam conquassationem naturalem experitur, & hinc eædem ad contractiones iteratas disponuntur. Quamvis enim id fiat solummodo in cute & nervorum atque vasorum eo excurrentium extremitatibus, attamen non modo ob continuitatem per totum corpus fibrarum systole propagatur, sed & major sanguinis, reliquæ humorum massæ, spirituumque commotio continuatur & sic etiam partes corporis humani interiores consequenter, hoc medio afficiuntur: Nam si cutis sic premitur & tenditur ea fit rarior ac non modo motus humorum per vascula ejusdem excitatur sed etiam vasa, quæ & sanguinem, lympham & spiritus animales vehunt & partes aliæ quæ subjacent, necessario premuntur, per quam pressionem sursum & deorsum institutam hærens in iis humor exprimitur, dimovetur, sejungitur & majori velocitate ad vasa sua devolvitur versus partis pressæ confinium,

finium, pori omnes aperiuntur, ſicque via facilis perſpirationi redditur. Certe, hæ perfecte imitantur & ſupplent, alterna preſſione & relaxatione vaſorum actionem in fluida. AVICENNA *fen. 3.* --- aliique veterum dicere conſueverunt, frictiones ſi decenter fiant, tantum commodi afferre, ut reliquis motionibus & exercitationibus corporis non opus ſit. In cujus aſſerti ulteriorem probationem & illuſtrationem afferam, non ſolum Latinos ſed & ante eos jam etiam Græcos olim univerſam propemodum medicinæ partem, quæ Hygiene dicitur, in frictionibus poſuiſſe: Conſtituerunt enim gymnaſtas ac aliptas, qui hominum frictionibus, inunctionibus corpora curabant, atque omnia alia eorum corporis exercitia frictiones comitabantur. Tranſcribam quod legi apud SVETONIVM *in vita Veſpaſiani Imp. cap. XX.* nimirum Veſpaſianum Imp. valetudine proſpera uſum eſſe, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces cæteraque membra ſibimet ad certum numerum in ſphæriſterio, qui locus rotundus balnei erat, in quo varia exercitationum genera, ut & frictiones inſtituebantur, defricaret, inediamque unius diei per ſingulos menſes interponeret; Ipſæ matres familias & obſtetrices optime norunt, quam bene recens natorum ſanitati & nutritioni conſulatur frictionibus blandis modo inſtitutis, & ad quas etiam inſtituendas B. ETMÜLLERVS *in valetud. infantili p. 36.* hortatur. Quando & puerorum abdomen tumet, glutinoſis humoribus infarctum frictiones pannis laneis, aſperis factas, plurimum prodeſſe expertæ affirment. Etenim ea remedia & vitam longam & ſanitatem integram præſtandam maximam laudem merentur, quæ humani corporis elateres & rotas motus animalis inſtrumenta mollia, laxa & flexibilia facile conſervant. Hocce eximium commodum experiuntur quotidie illi, qui conſuetis his pectinatione, induſiorum commutatione, manuum lotione, oris collutione, mane ſtatim a ſomno occupati ſunt.

§. XIV. Alterum inter ſex res nonnaturales, circa quod frictio præſertim verſatur, eſt, ut retenta p. n. excernantur. Præcipuum id eſſe videtur motus conſequens præcipuamque fere dicerem medicinam. Excretio enim illa, quæ tranſpiratio inſenſibilis vulgo dicitur, motum preſſo quaſi pede ut effectus ſequitur: per motum quippe inducta humorum fluiditas atque ſubtilitas, particulis quibusdam ex mixti compage aquoſis, ſpirituoſis &c. continuo ſecedentibus ſuperflui humidi ſatis interdum nocivi, diſcuſſionem promovet, illudque ſub forma halitus vel vaporis ejicit, quibus egreſſis aëremque propellentibus neceſſario materia ſubtilis cogitur ex aëre diſcedere & loca exinanita particularum modo

do exclusarum iterum occupare. Transpiratio hæc insensibilis magis secundum naturam instituitur, quanto enim tenuior & sine sensibili magis madore, transpiratio, tanto salubrior est & est evacuationis genus, quo natura vix per momentum carere potest, cum humores vitiosi extra ambitum primarum viarum vagantes non per commodiorem viam foras eliminari possint. Est quoque ejusmodi quod magis perfectum est atque simul universale per universum corpus institutum (singulæ enim corporis partes succo nutritio perfunduntur, qui vero varie movetur, quo motu evaporatio semper contingit) atque quod supplere potest defectum aliarum egestionum corporis humani, melius quam ulla aliarum possit defectum hujus supplere. Nolim tamen ideo cum SYLVIO asserere, nullum sudorem esse naturalem, cum nonnisi contra leges naturales ab extreme commota massa sanguinea fieri soleat. Dicit enim *Lib. I. Prax. cap. LIIX.* vomitum & sudorem non esse excretiones naturales, sed vel nonnaturales vel præternaturales, aut medicas, sive artificiales aut criticas. Nec SENNERTI distinctione opus habemus, quando *Instit. Lib. I. c. IX.* distinguit inter causam efficientem & inter materiam ipsam, sudoris, atque illius intuitu multos sudores naturales esse, hujus vero neutiquam, asserit. Verum enim vero cum causa efficiens sudoris duplex sit, alia proxima, spiritus sc. animales data occasione sanguinem commoventes. Dum enim fibræ corporis vellicantur, moventur, commotis istis motus sanguinis & spirituum acceleratur, calor infertur; turgescentibus sic cunctis lympha quoque laudabilis æque ac excrementitia per poros cutis expellitur, imo pro diverso impulsu sanguinis ejusque violentia & celeritate majore vel minore, sudor contingit modo copiosior, modo parcior. Quo autem rectius excretio hæc succedat, requiritur non saltem justa constitutio ipsius motoris, sed & humorum ac glandularum secernentium, tubulorumque & pororum excernentium. Inde etiam accidit, ut quædam subjecta satis bene aut nimis, alia contra minus recte se his habentibus, difficulter admodum aut nunquam fere sudent. Causa remota vero & occasionalis est quadruplex, prima naturalis, videlicet corporis & consequenter humorum contentorum, aut etiam animi commotio, quarum ista procedit ab ambulando, equitando, currendo, saltando aut clamando; hæc potissimum in meditando, ira, terrore, consternatione, metu contingit. Altera est præternaturalis sive morbi varii, v. gr. febres, acrimonia morbosa in scorbuto &c. Tertia critica itidem in morbis beneficio naturæ crisin perficientis contingens. Quarta artificialis & medi-

ca audit, quæ a medicamentis efficitur, quo & aër externus calidus ambiens referendus. Pro harum itaque circumſtantiarum ratione varia ſudor vel naturalis vel præternaturalis eſſe poteſt. Ita quoad materiam in ſana corporis conſtitutione contingens ſemper naturalis, in morboſa præternaturalis & quidem per accidens talis ſudor erit nuncupandus. His & ſententiæ Plempii obviam eatur ſtatuentis, reſpectu cauſæ efficientis ſudorem vix naturalem, reſpectu vero materiæ & viarum ſemper naturalem eſſe. Sed optime reſpondet B. LANGIUS *T. I. p. 122.* fruſtra urgeri ſanguinis inſignem commotionem, cum ſæpe acria paululum alimenta, vel ſolus calor externus quodammodo auctus ſatis in ſe habeant cauſæ ad excitandum ſudorem. Hujus intuitu v. gr. dormientium ſudor, qui non eſt hecticus, non præternaturalis eſſe poteſt. Pari ratione B. ORTLOBIUS *Differt. Phyſiolog. p. 138.*, ad hoc dubium reſpondit: Cum idem ſit, quod excernitur per διαπνοὴν, & movens tantum aliquanto impetuoſius videatur, non omnis ſudor poteſt præternaturalis dici. Interdum etiam ſudor ſolummodo ab aëre frigidiore & craſſiore atmoſphæra ambiente effluvia coërcente atque in guttas condenſante producitur. An inſuper omnis ſudor ex ſanguine, an etiam ab aſſumtis, ex primis viis, præcordiis vel interioribus viſceribus immediate per certas vias prorumpat, multos non levis ſcrupulus premit. FERNEL. *Lib. de Febb. c. X.* id ipſum & DEUSINGIUS *in Exercit. de Depurat. Aliment. p. 187. & in append. ejus p. 343. it. in Differt. de Lacte S. II. §. 63.* tractant & probare moliuntur, ſudorem etiam immediate ad habitum ex primis viis provenire. Aſt quia viæ iſtæ, pariter ac illæ, quæ in urinæ excretione extraordinaria & immediata, illæque, per quas pus interdum in pleuritide per veſicam eliminatur, ab Autoribus allegantur, ab Anatomicis nondum detectæ ſunt, in medio illud & aliis potius dijudicandum relinquo. Multi quidem ut hoc ſtatuant, obſervationibus Autorum adducuntur, ſudores aſſumtorum conditionem referentes recenſentibus, uti SALMUTH obſervavit de ſudore cereviſiam odore & colore referente *Cent. II. obſ. 28.* it. *Eph. G. D. II. ann. 6.* de ſudore melleo ex melle aſſumto, it. *l. c. ann. 5. obſ. 15.* & RHOD. *Cent. I. obſ. 58.* De ſudore vini rubri videatur BARTHOLINUS *Cent. IV. Hiſt. 63.* & SACHSIUS *Ampelograph. Curioſ. Lib. II. S. 6. membr. 7. Cap. VIII. art. 1. p. 395.* de fœtido & viridi a porro aſſumto, BORELL. *Cent. II. obſ. 56.* de croceo poſt exhibitum rhabarbarum, *Eph. Germ. D. I. ann. 7. obſ. 78.* de violaceo a violis, *l. c. Dec. II. ann. 5. obſ. 7. it. obſ. 18.* de lacteo, it. *l. c. Dec. II. ann. 5. obſ. 112.* de oleoſo ex oleo largiter poto, alii de aliis teſtan-

tur. Sic & B. Ortlobius aquam cinnamomi post ejus uberiorem potum iterum excretam vidit. Sed quid impedit, quo minus causas istas tum in primas vias non recte digerentes, tum in vasorum secernentium nimiam amplitudinem conjiciamus?

§. XV. Cum itaque transpiratione, etiamsi invisibili insensibilique, de cujus admiranda ad sanitatem utilitate SANCTORIUS in *Medic. stat.* prolixe agit, cujus quantitas hyeme uno die naturali ad quinquaginta uncias & ultra adscendit, inutilia varia atque superflua ea copiosissime excernantur, haud obscure colligitur, quantum utilitatis etiam hac ratione & in conservanda sanitate & longævitate eaque procuranda & in præcavendis plurimis morbis hoc modo, transpiratione nimirum aucta, frictio præstet. Quorum explicationem & connexionem partim ex Pathologicis præsuppono, partim in sequentibus latius deducam. Scilicet frictio hoc modo eliminando præservat a plethora, fœcunda illa morborum matre, quippe vidimus non raro exinde apoplexias, paralyses, febres, inflammationes, mensium defectus, hæmorrhagias, obstructiones & stagnationes varias, vires oppressas, lassitudines &c. consequutas de quibus Autorum observationes passim testantur. Præservat a quavis cacochymia, quæ transpirationem impeditam ut umbra corpus sequitur cachexia, teste ARISTOT. *Sect. 38. Probl. 3.* Præservat ea porro ab omnibus illis morbis, qui originem suam a colluvie serosa retenta trahunt, vid. PISO *Tr. de Morb. a colluvie serosa oriundis*, a catarrhis puto, rheumatismis, aliisque qui ab his sæpius generantur, affectibus, ut sunt paralysis, apoplexia, convulsio, tremor, pleuritis, angina, surditas, ophthalmia, cœcitas, tussis, asthma, phthisis, apepsia, vomitus, tumores varii variisque in locis, diarrhœa, dysenteria, arthritis, anasarca &c. Sic me Parisiis vidisse memini fœminam primariam, quæ vexabatur hydropis specie singulari & rarissima, diversis enim corporis in locis bullulæ sub cuticula latentes videbantur, quæ tamen frictione duntaxat linteis calidis quotidie bis instituta, ab illa se servabat liberam. Febres variæ indolis, & mali interdum moris vid. celebr. BOHNII *Circul. Anat. p. 239.* a transspiratione impedita oriri, toto die experimur, vid. ALEX. TRALLIAN. *Lib. XII. c. II.* SYLVIUS *Prax. Lib. I. c. XXVIII.* Hinc GALENUS more veterum balneum aquæ calidæ in plurimis febribus commendat. *Meth. Med. 10.* quæ & instituta sæpius frictione certis temporibus averti possunt. De anasarca PLATERUS testatur *Prax. T. III. C. III. p. 186.* Leucophlegmatiam a transpiratione impedita ortam præter observationes Plateri aliorumque vidi hic Lipsiæ, in ancilla tempore

pore hyemali frigidiore per aliquot dies linteamina lavante & ſiccante. Ex hoc fundamento frictio tandem præſervat a cutis quibuscunque vitiis, ſcabie, pruritu, lepra, ſerpigine & lichene, phlyctænis, varis &c.

§. XVI. Ut a recte valentibus frictiones adhibitæ ſanitatem & vitam ſartam tectamque ſervant bonumque atque concinnum corporis & membrorum ejus habitum procurant, omnesque ſenſus clarificant & ab imminentibus morbis præſervant, ita & præſentes jam factosque depellunt & curant, ad quem ſcopum perluſtratis his antecedentibus facilis via ac cognitio patet ad indicationes curatorias, quomodo nempe affectuum curationes, aut ſolæ aut junctis aliis externis pariter & internis remediis appropriatis, frictiones aut perficiant aut adjuvent. Eæ autem optimas curationis conditiones poſſident, quæ nimirum citam, tutam & jucundam afferunt medelam, quæ & aliorum medicamentorum & remediorum vim & operationem augent, adjuvant & in certiorem & præſtantiorem actum deducunt, imo ad quædam auxiliorum genera admodum neceſſariæ ſunt, adeo, ut ſine his parum aut nihil efficerent. Unguenta & linimenta applicata hic præſertim nominanda ſunt. Ad plurima hic iterum reſpicere præſens inſtitutum poſtulat. Omnium vero ratio ſummas has duas iterum claſſes ſpectare videtur, 1) quatenus frictio motum & per conſequens calorem & fluiditatem partibus conciliat, attenuat & diſcutit, easque ſolidas omnes muſculos, nervos, tendines canaliculos ſanguiferos, compactiores & firmiores, robuſtiores reddit, illarum poros aperit atque ita alterat, & derivat & 2) quatenus transſpirationem & evaporationem humorum peccantium adjuvat vel efficit, adeoque evacuat & exſiccat. Qui diverſi affectus diverſum frictionis gradum modumque deſiderant.

§. XVII. Igitur movendo undulationem & affluxum majorem ſpirituum humorumque in partes ſolidas præſertim debilitatas hactenus denegatum, aut torpidiorem ſuſcitando & revocando, novamque iis determinationem imprimendo conferunt frictiones, quatenus fluida illa motu & calore ſic inductis exagitata & elaſtica magis reddita majorem ambitum ſortiuntur, ut in fibras influant illasque vegetent; illæ vero irritatæ ad ſyſtolen debitam exercendam præparantur ſimulque canales & pori fiunt ampliores; quibus his ſcopis una ut ajunt fidelia duos parietes jungere conveniet. Proin primo loco hic allegabo atoniam, quæ a deperdita fibrarum elaſtica vi, aut ex vitio nervorum & ſpirituum animalium inertia atque inſufficiente influxu aut ex ſanguinis tum qualitate tum quantitate

 pec-

peccantis vitio provenit. Passim enim observatur, scorbutum, flatus, sanguinis serique stagnationes, spasmos & motus convulsivos crebriores, apoplexiam & paralysin, frigus & calorem excessivum, medicamenta quoque quædam ut emollientia hydrargyrum &c. præter modum adhibita, ut & compressiones, contusiones, fracturas, luxationes &c. modo plurium simul, modo hujus vel illius partis atoniam inferre. Quam laxam nimis frictiones juvant, duræ tamen & pene dolorificæ, (consentiente GALENO *Lib. II. de Tuend. Sanit.* Dura ligandi vim habent,) cum regimine calido, vid. & SOLENAND. *Consil. Med. Sect. II. p. 161. & Sect. IV. p. 423.* Celeberr. SCHELHAMMERUS *Libr. de natura p. 314.* commemorat, se juvenem ex laxitate tendinum ac ligamentorum omni plane motu privatum universalibus præmissis frictionibus quoque fortissimis institutis, restituisse, ut intra dies plus minus viginti robore suo pristino gaudens omnibus muniis præesse potuerit. Quia & leniter tunc glandulæ vellicantur, ut liquorem stillent, fibrasque humectent ac emolliant in rigida interdum pariter adhiberi possunt, sed molles tunc illæ potius sint & blandæ, cum aqueis, mucilaginosis & tepidis, quibus extenduntur, stamina, ut non adeo resistere possint. Vid. iterum GALENUS *l. c. Cap. III.* affirmans, *frictionem mollem remittere, & quæ inter vehementius laborandum fatigata sunt, emollire.* It. *Frictio vespertina illis utilis est, quos vel lassitudo valida premit, vel siccitas male habet. Cap. II. l. c. quæ constricta sunt, molliter fricanda sunt.* CELSUS *Lib. IV. de med. Cap. III.* in cervicis rigore easdem laudat. *Ephem. G. N. C. Dec. III. Anno 4. observ. 120.* in omnium membrorum rigiditate aliis nihil proficientibus humidas frictiones comprobant. Sic v. gr. inferius dicam, quod in vulgus quoque notum est, mulieres in mammarum duritie, eas mollioribus scopulis ex pilis caprinis confectis molliter fricare, qua frictione mammarum duritiem pededentim leniunt atque relaxant. Juxta hoc exemplum refero illud, quod monet I. GUILLEMEAU *de ocul. & dent. med. p. m. 214. Cap. II. Sect. VI.* ut in tabe pupillæ oculorum, ubi ea contrahitur, ut iterum dilatetur oculus, sæpius fortiter digitis fricetur. Atoniæ laxæ scilicet affinis est paralysis & hemiplexia, cujus ratio formalis in impedito ad aliquod membrum spirituum influxu consistit, quem vellicatione sua frictiones cum nervinis iterum restituunt ac motum ac sensum revocant, atque infarctum simul in partes ita a relaxatione flaccidas facile incumbentem & insequentem præpediunt, stagnationesque & humorum spissescentiam discutiunt. In specie in paralysi linguæ eas cum fructu adhibuit PLATERUS *obs. Lib. I. p. 128.* Cum stupor gradu sal-

tem

tem a paralysi differat, & nihil aliud sit, quam difficultas sentiendi, ac propria quædam ad paralysin dispositio, locum suum quoque hic invenit, quippe quem frictiones optime tollunt, Autore SOLENANDRO *Consil. Med. Sect. I. p. 31.* præstantissimas eas item judicat GORDONUS *in Praxi Part. II. Cap. XVII.* non modo simplices sed & medicatas, cum oleo lumbricorum, formicarum aliisque huic scopo convenientibus. Mirum earum effectum in hoc morbo, quem præstant, deprædicat pariter PLATERUS *in Praxi Cap. V.* ut & SENNERTUS, RIVERIUS & quam plurimi alii. Universale magis malum apoplexia existit a spirituum animalium influxu & undulatione tanquam a causa sua continente impedita, quam ut urticationibus secundum Celsum & Riverium ita & frictione juvari Autor est PLATERUS *in Obs. L. I. p. 14.* comprobante communi Practicorum consensu imprimis si fiant cum spirituosis & nervinis antiparalyticis, ut spiritibus & salibus volatilibus formicarum, lumbricorum terrestrium, balsamis, apoplecticis, oleis lavendulæ, rutæ & similibus. GEORG. NYMMANNUS *Lib. de Apopl. p. 239.* palatum cum theriaca veteri fricare jubet ut & decocto florum cyani *p. 241.* IACCHINUS *in IX.* & HOLLERIUS *I. de morb. intern. VII. Rhasis 9.* eas ante venæ sectionem necessarias æstimant. Hac frictione externa simul illa interna, quæ per sanguinis motum in anfractibus atque complicationibus vasorum utriusque generis fit, & quæ motum velocitatemque fluidorum multum retardat, cohibetur atque avertitur. Cujus rei ratio atque causa ex mechanicorum scholis peti potest: Conf. Celeberr. WOLFF. *in Elem. mechan. Theorema 663.* & MARIOTTE *Traité des Mouvemens des eaux p. 256.* Scribenti mihi hoc, obvenit memoria casus cujusdam, quem Londini quondam in habitationibus meæ viciniæ vidi; scilicet 4. personæ mater cum duobus filiis & una filia a vapore carbonum fossilium in camera accensorum suffocatæ & quasi mortuæ ab hero accedente inventæ sunt, quæ vero omnes in aërem liberum delatæ frictionibus solis cum pannis calidis restitutæ sunt. Similiter aphoniam quam sæpissime post se relinquit apoplexia eædem in palatu ac lingua factæ, auferunt vid. WEDELIUS *de Med. Cogn. Facult. Libr. II. §. 2. Cap. XII.* Ab apoplexia non multum differre videntur affectus soporosi & gradus illorum catalepsis, pariter a spirituum torpore & activitate, destructa vel influxu ad partes, ob nervos vel compressos vel obstructos circum suum principium impedito, pendentes. Quo in casu frictiones itidem fortiores, imo fortissimæ cum pannis calidis, decocto raphani majoris rad. pyreth. sem. sinapi & aceto fortissimo & sale maxime in plantis pedum, exci-

tant, ſpiritibusque novum impetum inducunt. Vid. FOREST. *Obſerv. T. I. S. 3. p. 580.* MANDELSLOH *Itiner. I. O. p. 122.* recenſet Goæ metropoli I. O. uxores adulteras maritis daturam propinare, ut ſomnolenti fiant, adulterio vero commiſſo pedes illorum duriter ut expergiſcantur fricare. Hinc ſequitur quod & membra compactiora & firmiora reddant frictiones. Ad tonum nimis laxum antea commemoratum referendus quoque erat tremor, qui inter alias cauſas etiam fibrarum juſto minorem firmitatem, ex qua ſpirituum quoque torpor & influxus imminutus non excludendus venit, agnoſcit, ut hinc fibræ non ſufficienter ab iisdem impellantur, quæ vitia frictiones corrigunt ex rationibus jam allegatis. Teſtimonium hujus rei ſi deſideras, adeas C. CELSVM *de re med. Lib. III. cap. XXVII. p. 180. ſeq.* Ex eodem fonte, movendo nempe & excitando ſpiritus ac humores, in animi deliquio, lipothymia, ſyncope, ut & virium imbecillitate & oppreſſione earum conferunt ex GALENI præcepto *l. c.* Ubi reficere opus eſt, adhibeatur tum quantitate tum qualitate mediocris frictio. It. *Lib. V. l. c.* In imbecillitate virium crebra exiguaque utendum eſt. Et quid notius etiam apud nos eſt, quam quod ſyncoptici, labiorum cum ſale vel ſpiritu quodam apoplectico, aceto roſaceo, frontis, faciei, pulſuum aut pectoris regionis, aut forti plantæ pedis frictione, excitentur. Et quoniam vires malignitas opprimit, frictiones in morbis peſtilentibus & malignis apprime conducunt, quatenus excitando motus naturales ad reſiſtendum miasmati maligno illudque ſuperandum operantur. Teſtatur de hoc VIGO *Chirurg. Lib. IX. cap. VI. p. 1230.* Immo moribundi per aliquot horas adhuc hoc pacto poſſunt ſervari. Notatu dignum eſt, quod refert Illuſtr. BACO DE VERVLAMIO *in Hiſt. V. & M.* Veteres ad præſervationem vitæ in periculoſis morbis ſolitos fuiſſe, lintea removere ægroſque nudos laneis ſtragulis lenem frictionem inferentibus undique obtegere & obvolvere. In BONETTI *Med. Septentr. P. II. p. 845.* legitur: Quosdam in confiniis mortis ſubitam opem tenui ſubucula contexta ex lana ſubtiliſſima ſenſiſſe, non ob aliam cauſam, quam quod lanei panni leniter confricent. In ſtrangulatione, a quacunque cauſa illa etiam fiat, ſuccurritur egregie. VERVLAMIVS recenſet *H. V. & M.* de quodam, qui per dimidiam horam ſtrangulatus manſerat & pro mortuo jam habebatur, in vitam tamen iterum frictionibus & balneis calidis reductus eſt. In ſuffocatione a vaporibus, metallicis, carbonum, muſti, cerevisiæ G. NYMMANNVS *de Apopl. p. 292.* palatum cum zedoaria, mithridatio, caſtoreo fricare ſuadet. Aqua ſubmerſi, & tanquam mortui jacentes,

centes, membrorum frictionibus, pannis calefactis, vitæ restituuntur, de quibus exemplum de quodam Nobili recenset P. BORELLVS *Hist. m. & phys. Cent. II. obs. 2.* Huc etiam referri possunt eæ observationes ac effectus speciei frictionis adscribi, quos SACHSIVS *in Ampelographia Lib. II. c. III.* recenset atque iisdem testatur, aqua submersos antea pronos in terra extensos & plantis pedum baculo percussos revixisse. Ex quo præter alia quoque luculenter apparet ejusmodi percussiones & frictiones validas longissime operationes suas perficere non modo in ipsis partibus percussis & fricatis, sed etiam longe dissitis motu communicato; in his enim casibus, vasa & fibræ ipsius cordis ad motum systoles & diastoles vitalem producendum hoc modo excitantur. Fulmine tactis, vel attonitis, si scilicet influxus spirituum cessare deprehendatur, frigidiores enim semper illi observantur, cum fructu imprimis volis & carpis manuum, plantis pedum, dorso, temporibus & pulsibus admoveantur. Exemplum frictionum in hoc casu feliciter adhibitarum suppeditat SCHENKIVS *obs. Lib. I. p. 83.* modoque laudatus NYMMANNVS *de Apopl. p. 288.* Eadem ratione calefaciunt humores & fibras movendo, coagulationesque tollendo, unde membra frigore tacta cum fructu leniter tamen fricanda, ne humores coagulati impetuosius atque ex admoto nimio fornacis forte calore resolvantur relictis fibris flaccidis & emortuis, sed ut pororum & tubulorum æqualitas servetur, donec humores turbati & coagulati rursus in circulum redire queant. Immo si ex intensiori frigore totum corpus jam rigidum corque jam quiescere, videtur & mors præ foribus est, sola fortior cum panno laneo calido in dorso & thorace instituta frictio vitam reddere potest. Ad suscitandum languescentem appetitum, ut & digestionem ciborum promovendam supra-laudatus ZECHIVS *Consult. p. 171.* frictiones non modo circa regionem ventriculi, sed & per totum corpus suadet, utpote quibus calor augetur, liberior spirituum in ventriculum influxus promovetur, hincque digestio melius peragitur. Atque CELSVS *Lib. IV. cap. V. VI. & XIII.* frictiones brachiorum & crurum ad emendandas stomachi & intestinorum affectiones quasvis ter vel quater de die celebrandas prolixe commendat. Similiter in stomachi debilitatibus, atque in ipsa bradypepsia regionis ventriculi, frictionem cum oleo menthæ Præses, irritis omnibus internis, optimam est expertus. Ad venerem excitandam facilioremque conceptionem conciliandam mediocres utiles esse SOLENANDER memoriæ prodidit *Consil. Med. Sect. IV. p. 368.* Non tantum in viris, verum etiam in fœminis TH. BARTHOLINVS *de usu flagellor.*

gellor.

gellor. in re med. & vener. p. 30. eas, hunc uſum afferre affirmat. Regione enim lumborum fricta ſeminis materia ad vaſa ſpermatica confluit. De viro quodam virgarum plagis in venerem ſtimulato hiſtoriam refert LUDOVICUS COELIUS RHODIGINUS *Lect. antiq. Lib. II. cap. XV. fol. mihi 412.* Atque cujusdam, qui non mentulam ad coitum erigere poterat, niſi ab Amaſia verberaretur. TH. CAMPANELLA *Medicinal. Lib. III. cap. IV. artic. 12.* ex Joh. Pic. Mirand. meminit. Idem de urticationibus ex aliis notum eſt. Inſuper frictiones capitis, præſertim mane in uſum ductæ, omnes ſenſus excitant & clarificant & mentem reddunt erectiorem.

§. XVIII. Præter jam recenſita emolumenta applicantur cum fructu in ſanguinis motu retrogrado juvando & accelerando, qui ſucceſſiva ac repetita hac cutis preſſione jugiter peragitur, quo ſemel habitus humore præter modum turgeſcens quaſi depletur, ex quo circulatio liberius peragitur, quare harum uſus non contemnendus erit in obſtructionibus ſanguinis quibusvis hinc & inflammationibus quæ plurima cum illis communia habent, infra fuſius nominandis, quoniam nimirum poſſumus per easdem premendo liquida ab apice verſus baſin efficere, ut arteriæ quaſi venæ fiant, ſicque duce re obſtruens immeabile ex anguſtis arteriarum finibus, in amplos magis receſſus, relaxata parte, mox pellitur iterum in priores anguſtias. Pari utilitate inducuntur muſculis antagoniſtis patientibus in ſpasmo, ex gr. in ſpasmo cynico &c. ut hac ratione vi externa ejusmodi adjuti, agentium & contractorum in latere convulſo niſui & tractioni majori reſiſtant. Rurſus in imminente gangræna, atrophia, aridura & gracili corporis habitu frictionis modum HIPPOCRATES annotavit *in Lib. de Medici Offic.* ſequentibus. *His, qui carnis augendæ cauſa fricantur, talis adhibenda frictio eſt, quæ finiri tum debet, quando corpus & intumuit, & ad ſummum fere tumor ejus pervenit. Sin fricare diutius pergas, non modo carnem non augebis ſed plane minues.* GALEN. *de Tuend. Sanit. L. V.* teſtatur, frictionem ex oleo (quod emplaſtici medicamenti vim habet) adhibitam, multos, qui alimenti diſtributionis penuria laborabant, ſanaſſe. It. *Lib. VI. l. c.* Quoniam omnia aſſimilationis adjumenta ut, ſanguinis*& ſpirituum animalium acceſſum, alimenti ad exteriora adtractionem, validiorem pororum relaxationem, inutilium & excernendorum humorum in carne hærentium digeſtionem & diſſipationem præſtat, eapropter, qui graciles, obeſi fieri volunt, ad ruborem usque fricari debent. Conſentit quoque VERULAMIUS *in Sylv. Sylvar. Centur. 9. p. 941. frictiones*, inquiens, *magis replent & pinguefa-*

ciunt

ciunt corpus quam exercitia; causa, quia frictio partibus internis indulget quietem, quas exercitatio nimis sæpe agitat. Eadem est ratio, cur remiges plerumque pingues & carnosi sunt, quia iis membra exteriora magis in motu sunt, quam internæ partes. Quem in finem si quis frictiones adhibere vellet, laudatus Autor *l. c. p. 769.* suadet, ut mane fiant cum oleo amygd. addito modico nigri salis aut croci. In hoc passu B. ETMÜLLERUS *T. II. p. 474.* sequenti modo frictiones præscribit: *Membra aridura affecta, si malum non a vulnere, sed a tendinibus compressis fricentur urticis recentibus, incipiendo a summo & imo repetendo, donec illa labore illo diu continuato incalescant, rubescant & vasa turgida appareant.* Atque simul exempla pedum aridura laborantium hac ratione curatorum se nosse testatur. Nec repugnat ratio: alimentum enim validius ad exteriora prolicitur; si quidem pororum relaxatio, quæ tum efficitur, faciliorem spiritibus & succis nutritiis viam præbet expeditam. In hanc rem notabile est flagellis & ferulis parvis, levibus & illitis ad bonam habitudinem macilentis conciliandam, veteres jam usos fuisse, ut Autor est GALENUS *24. method. Cap. XVI.* quibus graciles partes ad modicam usque intumescentiam flagellabant. Is modus adhuc Russis arridet, qui post frigidum balneum virgis ita se castigant, ut sanguis largissime profluat. Vel mulierculis nostris in infantum macie frictiones cum aqua calida & farina aut furfuribus probatissimæ sunt. In narium interioribus per calami asperioris intrusionem factæ stimulatorii vice funguntur. LEV. LEMNIUS *Lib. IV. de occult. nat. mir. Cap. VIII.* scribit. Subinde caput defricare aspero undique velamine, barbam demulcere ac liquamine aliquo absterforio macerare oculis claritatem conciliat. Si infra jugulum & claviculam ipsaque mammarum peripheria & circa papillas scopulis mollioribus adhibentur frictiones, lactis in mammas influxum promovent, & denegatum restituunt partim titillatorio nimirum effectu & modo, quo motus tonicus in mammis & affluxus copiosior humorum intra illas invitatur, partim relaxatorio (modo) quo ob majorem amplificationem porosæ texturæ harum partium ingressus humorum copiosior provocatur, adeoque se & excretioni lactis promtiori & majori occasio præbetur. Præses multoties a frictionibus his partibus adhibitis præsentissimam opem vidit in constrictionibus illis dolorificis & punctoriis, quas lactantes fœminæ a terrore subitaneo persentiscunt una cum lactis suppressione mox insequente atque adeo illarum duritiem & rigiditatem minuunt. Si in debitis locis aliis fiant, viam sternunt irritando mensium & lochiorum fluxui suppresso. Imo a doctis hominibus

notatum est, foetus atque molae & secundinarum exclusionem frictiones juvare, vid. J. A. FRIDERICI Jenensis *Dissert. de uteri mola.* Ab aliis quoque & observatum, easdem urinae obstructionem, in perinaeo & regione ossis sacri factas, solvere illiusque fluxum expeditum reddere. Notissimum est frictiones in collo, dorso, brachiis, cruribus, lenes cum panno rubro commode inservire variolarum morbillorumque ad habitum corporis secessioni. Eaedem & conferunt in lassitudine sive ea ex labore sit, sive spontanea a languidiore nimirum fluidorum universalium circuitu, ut haerentes humores fibrarum musculosarum jugi constrictione ad venas dirigantur. Insuper & animi pathematibus, excitando, circulum humorum restituendo, medentur frictiones, metui, terrori imprimis & moerori ac tristitiae. In illis enim fluidorum motus ad interiora majori impetu rapitur: edocent hoc pallor, extremorum frigus, sudor frigidus, sensuum omnium externorum subitaneus defectus, pulsus aut nullus pene, aut debilis maxime existit, adeo ut tunc temporis e vena secta vix guttula sanguinis effluat, & apoplexia, catarrhus suffocativus, epilepsia, abortus, retrocessio exanthematum, quae & alia symptomata non raro has animi passiones insequi soleant. In his pariter circulus sanguinis & humorum lentior fit, supprimitur, partium vires & robur perduntur, spirituascentia imminuitur, humores vappescunt, stagnant, hinc morbi varii chronici insurgunt, sopiti melancholiae & deliriorum paroxysmi exsuscitantur, spiritus non in debita quantitate & qualitate generantur, secretiones & excretiones sistuntur. SCHENKIVS *obs. Lib. I. & Lib. II.* paralysin ex moerore contractam, animi deliquium frequens ZACVTVS LVSIT. abortum BINNINGER *obs. II. Cent. 4.* apoplexiam alii observaverunt. In memoriae diminutione, a quacunque causa etiam ea fit, capitis frictiones & nuchae non de nihilo sunt, commendat eas & praesertim in vertigine. FORESTVS *observat. Lib. III. obs. 33.* Praeterea frictiones matutinae & vespertinae ex morbis longis & contumacibus convalescentibus & debilibus adhuc & qui ob dejectum virium robur, se ipsos movere liberius non licet, admodum utiles sunt.

§. XIX. Uti frictiones spiritus segniores excitant, illorumque influxum promovent: ita nec absonum esse videtur, easdem quoque motum eorum irregularem corrigere posse. Quemadmodum enim alias spiritus animales jugiter per nervos fluentes, a quocunque objecto movente pro diversa ejus conditione & modo afficiendi variis motibus & determinationibus agitantur, ita in irregulari motu illorum tam per blandum

dum nervoſarum fibrillarum motum ſpiritus demulcentem quam per irritationem vehementiorem ab extra factam eorum, fibrillarum motu irritatio inſtituitur, ut vehementius atque rapidius per cerebrum ferantur illudque ut in vigiliis tendant atque ſic prior determinatio excutitur, & ataxia illorum corrigitur, qualem effectum a veſicatoriis v. gr. toto die cernimus. Quid igitur obſtat, quo minus ſpiritus animales inordinate agitatos in omnibus propemodum doloribus gravioribus, V. Celeb. MORRHOF. in *Diſſert. de paradox. ſenſuum Cap. V. p. 327.* vid. SOLINGEN *in Chirurg. p. 435.* v. gr. in doloribus arthriticis & artuum vagis, vid. MÖLLENBROC *de varis Cap. IX. p. 136.* in dolore iſchiadico cum allio, aqua ſalſa v. FOREST. *de arthrit. obſerv. 79.* cum allio ac lacte equino. *Eph. N. C. Dec. II. an. 6. obſ. 16.* ſedare ſopireque frictiones queant. Simili modo, in ſpaſmis atque motibus convulſivis, paſſione hyſterica obeſiores præſertim fœminas afficiente ſpiritus & nervos potiſſimum occupante (& in qua alia remedia ex pharmacopolio petita violentiora imprimis v. gr. cathartica ſanguinis craſin & ventriculi tonum deſtruentia & diuretica, cum ſanguinis miſſionibus nociva ſunt) epilepſia, item & delirio, mania &c. aliam determinationem ſpiritibus animalibus, frictionibus paulo durioribus calidis & ſiccis inducere datum eſt. Spaſmum, præſertim eum, qui a flatibus oritur ſola frictione miteſcere autor eſt IOD. LOMMIVS *in Obſerv. med. Lib. II. p. 96.* Aſclepiades iiſdem tractabat phreneticos, non aliam ob cauſam, quam, ut ſpiritibus & ſanguine aliter determinatis atque conſopitis, æqualius per univerſum corpus motis ac diſtributis, quietiorem ſtatum atque placidiorem ſomnum (agrypnia enim moleſtiſſimum phreneticorum ſymptoma eſt) conciliaret. ALPHONS. DE SANCTA CRVCE Medicus Hiſp. idem retulit de melancholia *Aegr. VI. p. 32.* de fœmella maniaca ad meliorem mentem per frictiones potiſſimum redacta. Si admittere illud fas ſit, quod Cardanus urticationem ad melancholiam miris modis commendet: frictionem quoque noſtram & quidem multam ac fortiorem locum hic invenire poſſe, quis dubitet.

§. XX. Ex his ſponte fluit, quod aliquando, motu tali fortiori in parte quadam eademque interdum longe remota inſtituto, derivationem & revulſionem ſimulque æqualem ſanguinis diſtributionem præſtare poſſint frictiones, illam quidem vehementes hanc vehementiores. Quæ veterum diverſio omnino ſuam veritatem ſuumve fundamentum obtinet. Sub quo titulo vero non intelligo retractionem vel attractionem materiæ peccantis parti incumbentis; ſed quod per glandulas motas

tas & vellicatas effluente uberius sero, a vasis exinanitis absorbeatur illud, quod stagnando partibus molestiam creat. Id quod edocet retrocessio v. gr. purpuræ albæ vel aliorum exanthematum, supervenientibus diarrhoeis symptomaticis. Vel si alii humores ad partes impetuosius & confertim magis feruntur, unde dein non ita commode nec secundum proportionem affluxus sive quoad quantitatem, sive velocitatem refluunt; in alia vero parte motu fortiori instituto, illa ex parte in aliam sollicitantur & avocantur. Suadet hoc CELSUS *Lib. II. cap. XIV.* his verbis: *Longe sæpius alibi perfricandum est, cum aliud dolet: maxime cum a summis aut a medii partibus corporis evocare materiam volumus; ideoque extremas partes perfricamus.* Hujus gratia institui possunt frictiones, si materia peccans a partibus interioribus ad externas & ignobiliores sit avocanda, si exanthemata cutis varia, aliæque excretiones naturæ, variolæ, morbilli, purpura, petechiæ, scabies, crusta puerorum lactea, materia podagrica, & alia ex ulceribus quæ manabant & aliis emunctoriis in scorbuticis & etiam aliis cacochymicis corporibus occlusis, imo bubones maligni & pestilentiales retrocedunt, ac ægrotos statim in deliria animi deliquium, convulsiones imo præsentaneum vitæ periculum sæpissime conjiciunt. Mediantibus enim his, ab interioribus & nobilioribus partibus retrocessa materia morbifica ad exteriores & ignobiliores iterum revocatur atque allicitur, quod etiam ordinario fere feliciſſime succedit, nimirum facile & feliciter ab iisdem pessimis symptomatibus liberantur ægroti. Quid & inflammationes retropulsæ efficiant, abunde experientia medica testatur atque cum eædem quoad principalem & formalem suam rationem incerta motus tonici directione consistant, ita ad evocandas has commotiones inflammatorias hoc nostrum auxilium apte & utiliter confert, ipsum in motum tonicum valide operans. Si & materia peccans quandoque fixam alicubi sedem locat e. gr. in hemicrania &c. & si serum vel alius humor in aliqua parte stagnat, cujus exemplum rheumatismus sit, quando serum situ peccans profundius latitat, aut ad eam copiosius congeritur, frictiones apprime opitulantur, ut effluxu & evaporatione in alio loco per vellicationem istam procurata, a priori refluat, quemadmodum & sæpe experimur doloribus obortis in aliis partibus, remotis licet, priores aufferri, aut aliis morbis supervenientibus alios eosque præsentes depelli ut v. gr. vomitum sublatum a diarrhœa, alvi fluxum a surditate, arthritidem a tumoribus ventris, hæmoptysin a colica, asthma a crurum tumore, podagram a dysenteria, calculum ab arthritide, dolorem in nucha, ophthalmiam & odontalgiam, delirium

rium in febribus &c. & vice versa, abigi quandoque videmus. In hæmorrhagiis sistendis, porro frictiones eæque paulo fortiores ubi nimirum, sanguis præter modum ex naribus, pectore, utero, intestino recto, aut vulnere etiam aliquo parti externæ inflicto effluit & vitæ terminum minatur, necessarias esse in artubus institutas, hoc ipso respectu, videtur, quemadmodum alii eorum ligaturas dolorificas commendant. Laudat illas ALEX. BENEDICTVS in *Theatr. Tab. Exercit. 26.* refertque semper eas proficuas se deprehendisse omnibus fere incassum adhibitis, imprimis in narium hæmorrhagiis & vomitu cruento. Quamvis me non lateat, TIMAEVM *Cas. Med. Lib. I. cap. XXXIV.* & GVIL. FABRICIVM *Cent. II. obs. 15.* & WILLISIVM *de Operat. medic. p. 181. §. 5.* contrarium statuere, quod a frictionibus, si asperæ & duriores fuerint M. S. incalescat, hincque subtilior fluidiorque reddita excretionem magis augeat. Ast prout alia quoque remedia v. gr. opiata, vomitoria &c. non ideo penitus damnamus, quod quandoque inepte adhibita noxam inferant; ita & frictiones hic omnino rejicere nefas est. Totum vero hoc negotium eo recidit, ut differentiarum supra adductarum habeatur ratio. Affirmat & hoc AVICENNA *Lib. III. Fen. 3. Tr. 3. Cap. VI.* & SENNERT. *Prax. L. I. D. 3. S. 4. Cap. VIII.* hæmorrhagias sisti a frictione, si illa fiat deorsum versus extremitates, tam in pedibus, quam in brachiis. His merito jungo B. LANGII experientiam, *qui Op. P. III. p. 239.* ait: *Quando in superiore corporis regione est hæmorrhagia, frictio in inferiori, & vice versa, instituatur.* Frictione enim simul laxatur habitus corporis porosus, unde major sanguinis copia ad hunc affluit quam antea: itaque decedit quodammodo impetus & decubitus ad partem affectam. Eadem est ratio, quare pediluvia, si e naribus fortius erumpit sanguis, conveniant; quando vero ex utero vel ani vasis nimium profluit, immissiones artuum in aquam vel vinum calidum præsentissimam opem ferant. Ob eandem rationem sæpius jam citatus SOLENANDER *Consil. Med. S. IV. p. 319.* in seroso & gravi uteri fluxu, qualis & fluor albus est, frequentes universi corporis frictiones asperiusculis linteis siccis, mane institutas suadet. Hæ, inquiens, exercitium intermissum supplebunt, internas humorum fluxiones non nihil alio deducent atque dissipabunt. Idem *l. c. p. 118.* in fœtore narium frictiones pedum & crurum ex usu esse perhibet. Vulgus ea persuasio tenet, cujus etiam mentio fit in *Eph. G. N. C. D. II. an. 2. obs. 56. & an. 5. obs. 127.* & in BLANCKARTI *Collect. Med. phys. P. I. p. 577.* uvulæ prolapsum sive elevationem per fricationem brachii restitui. Similiter RONDELETIVS *Method. cur. morb. Lib. II.*

Cap. IV. ſequentia indicat: *Noſtri ruſtici, tonſillarum inflammationem curant, longa frictione facta in carpo, exiſtimantes tumores quosdam factos & apertos, frictione illa dura in Carpo prædictum affectum tolli, prodeſt autem revera ob diverſionem.* In earundem pariter intumeſcentia, frictionem in brachio paulo ſupra pollicem, inſtituit St. Blancartus. Vid. *Coll. Phyſ. med.* Angli pro revellendo humore acri e pectore atque avertenda phthiſi, frictiones extremorum manuum & pedum probatiſſimas habent. Hic commemorare liceat: eas per ſuperiores corporis partes ductas in palpitatione cordis Avicennam & P. Aeginettam gravidis præſertim familiari, ſuadere. Celsus *de med. Lib. IV. cap. IV.* in dyſpnœa ut & in tuſſi & faucium exulceratione multam partium inferiorum fricationem vel in ſole, vel ad ignem ad ſudorem usque laudat. v. Solingen *in Handgriffen der Wundarzney p. 433.* Frictiones humidæ ab inferioribus partibus ad ſuperiores ductæ pro ſanguine divertendo in venarum dilatationibus præternaturalibus, quas varices vocant, cum fructu adhibentur quod & Junkerus *in Conſp. Chirurg. p. 123.* & M. Alberti *in Introd. in Univ. Med. p. 185.* teſtantur. In diarrhœa feroſa, quæ ab affluente ſero p. n. vellicatis nimium glandulis inteſtinorum provenit, in qua alias ſudorifera ſerum ad habitum pellentia & evacuantia maximi momenti ſunt, pariter & frictiones per totum corpus maxime vero ejusdem partes ſuperiores, non contemnendæ erunt. Nec non in aliis alvi fluxionibus admitti poſſunt. In colica paſſione, articulorum tergi & ſcapularum frictiones ſuadet Cael. Aurelianus *de m. & chron. Lib. IV. c. 3. p. 595.* Regni Bengalæ incolæ pro ea curanda, abdomen fortiter fricant premuntque usque dum flatus magno ſibilo erumpant, ut refert Guiliel. Ten: Rhyne *de Moxæ uſu,* Rurſum ad fluorem alvi provocandum coxendicis & inferiorum partium frictiones commendant alii. Hoc in loco commemorandi etiam ſunt dolores & inflammationes diverſarum partium, a quibus ſanguinis & humorum impetus per revulſionem arcendus. Sic in angina pro hoc quoque ſcopo frictiones univerſi corporis aſperiores laudat Jubertus *de thor. affect. C. I.* Conf. & Dieterichii *Jatreum Hippocrat. p. 669.* In doloribus pedum ſcorbuticis frictione cum raphano ruſticano vel allio conciſo & aceto macerato, eorum remiſſio, brevi procuratur. Cl. Schelhammerus *in Diſp. de capitis dolore c. VI. §. 18.* ſcribit, ſe virgini cuidam capitis laboranti doloribus ſuaſiſſe, ut ſingulis diebus cubitum itura comaretur, ac eo ſanatam eſſe. Pariter dolor a calculo veſicæ colis glandem concutiens, nullo alio quam perpetuæ frictionis mitioris remedio lenitur. Præter has

quo-

quoque vigiliæ & agrypniæ, adducendæ, ubi ſpiritus juſto copioſiores influunt, & fibras cerebri medullares impetuoſius vellicant, quacunque etiam ex cauſa id fiat, vid. TH. BONNETTVS *Sepult. L. I. S. 17. p. 155.* id. *L. I. S. I. p. 9. obſ. 6. Miſcell. N. C. D. I. an. 1. obſ. 68.* MART. RVLAND. *Curat. Empir. Lib. I. curat. 38. p. 147.* it. *Curat. 70. p. 158. Curat. 77. p. 161.* JOH. LANGIVS *Epiſt. med. L. II. p. 768. ſeqq.* Scalpturam cutis in capite præſertim & mollem & blandam frictionem in plantis pedum cum ſale, aceto & aqua roſarum merito laudamus, quæ ad placidum invitat ſomnum, dum blando illo & unico ſaltem objecto ſenſibili, ſpiritus animales circa commune ſenſorium undulantes, cui attentius inhærent, ab unius organi extremi vibratione, blande moventur, demulcentur, revocantur, alia determinatio illis inducitur, poris itidem laxatis reliquisque ſpiritibus torpeſcentibus & phantaſia plura non percipiente, uti videmus ab aliis tactum & auditum ſuaviter afficientibus ſomnum induci, v. gr. leni cantu, muſica, ventorum ſuſurro, pluviarum cadentium ſtrepitu &c. Si ſymptoma aliquod grave in graviter vulneratis vulneratam partem occupat, ut major evocatio fiat, ac humorum affluxio inhibeatur, utiles erunt frictiones. Denique hic hoc quoque dicendum eſt, quod frictiones eæque validæ, illud, quod impactum eſt, ab externis vaſis ad baſin retro pellant, qua retro actione utilitate ſua in praxi medica non deſtituuntur frictiones. Rurſum commemoratio hic locum invenit frictionum earumque laudatio, in obſtructionibus variis & ubique hærentibus reſolvendis, uti & præſertim in menſtrui vel lochiorum ſanguinis, per uterum determinatione facta, per pedum frictiones.

§. XXI. Ipſo hoc motu attritivo, tam a fibris tenſilibus firmatis contra impulſum humorum minus proportionatum, & partis expreſſione quadam adjuta atque vaſis ad ſyſtolen crebriorem ſtimulatis concitataque ſpirituum agitatione, particulæ humorum craſſiores & viſcidiores partibusque inhærentes attenuantur, dividuntur, diſcutiuntur, reſolvuntur & fluxiliores redduntur. Ea enim quæ moventur magis adhuc quæ conteruntur attenuari, apta ſunt; immo humoribus intimius firmiusque impacta, motu & calore, frictione inductis, evidenter commoventur. Quamobrem in leucophlegmatia, ſtagnationibus ſeri, viſcidioris, cachexia viſcida, ſcorbuto frigido, ubi præſertim ſalia viſcido irretita & non ſufficienter diluta ſunt; hinc & in obſtructionibus hypochondriorum gravioribus frictiones J. ZECHIVS *Conſult. Med. p. 218.* probat. JVRGEN ANDERSEN *in der Orientaliſchen Reiſe-Beſchreibung ab Adamo Oleario edit. Lib. I. cap. XXV. p. 42.* refert in

in India, ſcorbuto laborantes ſpecie frictionum quadam curari, dorſum nimirum eorum pedibus conculcando ſurſum deorſumque terendo, ut ſanguis tenax & viſcidus diſcutiatur & ad motum aptus reddatur. In ipſo malo hypochondriaco frictiones per totum corpus frequenter inductæ, non modo humores craſſos dividunt, movent, obſtructiones tollunt, ſed & nervos corroborant. Celeberr. WEDELIUS tam ſiccas per ſpinam dorſi, quam humidas cum ſpiritibus chymicis per abdomen & ſpinalem medullam, præſertim pro hoc ſcopo elegit, vid. Ejusd. *Diſſ. de malo hypoch.* Pari modo eædem mucum ſcilicet gelatinoſum in muſculorum immo oſſium interſtitiis attenuando, ac ſpiritus excitando etiam egtegie in rhachitide recenti conducunt. Hoc in loco commemorandum, quod etiam in vulgus notiſſimum & CHALMETIUS *in Ench. chirurg. Lib. I. c. XIII.* quoque commendat, adverſus ganglion, ſi in principio præſertim fiat, certiſſimum remedium eſſe frictionem multam & quotidianam cum ſaliva ac ligaturam fortiorem percuſſionem & quicquid dolorem excitat. Hos aliosque tumores frictiones diſcutiunt, præſertim ſi alia intervenientia media iisdem ſimul jungantur, ſic in tumore capitis frictiones & pectinationes ejusdem matutino præſertim tempore inſtitutas valde commendat ZECHIUS *Conſult. p. 192. & p. 218.* Neceſſariæ magis ſunt, in curatione contuſi, pro reſolutione, præcavenda, ſuppuratione gangrænaque avertenda. Verrucæ tolluntur florum calendulæ recentium affrictione ex teſtimoniis in *Eph. G. N. C. D. III. Ao. I. obſ. 140.* & Diſp. Celebr. WEDELII *de verrucis p. 23.* legendis. Colli ſtrumas ſanguine muris calido abactas fuiſſe referunt *Eph. G. N. C. modo cit. D. II. obſ. 92.* Parotis glandula, indurata omnium optime ſolvitur atque emollitur fotu prius aliquoties de die ex aqua & aceto facto diutino pannis laneis, perfrictu. Tumores mammarum a lactis copia mulierculæ cum pelle muſtelæ albæ fricant & diſcutiunt, quod experimentum etiam Celebr. WEDELIUS jam laudatus *de medic. facult. cognoſc.* ratum habet *Lib. II. S. 2. c. IX.* Nec non tumorem abdominis a flatibus immo ejusmodi, quem tympanitem appellant, cum pannis calentibus auferunt frictiones, uti eas utiliſſimas tali in caſu & quidem cum lixivio RIOLANUS *in method. med.* FERNELIUS *Lib. IV. S. 3. cap. VI.* cum ſucco alii & vino HAEFERUS in *Hercule med. Lib. VI. de febr. C. I.* cum oleo laurino SENNERT. *in Pract. med. Lib. III. p. 768.* experti ſunt, quibus addit propriam experientiam Præſes in puella 10. annorum tympanite per 3. annos laborante, quæ oleo deſtillato menthæ, abdomine ſæpius linteaminibus fricto, feliciter (junctis tamen & reſolventibus internis-

nis eſt reſtituta, flatibus exinde copioſis exploſis. Hic quoque occurrit morbus ille Hungarorum endemius Czemer dictus, qui tumor ſubcutaneus dolorificus eſt, ad inſtar nodi alicujus mollioris, ſub carpis præſertim manuum, & a latere ſupra arterias atque dorſo cum inappetentia, nauſea, dolore ſtomachi gravativo ac cephalalgia, quem ut Joh. Patersohn Hayn *in Eph. N. Curioſ. D. I. an. 2. obſ. 38.* & M. A. Sinapivs *in Paradox. med. P. II. p. 78. §. 6.* referunt, forti frictione cum allio, aceto, pipere & ſale ſtatim curant. Ipſi immo hac exagitatione motus naturæ ſecretorii juvantur, in quibus caſibus haud dubium promittunt frictiones auxilium, quatenus heterogeneo ſubigendo occaſio naſcitur & ſtimulus. Inde eſt, quod a ſcabie retroceſſa, oriundæ febres, illius reſtituta ſecretione tollantur. Exinde variolæ & morbilli ſegnius & difficilius prodeuntes juvantur. Simile pariter judicium ferendum eſt de petechiis aliisque cutis exanthematibus, purpura rubra & alba &c. in quo caſu maxime illas proficuas non ita pridem in fœmina quadam deprehendi. Verum non evocant ſolummodo, ſed & extus ſervant, & retroceſſionem impediunt. Exinde & in febribus peſtilentialibus, quæ miaſmata ſua venenata interdum cum excretione quadam in partibus externis ſeparare ſolent, cum ſucceſſu adhibentur. Immo, ſi in peſte erupturi bubonis indicium ex ardore partis percipitur, vel vaga adhuc materia ad aliquam partem determinanda, minime negligendæ ſunt. Commodum erit hic ſimul monere, ſi bubo, anthrax aut tumores infra lumbos protuberant, conſultius eſſe, ſi frictiones infra has excretiones in tibiis & cruribus fiant, & ſi in capite & in collo apparent in brachiis & ſcapulis, ne interturbetur naturæ motus, de quo conf. Palmarivs *de febr. peſt. c. XXI.* Noluimus hic obliviſci, lenem palpebrarum frictionem cum ſuccino præſertim ad diſcutientia ophthalmica pertinere.

§. XXII. Etenim quemadmodum ſic alterant frictiones, ita & omnino tandem ſi & pro ipſa morborum curatione adhibentur evacuant & humores jam præparatos motosque extra corpus proſcribunt calorem cuti imprimendo, qui humores & diſcutit & conſumit, ac cutem rarefaciendo, ſicque diſponendo ut ad eam ſanguis copioſius delatus heterogenitates ſibi intertextas per poros patulos dimittat, nec non ſanguinis motu retrogrado accelerando ſicque habitum humore præter naturam repletum & turgeſcentem deplent; ut etiam hoc ipſo ſenſu eas a parte preſſa removere & evacuare humores prementes dicere conveniat. His modis inquam eliminationem, inſenſibilem tamen, adjuvant, quæ tran-

ſpiratione univerſali ordinario fieri aſſolet. Ea propter in plurimis hæc intentio obtinenda. Præſertim autem in omnibus fere catarrhis, frigidis rheumatismis, hydrope anaſarca, œdemate, eæque fortiores & cum ſale, aqua ſalſa & ſulphurea etiam cum oleo calefaciente ad tranſpirationem usque inſenſibilem auctam imo ſenſibilem procuratam celebrari poſſunt. Vid. C. Celsvs *de medic. Lib. IV. cap. IV. p. m. 191.* Scholzii a Rosenav *Conſ. Med. p. 362.* Aſclepiades in hydrope præſertim anaſarca frictionum uſum valde commendabat. In catarrho & quocunque alio capitis affectu a ſtagnatione lymphæ orto, Præſes ſacculis calidis, quibus cephalica incluſa ſunt ut mentha majorana ros marinus, flores pœoniæ liliorum convallium, radices ireos acori veri pulveriſatæ, milium toſtum, ſulphur, ſandaracha, caput ſæpius fricandum ſuadere aſſolet, nec ſine exoptato eventu. Etenim ſi & tranſpiratio fortior deſideratur, ſudorem non difficulter movent, Autore Sylvio *Meth. Med. L. II. c. II.* imprimis ſi concurrat partium cum vini ſpiritu vel oleoſis deſtillatis ac penetrantibus inunctio. Neque minus in quacunque cacochymia ſic proficuæ eſſe poſſunt, quatenus ex dictis rationibus heterogeneum non ſolum ſubigitur, reſolvitur & extra corpus ejicitur. Speciatim dicendum eſt; frictiones ſcorbuticis etiam ad hunc usque effectum protractas admodum eſſe neceſſarias; ſi enim in his tranſpiratio inſenſibilis per cutem impeditur, mox varia mala oboriuntur, cardialgia, vertigines, lipothymia, dolores artuum graviſſimi, inflammationes, gangræna, cephalalgiæ, paralyſes, vomitus, diarrhœæ. A maculis quoque ſcorbuticis cutem repurgant, cum ſemine ſinapi aceto contuſo, ſucco citri &c. vid. Michaëlis *in Praxi chir. p. 184.* Etmüllervs *de malo hyp. & ſcorbut. p. 412. ſeq.* Porro in ſcabie aliisque cutis affectibus morbisque a ſcabie præſertim retrogreſſa oriundis, in arthritide, vid. Solenand. *Conſil. Med. S. IV. p. 423.* podagra, rheumatiſmo, malo iſchiadico, vid. J. de Vigo *Chirurg. P. I. Lib. V. c. V. p. 821.* ere ſunt. Hic in memoriam incidit Avicennam frictiones cum aceto & ſale in cruſta lactea puerorum laudaſſe. Apud vulgus probatiſſimum eryſipelatis remedium eſt, hic non omittendum, licet ex parte phantaſticum, quando cum albæ muſtelæ pelle illud fricant, nam etiam talis mollis alius animalculi, nigri etiam tantum valeret. In ictero partibus intertextas particulas flavas millioſas reſolvendo & evaporatione ejiciendo agunt. Quod in motum cieant humores ſimulque tranſpirationem per patulos poros promoveant. Wedelivs *in Diſput. de Verrucis Cap. VI. p. 23.* hæcce concrementa tuberculoſa, frictiones lenes & læviganti-

bus

bus junctis, ne fibrillæ exaſperentur & ad calleſcentiam diſponantur præſervare curareque aſſerit. Nec ſilentio prætereundæ ſunt febres varii generis intermittentes præſertim non raro a tranſpiratione prohibita provenientes, quæ fricando iterum promovetur, dum juxta alias rationes in antecedentibus memoratas corpus rurſus perſpirabile redditur meatusque aperiuntur. vid. PLATERUS *l. c. Lib. II. p. 306.* qui cuidam febre laboranti epidemica plantas pedum aceto & ſale, crura vero panno aſpero fricare imperabat, atque exinde non levem opem vidit. Conf. FOREST. *Obſ. T. I. S. I. p. 7.* in ephemera easdem ſuadens. Supra memoratus ſcriba apud BORELLUM Vid. *Hiſt. & Obſerv. Cent. II. XC. p. 186.* febricitantes omnes, brachiorum forti fricatione feliciter curavit. Licet CELSUS *de med. Lib. IV. c. XIV.* non in ipſo febrium paroxyſmo & die tantum intermedio frictiones admittat, nos tamen etiam exiſtimamus tunc quoque eas eſſe ſatis convenientes. In morbo hungarico qui febris maligna, continua eſt, eas admodum proficuas eſſe, ait FASCHIUS *in Diſp. de Morbo Hung. Cap. VIII. p. 28.* Contra gravem auditum & ſurditatem pariter illas PLATERUS *Obſ. Lib. I. p. 108.* laudat. Aurium tinnitum frictio cum furfuribus calefactis brevi etiam hac ratione aufert. Si hæmorrhagiæ criticæ alias conſuetæ quales frequentiores narium ſunt, emanſerunt, & capitis gravitatem, dolorem, apoplexiam variaque alia pericula, aut provocant, aut certe minantur, frictiones narium aſperæ & multæ tam externe quam interne inſtitutæ, ad irritationem hæmorrhagiarumque conſuetarum provocationem ſanguinisque evacuationem utiliſſimæ erunt, ſicuti eundem in finem Ægyptii quondam narium ſcarificatione felici cum ſucceſſu uſi ſunt. Hujus ſpicæ ſtramineæ fortis in nares intruſio iterata vicem gerit. Hæmorrhoides cœcæ panno aſpero vel ex FR. VALLERIOLAE præcepto foliis ficus vid. *Obſervat. med. Lib. II. p. 114.* fricantur, ex quo aperiuntur & ſanguis ex iisdem exoneratur. In obeſitate nimia quantitate multa, & qualitate mediocris convenit frictio, ut obeſitas, carnisque multitudo imminuatur, partibus oleoſis abundantibus nutritiis reſolutis atque ejectis. Non paucis ſolenne eſt capitis gravitatem & dolorem tenſivum frictionibus capitis cum furfuribus calefactis curare. Ad capitis refectionem & a ſuperfluis ſtagnantibus humoribus liberationem ferreo pectine ſuper prunis calefacto, ſæpe uſus eſt ROLFINCIUS, vid. *O. & M. M. S. Lib. IV. S. X. P. III. c. II.* Immo quatenus ſic evacuant, plethoram tollere & ſanguinis miſſionis vicem quotidianam, frequentes atque validiores ferre poſſunt, idque eo magis cum in ea perſpiratio ſemper lan-

guidior deprehenditur, ex quo deinceps impuritatibus retentis lympha acida & viſcida, bilis acris & cauſtica evadit, circaque varias partes congeſtiones ſanguinis fiunt. Qualem effectum alia quoque exercitia edunt. De noſtro hoc exercitio SENNERT. *Inſtit. p. 1155.* ita loquitur: *Frictio ſanguinem imminuit, quia calorem in corpore excitat, qui ſubſtantiam corporis noſtri diſſolvit & diſſipat.* Mollis tamen illa hic ſit, non dura, vid. H. AVGENIVS *de Miſſ. Sangu. Lib. II. p. 50.* Ego adjicerem, frequentem quoque in hoc caſu expoſci. Qua occaſione vel in tranſitu quaſi ſimul moneo, ut homines mollioris, ſpongioſi & rarioris corporis habitus, & quibus præſertim plethora cum cacochymia eſt conjuncta, nimiam vaſorum repletionem & ſimul & ſemel per venæ ſectiones ſuſpectam habeant, quoniam tranſpiratio exinde æque ac in plethora læditur atque impuritas humorum increſcit, quare iisdem auctor ſuaſorque eſſem, ut ad paucam ſaltem quantitatem ſanguinem & ad paucas ſaltem uncias per venæ ſectionem imminuant, & reliquum, qui in vaſis adhuc ſuperfluus eſt, per frictiones repetitas, præſertim & cibi abſtinentiam & ſimilia diſcutiant atque ſic ſucceſſive abſumant. Medendi rationem Galli quidam totam luis venereæ in frictionibus & ſudoribus ponunt. Mulierculæ noſtræ ex utilitate, nutricum ubera ira aut terrore percitarum priusquam infantes ab hac alteratione admoveant, bene fricanda aut emulgenda præcipiunt. Aliqua ex parte huc ſpectat evocatio corporum ſolidorum, quorum excluſioni, ut vocant, ſpiritus admonentur officii ſui, a frictionibus, quo & ſubſiſtentia humorum tollitur & putredo arcetur. Conf. WEDELIVS *Amœnit. M. M. p. 64.* Atque etiam expulſio veneni ſuſcepti juvatur, quæ partim peragitur tranſpiratione per frictiones aucta, partim per easdem minuendo reſiſtentiam in loco ubi minus id nocet, ut dein vel ipſius naturæ opera vel medicaminum pellatur & expellatur, ut olim id per ſuctus Marſorum & Pſyllorum fiebat.

§. XXIII. Reſtant quidam caſus chirurgici, præter illos qui in antecedentibus v. gr. de gangliis ac tumoribus aliis, jamdum adducti ſunt, qui a frictionibus auxilium quoque exſpectant v. gr. ſi in manu carpi & metacarpi & in pede, tarſi & metatarſi, oſſicula introrſum vel extrorſum, frequentius tamen introrſum luxantur, frictione quoque juxta ipſum HIPPOCRATEM *Lib. de articul. §. 7.* reſtituuntur, quæ tunc repoſitionis vicem explet. Hic adhuc ultimo loco commemorandum convenit, eandem cum convenientibus mediis, dentium gingivarumque vitiis mederi, qua de re jam Plinius egit. His denuo addamus

quod

quod HIPPOCRATES *Lib. de visu* proponit aliquamque oculorum quasi scarificationem simul adducit: Lanam enim Milesiam adhibet palpebræ & tunicæ albugineæ fricandæ, donec sanguis profluat ac tamdiu continuat, usque dum non amplius sanguis sed sanies prodeat. Plura quidem de insigni frictionum usu possemus addere, sed hæc primaria sufficiant & modo, modum & finem in recensenda illarum utilitate faciamus.

§. XXIV. Tanti hi frictionis usus sunt iique admodum utiles ac maxime necessarii, subest etiam quidam adhuc, qui delectationem atque jucunditatem quandam simul afferre solet; Nimirum pruritu urgente præsertim frictio suavissima est, ut constat de Socrate jamjam ex succo cicutæ hausto morituro, qui cum a vinculis ferreis in quibus tunc detentus fuerat, solutus esset, scalpendi necessitate urgente in pedibus, ex gravitate compedum, jucundissimam sibi istam fricationem esse fassus est partis prurientis, ut habetur apud PLATONEM *in Phœdone.*

§. XXV. Absolutis indicationibus, quibus frictiones satisfaciunt, scrutanda & illa sunt, quæ earum usum certo modo prohibent, aut saltem eum moderari jubent. Ut enim transpiratio, quam movent frictiones minor, sic etiam major & nimia corpori exitiosa est. Equidem lenes, molles & paucæ vix nocebunt, siquidem semper sine corporis perturbatione peraguntur, sed multæ saltem & duræ quandoque, non debito loco & tempore adhibitæ incommodæ esse possunt. Sic GALENUS *de Sanit. tuenda Lib. III. C. ult.* voluit, in frictionibus ventris omnino non contingendum esse abdomen, quum alioquin periculum sit, ne & cibum deterius concoquat & succus quispiam, ex eo semicrudus in corpus digeratur, caput turbetur & stomachus subvertatur. Sic eædem in principio morborum sic dictorum putridorum, item phrenitide &c. minus conveniunt, quod etiam a veteribus jam cautum esse legimus. Minus quoque quadrabunt pustulis in cute efflorescentibus. Pariter vitentur statim a venere, item omittantur ab iis qui longa inedia exhausti sunt. Quando enim plus perspiratur, quam victu reparari posfit, necesse est, quantitate succorum diminuta minui circuitum sanguinis & vires brevi omnes consumi, quod innuit GALENUS *Lib. II. Aph. Comm. 16.* dicens: *Frictio cum inedia non fieri debet.* Et *Lib. V. de sanit. tu. partibus infirmis illas, quo tempore laborant, admoveri non convenit.* It. *Lib. III. l. c. frictiones duræ tum fugiendæ, dum simul & excrementa digeri, & quæ densa sunt molliri convenit.* Ita & de aliis citcumstantiis judicandum erit, v. gr. in spasmo non applicari debent parti ipsi laboranti &

jam debilitatæ, ſed muſculis antagoniſtis, ut contracti ad æquilibrium iterum ſollicitentur. GVIL. FABR. HILD. *in Chirurg. ſua p. 544.* equidem illas damnat in omnibus morbis acutis, v. gr. in pleuritide &c. quia ſanguis nimiopere calefieret. Quod vero de frictione nimis forti duraque atque aſſidua intelligendum eſſe; mollem autem & levem, minime nocere poſſe, reor, ex rationibus ſupra allegatis. Recte igitur nimiæ quandoque diſſuadentur, ne affluxum juſto uberiorem calorem nimium ac dolorem, tumorem inflammationemque ipſam ipſasque febres concitent, & frequentior partium exteriorum attritio eas per tranſpirationem nimiam reddat effœtas, quo corpora nimis exſiccantur & extenuantur, teſte GALENO *Lib. IV. Aph. Comm. 13.* qua ratione etiam in alvi ſuppreſſione, & iliaca paſſione, nimiæ & duræ facile, tranſpiratione aucta, nocere poſſunt. Rurſum PANCIROLVS notat *in Obſerv. med. p. 92.* noxam, quam Capucini, monachi, ex perpetua frictione per aſpera veſtimenta ſibi contrahunt, quorum cutis univerſa exinde duriſſima redditur, adeo, ut callo quodam obvoluta ſit, unde pori clauſi fiunt, ſudoris egreſſum prohibentes, quare materia, quæ per poros egredi debet, prohibita, ad nobiliores partes recedit & præcipue ad pectus, pulmones, ac phthiſin, hydropem & pleuritides ſpurias & ſimilia mala procreat: Nec ſtatim validisſimis utendum frictionibus ne ſtagnantia multa in diſtentis nimis vaſis, nimia copia cor verſus preſſa, illud obruant & ſuffocent, vel teneriora vaſa, acutiori motu, rumpantur. CELSVS *Lib. II. cap. XIV.* in acutis longam frictionem damnavit, ſcribens: *Longa vero frictione uti, neque in acutis morbis neque increſcentibus convenit; præterquam cum phreneticis ſomnus ea quæritur.* Quando & in antecedentibus in doloribus & vulneratis ſuaſimus frictiones, illud in partibus ab illis remotis, pro derivatione, revulſione, evacuatione, intelligendum eſt; hic vero eas in ipſis partibus affectis dolentibus, pruritu, vulneribus & ulceribus diſſuademus; licet enim frequenter partes dolentes manibus ſcalpantur, unde dictum illud natum: ubi dolor ibi manus, ac permulcendo ac blande fricando levari dolor videatur, nonnunquam tamen irritata nimis ac exacerbata ſeri ſalia, cum ſanguine venarum capillarium extimarum commiſcentur, metusque inflammationis tandemque gangrænæ injicitur, major irritatio exinde, major humorum affluxus, majorque inflammatio ac deinceps gangræna concitantur. Vulnera item & ulcera non raro manuum frequenti contrectatione pejora redduntur. Atque ſi nudæ frictiones quandoque ſuſpectæ eſſe poſſunt, eo magis quæ cum variis medicaminibus fiunt. Exempli loco ſaltem adducam caſum, quem D.

COBE-

COBERVS *in obs. castrens.* adducit de Nobili Polono, biliosæ tenioris & delicatioris constitutionis, qui frequenti morbo in Hungaria, correptus ex forti illa consueta ibi, cum allio, aceto, pipere, sale communi, sed intempestiva frictione, in lethalem febrem acutam ægre curandam incidit. Hinc ad præcavendam forte noxam, quam timent, VERVLAMIVS *H. V. & M. p. 548.* levem inunctionem cum oleo post frictionem institutam suadet.

D. S. L. & G.

❀ ❀

X.

DISSERTATIO MEDICA
DE
MOTV VENTRICVLI
ET
INTESTINORVM PERISTALTICO

PRAELOQVIVM.

GEnerato animali, ut vivat, crescat, perficiatur, atque ad ultimum usque vitæ terminum conservetur integritas ejus, nutritio ulterius accedat (ita tamen, ut ejusdem corpus non perpetuo augeatur, sed ad auctionis tantum metam definitam) requiritur, quæ quotidie tametsi eam nemo fieri sed factam demum sentit, resarcit atque instaurat viresque sanitatem ipsamque vitam sartas tectasque præstat adeoque hæc ac illa æque necessaria est atque sine qua brevi tempore totius corporis corruptela ac ruina metuenda foret. Sicque vita & nutritio pari passu ambulant atque arctissimo velut vinculo sunt combinatæ. Quamdiu itaque vividum ducimus spiritum, tamdiu etiam nutrimur, & e converso, quamdiu nutrimur, tamdiu quoque vita fruimur, sive jam ea sit plena ac perfecta, sive aliqualis saltem & valde exigua, sive etiam mala. Nutrimentum certe est vitæ blandimentum, immo co-

lumna

fumma ejus ac fundamentum. Hæc per tot ambages facta ac circuitus non nisi generationis continuatio & renovatio (plastica enim facultas, quam vocant, nunquam perit) sive minutissimi corpusculi, quod jam in semine fœminino, i. e. ovulo, delitescit extensio est, adeo inter se conveniunt & sibi similes sunt, ut opus laborque sit easdem a se invicem discernere. Ambæ a fluido & molli incipiunt, & ad spissum, solidum durumque sensim sensimque itemque ex facili progrediuntur, atque sicuti vita in calore consistit, ita caloris derivatio, mediante sanguine quem incolit, perennatur. Ambas vitalis ac utilis quidam lymphaticus ingreditur succus. Dolendum modo quod pyrrhonia prorsus hæsitatione de modo formali hic loqui saltem liceat. Non una vero nutritionis necessitas est, utpote quæ singulas corporis partes, ne unica quidem excepta, in justa quantitate & qualitate mutuaque agendi habitudine atque æquilibrio (perfectissimo sanitatis firmissimæ summo indicio) conservat: Sive hæc & principii vitalis conservationem & corporearum particularum temperatarum dulcium ac benignarum & facile exsolubilium & tenuium, (quarum calculum curiose satis inivit SANCTORIVS *in med. stat.*) quæ quotidie tam modum destructivum quam nutritivum ita disponentem, ut ambo se mutuo foveant ac juvent, secundum naturæ legem, deprædatorio calore & motu attritivo inter se frequenter collisæ (detrita etiam solida minima liquidis mixta intus forisque separantur, dissolvuntur, immutantur, exhalant, perduntur & consumuntur, quo priorem formam amittunt, atque paulatim ad machinæ animalis, quæ ad instar hydraulico-pneumaticæ se habet, destructionem paratur via) reparationem sistit, solidarumque partium æqualem motum, (qui systole & diastole peragitur) legitimam capacitatem & expansionem atque elongationem, flexibilitatem, apertionem permeabilem & firmitudinem, & ad solitam, convenientem necessariamque magnitudinem & staturam (usque atque singulis animalibus ejusdem terminum præfixum) omnium membrorum accretionem (per pororum repletionem alimento nutriendo consimili) atque factam exinde extensionem, involvit. Hinc belle MARCVS CATO *apud Gellium* dixit: vitam humanam prope uti ferrum esse quod (exercendo) conteritur. Etenim nec per horulam quidem sine decessione & accessione, vita trahitur. Nam laudabilis mixtionis humorum vitalium conservatio non solum in perpetua partium inutilium separatione ponitur, quam plurimi saltem hodie spectant, sed nova imprimis succorum dulcium ac bene inter se temperatorum, accessione tanquam per chymiam naturalem (cui cum artificiali, quoad vasorum,

ignis,

ignis, foci, ſpiraculorum &c. rationem analogia quædam eaque haud obſcura intercedit) mire præparatorum, opus eſt; quam vero jam non ſatis ex dignitate vulgo conſiderant. Ad hanc chylificatio debitum ſuccum nutritium præbendo ſuam confert operam. Hæc in ore inchoatur aſſumptis congruis alimentis, per ſalivæ commixtionem, maſticationem, dentium maxime miniſterio præparationem, & in ventriculo variorum rurſus mediorum & inſtrumentorum ope, jam maxima ex parte continuatur & peragitur. In inteſtinis, inprimis in duodeno pancreatici & bilioſi ſucci maxime accesſione ulterius perficitur (hinc ibi omnia ſunt liquidiora) tandem in vaſis lacteis ſiquidem & ibi per copioſam ſatis limpidam limpham, a glandulis advectam, diluitur magis ſimulque leniter premitur ac comprimitur, exaltatur, particulis vero ſalinis, ſulphureis, aquoſis, exacte inter ſe commixtis ac ſuperfluis nutritionique parum aptis, ſeparatione & ejectione foras, ſicque concinna depuratione demum abſolvitur penitus. Hæ partes, nutritionis origo, fons & radix exiſtunt, unde convenienter ſatis ARISTOTELES 4. *part. animal.* 4. ventriculum, terræ proportione reſpondere voluit. Quemadmodum enim terra plantis, ſic ventriculus partibus animalibus alimentum ſubminiſtrat, & HIPPOCRAT. belle dixit 4. *de Morbis: quoad homo vivit, ubi cibus & potus in ventriculum deciderunt corpus ex ventriculo haurit, hauriunt & fontes & expleti corpori transmittunt.* In his uti in aliis viget motus quidam, periſtalticus dictus, plus plusque in chysficationis negotio valens, atque hinc obque plane ſingularia quædam phœnomena atque attributa admirationem certe inducentia, conſideratione paulo ampliori dignus. Quem laborem qualemcunque jam a nobis ſuſceptum benevole accipiat L. B. Ne autem is ſine auſpiciis & favore Summi in cœlis Numinis, quod vitam & valetudinem mortalibus donat, moderatur atque tuetur, a nobis ſuſcipiatur, devota mente precamur, ut declarantibus nobis, vires ex alto quam clementisſime largiatur.

§. I. NOmen (ut apud PLATONEM *in Cratilo* legitur) rerum ſubſtantiam docendi, diſcernendique inſtrumentum eſt: quare vocem, quam Diſſertationis præſentis frons gerit, prout fert pene ſolennis obſervatio, exponamus quoque, ut conſtent modo, ejus natales, qui græca origine oriuntur, & audiunt cognato vocabulo, motus circumpreſſorius, qui coarctandi circumcirca vim habet. Haud multum abſimili modo quoque periſtole vocatur. Aliis motus vermicularis ſub nomine venit, quia vermium ad inſtar ſeſe contrahit. Ab aliis, motus

teſtudineus appellatur. Vide CHARLETON. *Exercit. phyſic. anatom. III.* Recentiorum nonnulli oſcillatorium motum eum appellare malunt. Eſtque nempe motus, qui in œſophago jam incipit, ventriculo & inteſtinis maxime preſſoria vi, lumbrici reptantis inſtar, a partibus ſuperioribus ad inferiores, mediantibus fibris undatur, volvitur, & alimenta inprimis ore aſſumta ibique præparata in ventriculum dimittit, eademque maxime ibi ſoluta, digeſta, ex eo in inteſtina & chylum perfectum in vaſa lactea agit, ſcybala vero ex corpore ejicit &c.

§. II. Scilicet officina chylificationis, mirandi atque imperſcrutabilis fere naturæ operis (hincque a GALENO *IV. de uſ. part. Cap. I.* non humani ſed merito divini ſalutati ipſiusque Paracelſi vel Hermetis dexteritatem inimitabilis) canalis alimentorum & excrementorum: œſophagus, ventriculus, & longum inteſtinorum volumen, ab orificio usque ad finem, per unum canalem & ductum continuatur, modo quod ventriculus ſit pars inteſtinorum magis expanſa atque ampliſſima, & inteſtina nil niſi ventriculus in arctum magis ſpatium contractus, ac in longos tubos extenſus. Eadem enim ſingula conſtant ſubſtantia, eadem ſtructura iisdemque poris, aliis foris intro ſpectantibus, calorem & ſpiritus immo interdum aquas in cavitatem abdominis elapſas intromittentibus & recipientibus; aliis intro foras ſpectantibus, halitus a ciborum digeſtionibus elevatos contra transmittentibus, nullos vero remittentibus, Conf. CHRIST. VATER *Diſput. de Tranſpirat. inſenſib. C. H. Theſ. XIII.* eademque natura, eodem motu ejusdemque indolis liquore, qui exſtillat, ſolvente, eodemque tandem officio gaudent. Totidem nimirum componuntur tunicis, eademque fibrarum ſerie collocata. Adſunt enim ſingulis quinque tunicæ, quarum exterior tenuis eſt, & membranacea habetur, nervea potius dicenda, cum ex meris omnino fibris nerveis exiliſſimis, vario nexu inter ſe complicatis, conſtet. Huic cellulosa adhæret a Clariſſ. FRID. RVYSCHIO inventa, cujus cellulæ etiam in non æque obeſis hominibus pinguedine refertæ ſunt, ac in hydropicis aſciticis præſertim ſitu peccans in ſe continent ſerum. Tertia muſculoſa ſeu carnea & fibroſa hanc excipit, quæ duplici ſaltem fibrarum ordine eſt conflata, quarum exteriores longitudinales, interiores eæque longe illis plures, (ut ſcilicet motum periſtalticum majori vi atque conatu præſtent inteſtinorumque canalem ſtringant aptiſſime) transverſæ & circulares a Veſalio, Fallopio, Aquapendente, B. Bohnio & Ortlobio, ab aliis circulares, a Stenone ſpirales, nominantur: tertia enim & intermedia fibrarum ſeries obliquarum, quæ acceptum retineret, quam Fallo-

Fallopius Laurentius & Bartholinus agnoſcunt, vix conſpicitur. Perinde Williſius duplicem muſculum compoſitum, duplexque ſtratum fibrarum obliquarum ſeſe mutuo decuſſantium, finxit potius quam revera demonſtravit, etiamſi pinxit atque delineavit. Seduxit forte hunc eminentem in medicina Virum brutorum anatomia, in quibus utpote prono corpore incedentibus & horizontaliter gula locata, capiteque in terram defixo deglutiunt, utique tales inveniuntur: in homine vero, cui ſoli os ſublime datum eſt, cœlumque intueri, alius fibrarum ordo omnino habetur. Nec eſt, cur de ventriculo dubites: eum haud alia fibrarum ſerie eſſe inſtructum, quod fere apparet, ſed revera tantum apparet, & cum rei veritate non convenit. Nam quoniam in ventriculo, ſphæricam figuram referente, non in rectas lineas, ut in gula, excurrere poſſunt, ſed hanc ſequantur neceſſe eſt. Hinc dum ab uno ad alterum orificium feruntur, aſcendere, deſcendere, incurvari eas diceres. Idem de circularibus putares, eas ob hanc pariter rationem, modo recta a ſummitate ad fundum, modo oblique magis flecti. Quarta nervoſa vulgo appellatur, ſed rectius rurſus tendinoſam eam eſſe dicitur, quia ex tendinibus carnearum fibrarum, muſculoſæ tunicæ, componitur. Præ reliquis hæc longior eſt, & varias plicas, rugas & inæqualitates præeminentes transverſas potiſſimum, & ſinus tam in ventriculo, quam in inteſtinis imprimis tenuibus, format. Intima & ultima tubuloſa & glanduloſa eſt, & in ventriculo & inteſtinis cruſtæ etiam villoſæ, & ab Hornio velamenti bombycini, & ſpongioſi periſtromatis a Pecqueto nomen eidem imponitur. Hæc propter poroſiatem & tubuloſam conformationem, filtri loco ſe habet, quæ laudabile tantum fluidum transmittit, craſſum vero ac iners prompte excludit.

§. III. Harum partium initium faucibus cohæret, ſub pharyngis nomine veniens, aliquot muſculorum paribus, ut ſtylopharyngæorum, cephalopharyngæorum & ſphænopharyngæorum & ab utroque ſcutiformis cartilaginis latere oriundo ſphinctere in ejus ſummo, compoſitum. Ubi victu nos, compulſi famis ſtimulis, reficimus, hoc ore aſſumta alimenta ſolidiora prius bene maſticata ſubacta, permiſta attenuata atque comminuta & ſalivalis laudabilis humoris tanquam genuini menſtrui permiſtione prius bene humida & præparata ſuſcipit, per easque commiſſa ſibi adactione, contractione & coarctatione ulterius per gulæ tractum, cum diaphragmate, trachea & dorſo connexum excipientibus nimirum longitudinalibus, & conſtringentibus circularibus fibris illius promovet, quam actionem deglutionis vocant.

§. IV. Defcenfo lubrico œfophago, perforatoque diaphragmatis inferiore mufculo, quo loco plexus nerveus eft, a nervis fextæ conjugationis derivatus, inter hepar a dextris & lienem a finiftris quidem ejusque infigni portione tectus, paululum in finiftrum hypochondrium inclinatus canalis, in amplum fpatium amplamque globofitatem oblongatam atque tibiam utricularem fere referentem dilatatus & formatus ventriculum conftituit: A tergo, pancreas conftitutum, & fundo colon, inteftinum fubftratum, omentumque (gemina fuperius divifa inferius conjuncta membrana quidem fed venulis arteriisque quamplurimis ad inftar retis refertum, quibus pinguedo forinfecus adnafcitur) annexum eft, quod operimentum diceres; quoniam fuperior ala ventriculi fundum, inferior, hepar, lien, pancreas contegit (hinc ejus defectum ægre tulit apud Galenum gladiator illiusque vicem fupplevit lana) dextorfum rurfus incurvatur in fundum & flexus ac fucceffive anguftatus, atque hinc iterum afcendens in canalem mox arctiorem & longiffimum, adeo ut fexies quandoque fepties hominis menfuram fuperet ac totam ferme abdominis cavitatem repleat, tranfit, & in varios hinc finus, gyros, circumvolutiones, anfractus & fpiras difponitur & convolvitur, ne alimenta citius jufto elabantur & ne vix abfoluta chyli elaboratione, fi ftatim elaberetur, aliud mox alimentum affumere cogamur &c. animalia hinc quo breviores & rectiores ductus habent a ventriculo ad anum, eo gulofiores funt, exemplo anatum, lupi cervarii & corvi aquatilis, & hominis illius parifienfis, cujus mentionem facit DIONIS *Nouvelle Anatom. de l'Homme p. 170.* Orificia duo hic inprimis fpectantur, in fuprema ventriculi regione æqualiter propemodum pofita: finiftrum nempe plexu a nervis fextæ conjugationis efformatus, qui fenfibilitatem ejus auget; in hoc namque natura fedem pofuit appetitus animalis, & ab ejus læfione fymptomata proficifcuntur, quæ vulgo cordi tribuuntur, inftructum, quo ventriculus fuperne patet, gulæque fubjacet conjunctus, per quod introitus panditur, & dextrum, quod & pylorus, quafi janitor vocatur, & exitum rurfus concedit. Hoc fphinctere feu valvula orbiculari eft donatum, majori plica a tendinea tunica formata, ut tranfitus non reditus remeanti chylo conftet, eftque plurimis fibris, iisdemque fatis validis ftipata, ut commode coarctari poffit; attamen utrumque claufum in recte valentibus eft.

§. V. In inteftinorum orbibus quoad fitum, amplitudinem & ufum figuram craffitiemque variantibus non nihil per duplicem membranam mefen-

mesenterii connexis & veluti vinculo in medio collocato suspensis a vertebra, a lumbari prima & tertia & invicem se colligatis, ut ab omni contorsione semper maneant liberi & quidem eorum statim principio duodeno, facto deorsum parvo quodam flexu, recta spinam versus elato atque vertebris lumbaribus transversim incumbente, (quod ventriculus quasi succenturiatus est) ductus choledochus & pancreaticus inprimis nominandi & in reliquis multæ latebræ, multique recessus qui ipsis insunt, notandi. De his modo seorsim attendendæ sunt valvulæ, conniventes, a Kerckringio dictæ & eidem adscriptæ (quamvis ante eum Hier. Fabricio eas innotuisse constet) quarum potior & major colo, omnium intestinorum sensibilissimo, quoniam præ aliis ligamento nerveo tendinoso quodam præditum est, adstructa est Bauhini vulgo nominata, eique Auctori, sed falso rursus adscribitur, (cum jam Varolius, Sal. Albertus & Piccolhomineus illam observaverint) & membranosi vel carnosi circuli speciem refert. Reliquæ minores, cellulas hujus intestini (coli) simul efformant, a dicto ligamento huic proprio contractas (hinc annotante Spigelio hoc rescisso disparent,) & ex fibris carneis, musculosis motricibus constant, atque impediunt partim ne chylus juxta lympham regurgitare & regredi possit, partim, ne celerius nimis effluat, atque adjuvant potius, cogendo, ut tunicam villosam subintret facilius. Quæ valvulosa conformatio, quique spiralis hujus texturæ tractus atque actio in lepore inprimis, vulpe marino & struthiocamelo &c. investigantibus claret. Speciatim dicendum est: cellulas diverticula fæcibus concedere, ut inibi hæreant, donec collectæ mole sua secessum urgeant ut etiam de reliquo plicas rugasque contentos, cibos fricare: Equidem de harum usu ingeniosissimus WILLISIVS ita sentit, quod sint sepimenta saltem & sulci, quibus chyli portiones hic illic tenuiter dispersæ, melius ab invicem detineantur, ne simul in massam spissiorem confluerent. Vid. ejus *Pharmac. Rat. p. 14. 15.* Ast dubium manet, quod plicarum profunditas intentioni isti & chyli copiæ minus respondeat, & plicarum partes, in superna ventriculi concameratione positæ chyli refluxum ejusque aliquam rursus cum massa spissiore commixtionem penitus impedire valeant. In recto tandem intestino admodum carnoso atque præter arterias venas hæmorrhoidales tam internam a porta vena quam externam a cava habente & a parte postica ossi sacro & coccygis, ab anteriori vero vesicæ urinariæ & in fœminis utero per communes membranas firmissime cohærente, adducendi sunt musculi rotundi constrictores, seu sphincteres inferius orificium constringentes, & levatores bini in-

teſtinum iterum a fæcum excretione in ſuum locum retrahentes & prohibentes, ne fæces nobis invitis elabantur.

§. VI. In iisdem (quarum quidem numerus iniri non poteſt) ſparſæ ſunt diſſeminatæque vaſorum lacteorum anfractuoſæ radices, & capillares ramuli, & ex iis oblique oriuntur, quorum jam non paucæ e primo inteſtinorum tenuium, duodeno emittuntur; numeroſiſſimæ vero ex altero jejuno progrediuntur: ileon jam pauciora, pauciſſima (vid. BARTHOLIN *Anatomia Lib. I. Cap. X.*) & ſæpe nulla colon habet. Quamvis etiam Anatomicorum non deſint, qui atque adeo in recto vidiſſe aſſerunt, (inde colligitur clyſteres nutrientes interdum aliquid poſſe.) Hæc chylum per cruſtam villoſam transcolatum, & ab aliis inertibus partibus ſeparatum & ſecretum, ex inteſtinis ad meſenterii primum glandulas, primi generis dicti, vehunt, ulterius promovendum. Fæces vero alvinæ, ſecreto chylo, foras excernuntur. Reliqua vaſa, quæ has partes perreptant, tam arterioſa quam venoſa, lymphatica, glandulas, nervos a pari vago, plexu meſarico & intercoſtalibus ortos, quæque alias in conſiderationem veniunt, nominaſſe hic ſaltem ſufficiat. Ob has cauſas modo recenſitas, connexionem, continuitatem, viciniam, generis & officii ſocietatem, & partium nervorum communionem &c. inter ventriculum & inteſtina ac non ſaltem adjacentia atque proximiora viſcera hepar, renes ſed & multas alias nobiliſſimas partes longiſſime remotas pectus & caput magnus datur conſenſus, ut iis male ſe habentibus una ſimul aliæ afficiantur, & vice verſa. Unde v. g. patet, quod ex gravi capitis læſione, & nephritico dolore & paroxyſmo a tuſſi vehementiori &c. calculorum motu, vomitus ſæpe oriatur, & quod ventriculo male ſe habente, vertigo, ſenſuum ſtupor, oculorum tenebræ, dolor capitis, epilepſia &c. incurrant & quod in omni fere morbo appetitus & digeſtio lædatur &c.

§. VII. Quoniam ventriculus cum inteſtinis certo reſpectu nihil aliud eſt quam muſculus cavus, qui nullum muſculum antagoniſtam habet, cujus quidem vicem explet aër ibi contentus, qui una cum cibo potuque irruit, ita hic duplicem naturalem chylum & fæces a parte in partem promoventem notabiliorem potiſſimum deprehendimus motum, indeſinenter operantem etiam dormientibus nobis. Externus nimirum & communis eſt alter, alter internus & proprius. Ille a motu inprimis preſſuque ceu preli diaphragmatis in reſpirationis actu aliquot millenis vicibus ſingulis horis depreſſi, reciproco & continuo, quo ventriculus, cui adhæret, movetur, exagitatur & conquaſſatur, quoque, de-

pendet

pendet. Inteſtina in ſpecie juxta eum, qui a ventriculo procedit, & adeo ſimul usque continuatur, motum ſuum externum tam a meſenterio, quam ab abdominis quinque muſculorum in homine paribus contractis hoc motu in peritonæum terminato in exſpiratione, abdominisque fornicem contrahentibus potiſſimum mutuantur, interea jejunum, inteſtinum motum præ reliquis habet fortiorem. Quorum actio maxime neceſſaria eſt, quoniam in animali vivo diſſectis his, atque eorum actione ſic impedita, chylus ex ductu thoracico vulneratione aperto, non effluit, niſi externa manuum contrectatione ſolicitentur iidem.

§. VIII. Alter, qui præ altero in œconomia chylificationis rectorem & modoratorem ſe præſtat, ex interno principio, & propria harum partium ſubſtantia muſculoſa membranoſa nervoſaque maxime profectus hic motus periſtalticus eſt: noſtræ præſentis conſiderationis argumentum. Primam hujus mentionem GALENVM injeciſſe apparet ex *Lib. VI. Epidem. Sed V. p. m. 27.* poſt hunc FALLOPIVS, demum eum (quantum ego quidem ſciam) notabiliter ſatis *in obſervat. anatom.* reddidit explicatum. Alii quidem Aſellio una cum vaſorum lacteorum inventione, acceptum referunt, ſed utraque dubia adhuc ab aliis quoque redduntur. vid. TH. JANS. AB ALMELOWEN *invent. nov. antiqu.* Hujus organum æque ſunt fibræ carneæ motrices, ad contractiones ſemper nitentes, ob præcipuam earum ſtructuram, juſto tono gaudentes, (i. e. quæ nimis rigidæ ſunt & duræ, neque nimis laxæ & molles) tunicæ muſculoſæ, præcipue circulares, per totum ductum excurrentes, ſpirituum animalium influxu turgidæ, & animatæ, (per octavum nervorum par, geminis ramis, ſurculis inſignibus, & plexibus, inprimis circa orificium ventriculi ſiniſtrum conſpicuis) & per intercoſtales ſufficienter concitato, inſtigante ſimul tunica nervea ſubſtrata firmiterque connexa ſenſum ut illa motum concedente a ventriculi & inteſtinorum contentis vario modo affecta, & affluente per arterias ſanguine calido atque ſpirituoſo. Horum enim affluxus, ut agant fibræ motrices, perquam neceſſarius eſt, ut ab hoc convenienti in tota œconomia animali omne omnium partium robur omnis tonus & motus visque agens & conſtringens potiſſimum immediate & proxime procedit. Hæc corpora ſubtiliſſima & agiliſſima primum impetum faciunt, primumque afferunt motum a fibris motricibus peragendum. Conſtrictæ ſic fibræ elaſticæ alterum motum dilatatorium rurſus exerunt, ad quem contenta mole ſua extendente conferunt. Vbi enim is motus deficit, motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus imminuitur, alvus conſtipatur, quod acci-

dit

dit inediam aut longum nimis jejunium paſſis, imo exinde ventriculum maxime quaſi contractum & anguſtatum ſentiunt, ad externum quoque contactum totum abdomen in ſe retractum & collapſum deprehenditur ac ipſo viſu conſpicitur. Hoc argumento eſt alimenta in debita quantitate aſſumta etiam hoc intuitu facere ad corporis humani integritatem, quia ventriculi & inteſtinorum periſtalticus ad eam plurimum facit. Atque is exerit ſeſe dilatationis & conſtrictionis ſucceſſivo motu una ſcilicet parte conſtricta altera dilatatur & vermis aut lumbrici terreſtris repentis, limacis aut hirudinis aliorumque reptilium animalculorum inſtar a ſuperioribus ad inferiores partes deorſum ſenſim ſenſimque movetur. Quemadmodum enim ejusmodi reptilia animalia his ſui corporis partibus corpori ſubjecto adhærent, aliis, dein ſe contrahunt antrorſum verſus, ut præterlabantur corpus cui innituntur, ita ſimili modo motus periſtalticus procedit. Quo quidem motu haud difficulter colligitur, contractione fibrarum rectarum, inteſtina exterius contrahi, interius laxari eaque lacteorum vaſorum oblique progredientium oſcula inteſtinorum verſus cavitatem perpendiculariter magis protendi atque fieri patentiora, fibrarum vero annularium conſtrictione inteſtina coarctari ſicque hoc utroque motu conſpirante tam alimentorum maſſam propelli, quam chylum ſecerni. Incipit jam, ubi incipit totus canalis, in œſophago, quo vi tunicæ muſculoſæ & dilatatione & conſtrictione alternante, (illa ope fibrarum longitudinalium, hac annularium peracta mox coarctato, mox dilatato) accedente ejusdem in homine ne perpendiculari ſitu deſcenſuque rore glandularum aſſidue in gulam ſtillante faciliore reddito aſſumpta per deglutitionem in ventriculum ubi majorem incitatum accipit, ut ulterius continuetur, & ex hoc per eum ad inteſtina protruduntur, in quibus etiam præ aliis, in ileo inteſtino manifeſto magis indicio ſe prodit ac urget, & contenta ibi ulterius promovet, ſecernenda ſecernit, excernenda vero excernit &c.

§. IX. Nimirum (ut explicatius de eo, quod res ipſa poſtulat, agamus) indeſinenter, ſucceſſive & per lenes mollesque ſubſultus velut lente & pedetentim per partes & ſeries articuloſque quaſi inteſtinorum repit atque progreditur ſeu reciprocus, interpolatus ſive per momenta remittit & repetit (interjecta intercapedine remiſſione & pauſa) ſecundum longitudinem & latitudinem contractorius atque undulatorius eſt, per undas quaſi fluctuantes & flexuoſos gyros æquabili ſemper ordine per univerſam canalis longitudinem ſe volvens atque provolvens, ac per anfractuoſos inteſtinorum ſinus deſcendit aſcenditque. Quippe

muſcu-

musculorum, ventriculi & intestinorum, earumque quibus gaudent, quibusque componuntur tota, fibrarum contractiones ob intestinorum longitudinem & anfractuosum serpentinumque ductum cavernarum cellularumque hinc inde remoram, non tantæ sunt, ut contenta una continuata simul propulsione ab una extremitate ad alteram ejicere possint. Hac enim parte intestini contracta, colligentibus prius ingestum, fibris longitudinalibus, angustataque contractis maxime circularibus, & insecuta immediate eodem tempore longitudinalium proxime subjacentium prius ab ipsis dilatatarum corrugatione & abbreviatione intumefactioneque pars una intistini ad alteram, unum latus ejusdem ad alterum propius adducitur, & contentum, quod fibras modo pressit & dilatavit, a fibris rursus contractis in alteram vicinam inferiorem vacuam & magis ampliorem partem, dum a constrictione feriatur, adhuc propellitur commode, quo propulso recepto, infarcitur & dilatatur magis, donec cessante hac dilatatione, iterum novo impetu per varia eademque instrumenta, fibras, valvulas &c. facto, a tergo semper insequente & premente, similiter constringitur, qui reciprocus dilatationis & constrictionis motus per vices iteratur, donec cuneo quasi cuneum trudente, unde accepit, aliis reddiderit illud. Atque ejusmodi interpolatus & lentus motus de rei necessitate utique est, alioquin chyli distributio haud rite institueretur, & chylus cum fæcibus mox proflueret. Parum absimilis hic motus peristalticus ventriculi & intestinorum est illi, qui fit in aliis quoque canalibus & partibus quæ ad propellenda, vel in se ad tempus quoddam determinatum retinenda liquida sunt destinatæ, Sphincteribus, in corde, arteriis nervis, undulatorio illo motu dicto, in fibris motricibus, quem tonum vocant, per quem robor, resistentia & nisus renisusque elasticus procedit, tubulis secretoriis, & excretoriis, venis, vasis biariis urinariis, utero, inscroto, in partu præsertim &c. qui pariter in his ad sanguinis & humorum præparationem, elaborationem, progressum & distributionem perpetuandam, & contentum provolvendum æque per dilatationes ac constrictiones invicem continuo se excipientes sic & per subsultus ac series quasi & successive movetur & movet &c. Siquidem omnes motus solidarum partium in universo humano corpore duabus his motus speciebus saltem systole & diastole reciproca peraguntur quæ & omnem fluidorum impulsum, progressionem, circuitum, secretiones & excretiones efficiunt. Præter hanc provolutionem, quam instituit motus peristalticus, a superioribus nempe ad inferiora J. C. PEYERVS *de glandulis intest. Cap. IV.* aliam & in intesti-

teſtinis quidem ſaltem tenuibus (in craſſis enim contenta ſpiſſiora fluctuando non ſunt) ſimilem fibrarum contractionem, inverſo modo a parte inferiori ſuperiorem verſus inchoatam, ſecundum naturam, adeoque variis motibus reciprocis, motum periſtalticum ferri probat. Cum HELMONTIO Vid. *lib. de flatibus. pag. 217. v. 37.* in puero illo hernioſo, illam Wepferus experientia in muliere quadam, & brutis diverſi generis diſſectis, ſtabilivit. Vidit enim, manuque exploravit hic præſertim experientiſſimus vir, manifeſte tempore concoctionis ope fibrarum circularium modo ſuperius, modo inferius inteſtinorum tenuium portiones ſeſe conſtringere atque materiam intus fluctuantem deorſum ſurſumque conjicere. Ab his FRANC. GLISSONIVS non alienus eſt *de facult. mot. periſt. p. 288.* unde hunc motum periſtalticum fluctuantem vocat, a luctante inæquali, quem ſibi concipit quoque diverſum, in quo (fluctuante) fibræ ſuperiores & inferiores inter ſe certarent, antagoniſtarum ad inſtar, & materiam contentam modo huc, modo illuc propellerent, quem prodromum nauſeæ, eructationis, vomitus, præmaturi deſcenſus chyli, torminum inteſtinorum, doloris colici, fluoris alvi, & ſimilium ſymptomatum habet, in dyſpepſia & flatibus præcipue conſpicuum. Etenim ſub tali quadantenus fluctuatione, cui præcipue cœcum inteſtinum conformatione ſua famulatur, qua volvitur ac revolvitur chylus, in ventriculo & inteſtinis, ultro citroque, per breve licet inteſtinorum dilatatorum ſpatium (ut mihi concipio alias ob contrarium motum periſtalticum a ſuperiori ad inferius in eodem canali non adeo hic eſſet expeditus) conſtanti ſerie, blanda contractione & propulſione agitatio, conquaſſatio, hinc indeque commiſtio, comminutio, ſolutio, diſcontinuatio, ſecretio utilis ab inutili melius & expeditius ſuccedunt, nec mora contentorum quam ibi nectunt, otioſe & inutiliter inſtituitur, quam etiam vix inteſtina vivo motu gaudentia paterentur. Alterum vero fluctuantem etiam non equidem negandum, ſed ad ſtatum potius præternaturalem referendum eſſe quilibet facile ſentit. Intolerabilis autem plane in PROSP. MARTIANO eſt error qui in *comment. in Hip. f. 119.* a ventriculo nihil expelli ſtatuit, ac omnem ventriculi motum promoventem & expellentem præternaturalem habet, a rei moleſtæ irritatione inductum.

§. X. Magnum & mirum eſt quam validus fortisque ſit. Tanta certe potentia tantumque robur quo a provida natura inſtructus hic motus eſt, cuivis conſideranti non poteſt eſſe non admirabilis. Haud vilis enim vis requiritur, quæ par ſit, ventriculi fundum & latera ſurſum

ſum ducendo, ejus cavitatem plurimum arctando, contenta ſubigendo, (quæ ſubactio talem propemodum eamque fortem actionem requirit, qualem in panis præparatione piſtores adhibent, qua in mactra farinam inditam affuſa aqua ſpatha lignea vel manibus depſunt, tamdiu, donec homogenea maſſa exinde formetur,) atque per adeo longas & tortuoſas Inteſtinorum ambages, per valvulas, per tot plicas, flexuras atque anfractus, per cœci inteſtini ſeceſſum & latibulum &c. propellendo, ſecernenda excernendaque expediendo, quæ mole & qualitate non raro moleſta premunt, atque niſui huic & niſu contrario ac reactione reſiſtunt. Nam ſi ventriculi & inteſtinorum amplæ cavitates adeo notabiliter non conſtringerentur, ut pars una ventriculi & inteſtinorum ad alteram accederent, rugæ & plicæ inter ſe allidederentur, partes alimentorum & chyli vix poſſent ita atteri, dividi, & ſolvi: Ventriculus enim cibos omnino arctius complecti debet, quo melior fiat digeſtio & purior, alias anguſtos tunicarum poros non facile poſſent ingredi nutritiæ partes, neque excernendæ excerni. Hanc vim, hoc robur, hancque potentiam pro cujusvis judicio tradimus ulterius expendendam, quod poſt abſolutam chylificationem ventriculi cavitatem ſat amplam aliquot menſuras circiter capientem, adeo contrahat, ut vix pugnam capiat, & quod in curatione obſtructionis alvi pertinacioris & paſſionis iliacæ, magna mercurii vivi, metallorum adeo graviſſimi, quantitas, ad aliquot quandoque libras ore aſſumta, conf. PANAROLUS *Pentecoſt. 1. obſervat. ultim.* aut ex præſcriptione aliorum (an æque bono conſilio dubium) globulorum plumbeorum minorum aut majorum haud parvus etiam numerus (quo major is eſſet, eo tutiorem & celeriorem promittit ſanationem HELMONT. *Lib. de flatib. §. 31.*) per ſingulos eosque adeo prolixos inteſtinorum gyros & ſinuatos anfractus ſurſum deorſumque etiamſi reſiſtente vi morbi ad excluſionem ab hoc ipſo urgeantur. Huc referenda eſt hiſtoria a WEPFERO recenſita *in epiſt. ad Peyer.* de vulnerato quodam in regione gaſtrica, qui ultra paſſus diſtantiam liquorem chyliformem aliquamdiu poſt aſſumta alimenta projecit. Attamen limitatur etiam aliqua ex parte hujus noſtri motus robur pro ſexus, ætatis, temperamenti, conditionis vitæque generis hominum, diætæ immo climatis diverſitate, v. gr. mulieres parcius alvum deponunt, & ſenes minus alimenti & nutrimenti ferre poſſunt, quam juvenes, parcius appetunt, lentius digerunt, difficiliusque egerunt. Qui habitu corporis laxo & ſpongioſo copioſis & exilibus venis conſpicui ſunt, iis debilior quoque hic motus eſt, ob quam infirmitatem etiam nimia alimentorum copia no-

 cumen-

cumento eſt. Qui laboribus validioribus quotidianis exercentur, fortiore motu hoc gaudent, videbis inde agreſtes, plebejos, bajulos multos cibos, eosque duriores difficilisque digeſtionis ingerere, athleticeque vivere. Conſpicies idem in incolis Saxoniæ inferioris, Pomeranis, Helveticis præ Miſnicis Svevis &c. Hinc etiam inter alias cauſas per quas inteſtinorum vulnera lethalia cenſentur, hæc quoque ratio allegatur, quod ea motu periſtaltico indeſinentur agitentur, adeo, ut coalitio vix ac ne vix quidem præſtari poſſit. Conf. WOYT. *de Vuln. lethal. p. 363.* Magnum mirumque magis adhuc eſt, quam validus ſit, ſi præter naturam turbatur, irritatur & pervertitur, quantos enim tunc tumultus concitat, adeo ut omnium repagula, omnesque obices eosque etiam fortes, valvulas, pyloros, ſphinċteres effringat atque adeo ipſum ventriculum ſurſum in pectoris cavitatem abripiat v. STEPH. BLANCARTI *Anat. pract. rat. Obſ. LXX. p. 200.* quæ violentia modo in vomitu, imprimis vero in paſſione iliaca conſpicitur, in qua horrendum & miſerandum in modum excrementa ex inteſtinis extremis, magna vi per os ſupremum unaque vice ejicit, adeo, ut obſervationes Auctorum: Galeni, Rhaſis, Ambr. Parei, Primeroſii, Peyerii, Thoneri, Diemerbroeckii, Blankarti, aliorumque proſtant, ſuppoſitoria, glandes ano ſubditas & clyſteres immiſſos, per os, totos fuiſſe ejectos. Ex his MATTH. DE GRADIBVS *in Com. ſuper. 9.* de puella paſſione iliaca affecta, ſtupenda quæque fidem ſuperare videntur, recenſet: quod nimirum ſuppoſitorium quatuor tandem filis fortioribus ad coxam alligatum & immiſſum ano, diſruptis his multiplicatis filis a morbi violentia raptum atque excretum fuerit. Ejusmodi quoque ANT. GVAINERIVS memorat in *tractatu de flux. c. II.* Rurſum flatus vermes, in colo retenti acresque humores, qui ad colon rectumque deſcendebant, violenter ſuppreſſi, ſurſum ſimili modo regurgitaverunt cum acerbiſſimo ventriculi morſicatione.

§. XI. Ut placide omnia in naturæ quem inſtituit ordine modoque agendi peraguntur, quoniam ea non amat tumultum, ita & motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, utut validus fortisque eſt, admodum tamen ſubtili, moderato, molli, miti, placido atque leni modo non ſentientibus nobis inſtituitur, eumque adeo ſubtilem eſſe, ut non verbis ſatis exprimi queat. F. GLISSON *l. a.* dicit. Atque vix utique forinſecus cadit ſub ſenſus: viſum & tactum, adeo ut hinc non deſint, qui eum potius in dubium vocant, atque plures ea propter obſcurum appellant, inter quos Pecquetus eminet, qui eum nuſpiam deprehende-

re

re potuisse affirmat, atque ideo hepati illius munus potius demandare voluit. Equidem in animalibus vivis minoribus nimirum dissectis, canibus &c. ut & motus alioquin aliorum musculorum conspectus obscurus est, ægre inquam ab extra apparet. Vero simile enim etiam est, in ejusmodi animalibus ex metu mortis atque anxietate contristatione ac sub ipsa vulneratione ex dolore suborto, hunc motum conturbari, & impediri, quemadmodum manifeste in ruminantibus brutis contristatis motus ille ruminationis, subito sufflaminatur. At in grandioribus bobus nempe & equis in sensus manifeste statim eum incurrere certum est, siquidem Præses una cum D. N. ante aliquot annos in equo huic sectioni destinato oculis usurpavit, quanquam etiam alii in felibus, porcellis indicis & cuniculis satis eum perspicuum esse, perhibent, imo in vulneratis hominibus aliquando observaverunt, RIOLAN. *in opusc. Anatom. nov. c. Pecqueto p. 161.* V. G. H. WELSCH. *observ. decad. VII. centur. V. p. 416.* & HELMONT. *lib. de flatibus §. 38.* (qui in puero hernioso eum vidit. Apud Blanckartum observatio legitur de exomphali in infante, quo in tumore cutis adeo tenuis erat, ut motus intestinorum peristalticus conspiceretur. MOEBIVS *in fundam. med. physf. Cap. XI. p. 105.* de matrona nobili idem refert contumaci anorexia laborante per plures annos tandemque plane consumta, in qua motus intestinorum continuus, oculis conspicuus erat. Insuper eum & vidisse HARVEVM *lib. de generat. animal.* & IOH. CONRAD. PEYERVM in diversis vivorum brutorum sectionibus *Exercit. anat. de gland. intest.* ut & DOLAEVM sæpissime in vivis canibus dissectis, legitur *Encyclopæd. med. dogmat. Lib. II. cap. VI. p. 499.* IOH. FREIND. Anglus in *Emmenolog. p. 170.* scribit, se injecta tinctura chalybeata in jugularem venam canis eoque mortuo diu hunc motum adhuc durantem deprehendisse. CL. WEPFFERVS *lib. de cicuta aquatica* claris verbis sequentem in modum descripsit. Integrum exscidi ventriculum movitque se motu vermiculari. Stomachus sive orificium sinistrum arctissime sese constrinxit, ut ne guttula quidem excideret. Quando vero ventriculus circa medium sese contraxerat, motus lente versus pylorum procedebat, illeque erigebatur & liquor subpallidus quandoque sensim, aliquando cum impetu protrudebatur. Constricto pyloro ventriculus rursum intumuit totus, moxque rursus circa medium se constrinxerat novusque liquor per pylorum ejiciebatur. Hæc constrictionis in medio & inflationis alternatio continuavit per octavam partem horæ, stomacho semper clauso permanente, postea ventriculus se movere desiit. Atque adeo in pediculi corpusculo pellu-

pellucido oculis armatis obſervari eum, juxta cordis quoque motum HARTSOEKER *in contin. conject. phyſic.* notat. In recens mortui animalis extemplo diſſecto ventriculo, atque in fruſtis inteſtinorum diſſectis interius ad temporis notabile quoddam ſpatium, multiformem & ſat fortem ejusmodi conſtrictionis & dilatationis motum cumuli adinſtar nitentium vermium implicatorum, varie intorquentium & motitantium me non ſemel vidiſſe memini. Sane lenitas ejus cuivis mirabilis videri poteſt conſideranti, ope illius oſſa etiam duriſſima, firmiſſima in canum, cortices glandium in anatum & adhuc mirabilior in ſtruthionum ventriculis metalla deglutita, quod Langius ſe in Aula Ducis Ferrariæ vidiſſe refert, conſumi & ſolvi in pollinem atque cremorem, tamen & citra tumultum, & licet menſtruum maxime energeticum ad diſſolutionem concurrat, motus tamen dubio ſine maxima omnium ſolutionum cauſa & operator eſt. Ut autem lenis ſit & placidus utique rurſus neceſſarium eſt, nimirum ut alimenta coquenda, digerenda, ſolvenda, fermentanda, colliqueſcenda ſenſim, extrahenda & in perfectum chylum & in commodum alimentum convertenda, lento gradu conficiant iter, & debitam quaſi nectant in canali moram, quæ ad illius perfectionem requiritur, & ubiubi laudabile alimentum inſit adhuc, evolvatur, & ne citius juſto præcipitique curſu præterlabantur & indebite ejiciantur eadem. Hinc experimur, in alvi fluxionibus, ſi excrementa ſpiſſiora fiunt: viam ſpemque adeſſe ad ſalutem recuperandam, quod redeuntis coctionis ſignum vocant: indicans, motum ventriculi & inteſtinorum hucusque acceleratum nimis, ſimul ad meliorem frugem redire, atque ſecundum naturam iterum inſtitui, i. e. blande & lente ferri. Accedit &, quod ſub leni, placidoque, reciproco, circumpreſſorio, dilatatorioque motu, debitæ, tenuiores ſubtilioresque ſaltem ſucci alimentaris partes, per tunicam villoſam transcolentur, & per poros ejus ad vaſa lactea adigantur, & ab inertibus ſecernantur felicius, ſi enim vehementior eſſet, crudæ craſſæque inutiles nocivæque ſimul transjicerentur, & chylus impurus evaderet. Nam ſub placido & leni motu omnes ubique ſecretiones & excretiones melius quam celerrimo & concitatiori peraguntur, atque partes fluidæ a craſſioribus longe facilius ſeparantur. Id quod vel domeſtico experimento ſatis notum eſt atque perſpectum: Si enim aliquis liquorem ſubtilibus & craſſioribus corpuſculis infectum, vel maſſam liquidiorem perfuſam per linteum pannum, transcolare velit, & miniſterio digitorum, paulo fortiori compreſſione, contentum exprimat, craſſum, fæculentum & turbidum humorem, loco tenuioris

&

& limpidioris liquoris accipiet. Hinc etiam patet, cur bene valentibus alvus lenta & fæces ſpiſſiores & paucæ ſint.

§. XII. Inſuper ad actionem facillimus eſt, & non modo facili de cauſa etiam remota, & eminus aliundeque ex facili illico movetur, ſtimulatur & excitatur, ſed & ex una in aliam partem, ex ventriculo ad inteſtina, & ex hujus generis in alterius inteſtinorum, & celeri ſæpius motu vagatur, in hac vel illa eorum parte ſtimulatus univerſum canalem continuum facile pertranſit, adeo ut mirum ſit, quod per reciprocas ſuas conſtrictiones & dilatationes, & per undas fluctuantes tam cito ferri poſſit. Hoc clariſſime in purgantibus patet, quæ in una ſaltem inteſtinorum parte quandoque hærent & ſtimulant, cito tamen purgationem in univerſum inſtituunt. Imo obſervatum eſt, eosdem quibus viſcera tenuiora ſunt, ſi clyſterem admittunt, vomitiones experiri. Res quædam præternaturales citam commotionem & converſionem perverſionemque ejus oſtendunt. v. gr. Inteſtinis affectis in colica, cholera, iliaca paſſione aliisque inteſtinorum torminibus vomitus ſpasmo fibrarum continuitate ſurſum abeunte, contingit. Fortius & celerius adhuc agunt acres bilioſi humores in una modo parte confluentes, quod in diarrhœis & dyſenteriis accidit. Fortiſſime ſe exerunt venena & ſumme corroſiva cauſticaque aſſumta, quæ citiſſime & mox ſæpius ab aſſumtione per ſuperiora & inferiora ſimul irritationem & ſeceſſum moliuntur. Quid? quod alvi dejectionem & vomitum ſaltem viſa v. g. purgantia, vel ſolum cogitatio & reminiſcentia de nauſeoſis purgantibus excitent. Pariter & notum ſatis eſt: animi affectus varios præ aliis, uti in tota œconomia animali, ita etiam in hunc motum periſtalticum magnum habere imperium, magnamque potentiam, eamque per fluidum, ſpirituoſum, ſubtiliſſimum illud, in hunc hasque partes magnopere exercere, adeoque & magnam vim poſſidere, hunc intendendi, immutandi & deſtruendi atque in quibusdam facile ſolvendi alvum aut vomitum excitandi. Huc pertinet, quod obſervationes ferunt Auctorum: a certo ſono audito ſtatim quosdam reddidiſſe alvum &c. A nonnullis rurſus fuit obſervatum, vel ex leviori ventriculi compreſſione non ſaltem chylum, ſed & ſemicruda ciborum fruſta per inteſtina transfluxiſſe. Alias ordinario & ſecundum naturam intra diei & noctis ferme ſpatium a ventriculo incipiendo & ad inferius guttur usque progrediendo, (intra hoc enim temporis ſpatium digeſtio & diſtributio ciborum atque excrementorum ejectio abſolvitur penitus) penſum ſuum abſolvit; conſuetudo tamen aliaque accidentia etiam hic notabile diſcrimen injiciunt;

ſiquidem

ſiquidem plures dantur, qui alternis tantum diebus alvum deponunt, quibusdam adhuc hæc excretio lentior contingit; Rurſus alios videbis qui ſingulis diebus bis hanc naturæ operationem experiuntur. Hoc quoque dicendum eſt, quod in noſtra poteſtate aliqua ex parte ferme ſit conſtitutus inteſtinorum hic motus, adeoque ad naturales motus, voluntarios & mixtos ex parte referendus animæque imperio ſubjiciendus, cui inſervit primario ani ſphincter, qui valde inteſtinum rectum conſtringit, & fæcum deſcenſum moratur, ut eum ad certum quoddam tempus cohibere poſſimus. Addo, quod etiam intentio & cogitatio talia efficere poſſit: Cuique forte perſpectum atque expertum erit, alvum citius ſolvi, ſi de alvi ſolutione ſerius cogitet, ſeque in ſeceſſum conferat atque componat aut viſis ſaltem aut cogitatis nauſeoſis adverſisque alvi dejectiones ac vomitus concitari. Facile etiam adſueſcit, vario modo, ut conſuetudine legem quaſi facta, in his mox retardetur, in aliis acceleretur & homines ſemel aut bis in die, aut alternis diebus, aut bis tantum in ſeptimana ſine notabili etiam non raro noxa, ut hic ſtatus in latitudine ſanitatis contineatur &c. ſecedant. Imo quod curioſum eſt ſtatis diebus, ſingulis annis, quandoque aliquoties certis vicibus alvus ſtimulatur, ſic notus eſt vir quidam quinquagenario major, qui ſemper eo die, quo certas quasdam rationes, ex officio ſuo quo fungitur, reddere tenetur, quod ordinario quater ſingulis annis ipſi eſt injunctum, mane alvum laxam experitur, quod tamen alias rarius aut nunquam horis matutinis accidit. Ejusmodi etiam eſt quod natura, ut ajunt & habent, facile clyſteribus adſueſcat, ut nonniſi alvus ſic admonita, officium ſuum ſequatur. Itaque cum in omni re optimum ſit, optimis adſueſcere atque bona conſuetudo firmitatem naturæ imitatur, motus periſtalticus inteſtinorum ut quotidie alvum egerat utique commendandum eſt. Amplius poſſemus commemorare, motum hunc periſtalticum non modo hoc intuitu haud eſſe difficilem, ſed & ſi conſuetudo accedat, quæ altera eſt natura, etiam ad alia atque adeo quæ ad ſtatum magis alias præternaturalem ſpectant, poſſe reduci, ut viſi ſunt, qui pro lubitu quovis tempore ſponte vomitum ediderunt: Sic Sennertus *Lib. III. med. pract. P. II. Sect. II. Cap. IX.* refert, ſe noſſe quosdam in quibus fæces alvi per multos annos, imo per totam vitam ordinario, extraordinario modo excretæ per ſuperius guttur, per umbilicum, per ſuperiorem femoris regionem, rupto abſceſſu fuerunt. Quod etiam non adeo rarum helluonibus eſt, quibus ad nutum ſemper ventriculus contrahitur, & infarcta reddit: Bartholinus vidit Melitenſem bibonem omnes liquores

aſſumtos

aſſumtos pro nutu rejicientem. In quibusdam animalibus brutis, lupis &c. ſimile etiam habetur, quæ vim ventriculi expultricem per ſuperiora, (ut agunt) animalem & naturalem obtinuiſſe videntur. G. MOEBIVS *in Fundament. Phyſiolog.* refert: vidiſſe canem anglicam majorem, quæ ſingulis diebus aliquoties cibum, quem devoraſſet, ſuis catulis nutrimenti loco evomebat. Ut igitur in ſtatu naturali facillimus eſt, ita in præternaturali talis quoque deprehenditur ſola perverſæ phantaſiæ actio & conſpectus ingratarum & adverſarum rerum, vel ſaltem reminiſcentia de nauſeoſis &c. illico totum hunc motum periſtalticum afficit & commovet atque adeo evertit, ut non modo per inferiora, ſed & per ſuperiora validius feratur aut tam alvum dejiciat, quam vomitum excitet. Rurſus ſi ſemel aut aliquoties modo præternaturaliter ſic affectus eſt, ex facili etiam ejusmodi motus morboſi hic repetuntur, ſic cardialgia, colica, cholera, alvi obſtructio, vomitus, iliaca paſſio, hypochondriaca epileptici & convulſivi alii ejusmodi affectus præ aliis alias partes vexantes & circuitum ſuum obſervantes facili de cauſa levi orique occaſione redeunt, & in habitum quaſi ac conſuetudinem abeunt. Hi quo magis repetuntur, eo pejus redduntur & atonia & imbecillitas tandem harum partium ægre in integrum reſtituenda, inducitur. Non aliter enim evenire poteſt, quam ut fibris maxime ſenſilibus membranoſis & nervoſis, quæ harum partium contextum maxime conſtituunt per ſæpius repetitas morboſas agitationes, alliſiones, contorſiones, magna vis inferatur, & nobiliſſima illa fluida, ſanguis, nimirum & ſpiritus animales tonum ac robur ipſum vitale efficientia avolent & diſſipentur, unde a ſpasmis repetitis & vehementibus & magis adhuc ipſis convulſionibus notabilis virium proſtratio & totius corporis languor relinquitur.

§. XIII. Subit inde animus, quod res obtulit, quoque ulterius explorandi, unde impulſus ad hunc validum fortemque motum inſtituendum & continuandum, perque tam longum inteſtinorum volumen quinquies, ſexies, imo interdum pluries, juſtæ hominis ſtaturæ longitudinem æquans, per tot circuitus, & anfractus etiam ſurſum aſcendens, agensque proveniat, quodque gubernet hoc longum inteſtinorum iter. Ad hoc definiendum, luſtrandum ſiſto; Notum ex ſtaticis eſſe, vel minimam corporis vim accedentem aut decedentem motus facere vel ſiſtere poſſe, ſicuti videmus infantem etiam vel aliquot centenaria in machinis ſurſum tollere atque omnem in univerſa œconomia animali (ut & alibi) humorum progreſſum, & impulſum fieri per principium quoddam, magno movendi atque propellendi excernendique robore

instructum, qualia v. g. sphincteres sunt. Tale igitur hic quoque desiderari neque id simplex, sed multiplex & varium pro rei exigentia, argumentatio valet. Quoniam motus semper a motore recedens sensim sensimque magis fatiscit, & canalis alimentorum tractus tantus & longus est. Atque in his partibus, docente anatomia, & superius in conspectum datis, jam adesse non unum ejusmodi movendi, principium, idque satis validum atque idoneum, ad hunc motum instituendum continuandumque, colligitur. Nam in initio canalis, pharynge, sphincter statim locatus primum agit motorem, qui fortiori facta constrictione, ore assumta per rectam brevemque viam, gulam protrudit, ubi ingesta per os sinistrum, in ventriculum & per tempus aliquod ibi retenta, novo impellente ulterius promovenda habent necesse, quo officio dexter ventriculi, pylorus, robore sat valido instructus, fungitur, qui contenta, ad intestinorum usque tenuium exitum perveniendi, impellit, ubi excepta circa coli intestini initium, valvulosa, & membranacea nerveo musculosa, ac fibrosa, & ligamentorum nerveo tendinosa, qua gaudet præ aliis, constructione atque constrictione valde robusta, juxta ipsius coli intestini magnam sensibilitatem, quam ob dictas dotes possidet, quibus alia intestina sunt destituta, atque valvulas cooperantes, quæ in hoc itinere offenduntur, ad finem recti intestini, usque sphincterem, pelluntur, calore iis partibus subjacentibus veluti totidem foculis eundem conservantibus & non nihil intendentibus, qui alioquin satis vegetus est ob sanguinem & spirituum animalium per vasa numerosa intra tunicas dispersa a corde præsertim sub assumto cibo, affluentes, adjuvante.

§. XIV. Juvamini porro & stimulo commode huic motui peristaltico plurima sunt, quæ subveniunt, nempe & primo quidem nominanda est inspiratio & exspiratio successiva, tota hypochondria movens & qui ab illa procedit, ventriculi & intestinorum motus, qui partim a diaphragmatis reciproco motu, deorsum descendente visceraque in abdomine contenta, leniter & continuo comprimente, & blande concitante, ut sensim dimittant, dependet, partim a mesenterii, quo sunt affixa & in cujus fimbria fibrarum circularium tendines radicantur, cujusque in plano fibræ motrices recta a centro ad peripheriam excurrunt, utpote quæ omnes contractiones communicant, ut & musculorum abdominis quinque paribus respirando actione oritur, qui diversis fibris obliquis descendentibus, ascendentibus, rectis, in pyramidem cuspidatis, transversis instructi sunt, & ad varios motus edendos eapropter idonei. Juxta horum motum quoque reliquorum adjacentium viscerum, hepatis

dum

(dum nimirum cum diaphragmatis parte posteriore in inspiratione descendit) ut & lienis, &c. famulatur. Multum adhuc hunc promovet ipsius aëris irruentis & cum alimentis subeuntis, elater, quo & ventriculus & intestina blande inflantur, cum flatulentiæ illius modicæ, & mitis, placidæ & amicæ turgescentia quæ, in intestinis, jejuno inprimis & ileo s. N. adest, iisque illorumque tunicis vigorem quendam roburque afflat, eaque vacua servat expansa, sine qua expansione flaccida conciderent latera, & motus & excretiones non forent expeditæ, conf. HELMONT. *lib. de flat.* Hinc patet, cur intestinorum angustia quandoque accusetur. Nec non opitulatur & liquor ipse gastricus, vi inprimis penetrandi, dividendi atque acie & elatere stimulante, (utpote quæ attributa ad macerandum, dissolvendum ac eliquandum alimenta, necessaria sunt quibus exagitata ventriculi contenta fermentescunt quasi magis magisque intumescunt ac divelluntur, quo motu hoc eo melius in intestina possint protrudi) & succus pancreaticus mediocri in quantitate accedens extra præsertim ciborum resolutorum tempus, intestina emolliendo eaque lubrica reddendo ut & ex parte ebulliendo cum bile permixtus, suis quidem particulis sub acidulis. Majus adhuc calcar quoddam bilis influens addit, quæ particulis suis sulphureis atque salinis activæ & penetrantis indolis ex volatili & fixo mixtis (quæ simul junctæ cum limphaticis succi pancreatici & stomachicis aut cum chylo mixtæ promptissime actionem atque reactionem, quam fermentationem vocares instituere aptæ sunt) fibras movet motrices, easque ad motum peristalticum, instituendum, de novo invitat & sollicitat. Insuper & aliqua ex parte spirituascentia sua quam fœnerat chylo, nec non absumtione acidi & viscidi eo confert. Hinc, si hujus affluxus impeditur, quod in ictero accidit, alvus redditur constipata, confer. KERKRING. *spicileg. anatom. p. 82.* & si abundat & si corrupta & acrior, citata nimis est alvus. At huic confert non modo salinarum biliosarum particularum stimulus, sed & illarum juxta pancreatici quoque succi elasticitas, quæ sequenti experimento probatur: secto canis vivi abdomine, in duodeno fiant filo ligaturæ duæ, una infra pylorum, altera insertionem ductus cholodochi & pancreatici, consuto abdomine, & elapsis aliquot horis, denuo aperiatur ligata hæc duodeni pars, tumidam valde & ad rupturam, usque tantum non conspicies. Ubi aperies vulneratione tumorem, usque adeo inflatum, ut flatus & bullulæ spumantes cum sonitu quin strepitu exeant deprehendes & nares acri exhalatione stimulatas senties, confer. MART. LISTER, *Dissert. de humor. p. 152.* Nec plane

otiosæ hic sunt partes bilis unctuosæ, quæ insunt, sed potius lævigant latera intestinorum, ut facilius descendant per motum peristalticum mota contenta, & illorum fluiditas augeatur, ut pictores suos colores tenuiores reddunt & fluidiores additis bilis aliquot guttulis. Concurrunt porro valvulæ conniventes, & semilunares in tenuibus numerosissimæ, quarum per fibras suas itidem maxime transversales carnosæ tunicæ continuas, constrictio & dilatatio, ab una ad alteram, successive instituitur. Adjuvare etiam eum possunt simili modo & quidem magna ex parte esculenta & potulenta & in sufficiente quantitate assumta, & deinceps fermentescibilia, cum ipsa dein solutione, quam vocant fermentationem, quæque revera non multum absimilis est, ab alimentorum in ventriculo celebrata. Etenim sine fermentatione quæ motus intestinus est, intima corporum dissolutio fieri nequit, quæ mixti partes unitas intime solvit, ut argumento sunt præter hanc ipsam inflationem ructibus flatibusque testantibus, intima quæ hic celebratur corporum dissolutio, & acescentia relicta &c. Accedit simul turgescentia a mole exinde enata & earum expansio hujus alimentarii canalis. Nec non post digestionem absolutam flatus, qui etiam naturaliter intestinis semper insunt, ut nimirum ea expandant atque in debita amplitudine & ne collabantur, conservent, his adjuvantibus annumerare convenit. Hinc iidem, quando se exerunt lætum quandoque reconvalescentiæ signum præbent. Quam in rem BAGLIVIUS *Lib. II. Prax. med. Cap. III.* sic commentatur: *Flatus pedendo emissi judicantur motus viles & nullius ad curationem momenti, & tamen si in dysenteria flatus, qui prius non aderant, per inferiora exire incipiunt, brevi sanitatem promittunt, ut nos aliquoties observavimus.* At e contrario ejusmodi flatulentiæ, borborygmi & murmura labefactatum hinc motum indicantia, in acuto & periculoso morbo, lethalem quoque internæ sphacelationis indicium afferunt. Non longius hic adducam, salsa, aromatica, &c. quæ cum cibis ingeruntur, ventriculum statim ad motum peristalticum instituendum, vellicatione, una cum menstrui ventriculi particulis energeticis, salinis, & calore influente, a motu sanguinis intra vasa ventriculi, & intestinorum, ut & partium circumjacentium, hepatis lienis &c. agitatione pressa, stimulare. Nec diffiteor opinioni PH. VERHEYEN subscribere statuentis in *Anat. H. Corp. p. 53.* esse præcipuum omenti usum intestinorum, motui peristaltico inservire atque adeo necessarium eum existimat: Loquitur enim hac de re sequentem in modum: Præcipuus usus omenti, meo quidem judicio, est, inservire intestinorum motui: cum enim illa variis multisque mutationibus

subja-

ſubjaceant, ſintque nunc repleta & diſtenta, nunc rurſus exinanita & coarctata ſemperque motu periſtaltico agitata; Omentum ſeſe illis omnibus accommodat: atque inteſtina detumeſcentia inſequendo, ab intumeſcentibus vero recedendo, in cauſa eſt, cur illorum contenta facile obſequantur motui eorundem, absque eo quod humores flatulenti in locum decedentium reſiliant. Cæterum facilitant quoque hunc motum notabiliter pinguedine obſidente donati atque irrigui inteſtinorum parietes, a continua glandularum inteſtinalium & tubulorum cruſtæ villoſæ, quam continuo ſtillant, humiditate lubricati atque perfuſi. His humectatio atque mollitio forte etiam ab omento ut altera utilitas ejus accedit, ita, cenſente A. M. Brassavolo in *Commentar. ad aph.* Hippocr. *Lib. I. VI. aph. 58. p. 1026.* dum inquit: ſupra inteſtina omentum a natura poſitum eſt, ut illa humectet & magis lubrica faciat, ut fæces per inteſtina facilius diſcurrere poſſint, & ad anum transmitti, ut exeant. Huc forſan reſpexit & Glissonivs *l. c. p. 118.* quando pinguedinem omenti peculiari modo tunicis ventriculi & inteſtinorum exterius beneficam, ait, quod miti ſuo calore eas foveat & anodyna virtute demulceat, quodque easdem humectet, lubricet & emolliat. Idem enim fere hic omentum præſtat ventriculo & inteſtinis, quod oleum aut unguentum coriis ſive pellibus. Efficit quippe, ut quoque verſum facile flectantur, & motum ſuum periſtalticum absque mutuo attritu placide perficiant. Ob hanc ipſam cauſam exiſtimo, omentum infra ventriculum & colon (quibus potiſſimum inſervit) libere propendere, ut tenuibus quoque inteſtinis ſuam unctuoſitatem impertiat. Hoc etiam haud dubia aſſeveratione affirmo peritonæum quod glandulis ſat copioſis refertum eſt liquorem quoque pinguidiuſculum & viſcidiuſculum continuo ſtillare ac reddere linimenti itidem ad inſtar, externas inteſtinorum ſuperficies illinientem illaque lubricantem ſicque motum eorum periſtalticum facilitantem, ſimulque impedire ne inteſtina inter ſe coaleſcant. Nec etiam de nihilo eſt, reſtitantes in rugis & plicis ventriculi & inteſtinorum reliquias alimentorum atque chyli ac a deglutitæ continuo ſalivæ parte adhærente magis magisque fermentatione quaſi inducta & tandem halitibus ſubacidis gratisque emiſſis ſtimulare (unde Sylv. *Lib. I. Prax. m. Cap. II.* naturalis famis cauſam primariam exinde exoriri cenſet) atque ipſa contenta inprimis ſpiſſiora facta, fæces & mole gravitate quantitate & qualitate atque calore hunc excluſionis motum pondere ſuo tunicas & præſertim nerveam gravante ac proinde irritante, ſicque ad contractionem ejusmodi inſtigante calidoque vapore blando blande afficiente,

ſollicitare. Per ſe quoque jam conſtat: hunc motum ex diæta liquida per juſcula & potum ordinarium largiorem & ſub motione corporis vigere magis, equitatione ſaltatione præſertim ut & vociferatione cachinno & aſſumtis laxantibus & purgantibus medicamentis ut & animi pathematibus modeſtioribus, lætitia, ira, (de qua ſtypticitatem alvi, ac ſi pharmacum aſſumtum fuiſſet ſolutam refert VALLERIOLA *Lib. II. obſ.* 4. & *Miſcell. N. C. D. II. ann. V. p. 57.* HILDANVS *Cent. VII. obſ. 18.*) qui effectus a commotione bilis potiſſimum deducendus; hinc & ira perciti ſub ſcrobiculo cordis & in latere dextro moleſtum quendam conſtrictionis ſenſum & in ore amaritudinem ordinario perſentiſcunt. Conſtat itidem eundem eſſe in dormientibus & quieſcentibus vitæ ſedentariæ deditis, parciorem potum aſſumentibus, lentiorem &c. Ex præternaturalium magis cauſarum ordine, quædam etiam ſunt quæ ſi non admodum irregulares & violentæ, adjutorio & excitatorio interdum, ſalutari motui periſtaltico, ſingultus & tranſpiratio inſenſibilis per cutem impedita (hac enim continua excretione impedita alvi laxatio inſtituitur major) exemplo eſſe poſſunt, ut alia minoris forte momenti jam taceamus. Nam in œconomia animali non inconſuetum eſt, quod provida natura ex malis & ſonticis cauſis, bonos ſæpius & ſalutares effectus producat: ſic ſpaſmos peſſimos illos corporis animalis afflictores non raro motus ſalutares febriles inſequuntur, ex intenſiori ſanguinis per vaſa circuitu a validiori & celeriori cordis ac arteriarum ſyſtole ſuſcitati, qui a centro ad peripheriam tendunt atque cauſas morbificas earumque mox exinde proficiſcentes malos affectus avertunt, dum humorum copiam imminuunt, ſpiſſitudinem ejus attenuant, & ſtagnationes ſumme verendas auferunt. Sicuti etiam flatus qui ſecundum naturam adeſſe debent, ut modo dictum eſt, motum periſtalticum adjuvant, ita etiam idem de flatibus qui excedunt & præter naturam inteſtina pervagantur, dicendum; incarcerati enim atque compreſſi vi ſua elaſtica duas excrementorum columnas ab invicem removere conantes columnam inferiorem, utpote ſuperiori magis mobilem deorſum pellunt ſicque motum periſtalticum excrementa ejicientem & exterminantem juvant, ut explicat DANIEL TAVVRY in *Anat. nova p. 44.*

§. XV. Proinde motus Ventriculi & Inteſtinorum periſtalticus præſtantiſſimas actiones & uſus utiliſſimos habet, atque multa, varia, egregia, atque inſignia corpori præſtat emolumenta, alia aliis potiora. Primo non abſonum eſt, eum primum, in chylificationis œconomia, motum, in ventriculo, & maxime orificio ſuperiori, ſenſibili admodum, appe-

appetitum ſalivamque movere, ac excitare, fibras contrahendo motrices, nerveæ etiam tunicæ atque maxime ac ſimul eo, ſalinas partes vellicantes in actum ducendo, quo ſuperiori orificio moleſtia infertur, & deſiderium cibi ſpiritibus inprimitur animalibus &c. Hinc in eſurientibus ſtomachus valde in aſperitates contrahitur, contrahentibus ſe perpetuo fibris, usque dum materia quædam adveniat quæ illas dilatet, quam conſtrictionem quadantenus infringendam, famemque fallendam Eraſiſtratus notat: Scythas jejunare neceſſe habentes, ventrem latis faſciis conſtringere. Integro illo, appetitus integer eſt, labefactato hoc, labefactatur ille, ideo etiam ſub aëris ſtatu auſtrino, fibris motricibus ventriculi laxatis, ſenſatio hæc minuitur, atque omnia alia, quæ tonum ventriculi laxant appetitum quoque languidum reddunt, at augetur frigido eo, elaſtico, magisque fibras roborante &c. Aſſumta deinceps ex œſophago ad ventriculum detrudit ibidemque premit, ſubigit, contundit quaſi atque commiſcet auxiliante ſimul muſculorum abdominis per inſpirationem inducta agitatione, qua ſolida, dura, compactiora alimenta emolliuntur & diſcontinuantur eaque comminuta ſoluta atque ſubacta & ex hoc (Ventriculo) ad inteſtina, & per ea, promovet. Ad hoc etiam dum per plicas ea agitat, & partem tunicæ inteſtinalis plicat & replicat, adeo ut reciprocam fluctuationem, per ſeries inteſtinorum reciproce compreſſas & dilatatas, experiantur, ac deinceps elaborati jam una eademque pars chyli, modo ſurſum & ad omnia latera prematur atque conjiciatur & fricetur inter ſe invicem (favente ſimul tranſitus anguſtia) ulterius atterit ea, comminuit, dividit, diſcontinuat, (unde triturantem huncce motum ingenioſiſſimus Pitkarnius ſolvendis aſſumtis ſufficientem agnoſcit). Denuoue ſimul impedit, ne chymus ventriculi parietibus agglutinari poſſit, atque ſolvenda, ſubigenda, attenuanda, digerenda atque emulgenda intimius ſolida & ſicca cum liquidis & humidis, cum menſtruo ventriculi, aliisque acceſſoriis miſcenda, irroranda & diluenda, cogenda atque confundenda ac ut illud per contractiones ſuas reciprocas, ex glandulis quaſi emulgeatur, auxiliatrices quaſi manus porrigit. Inter acceſſoria ejusmodi primarium bilis eſt ex hepate oriunda, quæ tam in ipſo chylificationis negotio ac tempore, quam extra illud indeſinenter per compreſſionem contrahendique virtutem a ſtomacho, (quem ex adverſo poſitum, cum colo inteſtino ſub ipſo jacente, viſcus hoc hepar, in concava ejus parte ipſam veſiculam felleam condens, habet, procedentem) ad duodenum inteſtinum fertur, atque promovetur per hunc ventriculi & inteſtinorum periſtalticum,

cum,

cum, juxta illum motum, qui a diaphragmate atque undique adſtantium viſcerum inducitur. Sicuti chylum e ventriculo expellit, cujus exitum ſimul hepatis motu non nihil juvari nullum dubium, ita & in duodeno ſubbactum jam & bene commixtum ſubtilem & elaboratum chylum deinceps rurſus diſtribuit æqualiter, ut in parietibus totius canalis cibarii viſcidiuſculus non agglutinetur, hinc indeque hæreat, atque ut is non uno in loco, cumulatim congeratur, in alio, haud in mediocre chylificatorii negotii incommodum deficiat, quo per totum chyli iter, is operatur haud ſecus atque ii, qui farcimina infarciunt, ubi contrectando ſenſim inteſtina infarcta, materiam inditam ita diſpertiunt, ut nullibi inæqualis hæreat infarctus. Atque eum non ſolum exprimit, ſed & agitat & quaſſat, eoque ut facilius ſub relaxatione a præcedenti conſtrictione ſic hiantia, aſt anguſta admodum, alioquin oſculis quidem ſuis inteſtinorum interiora verſus vaſa ſubeat, præparat, ut v. g. videmus: aquam ſaponatam, attritione manuum, per linteaminum poros facilius tranſire, eoque opportune iis admovet eum, ut particulæ ejus poris excipientibus obviam fiant, atque filtrat, colat, exprimit, trajicit per tunicæ villoſæ inſenſiles poros, & minutiſſimos tubulos cavos, vario modo ſibi intertextos, (ut optime deſcripſit BRVNNERVS *de gland. inteſt.*) quæ in vaſa lactea abeunt. Unde molliori & liquidiori & puriori materia ſecedente, ſolidiora in inteſtinis craſſis redduntur, ut fæculentia ſic paulo craſſior & exſucca remaneat omnis. Sicque ut ſecretis ſubtilioris atque liquidioris ſolubilis materiæ a craſſa atque utilis ab inutili, quod utrumque commixtum ſub nomine chymi ex ventriculo venit, ſive chyli, (qui omnium humorum laudabilium, materia prima exiſtit) a fæcibus, & proceſſus ad vaſa lactea per meſenterium diſſeminata, (quorum quidem oſcula infinito numero in cavitatem inteſtinorum maxime tenuium hiant, ita ut per inſenſibiles tamen tunicarum interiorum poros chylum recipiant) & per ea ulterius fiat, opitulatur imo urget. qua protruſione ſimul & maxime valvulæ horum vaſorum aperiuntur. Siquidem & certe pellit ipſe motus, vibratione ſua, periſtalticus inteſtinorum ſemel inceptus ſemelque inceptum iter proſequendo, chylum, per vaſa lactea ulterius, ab iis exceptum immo avide pulſione quadam abſorbtum, (adjuvantibus tamen aliis, ut valvuloſa ipſorum lacteorum conformatione & ſtructura quarum accuratam ſatis deſcriptionem Ruyſchius tradidit & diaphragmatis abdominisque muſculis) ad meſenterii glandulas per quas, is attenuatur magis, ubi nimirum motus, quem ab illo acceperunt, & hic novo impetu addito, rurſus aliis ſimul, pulſu arte-

arteriarum mesaraicarum & arteriæ aortæ, vi contractili ipsorum lacteorum vasorum, ut & pulmonum motu cooperantibus) ulterius per viam chyli consuetam (id est in commune receptaculum in quo cum lympha illud transeunte miscetur & hinc dilutum magis per ductum thoracicum tortuosum arctatumque illum tubulum perpendiculariter in homine vigilante adscendentem, in venam subclaviam, ad ipsam massam sanguineam usque tendentem,) adeo ut ab ore ad intimos usque recessus laudabiles & necessarios succos motum hunc ventriculi & intestinorum peristalticum promovere videatur. Difficultas quidem circa chyli vasa lactea ingressum quædam se objicit, quæque multorum ac egregiorum Virorum, ut Pecqueti & Loweri, mentem dubiam torsit, quod nimirum sub hac motus peristaltici contractione, venarum lactearum orificia claudantur, adeoque via, venienti chylo, intercipiatur; sed expedita res est; a systole quidem chylum, ad partes urgeri, sub diastole vero illum in sua vasa & patula, adjuvantibus musculis abdominis, (ut bene, modo laudatus Pecquetus monet) jam intrare. Nec absonum est affirmare, motum huncce, calorem, qui a minimarum particularum & subtilis materiæ motu atque agitatione dependet omnis, etiam ventriculi & intestinorum reliquarumque maxime vicinarum partium & viscerum, excitare, qui & solutioni, distributioni & ejectioni assumtorum inservit, adeoque chylificationem egregie adjuvat, alibique magna emolumenta confert. Hæc & illa sunt quando simul operatur, ut medicamenta assumta, vim suam medicatam, decenter & tempestive, omnibus partibus impertiantur &c. Atque tandem quoniam excretiones partium inutilium, superfluarum & noxiarum æque necessariæ sunt, ad nutritionem, sanitatem & vitam ac congruorum alimentorum ingestiones, statim quoque apparet, quod, ad illorum exclusionem (alimentorum nimirum assumtorum quæ a solutione atque extractione illorum remanent condensandorum decoctorum instar, quæ cum expressione facta, colaturæ residuam, intra filtrum) materiam relinquunt massæ motus intestinorum peristalticus æque necessarius sit, quæ ab ejus conditione dependet. Ex illis noxiis accidentibus, quæ aliunde afferuntur, per motum hunc quoque eliminandis commemorare speciatim habeo, quod terror, timor & ira non raro multas perturbationes, in corporis variis regionibus, vultus ruborem cum pallore alternantem, cordis palpitationem, ventris borborygmos &c. ingerant, qua de re vulgo dicitur: *es ist in Leib geschlagen*, quos motus acceptos, si motus hic intestinorum peristalticus ultra & deorsum versus promoveat, non modo cessat paroxysmus, sed & multa ma-

la simul auferuntur; si intus manserint pericula, sæpe symptomata procreent: cujus rei notabile exemplum in juvene quodam sistit PECHLINVS 3. *obs.* 17. Quo robustior & vegetior hic est, eo citius fæcum exclusio, quod pro sanitate est, expeditur; ut in hoc observatur varia hominum constitutio & differentia: Quo lenis, languidus magis, & placidus est, ut in iis, quibus omnes reliqui motus sunt segniores, quos phlegmaticos, pituitosos vocant & melancholicos, ubi impeditus est, ut in hypochondriacis, & hystericis fœminis, eo lentius etiam & impeditius, hic quoque procedit: Quo fortiores & citatiores vero iidem, quos ii experiuntur, quos cholericos nominares, eo etiam liberius & expeditius agit. Secundum hæc, primaria fere, alia adhuc sunt haud minus tamen proficua, quæ ab illo procedunt. Hic adhuc v. g. recensenda est juxta bilis & succi pancreatici in intestinum duodenum effusio, quam ex his ductibus exprimit, & simul ipsum fellis folliculum, in consensum trahit. Sic etiam facit quoque ad flatulentiam naturalem: Nam quivis fere liquor, sive calidus, sive frigidus, in recipiente ad medietatem usque repleto, fortiter agitatus bullas emittit, & remoto obturamento, aliquid flatus exspirat, vel ut is etiam in liberiori aëre, virgulis frequenter percussis, dat bullulas flatibus plenas. Ab undarum in fluminibus agitatione, levis semper ventus efficitur & præpetitæ, bullas spumamque colligunt. Pariter confert ad impetuosiorum & molestiam creantium flatuum, qui retinentur exclusionem, qui ad excernenda pertinent quoque; Quoniam etiam hi potissimum in colo resident, ligamento nerveo tendinoso ad expulsionem horum, hoc magis animatur, unde carminativa & nervina salia volatilia oleosa, & quæ tonum intestinorum restituunt, & motum peristalticum armant, ad flatus discutiendos multum contribuunt. Deinde experiuntur quoque medentes, in morbis variis, inter quos hydrops primo omnium nominandus est; naturam stimulatam stimulantemque hunc etiam motum, humores peccantes cum euphoria non modo ex arteriis & vasis satis notis, sed & ignotis adhuc, quæ in mortuis evanescunt, (siquidem & plures pori in viventibus vix conspiciuntur) educere & ad intestina promovere, & per alvum cum morbi solutione excernere; cum intestina non modo ad exportandas alvi fæces, sed & totius corporis excernendis, superfluis & inutilibus diversisque generis ac indolis ferment escibilibus, corruptibilibus, acrioribus, causticis, salino sulphureis, acidis biliosis, viscidis mucidisque sint destinata, unde & sæpius vel insensibili forte transpiratione impedita, humores superflui & salino sulphureæ sordes in corporibus

maxime ejusmodi impuris, in massa sanguinea, in venis colliguntur atque turgescunt, & ad vasa mesaraica ac demum ad ipsa intestina atque ad illorum glandulas affatim transferuntur: Quando enim fluxus alvi critici, qui sæpe numero ex varietate cœli, ob transpirationem prohibitam, (quæ tempore vernali & autumnali præsertim accidit) superveniunt, morbos aut præcaventes aut solventes, minime compescendi, qui per motum peristalticum instituuntur & promoventur. Sic infantes ab ipso interdum nativitatis exordio, maxime vero circa dentitionis dein tempora excernunt varia, quæ tamen aliunde derivari nequeunt in intestina, quam ex venis & arteriis, per ductum bilarium & venas mesaraicas, quarum orificia a gracilioribus (intestinis) excipiuntur. Sic etiam variolæ & morbilli nonnunquam intestina corripiunt ac materiam nocentem ibi exterminare sic natura conatur. Pariter subinde experimur, consumtis pulmonibus si nulla per tussim amplius ejectio fiat, (malo quidem omnine) sequi profluvia alvi, morbosque mali moris per sudores non expugnatos in alvi fluxum desinere, quod itidem plerumque lethale est, ut plura modo taceam. Nec plane absonum esse, reor, si dixerim, placidum & æquabilem motum hunc peristalticum ventriculi ad placidum quoque reficientemque somnum (qui viscerum cibus est) facere & capiti & omnium sensum claritatem inferre, quoniam e contrario notum atque perspectum, turbatum ventriculi motum, placidum somnum impedire & inquietudines & jectigationes atque capiti & toti corpori gravitatem inferre. Etenim ciborum corruptela, quæ secundum SANCTORIVM *Sect. IV. aph. 40.* præ omnibus aliis somnum interturbat, tunicam ventriculi nerveam præsertim, cui magnus consensus magnaque communicatio cum universo nervorum systemate intercedit, lacessit, quæ exinde constringitur ultraque ipsa constringit, ex quo constructis excretoriorum meatibus transpiratio sufflaminatur, sicque totum corpus gravius languidiusque evadit.

§. XVI. His commemoratis, fit palam: in motu ventriculi, & intestinorum peristaltico ejusque justo tono ac robore, esse integritatis, sanitatis & vitæ protrahendæ, causas quærendas. In hoc verum robur ventriculi & intestinorum consistit, hoc sane recte se habente, tota œconomia animalis stat inconcussa. Qui hoc eximio naturæ instrumento sat valido præditus est, bene appetit, bene digerit beneque egerit, adeoque perfecte est sanus, atque robusto & athletico habitu conspicuus. Omne enim corporis humani robur in motu solidorum, i. e. in systole & diastole juxta circulum fluidorum, quæ secernunt atque excernunt, consistit, & quo vividiores isti sunt motus progressivi &

excretorii, eo valentior & robustior natura est, & hujus vires, ex aëre & alimentis probe digestis subactisque primam materiam primamque originem sumunt. Tantum quippe ex ejus integritate secundum justam proportionem & æquabilitatem commodum, ad universum corpus redundat, ut pro hujus conditione & statu, seu prospero, seu adverso omnium omnino partium & actionum integritas, & origo dependeat, quæ per eum, & per succum nutritium, quem concedit atque transmittit, nutriuntur, vivunt, constant florentque: Chylificationem enim, quam hic promovet, & moderatur, præcipue, (quanquam non deveniamus eo, ut cum Harvæo, Peyero, Pitkarnio, Leewenhoekio, qui prope in Erasistratis & Asclepiadis sententiam abierunt, totum chylificationis negotium absolvendum ipsi uni & soli adscribamus.) reliquæ actiones in corpore sequuntur omnes: Nam qualis est chylus, talis est sanguis, & qualis sanguis, & humores, tales spiritus, & quales hi, tales etiam sunt, nutritio, motus, sensus, vita & sanitas. Atque eo modo se habet chylificatio, ut si semel vitiata; hæc vitia non facile corrigantur, nam quicquid non corrigitur, in prima coctione, non facile corrigitur in secunda, & tertia. Eapropter etiam ventriculus & intestina, & in illis motus peristalticus præcipue in omni morbo semper sunt spectanda & consulenda. Hinc non inepte ventrem, facultatis naturalis fontem, constituit MESVES *Cap. III. Theor. II.* Hoc convenienter & HIPPOCRATES indicavit: quando ventriculum totius corporis regem appellavit, & quando *Sect. III. Lib. VI. Epidem.* dicit: ventris segnities omnium confusio, vasorumque impuritas. Atque adeo Helmontius hæc commoda, hancque necessitudinem velut quæ ventriculo cum reliquis corporis partibus intercedit, considerans, eo processit, ut sedem ipsæ animæ sensitivæ in ventriculo residere crediderit. Unde etiam canon medicorum nascitur: fundamentum vitæ in sanguine, sanitatis in stomacho consistit. Rursus hoc hic tritum in medicina valet: qui bene ingerit, bene digerit & bene egerit, sanus est. Atque experimur quotidie: læso hoc negotio, totius corporis robur dissolvi, atque motu peristaltico labefactato (quod vitium inter alios misere, paralytici quidam maxime luunt) appetitum perdi, digestionis vim, & facultatem secernendi inutilia, eaque per alvum excernendi, minorem evadere, unde vel paucum vel nullum debitum nutrimentum transmittitur & multarum sordium non modo in prima regione, sed & in ipso sanguine & lympha accumulatio juxta adspasmodica pathemata dispositionem, quæ multis morbis fontem præbent, exsurgit. Etenim exinde non modo chyli lauda-

laudabilis loco, viſcoſæ ſaltem acidæque cruditates, flatus, nauſeam, ructus, alvi obſtipationem producentes, ingeruntur, ſed & ad maſſam ſanguineam tranſeuntes ſubtiles laudabiles ſpirituoſas partes ibi deprimunt, vires nutrimentumque abſumunt, humores craſſos viſcidosque efficiunt, obſtructionibusque hinc inde occaſionem præbent, atque ubi ad caput denuo perveniunt, per cerebrum circulatio difficulter lenteque instituitur, unde ſenſiles functiones in capite turbantur, ac dolores gravativi, vertigo, auditus difficultas, obfuſcatio viſus, memoriæ debilitas, melancholia, ſomnus inquietus aliique peſſimi pediſſequi inſequuntur. Inter innumera propemodum quæ exinde proveniunt mala ac morbificas cauſas, primo loco eſſet nominanda bilis præternaturalis, ſtagnatio, ad quam non modo bilis ſegnities & defectus partium activarum ſalino-ſulphurearum ejusdem, ſed & maxime tonus motusque hic periſtalticus imminutus, multum contribuit. Hinc bilis continuo affluens ſicque ingenti copia cumulata congeſtaque præter modum duodenum inteſtinum diſtendit, ex cujus ſtagnatione inteſtinorum partis diſtentione, multa pathemata propulſantur: Nam quando inteſtinum ſic diſtenditur præter modum non modo tunicæ admodum ſenſiles ægerrime afficiuntur ſed & rami plexus meſenterici tenduntur, nec non vaſis ſanguineis compreſſis, ſanguis circa venæ portæ truncum cum initio arteriæ meſeraicæ, congeritur, ſimulque aliorum humorum corruptorum affluentium ſive ex ventriculo ſive ex maſſa humorum provenientium commixtione atque exinde nata actione & reactione juncta, multæ moleſtiæ & caſus non poſſunt non oriri. Hæ malæ cauſæ, ubi occurrunt fixus in lumborum prima vertebra dolor urens prunæ ad inſtar, anxietas præcordiorum, cardialgia, appetitus proſtratio, anxietates, inquietudines, flatus ructusque moleſtiſſimi, ſomni defectus, virium dejectio, alvi obſtructio vigiliæ, febres varii generis continuæ, lentæ, ardentes, cholericæ, præſertim intermittentes, tertianæ & quandoque icterus, alia plura mala etiam in remotiſſimis corporis partibus perpetuo incidunt. Vix mihi tempero, quin exemplum quoddam, quod mihi occurrit ſubjiciam. Fœmina tenera XXXVI. circiter annorum ſanguineo-cholerica, laute vivens, ſedentariam vitam agens, ſubinde menſium parciorem fluxum, quandoque eorum ſuppreſſionem experta atque de phlogoſibus, cardialgia & dolore fixo circa ſcrobiculum cordis urente & vellicante quandoque ad lipothymiam usque cum ſiti, vix extinguibili appetitu proſtrato, conſtrictionibus faucium, alvi pertinaciſſima obſtructione conqueſta, junctoque flavo fœdoque faciei colore, ad excitandum ciborum appetitum, elixir quoddam ſtomacha-

le ex pharmacopolio petitum, frequenter ante prandium cœnamque assumpsit, ex quo dicta pathemata semper sunt aucta; meliori vero consilio inito per laxantia ex rhabarbaro arcano duplicato, nitro, cremore tartari præscripta, subinde quidem sensibiliter sopita sunt; ast dicta mala recurrebant, vomitorio vero exhibito ex rad. Ipecacuanhæ ℈j. cum stimulo ex tartaro emet. gr. j. penitus ablata sunt. Cujus distentionis notabilia testimonia atque exempla apud Autores occurrunt. Sic legitur apud DIEMERBROECKIVM in *anat. p. 53.* Toties repetitæ anatomicæ sectiones docent hoc intestinum nonnunquam amplitudine insigni præditum reperiri, atque tunc majori a succis fermentantibus acrioribus vitiosis in illum delabentibus, hincque validis inductis effervescentiis a quibus non solum ipsum valde distenditur; verum etiam molesti rugitus, magni dolores, lancinationes, summæque anxietates in viventibus oriuntur. Ita *Miscell. Natur. Curios. Dec. II. ann. 2. p. 86.* referunt: in cachectico quodam vesicam bilariam hepati annexam, bile plane vacuam; intestinum vero duodenum, humore bilioso repletum atque adeo dilatatum fuisse, ut quasi bursam referret, quæ humoris libram ad minimum continere potuisset, cum enim sectione præpropera aperiretur, plusquam dimidium humoris crassioris a flavo nigricantis effusum, & nihilominus in ipso superfuisse 12. amplius cochlearia. Quanta incommoda vel a sola alvi obstructione per paucos saltem dies mox nunc sequuntur? nam caput dolet præcordia premuntur, abdomen dolores tensivi, infestant flatus, & ructus adscendunt, phlogoses angunt, totius corporis gravitas molestat, mens torpescit. Pulchra verba sunt quæ LEONH. FVCHSIVS in hanc rem affert in *Instit. med. Lib. II. Sect. V.* Sunt vero sequentia: *Venter si naturæ beneficio laxus fuerit, id in magnam felicitatis partem est numerandum; Quippe qui alvum a natura apertam habent haud facile morbis corripiuntur, qui contra adstricta sunt alvo, ii perpetuo cum morbis confligantur.* Nec inutilis CELSI observatio est *Lib. V. cap. XII.* uno die alvum fluere pro valetudine est atque etiam pluribus dum febris adsit & intra septimum diem conquiescat; purgatur enim corpus & quod intus hæsurum erat, utiliter effunditur. Etenim consensus, quem etiam aliæ partes cum aliis habent magnum, hic quoque maximus ventriculi & intestinorum cum aliis partibus nervosis, atque adeo cum universo corpore attendendus venit. Si porro attendamus quanta eaque pessima mala ex ventriculo & intestinis a venenis haustis, affectis toti corpori inducantur, res tota extra omnem dubitationem erit posita, quando exinde convulsiones, epilepsia, immanes cephalalgiæ, scotomiæ,

ver-

vertigines molestissimæ, cordis palpitationes, angustiæ præcordiorum, anxietates, summa difficultas spirandi & deglutiendi, inquietudines, partium extremarum, manuum, pedum tremores, & infrigidationes, frigidique sudores, labiorum pallescentia, intumescentia & tremor, oculorum contorsiones & obfuscationes, nasi extenuatio & alia plura pessima symptomata, statim multo agmine se produnt & terrent. Vix habeo ambiguum affirmare, motum hinc ventriculi & intestinorum peristalticum sensim sensimque approximante illo vitæ termino a Deo summo rerum Arbitro, hominibus mortalibus præfixo quoad vigorem debitum imminutum, tandem deficere, illumque describere. Ex his rursum fit palam, medentibus quoque hujus motus considerationem tam ad sanum quam ad morbosum corporis statum cognoscendum, admodum utilem esse & necessariam, siquidem ex fecum alvinarum conditione, copia, colore & modo excernendi vario, indicia ipsis nascuntur, quæ & ipsis & ægrotis apprime proficua esse possunt, quoniam non modo de ipso motu ventriculi & intestinorum peristaltico sed & de alimentorum digestione & chyli elaboratione ac distributione, de humoris biliosi & pituitosi secretione & excretione imo de totius generis nervosi habitudine &c. hariolari possunt.

§. XVII. Si itaque ad tuendam valetudinem, & morbos avertendos, præcavendosque, motus ventriculi & intestinorum peristalticus, adeo salutaris, optandum cuivis est, ut bene semper se habeat atque æquabilis & moderatus conservetur subindeque confortetur. Eapropter evitanda omnia, quæ eum depravare ullo modo possint, sed potius omni studio servandus est salvus atque integer, magnum hoc salutis nostræ præsidium, & exitii quoque certissimus auctor. Depravatur autem atque turbatur, dejicitur & penitus deperditur, dum aut nimis stimulatur ac intenditur atque irregularis fit, adeo ut in uno intestinorum tractu tonus laxior & remissior, in altero vero rigidior & rigorosior sit, hincque flatus in aliqua regione illorum occlusi deprehendantur; aut penitus invertitur, aut nimis debilitatur, relaxatur, ac impeditur. Irritant nimis, & eum exagitant intendunt, convellunt atque invertunt hunc alterumque motum ac tonum cum membranosis & nervosis his partibus ventriculum nimirum & totum intestinorum volumen, nimis acria acida, erodentia, caustica, maligna, venenata, (quæ præ aliis ventriculum & intestina contorquent, mire inflant, inflammant & corrumpunt,) sive ex tumultuantibus, sanguine & humoribus acrioribus, biliosis, scorbuticis, concepta & eo ablegata recrementa, sive ab intus assumtis congesta ac

a prava

a prava digestione & alvi suppressione subacta & ob diuturniorem in ipsis intestinis moram, (cui præsertim anfractus circumvolutiones, speciatim duodeni & coli intestinorum flexuræ ansam dant nidumque ponunt) ac ob infelicem de novo cum aliis ibi confluentibus combinationem & confermentationem, pejora adhuc facta. Concitato hinc in quodam intestinorum tractu, spirituum animalium fluxu irregulari & violento nimis, & provocato sic fibrarum spasmo, (adeo ut irritata non possint bene deorsum versus moveri atque alias partes & materias movere) accedente insuper impedimento, motum ordinarium inhibente, & continuata modo irritatione, aliter vix fieri potest, quin contenta sursum deorsumque per totum intestinorum tractum continuum, versus ferantur, unde anxietates, eructationes, rosiones, ardores, dolores, etiam in remotissimis corporis partibus capite &c. accidunt. Hic, ad antecedens quoddam respicere placet atque de acidis vinis seorsim notare ex quorum diutina ingurgitatione, in viro quodam alias egregio & erudito, continuas alvi dejectiones, debilitates cum torminibus & flatulentiis perpetuis ægre corrigendis, ortas, novi. Ejusmodi esse possunt etiam remedia alioquin adhibita, at præpostere, vomitoria, purgantia drastica, helleborus albus, colocynthis, elaterium, esula, laureola, præsertim gummosa, resinosa ut gummi guttæ, scammonium gialappa quæ diutius ventriculi & intestinorum plicis adhærent, ut & vitrum antimonii, mercurius vitæ, quæ partes elasticas, molles & membranaceas, nerveas, sensiles vicinas æque ac remotas, imo totum non raro nervorum genus continuo vellicant, erodunt, torminibus exinde obortis, hypercatharsi, animi deliquio, mentis turbatione, flatulentia molestissima, convulsionibus & epilepsia subinde concitatis, singultu, strangulationibus faucium, anxietatibus & inquietudinibus, pulsu ad tactum duro atque contracto, totius habitus corporis, constrictione, sudoribus frigidis, alvi obstructione per plures dies insequente, aliisque molestis symptomatibus testibus. De auro (sic dicto, nihil enim de auro participat) fulminante non satis circumspecte adhibito quoque habeo unum & alterum conquerendum: Ab illo enim intestina corrosa esse novi, nam ob ponderositatem suam in plicis ventriculi & intestinorum fixam sedem figit, & a succis forte corrosivis accedentibus corrosivum quoque redditum inhærens lancinat atque corrodit. Dicam ad causam differentiæ purgantium atque eorum diversum effectum, quod in praxi quotidiana observare licet; nimirum ex purgantibus quædam unam præ alia intestinorum regionem afficiunt ibique effectus satis sensibiles edunt, sicut de helebaro nigro

constat,

constat, quod magis intestinum rectum afficiat ibique tenesmos aut vasorum hæmorrhoidalium intumescentiam producat, reliquis autem intestinis nihil molesti sentientibus; colocynthis vero, licet de reliquo validas admodum operationes efficiat, in intestinis tenuibus pauca aut nulla, quando vero ad colon pervenit, tanto graviora tormina atque dolores colicos excitat, a Jalappa rursus tenuia magis quam crassa intestina sensus molestos patiuntur. Nec non alia alium in finem adhibita, minus tuta sunt, quæ corrosivitate prædita sunt ut venerea, vitriolum album, quod præ aliis pro scopo vomitorio adhibito per plures dies ventriculum infirmum, spasmis obnoxium, nauseam & eructationes post se relinquit. Adhæc quotidiana praxis docet, quod quo sæpius in pertinaci alvo incauti purgent, eo magis eam reddant obstructam; sublato nimirum, præter alia, intestinorum muco, necessario pertinacior sequitur alvi obstructio. Mercurius dulcis in pulvere præsertim exhibitus ventriculo ac intestinis firmiter inhærens, tincturæ item & crystalli veneris, & hujus naturæ tincturæ, lunares cœruleæ, saturnus, saccharum saturni, & exinde parata tinctura antiphthisica Grammani in hunc censum veniunt quæ diarrhæam ac vomitum quandoque concitarunt, ut scriptum hinc inde videmus. Siquidem ejusmodi primum nimiam fibrarum crispaturam & spasmum prompte excitant, ex quo denuo extensus nimis, & tonus relaxatus ad motum admodum imbecillis & perditus, ordinario insequitur, raro & difficillime in integrum restituendus. Vix satis enim dici potest, quantum nocumentum huic afferant, hæc imprudenter adhibita, a quibus sibi quisque caveat sedulo. Ex his major adhuc noxa exsurgit (ut ad priora paululum respiciamus) quando incauti etiam practici, qualia exempla hinc inde nota sunt, sub paroxysmis febrium intermittentium, ubi totum genus nervosum præsertim constringitur, sicque per consensum quoque intestinorum canalis afficitur, purgantia propinant, motumque hinc peristalticum pessime lædunt, unde etiam alvus per plures dies ordinario supprimitur. Ex his perspicere licet, in purgantibus exhibendis medicorum gloriam, & ægrotorum salutem consistere, quare caute admodum circa purgantia procedere debet providus medicus, ne circumstantias necessarias negligendo, excessum committat. Temerarium itaque facinus est nunquam permittendum, ubi vulgus, pharmacopolæ, empirici inscii & audaces promiscuum eorum usum adhibent; Hinc laude sua non caret lex, publice Venetiis lata, per quam non licuit cuiquam juniorum medicorum, purgantia scammoniata & similia præscribere, proposita publica

tabula, ut omnibus eſſet cognoſcendi poteſtas, in qua nomina illorum medicorum erant conſignata, quibus tantum liberum ejusmodi purgantia ordinandi. Singularis in hanc obſervatio eſt quam refert WALAEVS *de method. med. p. 124.* globulum ex helleboro confectum fonticulo ad mundificandum impoſitum & vomitus & ſedes moviſſe. Ad hanc perniciem, affectus animi violenti, ut vehemens ira, quæ furor brevis eſt ac ordinario ſævitiam ſuam in ventriculum & inteſtina exercet (unde exinde non raro inflammatio) occaſionem præbent, qui itidem ſpaſmodica contractione agunt. Hic etiam mentio quædam injiciatur: res admodum adverſas & faſtidium creantes, ſalivæ redundantiam, nauſeam, œſophagi ſtricturam, alvi dejectionem, immo vomitum non raro ciere, quo ſeorſim advertere licet, ſalivam concepto faſtidio non tam ex illis ſalivæ fontibus qui in ore continentur, ſed ex ipſa gula aſcendere & eructari. Ex rebus præternaturalibus hic accuſandæ ſunt, ſpasmodicæ & convulſivæ affectiones, quibus præ aliis corporis partibus ventriculus & inteſtina ſubjecta ſunt per contextum quem jam vidimus maxime membranoſum & nervoſum adeoque valde ſenſibilem. Nec mirum tantam ſymptomatum multitudinem tantamque vehementiam exinde accedere, quoniam his partibus ingens conſenſus & conſpiratio per communem nervum, maxime intercoſtalem, octavi paris ejusque ramos plerisque his partibus impertitos, intercedit. Hoc etiam notatu neceſſarium eſt, has partes maxime ſpasmis & convulſionibus depravatas novis ſubinde morboſis ejusmodi motibus, ex levi occaſione eſſe ſubjectas ac obnoxias, atoniæque exinde inductæ reſtitutionem in integrum admodum difficilem, quoniam pedetentim atque paulatim modo adeoque difficile & ſero nimis laudatiſſimæ illæ ſanguinis & fluidiſſimæ partes, tonum ac robur vitale efficientes, ſub valida illa, ſæpiusque ita repetita ſtaminum omnium carneorum nervoſorumque attritione, concuſſione diſſipatæ, reparantur. In harum rerum numero numerantur colica paſſio, dolores ex calculo & ejus motu, ſiquidem vomitus, qui ordinario hunc ſequitur, de ventriculo & inteſtinis in conſenſum tractis teſtatur item teneſmus, inflationes acres, moleſte vexantes & ſæpius ſingultus graves aliosve convulſivos motus ac dolores ægre ferendos concitantes, hypochondriaca affectio atque melancholica, febres quartanæ; Ejusmodi enim ægri ob copioſum imprimis acidum plus juſto appetunt & ingerunt, nimis vero & parcius flatus & ſcybala alvina egerunt, ex quo haud obſcure apparet, in hoc morborum genere motum ventriculi & inteſtinorum periſtalticum eſſe deſtructum, eſſe ad

ſupe-

ſuperiora potius in verſo præternaturalique ordine converſum, hinc & inflatus & eructationes ſurſum feruntur. Notabile etiam eſt ante acceſſionem podagræ, febrium intermittentium tertianarum & quartanarum præſertim & lymphaticarum, coryzæ & id genus, ſtomachum primum affici ac agitari agitationemque hanc ad caput usque urgeri, appetitum ciborum augeri, auctique ſimulque motus ventriculi periſtaltici indicium indicari, languido licet corpore, atque non ſine ſubſequente incommodo ob ſerum acre per tranſpirationem impeditam retentum intusque converſum alvumque clauſam, quippe & ordinario & ſpasmus quidam & contractio cutis ejusque pororum cum modo illo nominato ſymptomate tales morbos præcedunt. Porro hic nominandi vermes & lumbrici inteſtinales, alvi obſtructio, fæces induratæ (exinde enim facile iliaca paſſio accidere poteſt) ut & hernia, inteſtini recti prolapſus, humores bilioſi, acidi, eructationibus ejusmodi teſtibus, & corrupti acres tam in ipſo ventriculi & inteſtinorum canali producti & ſtabulantes, quam aliunde advecti, qui nonnunquam poſt febres hic deponuntur, qua de cauſa exortam iliacam paſſionem veram celeberrimus Sydenhamius nominat, item tumores, inflammationes, continui ſolutiones, vulnera maxime capitis & meningum cerebri puncturæ, exulcerationes ſphacelus, ab adſpectu rei ingratæ aut tetro odore naribus hauſto nauſea, quam vomitus ſive motus ventriculi periſtaltici inverſio inſequitur, imo perverſa ſaltim phantaſiæ actio, quæ varie alienum & perverſum quoque ventriculo & inteſtinis imprimit motum. Porro dicendum eſt hunc motum in fame augeri appetitu aucto & borborygmis teſtantibus contractisque & anguſtatis ventriculo & inteſtinis. Addo idem in convaleſcentibus accidere. Ex hac irritatione & conſtrictione ſive ſpasmodica contractione varii caſus, variaque pericula proveniunt, ventriculi & inteſtinorum maxime, ilei & coli corrugatio, anguſtia, ex qua eorum debilitas perpetua manet, vid. FOREST. *Lib. XVIII. obſerv. 25.* alvi obſtructio, in qua potiſſimum non tam materia, quam motus peccat, pertinaciſſimum malum hypochondriacum & hyſtericum, flatus concluſi ſurſumque adacti ventriculum expandentes conſtrictionesque dolorificas per conſequens in gula, collo, pectore, dorſo atque ſcapulis (conſtrictis membranis dorſi vertebras cingentibus, variisque ligamentis, quibus œſophagus cum his partibus connectitur) capite aliisque efficientes ſicque anguſtias præcordiorum, cardialgiam, ſcotomiam, obſtructiones pluraque alia mala procreantes, nec non urinæ effluxus aut dolorificus aut admodum difficilis, aut penitus interceptus, bilis ad inteſtina de-

ſcenſus impeditus, unde deinceps icterus, convulſiones, inflammationes, imo ſphaceloſæ corruptiones atque diarrhœa dyſenteria ſæpiſſime atque quandoque lienteria proveniunt. In quibus exagitatur & accceleratur nimis, rapidior & impetuoſior redditur, & hinc copioſas ſimul, frequentesque dejectiones facit, ſecundum equidem in his ſuum conſuetum ordinem ſuamque conſuetam viam i. e. a ventriculo ad inteſtina, & exinde, œconomiam animalis chylificationis notabiliter lædit & periculoſe, imo periculoſiſſime afficit. Major autem ataxia, majorque impetus eſt, majusque periculum, ſi contra conſuetum ordinem, contraque ordinatam viam, tanquam equus effrenis fertur, quin invertitur & pervertitur cum violenta fibrarum conſtrictione antiperiſtalticus hinc inde appellatus, ut in vomitu, in quo impetuoſus, violentus & vehemens admodum eſt, in cholerica paſſione vehementius irritatus, atque iratus, ubi perplexa quaſi ſeditione tumultuatur, atque indomita undique verſum, ſurſum deorſumque mobili impetu ruit & furioſo: atque omnis generis fluores corporis humani laudabiles & illaudabiles, & qui tam per ventriculum & inteſtina excerni ſolent, quam etiam qui ab aliis organis procedunt & per ductus bilarios, per veſicam urinariam, imo per ſudores per glandulas cutis excretorias, fluunt eoque perverſe advertuntur: Sub tali enim commotione etiam tranſpirationes ſenſibiles & inſenſibiles ſiſtuntur & ſerum aliorſum & ad inteſtinorum usque canalem avocatur. Pariter videmus, in vomitu concitatiori, bilem motu etiam inverſo ad ipſam maſſam ſanguineam regurgitare & tum icterum tum humorum craſin temperatam atque laudabilem, corrumpere atque deſtruere. Rurſus uti a ſpaſmo in remotis partibus exiſtente v. gr. in calculo vomitum inferente perverſe adficitur, ita ex hac irritatione, harumque partiumque dolore & motu convulſivo ad longe remotas partes ad caput & pectus atque ad pedes tale vitium procedit, & ibi quandoque non modo cardialgias & ſummas præcordiorum anxietates, ſed & dolores arthriticos, vertiginem, epilepſiam, hic convulſiones & tractiones inducit, ut plurimæ ſubinde obſervationes nos commonefaciunt, mutuam eſſe conſpirationem fibrarum & membranarum, qua motus vitiatos & præternaturales invicem communicant, per miram illam totius nervorum & membranarum ſyſtematis connexionem, quod non aliter fieri aſſolet, ac in chordis tentis, ubi fibrilla una pulſa altera quoque movetur. Vehementiſſimus vero conſpicitur in iliaca paſſione, præſertim ubi hæc cum hernia incarcerata eſt ſtipata ubi, ad extremam perniciem res ſpectat, ut plurimum omnis & extremis inteſtinis ob-

ſtructis

ſtructis obſcœna, contenta, per ſuperius guttur, cum violentia ejiciuntur. Quoniam vero ejusmodi motuum licet ſymptomaticorum is eſt qui ab intericribus ad exteriora tendunt, utpote qui naturæ non adeo infenſi ſunt ac illi, qui contrario niſu male feruntur, quia illi materiam quoque peccantem & excernendam foras ſimul excernunt adeoque utiles haud raro dicuntur, modo apparet quod & de hoc, hac ratione in comparatione aliarum talium venit notandum. Siquidem & alibi videmus motum periſtalticum reciproca ſua contractione & dilatatione in variis canalibus excretoriis, in corpore humano inveniendis, juſto nimis auctum concitatumque excretiones cum euphoria ſubſequente, per vias urinarias, per ductus biliarios, per vaſa ſalivalia, imo per tranſpirationem quandoque promovere atque augere.

§. XVIII. Præpediunt e contrario eum, deprimunt, inhibent modo in univerſo inteſtinorum canali, modo in hoc, modo in illo inteſtino ſaltem debilitant & relaxant, conturbant, aut tandem penitus aboliunt, relaxatis nimis fibris motricibus, omnia quæ dejiciunt vires, narcotica, opiata incaute & præter modum aſſumta, quæ & a calore & humido diſſoluta, vaporoſitate, quam maxime poſſident ſua, ipſarum, atque adeo membranarum & nervorum poros ingrediuntur, incolasque illorum, ſpiritus animales ligant, tonumque & motum exinde dependentem impediunt & ſufflaminant, hincque ſenſationem & motionem ventriculi & inteſtinorum periſtalticum quoque languidiorem reddunt, quemadmodum Williſius ab opiatorum nimirum nimio uſu ventriculi abolitam digeſtionem omnimodam commemorat. E contrario rurſum, eadem interdum nauſeam imo vomitum concitant ut obſervationes quædam ferunt. Præpediunt item eum, diuretica nimia, quæ humidum neceſſarium per urinam evehunt, item crapulæ frequentes, nimiæ cibi potusque, vini imprimis aduſti, ingeſtiones, & ingluvies ac celeriter affatim & magna cum aviditate alimentorum copia ingeſta ac hauſta, a quibus nimis diſtenduntur & laxantur inteſtina: Ob nimiam enim ingeſtorum, præſertim non bene maſticatorum copiam vix quoque prompte contrahi poſſunt, atque ſyſtalticus motus ſic impeditus, totusque motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, qui liber ſemper debet eſſe, quaſi ligatur atque deprimitur, & chyli exitus difficilior fit, & labore plenus: Hinc in ſtrenue & aſſidue potantibus atque gulonibus, non raro, ita extenditur ventriculus, ut contrahi & corrugari amplius non poſſit, ſed extenſus atque extenuatus, anorexias & debilitates parit perennes, quod vitium in mulieribus quibusdam quæ vitæ dulcedinem

quandam fibi comparare confueverunt, ex abufu infufi ac decocti theæ & caffee notavit Præfes. Hincque ii quibus nimia cruditas ventriculi robur periftalticum gravat de ponderis inftar ftomachum premente dolore & vigiliis involuntariis conqueruntur, & mifero afpectu faciei confœdati apparent. Monendi hic atque hortandi funt omnes quibus curæ eft ipforum fanitas, ne forte fub alvo adftricta, vel fegnius procedente, nimia fatietate ventriculum obruant, quoniam enim motus periftalticus impeditus non poteft hanc maffam promovere, in inteftinis fubfiftit, ab aliisque humoribus ex fanguine accedentibus corrumpitur. Præfertim dictum hoc fit nutricibus, ne, tenellis nimia lactis & pultis copia, ut ordinario fit, multas moleftias contrahant, ac eos ventriculi inflationibus, ructibus, febribus, convulfionibus &c. obnoxios reddant. Ut nimia affumta vifcera ultra modum expandunt, ita pauciora nimis eadem veluti corrugando in culpa funt, fiquidem diuturniorem inediam, apepfiam intuliffe, exempla plura loquuntur. Maxime præterea texturæ ventriculi & inteftinorum in plethoricis & fenfibilioris naturæ hominibus, & tenerioris conftitutionis, fœminis, adverfus eft potus matutinus, nimis frigidus isque copiofus tam extra menfam quam in ea affumptus & quando glacie alteratum vinum potant ac ut pulchre Plinius loquitur montium pœnas in gulæ delitias vertunt, nervofis enim omnibus partibus omne frigus nocentiffimum eft; nam rigiditatem iisdem inducit, fanguinis & lymphæ per has partes liberum tranfitum impedit ficque cardialgiam inflammationem, colicam, dyfenteriam, iliacam paffionem efficit, qualia exempla ab AETIO vid. *Tetr. III. ferm. Lib. XXVIII.* BORELLO *cent. III. obf. 2.* RHODIO *cent. II. obf. 71. mifcell. N. curiof. an. 7. obf. 73.* peti poffunt. Abacidularum aliarumque aquarum mineralium foteriarum, frigidarum improvido hauftu in fœminis nervofis ventriculi & inteftinorum partibus læfis fibrisque illorum inconvenienter contractis atque præfertim motu periftaltico notabiliter debilitato multas variasque noxas hinc inde notavi. Gravis porro noxa propofita eft, affumtis ficcioribus nimis, durioribus toftis, humores infpiffantibus infarctum canalium efficientibus & bilis efficaciam deterfivam infringentibus, acidis, craffis nimium, refrigerantibus alimentis in prima præfertim menfa ingeftis, aufteris nimis atque acerbis, glutinantibus, vifcidis, mucidis ut funt panis nimis durus, bis coctus, fpiræ, ova dura, pultes ex milio coctæ, caftaneæ, mala cotonea, mefpila, ribes berberes, acetum, radix biftortæ, terra catechu, vina rubra adftringentia, pontac. vin de grave &c. ut & remediis & medicamentis improvide propinatis figentibus & ftrin-

ſtringentibus v. gr. ex alumine, marte, plumbo, vitriolo paratis, rad. tormentillæ, cortice peruviano, in febribus præter rationem uſurpato, actionem fibrarum impedientibus, ut & pulveribus terreo & terreo ſalinis, in febribus biliofis ardentibus & hecticis nimiis ingeſtis & non diſſolutis diu inhærentibus; cum potu parciori inprimis fermenteſcente, aceſcente itemque fæcum deſcenſum magnopere retardante. Nec dulcia nimia aſſumta ut inſontia in hac conſideratione dimittenda ſunt, quæ non modo humores viſcidos & glutinoſos reddunt ſed & atoniam ventriculo & inteſtinis inferunt, hinc ex nimio eorum uſu ventriculi gravitatem & alvum nimis relaxatam manifeſte experiuntur ii qui talia nimia in quantitate & ſæpius nimis aſſumſerunt. Ex animi pathematibus, quæ tam fluidorum quam ſolidorum motus ita & ventriculi & inteſtinorum mire turbant, hanc labem minantur diturnus mœror, triſtitia, ut & intenſa deſideria, cupiditates, clandeſtinum amoris deſiderium inquietæ cogitationes omnesque vehementes mentis agitationes, anxiæ & diuturnæ curæ, meditationes profundiores animum fatigantes, quare literati ſtudiis ſeverioribus dediti, de pravata ciborum digeſtione & alvina egeſtione impedita ordinario laborant, unde & literatos ſtypticos eſſe dicitur. Ex reliquis indifferentibus, quies & ſomnus immodicus, atque immodica corporis exercitia multifariæque corporis defatigationes aër humidus, auſtrinus, vigorem imminuens, adducendi veniunt, nec non frigidus quatenus is ut cuncta actu frigida, ut paulo ante, dictum eſt, fibras rigidas & ſtupidas reddunt, humores circulantes & transfluentes condenſant & figunt imo quoque ſpirituum animalium acceſſionem morantur. Exceſſive vero calidus aër valde elaſticus ſic redditus etiam non modo papillarum nervearum in partibus tonum & hinc ſenſum ſed ipſas etiam partium fibras earumque actiones perdit expandendo nimis diſtendendoque ideoque relaxando atque debilitando, ut experiuntur ii qui ad tonum parti reddendum calorem adhibent, aſt fine ſuo fruſtrantur, imo malum pejus reddunt. Inter excreta & retenta tum ſanguis & quæ per eandem ſæpe cum eo viam impuritates per menſes, lochia & hæmorrhoides conſuetas excernendas tum excrementa ex inteſtinis rejicienda ſi retinentur, chylificationis negotium adeoque & motum hunc periſtalticum impediunt, quod vel indicat appetitus proſtratus cum his cauſis ordinario fere conjunctus. His accenſenda mala ea, quorundam hominum præſertim ex ſexu ſequiori conſuetudo, qua ex quavis etiam ratione id fiat, alvum egeſtiones ſuas moventem niſu atque retentione retardant atque impediunt, ſicque inverſum hunc

mo-

motum efficiunt atque per consequens ventrem ad plenariam obstructionem disponunt. Idem quoque dicendum venit, de flatuum coacta retentione. Hinc notamus, quod FERNELIVS *VI. Path. X.* refert, eum sæpius observasse, in eorum qui flatus retinuerunt cadaveribus, quod intestinum nec tum adeo extensum fuerit, ut brachii amplitudinem æquaret: cujus retentionis noxam perpendens Claudius Cæsar R. ut SVETONIVS *in ejus vita* recenset, lege cavit, ne quispiam in consortiis & epulis flatus cohiberet. Idem CICERO *IX. Epist. ad Famil.* monet, crepitus ventris æque ac stomachi ructus sit emittendus. Nec prætermittendum illud Galenicum: abstinentia veneris facit stomachum robustissimum, sicut nimius illius usus imbecillimum. Ex rebus præternaturalibus sequentes nominentur, flatus, latera intestinorum præter naturam distententes, affluxus spirituum animalium impeditus, paralysis ventriculi & intestinorum, spasmodicæ contractiones in ipsorum substantia enatæ, aut aliunde & ex longinquo quandoque v. g. ex podagrico recremento intus detento (appetitus enim tunc languet) asthmate spasmodico atque adeo ex atroci capitis & dentium dolore sub his enim solutio ciborum & digestio ventriculi turbatur & inappetentia ingruit) per consensum delatæ, ab hernia compressio, fæces induratæ, copiosius cumulatæ, bilis inertia, aut ejus succi pancreatici accessus denegatus, pituita tenax intestinorum lateribus adhærens ac insensibilitatem magnam; imo maximam inducens, sphacelus post tumores, vulnerationes & exulcerationes parietum intestinalium ut & tumores mesenterii hepatis, lienis intestina contrahentes flatus cum excrementis remorantes, cardialgias enormes doloresque inferentes causamque tardioris alvi præbentes. Dicendum quoque est de doloribus qui universi corporis tortores existunt, etiam alicubi excruciantes quod & ventriculum & intestina per consensum molestissime afficiant, vim motricem & peristalticum motum labefactent & alimentorum digestionem in sua officina impediant & excrementorum egestionem retardent. Quo simul intelligitur, in omni graviori dolore cibi vinique abstinentiam utilissimam esse. Juxta hos referatur & intestinorum coalitio, adstrictio & coarctatio; Siquidem adeo interdum non solum orificia ventriculi & intestina possunt coarctari, ut nec vapor, nec flatus queant exire, quem affectum Petrus Salius Diversus solum Aetium descripsisse autumat. Similes fere casus FERNEL. *Lib. VIII. de part. morb. & sympt. C. IX.* MARCELLVS DONATVS *Lib. III. P. II. sect. II.* F. GLISSON *de ventricul. & intestin. p. 469.* retulerunt. Ejusmodi quoque intestinorum marcescentiam Re-

nal-

naldus Columbus celebris ille anatomicus in Ignatio Lojola vidit. Quod angustia præternaturalis intestinorum ingerit vitium illud etiam a nimia eorum magnitudine & extensione exspectandum qua quandoque secundum totam substantiam illorum magnitudo augetur ut v. gr. in inflammatione vel a flatibus præter modum expandentibus ea: quemadmodum exemplum a FERNELIO datum est vid. ejusdem *Lib. VI. de part. morb. & sympt. C. X.* Sicuti cacochymia motui ventriculi & intestinorum impedimento est, ita & plethora, quæ oblentiorem circulationem, quæ eam sequitur sanguis spissior, viscidior & gravior fit, sicque in tubulis & canalibus ejus uti ubique, ita etiam in ventriculi & intestinorum vasis moratus, partim regurgitationem partim stagnationem inducit ibi eaque distendit ac premit, ex quo motus eorum peristalticus depravatur atque turbatur ac præpeditur, unde digestio læditur, multæque cruditates generantur. Ad hæc scire licet, ubi hic motus peristalticus in ventriculo & in primo maxime intestino duodeno nimirum præpeditus fuerit, in reliquis quoque mox deficere eum. Ad quam defectionem ibi etiam præsertim bilis aut inertia, aut obstructio suum quoque symbolum confert. Impeditur vero adhuc frequentius & fortius in colo intestino, quod ob conformationem valvulosam & copiosis validisque carneis circularibus motricibus fibris instructam atque ob varias flexuras fortissimam stricturam patitur. Amplius scire licet vitium ex tono robore & motu intestinorum læso enatum, ubi non debitis remediis & mature corrigitur, vix aut nunquam illud corrigi, ac licet motus impetuosi quandoque supprimantur, recidivæ tamen subinde accedunt, atque ejusmodi affectus spasmodici & flatulenti per totam sæpe vitam affligunt. Vitium & atoniam ventriculi & intestinorum inductam sequuntur plures morbi chronici & pertinaces: apepsia, bradypepsia, alvi obstructio, flatulentiæ molestissimæ & in flexuris intestinorum detentæ ac tantum non incarceratæ eorumque in se veluti arietantium volutio ac revolutio, quæ sonora illa, murmura edunt, tympanites ac malum hypochondriacum spasmis & flatulentiis plenum, imo melancholia ipsa hypochondriaca, atque scorbutus, somnus inquietus, capitis & totius corporis gravitas & languor, perspiratio imminuta, diarrhoea hæmorrhoides & menses suppressi, vomitus cruentus & morbus niger Hippocratis ex congestione sanguinis & apertis nimirum brevibus vasis. Singularem ejusmodi observationem COWPERVS, Anglus in *anat. corporis humani tab. 34.* habet, ad impedito hoc motu peristaltico intestina a pyloro ad anum usque infarcta fæcibus, ac multis in

locis inflammata fuisse atque tenuia adeo invicem coalita ut cerebrum quasi pia matre tectum repræsentarint. Hic & cogitatio memoriam subit quod si in parte aliqua intestinorum p. n. affecta motus peristalticus, systalticus ut continuari ad exitum usque nequeat, tuncque pariter invertatur. Interdum & ita vitiatur hic motus, ut intestina mox spasmo, mox atonia affici appareat, quod fit quando alvus per aliquod tempus est suppressa atque adstricta & mox iterum aliquandiu uberius fluit. His addimus observationem de mutato alio modo motu hoc peristaltico, quam affert BAGLIVIUS *de fibra motr. Lib. I. p. 313.* vidit nimirum in cadavere horrendis motibus convulsivis cujusdam demortui, intestina summopere laxa & flaccida atque nimium plicata in suis naturalibus gyris turbata.

§. XIX. Tuentur vero eum atque custodiunt juvant confortant & solicitant atque æqualiter distribuunt, ne scilicet in una regione intestinorum fortior in altera debilior sit, & labascentem erigunt augentque omnia ea, quæ justum robur & tonum fibris motricibus addunt, stabiliunt, conservant easque ad contractionem armant, quæ blando stimulo vellicant ac proritant, quæ justum spirituum animalium affluxum in eas procurant. Ejusmodi sunt & quidem ex rebus indifferentibus, aër serenus, tenuis, siccus, frigidior potius quam calidior nimis, tepidus & humidus, quoniam hic destruit, ille erigit vim fibrarum carnearum comprimentem, ut illo tempore majus est omnium musculorum robur, unde hyeme & frigido Jove melius chylificationem succedere dicitur, atque appetitum magis vigere & ingestiones alimentorum, digestiones, egestiones excernendorum fortius institui experimur. Inter cibos laudantur viliores potius quam delicatiores, & qui excrementa plura quam pauciora relinquunt, quales vegetabilia sunt, atque assati magis quam elixi, duriusculi magis quam emolliti nimis teneriores & viscidi, iique, qui sale communi & aromatibus bene sunt conditi carnes, aceto aut sale confectæ, fumo induratæ (utpote quæ & fermentum, quod vocant, quoddam acrius atque fortius, quod ejusmodi cibis, difficilioris etiam digestionis si porro assumantur resolvendis atque digerendis idoneum relinqui videtur) Hinc BARTHOLINUS scribit: *Cent. IV. Hist. XXXIX. p. 318: se vidisse ventriculos debiles, cibis facilioris coctionis læsos, sed duriores solitos, fumoque induratos sine noxa assumsisse*, & SENNERTUS *in Paralip. ad instit. Lib. IV. P. I. C. I.) Cap. IX. p. 54: Nonnulli carnes bubulas fumo induratas, pisces exsiccatos optime coquunt & digerunt, qui si vitulinas vel agninas carnes vel ova sorbilia comedant, ea omnia potius corrumpunt &c.* panis item grassior qui subtiles furfures commixtos habet abstergentes viamque veloci-

locitati egressus præbentes ut & juscula, quæ cum furfuribus aliquibus in locis parari solent. Tales jam HIPPOCRATES commendare videtur quando *Lib. II. sect. IV.* scribit, panem ex farina integra, non excussa alvum subducere; purum vero minus sed magis illam constipare. Porro ejusmodi fermentescibilia, mellita, saccharata moderato usu adhibita, quæ motus peristaltici exercitium augent. Illudque facilitant lenientia & laxantia, emollientia præsertim in prima mensa assumta, ut pruna damascena cocta, passulæ minores, butyrum recens, juscula pinguia. Conducunt ex potuum generibus frigida potius quam frequenter tepida, vinum & illud medicatum compositum cydoniatum absinthiacum, juniperinum &c. Commendantur motiones corporis convenienter institutæ, inprimis equitatio, tornatio, ambulatio, scalarum ascensio, in lecto circumvolutio, quod motionis genus in pertinacissima etiam alvi obstructione, magno remedio est. Huc trahere liceat, quod pro stabiliendo non modo, sed & restituendo motu hoc peristaltico, ambulationem nudis pedibus super stratum lapideum maxime commendet Brassavola. Proficua quoque sunt infusa & decocta ex herbis, floribus, lignis, radicibus, seminibusve roborantibus & aromaticis: hb. veronicæ, serpil. calaminth, salviæ, majoran. summit. millefolii fl. rorismar. chamomillæ, rosarum rd. sassaparill. lign. sassafras, santal. rub. lign. aloes cort. chin. chacarill. rad. aronis pimpinel. sem. anisi. fœnicul. infusa & decocta thee, coffee, chocolatæ, fumus tabaci jejuno præsertim ventriculo exceptus, & præ his thermæ & acidulæ atque aliæ minerales soteriæ aquæ, spirituoso & salino principio maxime nobilitatæ, quæ simul & quantitate & qualitate sua, hunc motum exercent, turbatumque restituunt. Remedia ea huc faciunt, quæ vires corpori addunt & confortant, aut languidiorem motum blande stimulant, restituunt ac conservant, fibrisque languentibus tonum & robur addunt, confortantia sic dicta & cordialia atque carminativa stomachica, nervina, roborantia, ut & aperientia, resolventia, incidentia, quæ pituitam & mucum, qui obstaculo est, attenuant ac removent, subadstringentia quæ in quovis fere, paucis exceptis, ventriculi & intestinorum affectuum eapropter conveniunt, docente etiam GALENO *de composit. pharmacop. sec. loc. Lib. VIII. cap.* terra sigillat. siles. lemnia, martialia, limatura martis &c. tinctura martis aperitiva, tinctura victrioli martis Zwelfferi. Ad priorem classem magis pertinent, quæ subtili oleoso, aromatico & salino volatili, resinoso, tenui & gummoso principio prædita sunt, & spirituosa, balsamica, balsam. peruv. de Copaiva, de Tolu, de Meccha,

& ex illis paratæ tincturæ & essentiæ, inprimis balsam. vitæ Hoffmanni, myrrhata, terebinthinata, quibus abstergendi ventriculum & nervosis partibus robur addendi inprimis vis est atque castoreata, succinata, tartarea, crocata, ambrata, cinnabarina, nec non camphorata, essentiæ & spiritus vegetabilium, ut enulæ, menthæ, absinthii rosarum, fl. sambuci, lilior. convall. spiritus mastichin. salia volatilia oleosa, &c. e. g. sal volatile oleosum Sylvii. Hæc quandoque & imprimis inter pastum assumi possunt. Ad eosdem scopos valent confect. alkermes, completa & incompleta, spiritus sic dictus regius Michaëlis, ex spir. rosar. salis dulc. cum moscho, ambra & confect. alkermes, aqua carminativa Dornkreilii, Wedelii, ex rad. pimpinell. gentian. rubr. ari, cort. canell. alb. sassafras, citri aurant. Winterano africano chacaril. nuce moschata indica, pipere, zingibere, caryophyll. chamomill. roman. & vulgar. calam. aromat. galanga parata officinalia pharmaca. Salina fixa blanda cum terreo-salinis, nitrum antimoniatum, sal ammoniacum, sal Glauberi cum sale epsoniensi, arcan duplicatum tartarus vitriolatus, liquor terræ foliat. tartari, tinctura tartari simplex & composita, tinctura antimonii, essent. cort. aurantiorum centaur. min. elixir. propr. Paracelsi, pulv. cachect. quercetan. pulv. stomachal. Birckmanni & similia composita elixir vitrioli Mynsichti, spiritus nitri dulc. tinct. corallior. &c. his accensentur. E re porro sunt extracta herbar. scordii, carduibenedicti &c. sub forma pilularum alterantium adhibita, ut & pilulæ aloëticæ & laxantes, item ex manna & rhabarbaro, aloe similibusque lenioribus parata laxantia, pilulæ Beccherian. Stahlianæ polychrestæ Hoffmannianæ. Nec externa ex oleosis, balsamicis, aromaticis, spirituosis & similibus sub varia forma varioque modo applicata atque illinita abdomini nec non spinæ dorsi ex adverso oris stomachi ut & clysteribus injecta (quæ speciatim intestinis crassis prospiciunt) hic non de nihilo sunt immo odorata saltem ventriculum ejusque motum blande & utiliter afficiunt & recreant, ut e contrario patet ex fœtidis quæ statim nauseam & vomendi conatum inducunt. Præservant magis hunc motum ventriculi & intestinorum peristalticum a noxis mox infestantibus cruditates collectas stabulantesque removendo & congrua laxantia sive intus assumta sive exterius umbilico & plantis pedum applicata atque lenia emetica. Has vero sordes vel ante evacuantia vel post ea reliquias nimirum temperantia adhibita alterantia, absorbentia, præcipitantia digestiva &c. corrigunt & præparant. Necnon venæ sectio certo tempore & sub statu plethorico admissa, ne ab eo tunicæ ventriculi & intestinorum graventur, & sic

ſic motus hic periſtalticus impediatur, adjumento eſſe poteſt. Hinc per experientiam quoque conſtat alvum clauſam exinde fuiſſe ſolutam. Si forte ventriculi & inteſtinorum fibræ rigidæ vaſaque coarctata ſubſunt a ſpaſmorum rigore ſic contaminatæ demulcentia, oleoſa, pinguia etiam in majori quantitate aſſumta, ut oleum amygdal. dulcium, olivarum, & id genus potius e re erunt. Atque ſic expoſuimus, quam breviſſime potuimus, motum ventriculi & inteſtinorum periſtalticum. Ipſam therepiam motus ventriculi & inteſtinorum periſtaltici perverſi, irritati & deficientis, alia occaſione Deo volente, explicatius tractabimus.

❀ ❀

XI.

DISSERTATIO MEDICA DE TVNICA INTESTINORVM VILLOSA, PLVRIMORVM MORBORVM FOCO, ILLORVMQVE IMMEDIATO CVRATIONIS SVBJECTO.

PROOEMIVM.

HAbet PLVTARCHVS, *in Conviv. Sapient.* Ægyptios quondam demortuos homines eorum cadavera ad condituram eviſcerantes diſſecto ventre ſoli expoſuiſſe, extis in profluentem aut in mare projectis, quibus a cadaveribus ſejunctis atque longe remotis, ut valde impuris, pura ea jam atque exequiis idonea dignaque exiſtimabant ſimulque precabantur, veniam dii darent ſi quid his partibus nimia ſcilicet ciborum intemperantia eſſet peccatum. Phyſiologis, Anatomicis & imprimis Medicis, qui aut valetudinis ſuæ rationem habent, aut quibus etiam curæ cordique eſſe debet ægrotantium ſalus, haud eadem mens atque intentio eſt, aut certe eſſe non debet, minime cum inteſtina tanquam abjecta, ut ajunt, abjectis relinquenda ſint, ſed curatius luſtrationi utili pariter atque jucundæ hæ adeo nobiles adeo neceſſariæ ſine quibus vita deficeret vel vitæ delicium adeoque mirandæ quod ge-

nerationem præſertim & ſtructuram atque adeo præſtantes quoad actiones & uſus, noſtri corporis partes veniant exponendæ, quoniam ſingulæ ſingulas easque curatas bene expoſitiones poſtulant, quæ tam ſtatum naturalem quam etiam præternaturalem commonſtrant, & partem mandantem, cauſas & generationem morborum explanant, a quibus ad ſalutem via gradusque eſt. Potius igitur imitentur veterum Romanorum Haruſpicum genus, quod mactatorum animalium exta diligentiſſime inſpexit, atque eſt ſcrutatum, ut futura tam bona quam mala, cœca licet ſuperſtitione motum, prænoſceret. Quod divinationis genus extiſpicinam vocabant, de quo CICERO, a quo romana eloquentia extitit, eſt inprimis videndus *Lib. I. de divinat.* Etenim inteſtina maximæ ipſis erant conſiderationis, eam præſertim ob cauſam, quoniam credebant has corporis animalis partes a Diis aut Dæmonibus animari atque moveri, unde TIBVLLVS ait:

Tuque regis ſortes, per te præſentit haruſpex
Lubrica ſignavit cum Deus exta notis.

& STATIVS *Thebaid. Lib. IV.*

- - *Et in nullis ſpirat.*
Deus integer extis.

Similiter LVCANVS hæc habet *Lib. I.*

- - *Cæſique in viſcera tauri*
Inferni venere dii.

Hinc & eadem (exta) in altam aram tranſportabant in infima relictis victimæ reliquis partibus, de quo conferendus SOLINVS *Cap. IX.* Atque adeo cibum ſacrum eadem nominabant ipſis Diis dicatum. Permagnæ ideo laudi ducitur (ut ad inſtitutum redeamus) omnibus illis Præcellentibus ingenio Viris, qui præclare de publico meriti ſunt atque corporum diſſectionibus accurate cum Herophilo vacaverunt & in homine, hominem quæſiverunt & in his præſertim præclara mentis acie adjuti, egregiam, alacrem & curioſam operam collocarunt, atque inveſtigationem, ipſam magis naturam, quam opinionem ſuam, ducem ſecuti, ſuſceperunt, ac res has ipſas deliteſcentes intus atque abſtruſas & multis alias dubitationibus impeditas magno artis ſalutaris incremento evolverunt. Inter quos Euſtachius, Varolius, Sal. Albertus, Picolhomineus, Fallopius, Aſellius, Bauhinus, Steno, Pequetus, Caſpar & Thomas Bartholini, Spigelius, Malpighius, Hieronym. Fabricius, Williſius, Wepfe-

rus,

rus, Lowerus, Lifterus, Screta, Harderus, v. Horne, Kerkringius, Franſ. Gliſſonius, J. C. Peyerus, Nuckius, Joh. Muraltus, Brunnerus, Sponius, Brachmannus Nehem. Grew. Charleton. Guilielm. Cowper. Hartſœker, ut & Lœwenhoockius, Ruyſchius præter alios eminent. Et haud ſcio, an aliæ corporis partes magis ſint ita cenſitæ ac diſquiſitæ, ac quidem cum ventriculo inteſtina, quod etiam tanto magis neceſſarium eſt, quanto certius eſt, eſſe hæc ſedula conſideratione multis de cauſis digniſſima. Nec tantum facile alibi apparatum inſtrumentorum ad arduum, quod præſertim præſtant negotium, chylificationem, a qua vita ſana & ægra, longa & brevis dependet, invenies, & forſan plura adhuc admiranda & notabilia latent ibi, ſequioris ætatis felicitati reſervata. Nos jam extiſpicium quoddam medicum ibimus celebratum, oculis animoque tunicam inteſtinorum intimam, quam villoſam vocant, ſubjecturi, ut mirabilis ejus, quam præ reliquis obtinet, ſtructura æque ac ſedes, quam adeo multis morbis concedit, atque ſimul etiam ſubjectum curationis immediatum pateat latius, eoque cenſemus id magis utiliter ſuſceptum, quo majoris utilitatis materiæ peccantis ſedis & foci in theoria pariter ac praxi medica, evolutio ac explanatio eſt, cum non modo facilius ſymptomata, ſæpiſſime ad loca longe remota pertingunt, atque ibidem tyrannidem ſuam exercent, ſeu cauſæ effectus, exinde deducantur, ſed & aperiatur locus, quem adgredi Medicus, fomitem ejicere cauſamque tollere debet. Quare mirandum eſt atque dolendum, ejusmodi utiliſſimam longe tractationem minori, quam par eſt, ſolertia a practicis in monumentis paſſim & literis fuiſſe ſuſceptam, cum in illis magna ſubinde morbi modo, cauſæ ejus & ſymptomatum, modo ſubjecti cauſæ vel morbi mortisque inveniatur confuſio. Quod ſcrutinium ſummi in cœlis numinis auſpiciis ingrediamur.

§. I. CHylificationis officinam, alimentorum canalis & via, œſophagus, ventriculus & inteſtina, quæ in tenuia in medio abdominis & craſſa in ambitu collocata commode dividuntur atque a ſe invicem diſtinguuntur (quæ diſtinctio uſum haud mediocrem habet in praxi) conſtituunt; ſiquidem ea in ore inchoatur, in ventriculo continuatur, & in inteſtinis perficitur ac in vaſis lacteis, perfecte demum abſolvitur. Varia ibi inſtrumenta tam immediata quam mediata invenies. Præparata enim in ore maſticatione alimenta, per deglutitionem ad ventriculum mirificum illum aſſumtorum conditorem & inſtructorem, qui accipit ut tribuat, alitur ut alat, laborat ut reficiat, immittuntur, ubi multifario-

tisariorum miscela frigidorum cum calidis, humidorum siccis &c. atque actione & motu ejusdem, menstrui solventis acrisque atque a sale volatili sanguinis arteriosi potissimum participantis accessione, sanguinis affluentis calore tanquam ignis sine flamma aquæque sine frigore spirituumque animalium influxu macerata & actuata moram nectentia in chylum tanquam pulticulam cremori ptisanæ similem vertuntur. Ex quo is egressus & ad intestina unam & continuam illam quidem fistulam sed variam accipientem nomina ratione diversæ quam obtinent, conformationis, usus, situs & molis delatus ibi & inprimis in duodeno, proximo a ventriculo intestino ac primo, illique valde consimili & ad multos usus destinato ulteriorem limam atque ut aquosa oleosis magis uniantur commistione ibi aliqua remora concessa ac maxime saponaceæ bilis viscidum acidumque corrigentis & succi pancreatici blandi diluentis ac temperantis & lymphæ quam glandulæ conferto agmine obsitæ ibi plorant copia, & ultimam in reliquis experitur.

§. II. Confecto sic chylo purissima pars lactiformis in intestinis, quæ cribrum esse dixeris, exprimitur atque transcolatur, ubi ea a vinculis aliisque particulis viscidis plenius extricatur evolvaturque atque sic secedens separatur ab inertibus & quibus intestina sordent, fecibus foras excernendis, ut viam inveniat, per vias intermedias vasa nempe lactea infinito numero hiantia & ductum thoracicum ad communem sanguinis oceanum perveniendi, ut sanguis atque humores indesinenter restituantur, & omnes partes nutriantur. Ad quod ulterius investigandum, ut nobis viam quoque muniamus, has partes planius paulo, quoad rationis intereſt instituti, exponamus. Nimirum totus iste alimentorum canalis eadem substantia, eademque structura componitur, eodemque motu gaudet. Totidem omnibus ejus partibus sunt, quibus componuntur, tunicæ, quarum carneæ eadem fibrarum serie sunt conflatæ. Harum prima exterior & communis a peritonæo orta omnium tenuissima est atque membranacea, quam etiam alii non male nerveam nuncupant, & ex multis, exilissimis licet, fibrillis nerveis, vario modo & nexu inter se complicatis, constat. Huic intestinali tunicæ adhæret cellulosa a Clariss. Fried. Ruyschio inventa atque ita nominata, illi, quæ sub cute sita est, ac membrana adiposa vocatur, admodum similis. Vid. *ejus thes. anat. VI. p. 9.* cujus cellulæ in obesis subjectis ac sanis pinguedine ordinario sunt refertæ; in macilentis & morbidis autem, nisi flatu inflentur, vix in conspectum veniunt; in hydropicis, ascitcis, leucophlegmaticis sero refertas has cellulas observavit laudatissimus Autor.

Hanc

Hanc excipit musculosa sive carnea, duplici fibrarum strato contexta, exteriores enim in longitudinem excurrentes, interiores in circulum quasi in transversum ductæ apparent, & arte evolvuntur, quarum fibrarum munus est, ut motum gulæ, ventriculi & intestinorum peragant. Tendinosa, a Fallopio sic nominata, alias nervea dicta, sequitur, (cum tendines musculosarum fibrarum in hanc facessant,) imprimis appetitus exquisitum sensum suo loco juxta reliquas sensationum species præstans. Hæc longior prioribus est, atque per totum canalis ductum in varias plicas & rugas præeminentiasque transversas contentorum ciborum contiguam superficiem agitantes sensim fricantes & confricantes potissimum ducitur.

§. III. Intima jam in manifestum prodit conspectum Tunica Villosa, nostri præsentis instituti argumentum. Hæc variis nominibus Autoribus nota est: quippe modo a quibusdam velamen aut velamentum villosum, a Willisio crusta villosa nuncupatur, musci villosi a Bilsio, ab Hornio a modo substantiæ velamenti bombycini titulo insignitur, & spongiosum peristroma Pequeto, F. Ruyschio papillosa tunica audit. Quæ vocabula cum re ipsa ob singularem ejus texturam, mox explicandam, satis conveniunt. Ut varia ejus apud Autores appellatio est, ita de hac ejusque existentia & essentia non parum inter Anatomicos discrepantiæ, variis varia existimantibus: siquidem quidam, antiquorum placitis pertinaciter inhærentes, hanc tunicam Villosam ex numero tunicarum excludunt, vixque nomine tunicæ dignam censent, atque adeo crustam saltem excrementitiam, a recrementis coctionis genitam, esse perhibent. Alii vero circa hanc ipsam & inprimis circa villorum naturam ac munus, variant sententiis, & ut ego quidem reor, plurimi conjectura aberrant. Omnium optime & clarissime in jejuno intestino conspicitur, atque cæteris tunicis recensitis & proximæ, tanquam fundamento suo, est adstructa, & firmissime ipsi cohæret, ita ut facies posterior nervea, anterior villosa sit, minus tamen præfatis candida est, sed cinereum magis refert colorem. Adhuc quoque amplior est, & æque in rugas plicasque insignes contrahitur, ac convolvitur, quibus chyli partes apprehenduntur, atteruntur, attenuantur, atque ulterius promoventur, & illarum citatior justo exitus avertitur. Admirandam certe structuram obtinet, quippe tubulorum minimorum, & fibrillarum, nervulorum, papillarum, villorum, arteriarum, venarum, glandularum mirus contextus est atque congeries, quibus interpositi sunt copiosissimi varie figurati & colorati obliqui & exigui pori, adeo, ut cum filtro laneo, li-

neo aut chartaceo pharmacopœorum & cribro non incongrue comparari possit. Hinc & haud multum absimilis huic, textura cuticulæ est, quæ pariter ex meris filamentis nerveis a papillarum tenuissimis ramificationibus productis, varioque nexu complicatis constat, quæque innumera foraminula habet, in quæ sudoris vascula excretoria hiant, atque ex qua componitur ipsa cutis, cujus corpus reticulare seu mucosum innumeris etiam foraminulis præditum est, & ubi papillæ pyramidales nerveæ, per ordines parallelos ex hac erumpentes in cuticulam, in plures divisæ, fibras protenduntur, atque verum tactus organum constituunt, quibus interpositæ sunt glandulæ miliares cum roriferis ductulis suis excretoriis. Talis etiam propemodum est, quæ in labiis, buccis & lingua conspicitur, in qua gustus organum est constitutum, atque duplicis generis papillis cuspidatis atque rotundis e nervorum extremitatibus per linguam dispersis, attingentibusque reticulare corpus, multis foraminibus pertusum donata, exteriorique linguæ membranæ conjunctum. Nec multum abhorret ab ea placentæ uterinæ tunica, ex qua per funiculum umbilicalem fœtui succus nutritius susceptus, Clarissimo Ruyschio memorante, adducitur.

§. IV. Nimirum, ut explicatius de ea loquamur, non tantum fibris carneis vario modo contextis stratisque gaudet, sed & densissimis & innumerabilibus vasorum sanguineorum adducentium abducentiumque ramulis usque ac usque divisis, prædita est, unde ubi intestina inflammatione obsessa fuerint, tumida & rubicundissima (a sanguinis scilicet stagnatione) apparet. Ex his inter villos, insurgunt glandulæ, quas quidam quidem huic tunicæ, perperam tamen, denegant, quæ ut prominentes arteriosi apices succosi ac molles ex conglobatis conglomeratæ denso agmine, per jejunorum maxime intestinorum volumen consitæ sunt, ac imprimis circa valvulas intestinorum tenuium majores, lentium, & milii granorum ad instar; figuræ tamen diversæ conspectui sistuntur; siquidem quædam rotundæ, quædam oblongæ, olivæ & amygdalis similes, quædam angulosæ & magis irregulares, conspiciuntur. Nec omnes eundem referunt colorem, quædam enim albæ, quædam subrubræ, quædam subfuscæ apparent. In quibusdam manifesti poruli rotundi excretorii, vel nudis oculis percipi possunt. Præter has hinc inde, tametsi rarior earum series est, ac præsertim in crassis intestinis sigillatim sparsimque sunt distributæ, majores illis adsunt, quas modo laudatus Ruyschius non solum solitarias, sed & spurias appellat, cum per se non subsistant, atque vasculis & involucro proprio sint destitutæ; quales

les præſertim etiam ſunt fragiformes Liſteri. Singulæ poris vaſisque excretoriis æque præditæ ſunt, & ubi plures congregatæ, interdum, (quod circa valvulas inteſtinorum præſertim accidit) vaſa ſua excretoria invicem jungunt, & ſimul dein in communem ductum committunt. Pariter percolatione concedunt ſeroſum ac ſpirituoſum ſat largum ab arteriis & nervis ſuppeditatum liquorem, utilem, neceſſarium & aptum tam excipiendis, rigandis, ſolvendisque cibis ac chylo diluendo, liquefaciendo, discontinuando evolvendoque, ejus partibus inter ſe uniendis, acriorum humorum activitati infringendæ, quam etiam ſcybalis tandem in craſſis inteſtinis coagmentandis, atque ad debitam conſiſtentiam conglomerandis, eorumque duritiei leniendæ, inteſtinorum parietibus obliniendis & lævigandis, alvoque lubricandæ, ut non inepte I. C. PEYERVS in *Parerg. anat. med.* autumat. Hæ limpidiorem ac tenuiorem, illæ vero viſcidiorem magis & craſſiuſculum ſuccum obſervante Celeberr. BRVNNERO *tract. de gland. inteſt. p. 107.* referunt, prout in toto corpore videmus, diverſas glandulas diverſum emittere liquorem. In aqua fervente adeo indureſcit, ut friabilis quaſi reddatur, & tunc glandulæ melius apparent. Atque ſi ad candelæ lumen objectam teneas, exſiccatam riteque præparatam flatuque diſtentam inteſtini portionem, diſtincte videas licet, conformationem pene omnem. Quod æque ſuccedit per macerationem in convenienti liquore. Has Amſtelodamenſis quondam prælaudatus Ruyſchius in cadavere hominis, obſtructione alvi demortui, diſſecto, monſtravit, tantæ magnitudinis, ut per extimam inteſtinorum tunicam transparerent, prout quidem ordinario eas majores ac tumidas turgidasque in omni propemodum inteſtinorum morbo diarrhoea dyſenteria &c. pridem obſervarunt Anatomici. Williſius cruſtam villoſam in ſuperficie exteriori convexa, qua tunicæ nerveæ cohæret, glandulis & oſculis vaſorum copioſiſſimis, refertam vidit. Eas quoque deſcribunt GLISSONIS *tract. de ventric. & inteſtin. Cap. X.* GVILIELM. COLE *de ſecret. animal. Cap. V.* IOH. CONRAD. PEYERVS *Exercit. anat. medic.* Conf. adhuc RVYSCHIVS *Epiſt. II.* Nec dubium eſt, quin HIPPOCRATI jam notæ fuerint, quod apparet ex *Lib. de gland. §. 3.* ubi dicit: Glandulæ in inteſtinis majores ſunt, quam alibi in corpore, & depaſci humectationem nimiam ex inteſtinis exprimentes. Glanduloſa hæc conformatio ad humores ſuperfluos recipiendos compoſita & apta, parum exquiſito prædita eſt ſenſu, unde humorum colluviem ſine notabili moleſtia ſuſtinere & ſat diu tolerare poteſt. Poros hujus tunicæ minime directos ſed obliquos eum in finem ſine du-

bio fabricavit Summus & Sapientiſſimus Conditor noſter ac Parens, Deus, ne facile a ſolidioribus particulis penetrarentur, ſed ab illis tantum, quæ varie inflectentes tam impeditos meatus, intrare iisque ſeſe inſinuare poſſunt. Nervi inteſtinis ab intercoſtali ramo, ut ventriculo ab octavo pari, veniunt. Quorum ſingularis propagatio eſt: Etenim nervus intercoſtalis coaleſcit ex Vti & VItiparis ramulis in unum truncum & carotidi internæ comes, in cervice thorace & abdomine varios tumores ſuſcipit & utrinque annuli inſtar axillares arterias circum ligat nervulorumque ſpinalium accretione, locupletatur. Commercium etiam habet cum plexibus meſentericis & nervis oſſis ſacri. Ex octavo pari nervus recurrens proſpicit arteriæ aſperæ, pharyngi, cordi pericardio, pulmonibus ventriculo, pancreati, hepati, omento, renibus, veſicæ, utero, ovario, meſenterio, aliisque partibus.

§. V. Villi, a quibus nomen accepit hæc tunica, præſertim peculiarem conſiderationem merentur. Hi ut vel nudis etiam oculis conſpici poſſunt, breves, quaſi recta inſurgentes ac eminentes ſunt fibræ aut papulæ, denſe inter ſe junctæ, ad inſtar panni ſerici, qui holoſericus appellatur. Ubi longiores eriguntur, arcteque ſic conjunguntur, glanduloſos fere apices, ſi armatis quidem oculis inſpiciantur, referunt. Sanguine turgidi ſunt, adeo, ut, ſi vel leviter cultelli vel acus cuſpide eos læſeris, ſanguinem ſat largiter ſtillent, ut & Clariſſ. Brvnnervs modo laudatus *l. alleg.* vaſcula exiliſſima, villos perreptantia, ad extremos apices vidit, ideoque villos glanduloſos eſſe concedit, unde & ſine dubio evenit, quod ex paulo fortiori pharmaco aſſumto, in fine tandem purgationum, etiam ſanguis ſimul excernatur; natura tamen atque officium illorum, ut in §. III. jam monitum eſt, non omnibus liquido conſtat. Equidem cum prælaudato Celeberrimo Brunnero, qui in eruendis his villis diligentiſſimum & exquiſitum alias ſe præſtitit cenſorem, quem facio jure meritoque maximi, de cujus doctrina, induſtria, fide ac judicio exiſtimo optime, ſic ſentire mallem, & parum aberat, quin crederem ego, villos hos ſcilicet, eſſe vaſa glandularum excretoria ac tubulos minutiſſimos variis modis ſibi intertextos, cavos, microſcopiorum beneficio videndos, tanquam congeriem atque contextum totidem chyli infundibulorum, per quæ reciperetur in vaſa lactea, quæ & ideo chylo turgida in bene prius paſto animali deprehenderentur, atque ubi adeſſent villi, etiam adeſſe vaſa lactea, & vice verſa, ubi hæc non conſpicerentur, ibi etiam non villos conſpici, ut in ventriculo & inteſtinis craſſis. At enim ſic profiteri ac ſcribere vix poſſum, cum hæc adſequi mihi nondum

nondum licuerit, etiamsi multum ea mihi facessiverint negotii, sollicitumque habuerint diu. Ut enim assequerer, in bovillorum suillorumque calentium adhuc intestinorum, atque canum vivorum dissectorum portionibus investigationem haud simplicem institui, atque villos cavos esse microscopio etiam optimo adhibito, nullo modo deprehendere potui, ac licet ex digitorum instrumentorumque compressione chylum reddere videantur, dubium tamen adhuc manet, an non ex poris potius tunicæ intertextis, is provenerit. Nec non etiam manifestum est, autopsia teste ac vindice, villos in reliquis alimentorum canalis partibus quoque, ut ventriculo & crassis intestinis, imo in gula, inveniri, licet nullæ ibi adsint vasorum lacteorum radices. Ad hæc, non una difficultas, se objicit, atque probabiliora argumenta, aliter cum aliis sentiendi necessitatem mihi imponunt, & mutare opinionem graves habeo autores. Difficile enim conceptu est, quomodo hæ contrariæ functiones recipiendi chylum, lymphamque emittendi simul stare, sine unius alteriusve confusione, in uno eodemque organo possint. Nec chyli receptio in exerta stamina, & quæ cedere ab invicem atque recedere possunt, adeo mihi est expedita ac quidem in demissos & imos patulos poros. Quare, re bene cogitata, me non erraturum a scopo certius mihi persuadeo, si profitear, villos nihil aliud esse, quam composita corpuscula ex papillis nervosis sensum & motum præstantibus & vasculis minutissimis sanguineis ad instar tomenti aut gossypii, atque simul glandulosis apicibus, subtilissimum liquorem in statu hominis integro stillantibus, in affecto autem & laborante v. gr. in hepatico fluxu, (in quo serum, ad instar loturæ carnium coloratum, excernitur:) diarrhœa, ac dysenteria maxime, sanguinem simul quoque reddentibus. Siquidem etiam papulas nervosas, quas similes esse illis, quæ in cute, & lingua, in naribus &c. adsunt & sensationum organa constituunt. Ex supra adductis præsuppono, dolorem quoque molestissimum atque adeo immanem in ejusmodi affectibus easdem efficere reor. Itaque non est, cur dubitem; esse saltem poros in tunica villosa villisque ipsis intertextos, chyli infundibula, atque verum organum, per quod chylus transjicitur, & ad vasa lactea fertur, qui numerosissimi etiam in exsiccata & præparata intestinorum tenuium portione, (quam thesauri anatomici, prius laudati Ruyschii famigeratissimi, ostendunt) conspiciuntur, adeo, ut interstitia acus cuspide vix tangere possis. Atque adeo, præmemoratus Autor observavit papillas has ex nervulis prodire, & esse ipsis ramulis nervosis, e quibus prodeunt, longe

crassiores, æque ac arteriolæ viscerum, quæ ipsos ramulos e quibus exsurgunt, crassitie longe superant. Cœterum cum ex fibrillis quoque contexti sint carnosis villi, motu suo tonico eos gaudere apparet, certo usui in sequentibus nominando inservientes, ut Clarissimus BRVNNERVS in tract. *de intest. gland.* scite docuit. Ideoque, ut reliquæ corporis partes, spirituum animalium influxu, sanguinisque spirituosi & vividi affluxu, eos æque animari, vigere, atque per varium instinctum modo constringi, modo relaxari, argumentatio valet. Pro diversitate etiam subjectorum teneriores aut robustiores sunt, ac motum modo debiliorem modo fortiorem edunt; nam qui rarioris inprimis alias sunt texturæ, ventriculi & intestinorum villos habent teneriores & delicatos, quod Clariss. longe WEDELIVS *in dissertatione de Gialappa* confirmat.

§. VI. Tota tunica maxime tenuium intestinorum semper copioso muco crasso, glutinoso & pituitoso tenaciterque satis inhærente est obducta, qui inprimis a viscidis cibis, qui eum præter naturam augent, & excrementis chyli limosis majori ex parte, annuente Lindenio, ut & non nihil e saliva deglutita itemque secundum SYLVIVM vid. *meth. med. Lib. II. cap. V. p. 97.* ex liquore pancreatico humoreque affluente, & ex glandulis intestinorum stillante, & per moram forte ac inhæsionem ulteriorem crassiori viscidiorique facto, subnascitur. Ne autem hic mucus in immensum augeatur, sed subinde iterum abstergatur, atque Villosa tunica sensibilis, ejusque pori cum tubulis etiam lacteis eorumque orificiis libera patentiaque reddantur, commode subveniunt, tum bilis particulis suis salinis & sulphureis, abstergendi vi præditis, tum lympha glandularum intestinalium & pancreaticus succus energeticus copiose ac perpetuo affluens, qui modo restagnatione sua, muco occasionem, rudimentum & incrementum præbuit, jam recens allatus tenuis & fluidus diluendo leniterque eum abstergendo, confert multum. Hinc etiam advertitur, quod ex usu salium volatilium oleosorum & carminativorum, sic dictorum, in specie vero thermarum, acidularum, aquarum salubrium, decoctorum & infusorum, herbarum, lignorum, corticum, radicum, florum & seminum, quæ pro diæta in quantitate assumuntur, primis assumtionis diebus male se sentiant potantes, & de multis turbis, flatulentiis, anxietatibus, ructibus, spasmis, nausea conquerantur, imo non raro vomitibus afficiantur, indicio certo, primum resolvi mucum in halitus, & assumta in quantitate non liberum invenire transitum ac gravare intestina; quæ symptomata vero, si ulterius bibantur,

tur, evanescunt, ac bene per urinam ac alvum iterum excernuntur. Hinc & primum aquosum, clarum, tenue serum, poris adhuc arctioribus obstructis atque obsessis existentibus, excernitur, successu vero temporis, crassior coloratiorque redditur. Exinde etiam elucescit, quam proficuæ esse possint tam nominatæ thermales aliæque minerales aquæ, quam illa infusa ac decocta calida herbarum theæ, veronicæ & similium, coffee, juscula medicata sæpius ebibita & hausta, ut & tincturæ & essentiæ stomachicæ & abstergentes, aromaticæ & amaræ, absinthii centaurii minoris trifolii fibrini &c. ut & polychrestorum ideo titulum jure mereantur. Atque hinc simul, bilis rite constitutæ & energeticæ emolumentum, quod universo corpori præstat, colligitur. Attamen & hic mucus, si non nimis est copiosus, crassus, viscidus, lentus, & glutinosus, sed liquidus magis, suam quoque potest habere & habet sine dubio utilitatem, eamque non simplicem, quam curiose exposuit LOEVENHOECK *Anat. muci intest. ac usu:* nempe, ut impediat, ne crassiores aliæque inertes atque nocivæ partes transeant, sed ut chylus tantum subtilis quasi transcoletur, & ne flatus nimio nisu, ipsos tunicæ villosæ poros impetat ac stringat, ut acriorum humorum tutela quasi, a nervosa tunica adeo sensili papillisque nerveis prominentibus avertat injurias, defendatque, ne a fæcibus, successive magis induratis condensatisque, detrimenti aliquid tunicæ patiantur, atque ut intestinorum parietes eorumque fibræ complanentur, obliniantur, lubricentur, ne tenaciores rigidioresque reddantur, ac sangvinis ad has partes affluxui debito aliquali sint impedimento, simulque secum alvinarum lubricitate ejus promoveatur faciliteturque secessio & dolor ac molestia avertatur, atque pertinacissima alvi constipatio, fæces induratæ, multaque alia symptomata gravissima præcaveantur. Addo, quod in ventriculo, quando modice acescit, appetitum stimulet, atque ad fermentationem, quam vocant, & ciborum digestionem faciat. Hinc si in dysenteria aliisque diuturnis ventris fluxionibus, in hypercatarhsi vel phthisi & hectica corroditur & perit, ubi cum excrementis alvinis mucus cum ramentis membranaceis & glandulosis, sanguine intermixto, simul excernitur, ejus defectum multa eaque gravia symptomata, dolor intestinorum intolerabilis, citata alvi dejectio præter naturam, aut ægre expugnabilis ejus obstructio, pro materiæ indole tunicarumque constitutione, non raro subsequuntur.

§. VII. Ob hanc igitur conformationem musculosam, cellulosam, tubulosam & glandulosam, porosam spongiosamque texturam atque substan-

ſtantiam, motoris, ſecernentis ac ſpongiæ vice fungitur, ſimul atque cribrum aut colatorium ſive filtrum & incerniculum quaſi utique conſtituit tunica noſtra, per quod chylus ad ſeceſſionem jam diſpoſitus, propulſus & expreſſus & iterata forte etiam vice, ſicuti per ſpongiam, (ſub diaſtole nimirum inteſtinorum,) in ſuos dilatatos & patulos, oblique hiantes, inſenſibiles tamen poros, infunditur & recipitur, qui ab illo dilatantur, laxioresque redduntur, ut tunica intumeſcat atque turgeſcat tota. Quo ipſo transcolatur, & vi quadam niſuque ſub ſyſtole transjicitur a conſtrictione pororum atque contractione fibrarum, hiſce intertextarum, quibus anguſtatis & a tergo preſſis vicina ſpatia replet ſuccus liquidus, diſcontinuatus, ventilatus, ſubactus bene, mediante maxime motu inteſtinorum, quem periſtalticum appellare ſolemus, tunicam Villoſam inteſtinorum immediate tangente, molliterque premente & porulos ſimul lacteorum vaſorum, quæ omnia ſub hac tunica egrediuntur, & per eam ſerpentino ductu repunt, ſucceſſive conſtringente. Nec ipſa tunica Villoſa ergo in hoc negotio mere paſſive ſe habet, ſed agit revera motu conſtrictionis & dilatationis vigore & tono, quo gaudet per ſpirituum animalium & ſanguinis calidi & ſpirituoſi affluxum, animata, quibus motus ſpeciebus & pori & vaſorum lacteorum orificia & clauduntur & rurſus aperiuntur. Qua expreſſione, & infuſione ſecretioneque ſic facta utilis ab inutili, relinquuntur craſſiores (utpote quas ob pororum anguſtias, neque admittere venæ intra ſeſe, neque deducere poſſunt,) inertes, atque obſcœnæ foras excernendæ partes. Cui actioni & muſculorum abdominis quinque paria, ac diaphragmatis motus, nec non aëris flatuumque elater adauctus, opitulantur. Peragitur itaque hæc animalis functio fere ſimili modo, quo vegetabilia ſuccum ſuum nutritium per radices earumque tubulos ac poros e terra hauriunt.

§. VIII. Exinde inſignia munera inſignesque uſus tunicæ inteſtinorum Villoſæ, quæ ideo nequaquam vilis habenda eſt, per ſe, jam ſatis apparent. Hoc organo rite conſtituto, chylus debitus & laudabilis omni tempore accedit, & ſanguis, vitæ theſaurus & omnium partium corporis alimentum, augmentum ac conſervatio, ſanitas denique ipſa ac vita exinde ſponte fluunt ſua, atque etiam medicamenta, ad amiſſam valetudinem reparandam facientia, ad hoc convertuntur, & per hoc ad maſſam humorum apportantur, ut fons ſalutis & vitæ collocandus hic ſit merito. Primario quippe in œſophago madore, quem ex glandulis reddit, deglutitionem adjuvat, ariditatem faucium, moleſtum ſitis

ſenſum

ſenſum corrigit atque demulcet, ſerumque ſpirituoſum menſtruum ſtomachicum, ab arteriis nervisque ſuppeditatum, ciborum digeſtioni inſerviens, largo fœnore, continuo fœneratur. Ita in inteſtinorum volumine perfecte elaborati chyli ſubactioris, qui in horum plexibus implicatur, receptioni, expreſſioni, ſecretioni, filtrationi aut colationi, ac in poros vaſorum lacteorum impreſſioni & infuſioni, ac lymphæ a ſanguine ſecretioni & ſeparationi, ut & bilis cyſticæ craſſæ, aliarumve nocivarum etiam partium inertium & fecum excluſioni inſervit. Recte enim æſtimantibus, conſtat, omne liquidum, quod ex inteſtinis ad ſanguinem tranſit, per vaſa lactea ad ductum thoracicum, minime autem per venas meſaraicas ferri. Ratio enim deeſt, quomodo chylus venarum orificia poſſit intrare, ut non ſanguis ſimul per ea exeat, quod experimento apparet ad oculum: Ligatis ſcilicet venis meſaraicis, duodenum atque jejunum inteſtina non albeſcunt, vel ſanguinem monſtrant chylo refertum. Nec etiam ſanguis in venis, quæ inteſtinis adſunt jejuno nimirum atque duodeno, alium refert colorem, diſparem illi, qui in colo & recto invenitur. Cœterum prominentes villi, juxta liquorem quem ſtillant ſecundum §. V. ſat fortes forte etiam, ut in œſophago, læſiones tunicæ nerveæ ſenſibilis inter deglutiendum metuendas avertunt, atque ventriculum ab injuriis defendunt, ipſam tunicam villoſam porosque illius ab alvinarum fecum aliorumque injuriis tuentur, & præcavent, ne illabantur fæces; chylum vero mox recipiendum arripiunt quaſi, colligunt, detinentque, atque ad promovendum eum, & ad depellendas fæces auxiliatrices manus porrigunt, forte que alios adhuc uſus, nobis nondum perſpectos, præſtant.

§. IX. Ut igitur his officiis adeo eximiis & maxime neceſſariis rite præeſſe & fungi debeat & poſſit, legitime ſe habeat, beneque conſtituta ſit, neceſſe eſt: ſecus lernam, fontem imo mare malorum conſtituit, quæ vitia etiam ejusmodi generis ſunt, quæ dein non facile corriguntur, ſecundum illud tritum, quod & hic valet: Vitia primæ coctionis non corriguntur in ſecunda & tertia. Et licet omnes aliæ nobiliſſimæ corporis partes bene valeant, influente tamen vitioſo chylo vitiatur tota humorum maſſa, atque hoc vitium undique ſeſe diffundit. Nimirum oportet, tono juſto gaudeat ea, i. e. fibræ quæque ad debitam ſuam functionem ſint aptæ, ac rite ſe moveant, non nimis remiſſæ & debiles neque rigidæ & difficiles, ad motum edendum. Pori illius imprimis ad chyli & lymphæ expeditum tranſitum concedendum, eſſe debent apti, non nimis ampliati, neque nimis anguſtati, aut ſpaſmo conſtricti,

aut ab humore acri vellicati atque convulsi, neque pituita aut humore crasso & viscido obsessi, & liquorum aditum impedientes, sed liberi atque patentes. Si enim tonus est debilis ac relaxatus & pori nimis sunt ampli, quod ex variis causis potest accidere, ut, a spirituum animalium influxu præpedito, nimia intestinorum humiditate, chyli copiosioris affluxu, a crapula, a flatuum impetu extendente: affluentia præter modum premunt, tendunt atque extendunt, quia vigor, qui debet resistere, deficit, & justo major humorum copia eaque crassior glutinosa & iners admittitur. Equidem, videtur, non facile glutinosum subtilissima vasorum lacteorum vasorum & venarum mesentericarum oscula, ingredi posse; ast tales particulæ quæ unitæ, lentum illud glutinosum constituebant, separatæ & dilutæ, tenuioribus liquidis possunt omnino per hæc oscula se recipere sicque sanguini misceri, deinde possunt in ventriculis cordis spatiosisque cavis venosis uniri iterum & lentorem præternaturalem producere, qui se primo fere semper in pulmonibus se exerit, quando nimirum recens chylus, statim per pulmonum angustias debet transire. Si vero tonus eorum nimis est constrictus, pori angustati, vel acido quodam constrictorio corrugati, & glutinoso inhærente viscido obsessi atque obstructi, debitum liquidum aut penitus non, aut parcius ac in debita quantitate, non admittunt atque transmittunt, sed præter naturam retinetur solidior & alimentosa chyli pars, & saltem tenuis justo & aquosa trajicitur. Æque metuenda vitia sunt, ubi humore quodam acri, caustico, maligno, rodente, vellicante, & convellente præter naturam irritatur ac pessime afficitur, & ad secretionem atque excretionem humorum intempestive sollicitatur tota tunica Villosa. Inde me non monente, diversæ malorum classes constitui possunt, in sequentibus mox fusius distinctiusque explanandæ.

§. X. Quemadmodum morbi eorumque causæ omnium facillime in cavitatibus, in tubulis ac vasis resident, ac aptum ibi hospitium inveniunt, quoniam collectioni stagnationique humorum sua natura favent apprime, ut in tubulis & vasis sanguiferis, sive adducentia, sive abducentia sint, & lymphaticis meatibus secretoriis & excretoriis, utero, vesica, musculorum interstitiis, toto die videmus: ita intestina, (maximus & amplissimus in corpore canalis) corporis morbis & maxime chronicis præ reliquis valde sunt opportuna, quæ deinceps ad alias partes materiam morbificam transmittunt. His deficientibus in officio suo & incongrue se habentibus, male se habet non raro, totum propemodum corpus, confluunt succi vitiosi, motus irregulares exoriuntur, & nidi

ac

ac officinæ ſtruuntur morborum, ex aſſumtis incongruis ſæpius, & ſæpiſſime ſuperfluis ibi congeſtis, a confluxu ac confuſione variorum humorum viſcidorum, mucidorum, terreſtrium, acrium, ſalſorum, alcalinorum, acidorum, ſulphureorum, fermenteſcibilium, corruptibilium facile, & ex diutina in illorum plicis, valvulis, anfractibus & flexuris inhæſione, eorumque ſucceſſu temporis corruptione, ex aëris item inſalubris acceſſione atque tardiore in his partibus ſanguinis motu. Quippe ex Anatomia notum eſt, ſanguinis circulum in vena portæ, ex qua inteſtinales venæ ſanguinem transfundunt, eſſe lentiorem, quia pulſu atque impulſu fortiori in comparatione aliorum vaſorum ſanguiferorum, eſt deſtituta. In inteſtinis vero inprimis tunica Villoſa vitiata, eſt accuſanda: quoniam, ut modo dictum, hæc præcipuum inſtrumentum & cribrum eſt, & id quidem impeditum atque anguſtum, per quod humor alimentarius adeo neceſſarius omnisque lymphaticus ex his ad maſſam ſanguineam fertur. Quod ſi igitur ea debita requiſita in præcedentibus indicata non habeat, labeque quadam laboret, vel unica, dantur quoque in corpore plures, ſeu effectus & phænomena quamplurima, ſive multorum graviſſimorum, maxime chronicorum morborum, ſedes paratur, in qua ſemina ponuntur morbifica, ex quibus dein, ut ex malis ovis, mali corvi, varia pericula variique caſus certius tandem data occaſione exoriuntur, & inde facile explicari queunt. Nam compertum eſt, non ſimul & ſemel fieri multorum morborum geneſin, ſed ſenſim paulatimque progenerari, & cum tempore ex fonte domicilioque inſurgere atque capere incrementa. Quare ejusmodi ſcrutinium eo utilius, quo magis neceſſarium eſt, noſſe non ſolum morbos, ſed & eorum nidum, focum & fontem, in quibus eorum cauſæ, tanquam in officina, formantur, fabricantur, componuntur, retinentur atque figuntur, ut eorum origo adimatur penitus, curatioque ex fundamento adornetur. Per tunicam Villoſam poroſque ejus uti nutrimur & vivimus, ita & per eosdem ægrotamus & morimur. Non leve ſtatim indicium proclivitatis ad multos motus præternaturales conſideratio, connexionis firmiſſimæ cum vicina tunica nervoſa atque amplitudinis, in multifarias rugas plicasque contractionis, indicat ſimulque ſenſibilitatem magnam & minerarum morbificarum collectionem inhæſionemque prodit: Siquidem hic mineram febrium intermittentium latere arbitror; Ratus hinc forte GALENVS eſt quando præcipit *Lib. II. ad Glaucon. I.* in his præſertim quartanis utendum eſſe clyſteribus deinde deſcendendum ad alia. Sed ſpecialia accidentia ſpecialior contemplatio dabit: Nam ſi primo

mo tonus ac vigor debilis & nimis eſt relaxatus, fibræ una cum muſculoſa tunica ſimili modo debilitata languent, & motus atque promotio promovendorum impeditur, & juxta alia incommoda inſequentia, ſpeciatim alvus durior & ſtipatior redditur &c. Hinc experiuntur ſæpius medentes, martialia aliaque roborantia & ſubadſtringentia alvum proritare, quod ſæpiſſime in febribus intermittentibus accidit, ubi ex cortice peruviano, vitriolicis, aluminoſis, ſalinis, terreſtribus, præcipitantibus & ſimilibus, atque aliis adſtringentibus datis aſſumtisque alvus fluida fit, quæ antea pertinaciſſima erat, imo diarrhoeæ non raro profluunt. Poris autem amplioribus factis, (Laxari autem ſic poſſe vaſa, ut non tantum admittant craſſiores humores, ſed & transmittant per ultimos ſuos fines, quotidiana docent obſervata) ut ea ſimul per eos tranſeant, quæ non debebant tranſire, ſed aut aliorſum ferri, aut una cum excernendis excerni, partes nimirum, chylo conjunctæ, craſſiores, terreſtres, glutinoſæ, viſcidæ, tartareæ, bilioſæ, fæculentæ, corruptæ, impuræ atque etiam laudabiles alias, chyloſæ, ſed nimia quantitate exuberantes, quæ in vaſis lacteis ſtatim, ad quæ abeunt, & per quæ debent ulterius ferri obſtructiones pariunt, eaque diutius iis inhærentes mole ſua gravant, præterque modum extendunt ac debilitant, ſive tonum vaſorum horum deſtruunt peſſime, maxime dum lymphæ per lymphatica ac vaſa lactea ut & ſanguifera, per venas meſenterii motus ordinario magis eſt impeditus, quia ibi deeſt ſat forte impellens. Inde & tumores hydatides, lymphæ extravaſationes, abſceſſus, obſtructiones, indurationes, ſcirrhi ibi quam frequentiſſime inveniuntur, & occaſio ad cachexiam, multiplicesque lentos & intricatos morbos ſubminiſtratur uberrima. Eædemque ex longiori mora, quod humoribus ſtagnantibus ordinario accidit, indies corrumpuntur. Atque adeo ſi tandem præter modum turgent, vaſa lactea rumpunt & ad meſenterii membranas & abdominis cavitatem deponuntur, ex quo aſcites jam paritur: ſi vero per ea moventur ad cor vaſaque ſanguifera ejusmodi partes incongruæ, tota humorum maſſa præter modum repletur & coinquinatur, ut ab indole genuina & debita deficiat, aliena fiat & corrumpatur, cruda, craſſa & pituoſa reddatur, atque plethora & cachexia hanc inſequens oriantur; adeo ut mirum ſit, quantam ejusmodi corruptam materiam errhina, apophlegmatiſmi & ſalivantia educant. Ex quo vitio, maſſæ ſanguineæ advecto, non poſſunt non, multa ſubinde propullulare mala, quia labes cum chylo immiſſa, humoribus commixta, eos quoque, contagio velut ſimilem in modum inficit, & cum his in univerſum per circulationem dimanat corpus. Qualis enim chylus, talis ſanguis, & qualis ſan-

ſanguis, tales humores & ſpiritus animales, qui ex eo ſecernuntur, & quales hi, talis nutritio, talisque vita & ſanitas eſt.

§. XI. Si itaque chylus & lympha & coinquinati humores impuri, craſſi, terreſtres, acidi, tartarei, pituitoſi, lenti atque tenaces & conſtipantes ad ſanguinem veniunt, ſubtiles ſpirituoſasque ejus particulas ſupprimunt, vires nutrimentumque præcipiunt, totam maſſam ſanguineam, craſſam glutinoſamque reddunt quæ per caput inprimis lentius difficiliusque circulatur ſic præſertim facile caput dolet, quod præ aliis corporis partibus doloribus patet, & ad quod etiam ex inferioribus partibus facile aliquid adſpirat, ut moleſte, exinde afficiatur, quia hæ partes morbificæ, graves & craſſæ incraſſant maſſam ſanguineam, & in capitis vaſis congeſtæ, violenterque & vaſa ipſa ſubtilia & membranas proxime conſitas, ſenſiles maxime, diſtendunt, ex qua diſtenſione caput proprio affectu labefactatur, ipſumque univerſum aut certe maxima ejus pars dolore quidem magis obtuſo ac gravativo dolet. Hinc & ii homines, qui vaſa habent plurima atque exilia, doloribus capitis præ aliis ſunt opportuni. Si humor ſimulacris fuerit & ſalſus, ſalino ſulphureus, ſcorbuticus, bilioſus eo delatus, ut in inteſtinis, moleſtiæ imo cruciatus, colica, diarrhœæ, teneſmus &c. exinde oriuntur, ita ulteriori progreſſu hic etiam paſſionis ſumme dolorificæ acutæ, vellicantis & terebrantis vixque ferendæ, fit ſenſus. Ac quoniam is continuo excruciat, continuasque vigilias parit, via ad phrenitidem inſaniamque lata panditur, quæ accedentibus æruginoſis vomitibus & ſurditate inprimis certiſſime aut indicatur aut jungitur. Jam etiam inflammationes oculorum, & ſi magna ſimul nervorum diſtenſio eas comitatur, cœcitas difficile aut nunquam ſolubilis, poſſunt evenire. Imo in eo non ſolum vertiginis & incubi, ſed & ſpaſmi rigorisve nervorum & attoniti morbi, paralyſis & epilepſiæ & lethargi, cari, comatis, catalepſis, apoplexiæ, ſenſuum abolitionum, memoriæ abolitæ, melancholiæ viſus hebetudinis immo guttæ ſerenæ, ſurditatis ſomni turbati &c. periculum vertitur.

§. XII. Quodſi ejusmodi materia incongrua & quæ ſanguini ob materiæ irregularitatem non miſcibilis eſt neque etiam excretoriis poris bene reſpondet, tamen per circulationem ad alias partes ſic defertur & hæret ac quantitate qualitateque accreſcente partium poros conſtringit in iis itidem varii generis morbi, pro materiæ indole varia ejus, conſequuntur. Tum in iſthmo faucium, collo atque thorace tumores glandularum, tonſillarum, ſtrumæ, & ſcrofulæ, deglutionis moleſtia, catarrhi pulmonum infarctus, aſthma & quandoque catarrhus ſuffocativus & in-

flammationes, anginæ, pleuritides, corruptiones, tabes, phthisis, dura tubercula & vomicæ, peripneumonia, tusses, anhelatio, difficilis respiratio invadunt, & in cordis motus, sufflaminationem, aut etiam ex irritatione præternaturali, vel ex polyposa jam concretione, lipothymiam syncopen & palpitationem cordis, anxietates præcordiorum rapiuntur; In reliquis visceribus & vasis, liene, hepate, obstructiones, indurationes & scirrhi, icterus, hydropes, leucophlegmatiæ ac cachexiæ & scorbutus, abscessus & exulcerationes, facile oriuntur. Atque tandem etiam hæc vitia a mucositate ac viscididitate, lentore ac acrimonia sic contracta in ventriculum & intestina ipsa iterum redeunt, & ibi singultum, cardialgiam, inflammationem ventriculi & intestinorum, tormina, nauseam, vomitum, choleram, fluxiones alias ventris, obstructiones vasorum & glandularum pertinaces, tumores & indurationes, secretionumque impedimenta, corruptiones &c. efficiunt. Alibi eadem quoque hæmorrhoidum & mensium in fœminis depravatum negotium, fluorem album, gonorrhœam, malum corporis habitum, hydropes, tumores œdematosos, calculosas in cavitatibus concretiones speciatim in renibus, urinam reddendi difficultatem atque ejusmodi alia procreant. Hæc scribenti observatio (ut plures alias ex aliis, longius non adducam) obvenit quæ in I. IACOBI HARDERI *Apiario* legitur de virgine quadam quæ per plures annos calculos sæpe variæ figuræ & magnitudinis per urinam vomitum juxta & alvum excrevit. Ex hoc colligitur cur subadstringentia a Riverio ni fallor ac Scherbio & ab aliis tam multis herbæ omnes vulnerariæ in præservatione & curatione calculi laudentur & commendentur.

§. XIII. Similiter artus afficiuntur, in quibus vagus fixusque morbus articularis, rheumatismus, malum ischiadicum exsurgunt. Nec non cutis vitia fœda, pustulæ, scabies, impetigo, psora, vitiligo, alphus, melas, ipsa lepra græcorum atque exanthemata ejusmodi alia exinde proficiscuntur, & morbus auriginosus habitum occupat, alienoque tingit colore. Imo cum materia nutritia incongrua viscida & acris per hanc viam partibus omnibus accedat, nutritio totius corporis depravatur. Atque ex acrimonia sui juris facta ac pro ejusdem benignitate ac malignitate majori aut minori, sensiles partes continentes plus minusve irritantur, ut contenta, fluida, humores nempe & spiritus præter naturam per eas ferantur, exagitentur, tumultuentur, turgescant, majori in copia inordinate affluant, impingantur, & tandem qua data porta effluant, totaque humorum crasis temperata, pervertatur. Insuper languores, febres

bres varii generis, intermittentes atque errantes, quæ frequentissimæ sunt, & generi hominum inimicissimæ, biliosæ, continuæ, duplicatæ & triplicatæ, imo malignæ, purpuræ, morbus hungaricus & febris castrensis, petechialis, itemque pestilentiales inde ortum trahunt, quæ ut plurimum errores, in cibo & potu commissos, & incongrua assumta, in annonæ caritate, a pauperculis, insequuntur, quemadmodum jam olim apud Græcos notum proverbium est: μετὰ λιμȣ̃ ὁ λοιμὸς, post famem pestis: in quibus, ut tam phænomena & accidentia præcedentia, & non raro morbum per totum ejus decursum comitantia, nausea v. gr. & maximæ præcordiorum anxietates & inquietudines, vomitus, alvi fluxus &c. quam sectiones demortuorum declarant: ventriculus & intestina tenuia ut plurimum afficiuntur. Sic in peste extinctis maculas & escharas nigras in his partibus undique obsitas HELMONTIVS vid. *Tumul. pest. p. 182.* & DIEMERBROECK *de peste*, AMBROS. PARAEVS *lib. de peste*, LAVR. GIESELERVS *obs. de peste XVIII.* I. FERNELIVS *lib. de febribus Cap. XVIII.* GALL. ETSCHENREVTERVS *in epist. ad Gesnerum*, TH. CORNELIVS CONSENTINVS aliique invenerunt. Hinc & vomitus mature injunctus hæc mala & præcavet & curat. Siquidem etiam in præterita modo Massiliensi peste, ut relationes a Clarissimo DN. D. KANOLD Uratislav. collectæ referunt *p. 12. & 17.* hoc observatum est. Etenim omnes fere mortui sunt, quos vomitus non purgavit. In horum numero numerantur omnes illi morbi, quos obstructiones pororum, stagnationes & proritationes causantur, a quibus horum absolvitur generatio, atque latentes sæpe morbi atque obscuri ibi forte nidulantur. His admissis in promptu est error ac vitium, quod inducitur, si non bene repurgatis ventriculo & intestinis, sudorifera calida pellentia, volatiliora exhibeantur, quibus efficitur, ut materia peccans ibi residens attenuetur, imo exaltetur, & per poros crustæ villosæ ad massam sanguineam usque, vi propellatur. Amplius dicendum est, per poros hos relaxatos nimis & per vasa lactea, flatus, ex intestinis massæ sanguineæ communicari, ubi æque ac in ventriculo & intestinis similiaque incommoda excitant, ut anxietates cordis & dispnœas & ejusmodi alia mala. Notabilis in hanc rem est, tumor ille flatulentus circa spinam dorsi apud Borellum legendus. Non minus notatu digna observatio est, quam PECHLINIVS *obs. phys. med. Lib. VII.* narrat, qui in hominis a multis ventris doloribus pectorisque angustiis tandem oppressi, aperto cadavere non modo omnia intestina cum ventriculo, sed & omnes venas inflatas, atque adeo cor ipsum, copioso flatu immensum in modum distentum,

tum, omni vero ſanguine vacuum reperiit. Nec improbabile eſt flatus interdum per rupta exeſaque vaſa lactea cum ſero ad cavitatem abdominis transgredi, nam flatus non raro cum eo ibi intermixti obſervantur. Occurrunt præterea alia de aliis exempla ut ſanguinis verminoſi apud PLINIVM *hiſt. N. Lib. XXVI. cap. XIII.* PAVLINI *obſerv. med. phyſ. 15. Eph. germ. N. curioſ. D. I. ann. 1. obſerv. 50. ann. VII. obſ. 56. P. a. a.* CASTRO *tr. de febribus malign. & punctic. p. 16.* KIRCH. *ſcrut. peſt. S. II. Cap. IV.* BORELLVS *cent. II. obſerv.* 72. in ſcabie & variolis, vermes generatos obſervavit. RIOLANVS *Ench. anat. & pathol. lib. Cap. I. 17.* e vena ſecta majores vermes exiiſſe, ſcribit. Qualem obſervationem addit N. DE BLEGNY *Zodiac. med. gall. act. menſe majo obſerv. 7. & A. II. menſe martio obſerv. 8.* Aliorum obſervationes de vermibus ex variis corporis humani partibus excretis loquuntur, ex capite, auribus, naribus, oculis, dorſo, mammis, hepate, veſicula fellea, umbilico, utero, quorum nidum ſanguinem fuiſſe probabile eſt. Conferantur hujus dogmatis pathologiæ nimirum animatæ Fautores & Auctores alii Langius & Hauptmannus, præſertim. Præter vermes alia quoque animalcula ex humano ſanguine prodiiſſe, alii Auctores teſtatum eunt. BORELLVS *centur. III. obſ.* 4. inſectorum balenimorphorum mentionem facit N. DE BLEGNY *Zod. med. gall. menſ. Junio anno 2. obſervat.* 14. refert, lacertam, minimi digiti longitudinis e vena egreſſam eſſe.

§. XIV. Ulterius ad alterum vitium progreſſio fiat, ubi tota tunica, a copioſa materia incongrua, corrupta, craſſa, pituitoſa, & muco lento atque tenaci, aut ab acido aut quodam auſtero atque acerbo conſtringente, (quod hypochondriacos conſummatos frequentiſſime occupat, & ægerrime imprimis has ſpongioſas partes afficit) aut a calculoſis concretionibus aut a cicatricibus inductis atque induratione & ſcirrho, (ut de ſingulis paſſim occurrunt obſervationes, præter) naturam eſt obſeſſa, incruſtata, ejusque pori repleti, obſtipati, anguſtati, coarctati, contracti corrugatique atque coaliti. Quo ipſo vaſa etiam lactea, quæ exinde egrediuntur, non raro ſimul eodem malo afficiuntur, adeo ut aut tenuis tantum & aquoſa portio & paucum aut nihil prorſus admittatur, & lymphæ itus & reditus, atque chyli impediatur per poros diſtributio, quod vitium ſenibus & iis, qui digeſtionis debilitate, & frigido, ut ajunt, ventriculo laborant, admodum familiare eſt. Ex quo non modo humorum nimiæ congeſtiones ac ſtagnationes in inteſtinorum canali, in corruptiones mox abeuntes, ſed & anorexia, artuum laſſitudo totius corporis emaciatio, viriumque ſucceſſiva & tandem totalis proſtratio, animi deliquia,

deliquia, febres intermittentes, flatulentia molestissima hypochondriorum & anxietates immo tandem tympanitis (cum flatus per poros intestinorum non possint transire,) alvi retentio atque segnities cum ipso malo hypochondriaco, quod totum flatibus debetur, hydropes, cœliaca passio, & elaborati, chyli excretio seu lævitas intestinorum, atrophia, marasmus (quoniam in senibus minutissimi canales angustantur ac concidunt) febris lenta & hectica lentaque mors propullulant atque sequuntur. His de caussis observationes quasdam collegi in fœmina quadam Lipsiensi, quæ per quatuor annos anorexia laboravit, indiesque macie est confecta, & tandem fere consumta, præterea semper de motibus in abdomine molestissimis oculisque patentibus est conquesta, ac si animalia viva per intestina errarent, quæ, cum per quatuor propemodum menses convenientibus remediis, interpolatis laxantibus, & alterantibus, esset curata, tandem ex laxantibus pilulis densissimam pituitosam, concretam materiam copiosam placentarum ad instar, cui multi vermes ac lumbrici inhæserunt, rejecit, ex quo indies continuatis tandem remediis melius se habuit, appetitu ordinario ac nutritione redeunte, quiescentibusque abdominis motibus. Nec a vero longe abesse censeo, si cachexiam illam virginum chlorosin dictam, mensibus obstructis junctam ac pedissequam inter pravæ digestionis vitia referam, quoniam ab erroribus diætæ, & imprimis assumtis viscidis, mucidis, acidis, constringentibus, ut acidorum abusu, placentis pinguibus & calidis &c. sæpius accidit, ubi ventriculi & intestinorum tunica villosa & glandulosa amurca & crassa pituita est obsessa. Atque adeo de ipso fluore albo mulierum idem dicendum. Simul hoc juvantia docent, quippe abstergentia & laxantia ex salinis neutrisque salibus, ut & thermæ & aquæsalubres salinæ, egregiam his opem fœnerantur & sine quibus reliqua omnia licet & optima balsamica mihi nomines, cassa deprehenduntur. De calculosa obstipatione pariter observationem notabilem cum versarer Parisiis quondam habui in vetula, macie lentoque morbo confecta atque demortua, in cujus cadavere crusta intestinorum villosa, a jejuno per totum intestinorum tractum ad rectum usque materia sabulosa ex luteo alba ac friabili erat obsessa, atque pori villique ea dilatata eademque iis impacta cernebantur. Ibi quoque in alio vetulæ demortuæ & macie confectæ cadavere raro spectaculo vidi, glandulas intestinorum inprimis tenuium in hac tunica insigniter tumefactas, adeo, ut villos porosque magna ex parte comprimerent, quo chyli aditus sufficiens prohibitus fuit. SYLVIUS vid. *ejus prax. med. Lib. I. cap. XVI.* sæpius observavit ex dysenteria

Yyy occlusos

occlusos poros ad vasa lactea tendentes. De intestinorum tunicarum coalitu post ulcera observationes ARGENTER. *Lib. II. cap. X. de caus. morb.* BENIVENIVS *de abd. morb. caus. Cap. XXX. & XXXVII.* & SCHENCKIVS *Lib. II.* collegerunt. Quæ coalitiones & indurationes, ut & maxime cicatrices, calli & scirrhi inducti nullum auxilium facile admittunt. Qua de re conqueritur modo nominatus SYLVIVS *l. c.* quod nulla nota essent medicamenta quæ cicatrices in tenuibus intestinis solvere, crustamque villosam novam, & talem quidem quæ transitum concedat chylo ad lacteas venas propellendo, reparare possint. Exinde apparet, quantum peccent improvidi & nimis confisi medici, quando v. g. in febribus intermittentibus promiscue & statim in principio, sine præmissis evacuantibus, & pituitosum gluten, quo obsessa est tunica intestinorum villosa, abstergentibus, incidentibus, & aperientibus, adstringentia, aluminosa, vitriolica, terrea, & famosum illud febrifugum corticem peruvianum magna in quantitate ingerunt, quibus obstructiones pororum magis augent, & vel statim diarrhœas & anxietates efficiunt, torminumque mineram & causam febrium lentarum & atrophiæ subministrant. Similem labem inferunt ii, qui, post habitis his, in variis morbis imprudenter juxta adstringentia dicta, opiata, & refrigerantia nimia præscribunt.

§. XV. Sequantur tandem reliqua vitia, ubi tunicam nostram humor maxime corruptus, malignus, salinus & salino sulphureus, biliosus, acris, causticus, venenatus, acidus, excessivus aggreditur, qui inprimis teneras tunicarum fibras carneas æque ac nerveas & membranaceas ipsosque villos ægre afficit, & non modo eam obstipat, coarctat, sed & vellicat, corrugat, spasmum inducit, convellit, & non raro corrodit, &, vellicatione sua perturbatis concitatisque immanem in modum spiritibus animalibus, simul alias partes in consensum trahit, quibus, per nervos præsertim, magnum intercedit commercium. Ea enim omnis motus indoles est, ut facillime & longe lateque in distans sese extendat. Nec alia pars corporis humani facile tam gravibus spasmodicis motibus & omnis generis doloribus fixis vagisque urentibus, perturbantibus, rodentibus, lancinantibus, pungentibus, distendentibus, expandentibus, gravativis, prementibus, pulsantibus, contorquentibus, contendentibus afficitur, quam intestina, ob membranaceum atque nervosum, quo hic gaudet canalis, contextum & multiplicem causarum concursum. Acriora assumta caustica, venena, vomitoria, purgantia, drastica, vermes, cruditates nidorosæ & acidæ summe corruptæ hic accusanda veniunt. His specia-

ſpeciatim ſine dubio adſcribendum eſſe puto, quod in quibusdam acidorum vinorum nimiæ ingurgitationi deditis obſervavi, eosdem dejectionibus alvi cum torminibus & flatulentiis, abdominis, vix compeſcendis, correptos fuiſſe, arroſis forte inteſtinorum tunicis. Proin non modo in inteſtinis cardialgiæ, anxietates præcordiorum, colicæ convulſivæ, paſſiones cœliacæ, imo & iliacæ, vomitus, cholera, ipſe morbus niger Hippocratis, dyſenteria, inflammationes & ſphaceloſæ corruptiones, & ejusmodi deleteriæ cauſæ producuntur, ſed & irritant dein irritata, (inteſtina) ac afficiunt longe remotas partes, vaſa ſanguifera ſpaſmodice afficiendo, nervos vellicando, incolasque illorum ſpiritus animales in ataxiam concitando, quo ipſo humores modo ad has modo ad illas partes pelluntur, eæque infarciuntur, v. g. caput, pectus, renes, veſica urinaria, hepar &c. atque ita ſæpiſſime epilepſia paſſiones hyſtericæ, hypochondriacæ, paralyſis, pareſis, apoplexia, atque ſimiles capitis affectus ex primis viis ſuboriuntur, ſpaſmodice nimirum affectis fibrillis nerveis ac membranaceis aut ruptis tenerrimis cerebri vaſculis. Hinc horripilationes, nauſea & ad vomitum inclinatio, faciei intumeſcentia & rubor ac ſtupor apoplexiæ imprimis junguntur. Quare apprime HENRICVS AB HEER *obſ. XVIII.* ſcripſit: *Plurimi noſtratium incurrunt apoplexiam ingluvie & commeſſationibus.* Hinc vomitoria, opportune exhibita, quæ tunc ingentem humorum corruptorum, bilioſorum, nigricantium ſaburram exonerant, feliciſſime apoplexiam paralyſin aliaque ejusmodi mala præcavent, avertunt, ac curant. Conf. HELMONT. *lib. de morb. ſed.* WEDELIVS *pathol. dogmat. p. 135.* ANGELVS SALA, IOH. LANGIVS, ut plures alios taceam. In hanc rem & Rhaſis notabilis obſervatio eſt, multos paralyticos per ſupervenientem diarrhœam curatos fuiſſe. Catalepſis a vermibus inteſtina rodentibus ſæpius fit. Quid frequentius eſt, quam quod caput ex vitio primarum viarum male ſe habeat ac doleat, vigiliæ &c. exerceant, & aurium tinnitus, ſcotomia frequentiſſime ab acido inteſtina vellicante viſus læſiones, aphonia, conſtrictiones faucium, ſtrangulationes, fœminis imprimis familiares, proveniant. Nec deſunt de primarum viarum cum thorace conſenſione teſtimonia eaque quam plurima. Cui tuſſis ſtomachalis ferina ſicca ignota eſſe poteſt? Sic WILLISIVS *de morb. convulſ. Cap. XII. p. 140.* affirmat, in aſthmate convulſivo periodico, tuſſique convulſiva pulmones ſanos ac integros eſſe, mineram vero malorum in inteſtinis ſæpius reperiri. Atque TVLPIVS *Lib. IV. cap. XLVII.* teſtatur: Febrem ſyncopalem a bile corrupta exortam fuiſſe. Unde & in ejusmodi affectuum curatione vomitoria

ac laxantia, præcipitantia, nitrata, acrimoniam temperantia RIVERIVS *in obs. ac praxi*, BALLONIVS vid. *Lib. I. epid. p. 62.* ne plures nominemus, expertissima remedia afferunt. De infimo ventre res pariter notissima est, de quo hypochondriacum hystericumque malum ex mensium obstructione vasorumque mesenterii saltem adducere hic erit satis.

§. XVI. Similem in modum de reliquis sentiendum est, ac fere de omnibus in universo corpore partibus totoque nervoso genere. Hinc v. g. experimur frequentissime, violentas animi pariter ac corporis passiones alvi fluxiones concitare. Doloribus vexatis intestinis, febres, dolores variarum partium longe remotarum, inquietudines, cutis universæ pororum constipatio & corrugatio, horripilatio &c. prodeunt, quæ tunc sympathice patiuntur, quoniam illis cum intestinis per nervos maxime intercostales magna intercedit necessitudo ac mutua dependentia, consensus atque commercium: & vice versa, illis læsis, læsio in hæc quoque redundat. Sic, læso cerebro a vulnere ac plaga graviori & vellicato a calculi per uretheres transitu, biliosi vomitus accidunt & alvi dejectiones, manifesto indicio, vasa choledocha & intestina spasmo affici. Hinc in ejusmodi morbis spasmodicis urina aut parce fluit, sæpius supprimitur, aut pallida, aquea tenuisque redditur: indicio rursus, ob constrictas angustasque vias, aut insufficientem aut subtilem saltem materiam transmitti. Speciatim adhuc indicare convenit, a vellicatione inductos spasmos, intestina constringentes, hæmorrhagiarum in variis partibus constituere causas. Quippe vasis sanguiferis, ventriculum & intestina perreptantibus, sic constrictis angustatisque, sanguis non potest libere circulari, sed ex his ad alias vicinarum partium venas pellitur, quas præter modum extendit ac urget, ut ad proxima loca cum impetu ruat, usque dum pressis ruptisque vasis apertisque illorum osculis alicubi effluat, adeo, ut nullus dubitem affirmare, nullam facile hæmorrhagiam sine internis vasorum obstructionibus esse. Quod autem ut plurimum hæmorrhagiarum, quæ sine externa læsione contingunt, in intestinis & visceribus infimi ventris lateat causa, exinde fit palam, quia omnem fere sive narium hæmorrhagiam, sive hæmoptysin aut sputum, vomitumque cruentum, morbum nigrum Hippocratis, aut mensium hæmorrhoidumque fluxum, inflatio abdominis, spasmodici motus, dolores pressorii, tormina ventris, extremorum infrigidatio ac horripilatio cum pulsu arteriarum magno, ac vehementi partis, ex qua effluit sanguis, intumescentia, rubore & dolore gravativo &c. præcedunt & comitantur. Hinc etiam frequentissime hypochondriaci & hystericæ fœminæ, qui-

bus

bus ordinario ſpaſmi ac obſtructiones in inteſtinis ac viſceribus ſunt, hæmorrhagias experiuntur.

§. XVII. Sæpe etiam non ſolum ab aſſumtis cauſticis, atque venenis, ſed & in morbis quibusdam, ut in dyſenteria & phthiſi, ceu obſervationes Autorum ferunt, ab acrimonia proclive abraſionis, exeſionis, denudationis & eroſionis periculum eſt, quo contracto, tunicæ hujus defectum gravibus dirisque ſymptomatibus & exitio miſeri luunt, & ut plurimum gangræna & ſphacelo vitæ cruciatibusque finem imponunt. Sic totam interiorem inteſtinorum tunicam excretam eſſe TVLPIVS *obſerv. Lib. III. cap. XVII.* refert. Æque villos totos cum glandulis abraſos per totum pene inteſtinorum tractum in cadavere hominis, dyſenteria demortui, in Amſtelodamenſi noſocomio me vidiſſe quondam memini. Fuit quoque, cum ejusmodi vitium Tiguri, quæ primaria Helvetiæ urbs eſt, ſub manuductione Clariſ. ac Experientiſ. Dn. D. Joh. Muralti notavi; prout ex ſequenti hiſtoria conſtat. Vir XXXVI. circiter annorum melancholico-cholerici temperamenti, ſtrictioris macilenti corporis habitus, ad iram proclivis, & præter modum aliquando ab ea motus per trium ſeptimanarum fere ſpatium ægrum ſe ſenſit, ſubinde tamen lectum deſeruit, & de appetitu imminuto, nauſea, colicis paſſionibus, modo dejectionibus alvinis ſeroſis, modo alvi adſtrictione, per aliquot dies perſeverante, inflationibus ventris conſtrictoriis, anxietatibus, inquietudinibus, & doloribus colicis conqueſtus eſt. Pulſus erat durus, & urina pallida ac tenuis. Vinum, ſuccum citri, cum ſaccharo, quo alias delectabatur, edulcoratum, cereviſiam, ſpirituoſa, & pulveres terreo-ſalinos laxantia, & frigidiusculum ſerenum aërem plane non ferebat, adauctis exinde dictis ſymptomatibus. Circa tertiæ ſeptimanæ finem corporis extrema calido influo deſtituebantur, &, exactis aliquot diebus, macie confectus, ſpasmis immanibus ſubortis, mortuus eſt. Facta apertione, tunicæ duodeni atque jejuni inteſtinorum arroſæ, villoſa præcipue perroſa & inflammata conſpiciebantur. Memini etiam adhuc, me ex B. D. Ortlobio audiviſſe obſervationem de viro quodam primario, qui, præſervationis (tempore peſtis Lipſienſis) gratia, acida, ſuccum inprimis citri, quotidie majori in copia aſſumſit, & a peſte quidem immunis manſit, attamen colica convulſiva demortuus, cujus ventriculi & duodeni atque jejuni inteſtini tunicæ, inprimis villoſa, tota fuit eroſa, adeo, ut in ventriculo tria foramina conſpicerentur, per quæ cibus & potus in cavum abdominis ſunt prolapſi. Hinc etiam patet, ut experientia docet, cur dyſenteriam graviorem ut plurimum coliaca paſſio &

marasmus sequi soleat. WILLISIVS *in pharmac. rat. s. II. Cap. I.* Villosam crustam in gulosis & bibonibus esse ex parte detritam, testatur. Exinde colligitur, quanta totius animalis œconomiæ pernicies haud simplici modo ex vitiata hac tunica oriatur.

§. XVIII. Satis de his nobis verba fecisse videmur. Alterum, quod habemus institutum jamjam persequamur. Scilicet, quemadmodum tunica intestinorum Villosa multis morbis dat sedem, partem mandantem, occasionem ac causam; ita & in morborum, longe etiam distantium, curatione immediatum concedit subjectum. Quoniam omnia medicamenta in corpus assumta, quæ facile possunt per subtilissimos poros tunicæ Villosæ, vasorum lacteorum, transire, ut tincturæ, essentiæ, spiritus, oleosa subtilia, salia liquefacta, per hanc chyli viam ad massam sanguineam transeunt. Quantumvis etiam enumeres plura eorum, quæ, in corpus assumta, operationem instituunt, non saltem evacuantia, vomitoria, purgantia, laxantia, sed & alterantia, *fixa* adstringentia, tonica, terrea, terreo salina, & omnia quæ sub præcipitantium titulo veniunt, & quæ sub forma pulverum præsertim præscribuntur, qualia in schedulis medicorum utramque faciunt paginam, quæque certe universaliora sunt alterantia atque in pluribus affectibus egregium officium collocant, adeo, ut polychrestorum remediorum titulum jure mereantur, quorum plurium paucissimæ tantum partes, aut etiam sæpe prorsus nullæ, ad sanguinem remotasque partes forte affectas, perveniunt, sed immediate & unice tantum primarioque in ventriculo & intestinis, & præcipue in tunica villosa & per eam, suam exerunt operationem. Nam rem recte æstimantibus constat, poros & tubulos tunicæ Villosæ atque vasorum lacteorum in naturali sua constitutione subtilem saltem succum chylosum admittere, heterogenea & crassiora ut pulveres, & potus etiam genera, crassiora vina, cerevisias, potulenta amaricantia crassiora coffee &c. & adstringentia terrea & terreo salina & sulphurea, quæ solvendo non sunt, bilemque crassiorem excludere, cum fæcibus foras excernenda, quorum quædam ideo etiam eas fusco colore, ut chalybeata, saturnina & quædam ex auro, imbuunt. Sic validius stypticum assumtum pro nimia fibrarum relaxatione serique vel sanguinis affluxu forte corrigenda & compescenda dum adhuc vel in stomacho hæret etiam in remotioribus locis constringentem exerit effectum. Sic cinnabaris tota cum sulphureis suis partibus, ut per experimenta facta constat, iterum, ut est assumta & bene rubra, redditur. Inter omnia vero medicamenta quæ simul ac ad ventriculum perveniunt effectum etiam in dissitis partibus

exe-

exerunt, opiata eminent, cujus vel unicum ſaltim granum aſſumtum protinus dolores ſedat ſomnumque inducit, ut jam de aliis taceamus. Nec medicamenta etiam ſubtiliſſima & ſoluta ſalina & ſulphurea volatilia, ut & aquoſa, thermæ, acidulæ decocta & infuſa calida & lignis, radicibus herbis &c. pro diæta adhibita ad ſanguinem integra veniunt, ſed in ventriculo & inteſtinis maxima ex parte alterata, ſaturata, enervata, adeo, ut eo delata ibique commixta parum admodum activa ſint, nec ad deſideratum effectum edendum, aut aliis partibus implicita & mixta hæreant ac remaneant, aut per alvum exeant. Siquidem thermales v. gr. aquæ Carolinæ in quibusdam ſubjectis & quidem in pluribus eorum ſi tepidæ, in omnibus fere ſi refrigeratæ ébibitæ fuerint, ſaltem per alvum operationem ſuam inſtituunt, & tota earum quantitas per alvum iterum educitur, nihilominus tamen ſuum officium in ſanando, egregie præſtant.

§. XIX. Operationem vero hæc medicamenta ſuam potius exerunt, atque adeo curationem potiſſimum perficiunt, (ſi ita in genere loqui liceat, cum, ſi exacte res conſideretur, quorundam uſus paſſivus magis quam activus ſit:) dum non ſolum chylum virtutibus ſuis medicinalibus imprægnant, doſi etiam parva easque per totum dein corpus diſtribuunt, ſed & hanc ipſam tunicam immediate afficiunt, quando ad eam appellunt, ipſis villis adhærent moramque ibi nectunt, ac eam ejusque poros ad ſtatum naturalem reducunt eosque abſtergunt ac liberant, apertos ſervant, obſtructiones tollunt, ac avertunt, mucum viſcidum incidunt & reſolvunt, aut acerbum, auſterum, acidum, adſtringens acre cauſticum, rodens & vellicans ſalinum aut ſalino-ſulphureum, ſive in primis viis genitum ſive ex maſſa humorum apportatum, & bilioſum, plus minusve volatile & ſumme mobile imbibunt, præcipitant, temperant, invertunt, diluunt, eluunt, figunt & cohibent, edulcorant, aut bilem inertem acuunt, ſpiritus animales ut uberius influant, invitant, aut vi ſua tonica leniter adſtringendo, tonum firmant & reſtituunt, præter naturam patulos & laxatos reducunt, fibras motrices ad contractiones animant ac ſolicitant, ſtimulant, motum ulterius continuandum juvant, ipſos glandulosos apices, ut liquorem reddant, molliter afficiunt, atque ipſas præternaturales fibrarum membranoſarum & nervearum vellicationes, & eroſiones, criſpationes, ſpasmos & convulſiones inductas demulcent, corrigunt, ulteriorem progresſionem & affectiones inhibent, ut & ipſum affluentem chylum cum lympha depurant, attenuant, acidum deturbant, eique conſiſtentiam legitimam conciliant, vi medicata inficiunt

con-

condiuntque, & illius diſtributionem, excernendorum vero ejectionem juvant, & viam ſimul in ſequentibus medicamentis expeditam parant, quibus effectibus fonte ac ſcaturigine malorum obſtructa, & rivuli exinde emanantes ſua ſponte exſiccantur. Dictis faciunt fidem phænomena, quæ in praxi medica tota die occurrunt. Uti enim totum corpus ſpirabile eſt, ita etiam totum ſenſile, hac parte læſa, alia, læditur & dolet & ſentiente parte aliqua ſentiunt facile omnes, quod HIPPOCRATES jam dudum hinc inde dixit ut *Lib. de Aliment.* *In humano corpore confluxus eſt unus, conſpiratio una & omnia conſentientia.* Per naturæ ſimilitudinem partium ſolidarum originem, ob continuationem fibrarum ejusdem texturæ, toni, elateris aliarumque qualitatum ſuo generi familiarium, per vicinitatem atque contiguitatem enim & propagationem, per transmiſſionem fluidi ut & uſum atque communicationis officii ſpeciatim membranarum & nervorum illorumque fibrarum elaſticitatem præſertim totum eorum ſyſtema afficitur & partes, motus ſuos communicant, ejusmodi vero partibus admodum ſenſibilibus omnium vaſorum & animalium inſtrumentorum compages componitur, ut motus fluidorum ſanguinisque circuli in partibus, nervoſarum ac membranoſarum exquiſitiori motu & ſenſu gaudentium, ſyſtematis nervorum & fluidorum progreſſus & circuli atque motuum vitalium & animalium harmonia & conſpiratio exſurgat amica; nec ullus in humano corpore motus familiarior crebriorque quam ille, ex conſenſu, per motum variarum partium. Talem naturam, conditionem & effectum in aliis quoque inſtrumentis non animatis quidem paſſim exemplo & experimento chordæ aut funiculi videmus Utile quoque & aptum erit in comprobationem & illuſtrationem quandam ad alias remediorum & medicamentorum, quæ aliis partibus applicantur, operationes, animum revocare, in cujus rei exemplum modo errhina jam & clyſmata nominare libet. Etenim de illis conſtat, eorum uſum, in quam multis interioribus affectibus admodum proficuum eſſe, licet etiam ex cerebro nihil per ea deſcendat, ut per hodiernorum Autorum, qui hanc rem probatam dederunt poſt Galenum præſertim Williſius, Vieuſens, Diemerbroeck, Schneiderus, contra ſuperiorum ſeculorum Medicorum ſententiam vid LAVRENTIVS *oper. L. XI. cap. XV. p. 583.* FERNELIVS *phyſiol. Lib. I. cap. IX. p. 21.* LIDDELIVS *art. med. Lib. V. cap. VII. p. 698.* Ad hoc aliudque expreſſe HELMONTIVS *in Operib. p. 535.* notat, ex digeſtione & cura ſtomachi pendere curas & regimina digeſtionum per totum, non neceſſum eſſe pharmacum deferri ad locum affectuum, illudque ſolo adtactu Archei ſtoma-

ſtomachalis poſſe longinquos ſanare in corpore morbos, atque non opus eſſe quod ad ſanandum agens, tangat remotum. Re enim exactius reputata, omni aſſeveratione affirmandum eſt, ex. gr. errhinorum jam in plerisque operationem nullam aliam eſſe, quam ut nervos vellicent, ſolidasque & fluidas partes in motum concitent, ut in apoplexia, caro omnibusque affectibus ſoporoſis, ſimilibusque, fieri aſſolet. Tametſi mihi nullus dubitationi locus ſupereſt, aſſerendi, quasdam etiam errhinorum partes arteriarum tunicas earumque poros penetrare ſangvinique ipſi commiſceri, ipſumque ad cerebrum usque deferri, ut ſua efficacia ac vi, qua pollent, humores viſcidos, lentos craſſosque aut ſtagnantes atque hærentes diſſolvere & ſubtiliſare, motumque rurſus fortiorem imprimere ulteriusque promovere queant. Sternutatoria, ſi ſunt, totum corpus concutiunt. De his (clyſteribus) pariter advertentibus comperiet, illorum uſum admodum eximium eſſe & in pluribus morbis efficaciſſimum, licet in inteſtinorum rectum injiciantur columque ſaltem perveniant, atque ultra ejus valvulam vix tranſeant. Plura ſuccurrunt exempla atque teſtimonia, in frictionum, pediluviorum adhibitione ac fomentationibus, inunctionibus, item inſeſſionibus, in purgantium umbilico, vel plantis pedum applicatione. De tactu lobi auriculæ de quo TH. BARTHOLINVS *hiſt. anatom. cent. IV. 80.* experientia haud ſimplici edoctus, aſſerit eum reliquas partes in conſenſum trahere & ſummo æſtu, ſi frigida aqua, lobo adſpergatur, univerſum corpus in conſenſum trahi & refocillari &c. In emplaſtrorum ſacculorum impoſitorum aliisque variorum remediorum generibus applicatione idem videmus. Hinc ſi hypochondriacis, viſcerum, lienis, hepatis obſtructionibus & atonia laborantibus terreo-ſalina aut terrea ſaltem abſorbentia, lap. cancrorum C. C. raſpatum aut uſtum &c. præſcribuntur, alvum laxatam ſentiunt, non aliter ac ſi laxantia aſſumſiſſent & exinde ſe habent quam optime. Majorem adhuc ejusmodi operationem atque effectum a limatura martis habebis, partim quia tonum reſtituit, fibras ad motum edendum invitat, acidum deſtruit, viſcidum incidit, quæ eas obſeſſas tenuere, partim, quia ab acido ſoluta tertium velut quoddam vitriolicum dulce, egregia abſtergente aperienteque virtute, præditum, hypochondriacis inprimis utile, concedit. Atque vix, duabus elapſis ab aſſumptione eorum horis, pulſus acceleratur, facies floridior & coloratior fit &c. quam accelerationem in ſpecie a limatura hac, ad maſſam ſangvineam atque ad cor delata, procedere abſit, ut quis exiſtimet, cum longe veroſimillimum ſit, ex primis viis hunc effectum & leniter ſtimulatis

fibris nerveis præsertim, auctoque exinde in reliquis omnibus vasis successivo sanguinis motu procedere. Hinc & qui spasmis obnoxii sunt tenerrimæ constitutionis homines, fœminæ delicatæ & maxime hystericæ, martialia ejusmodi, ægre ferunt, & protinus in illis spasmi aut augentur aut concitantur, evidenti sane argumento, in ventriculo, intestinis, canali illo nervoso & membranaceo, qui, ob varia affluentia, quæ recipit, spasmorum admodum fertilis est, per hunc stimulum eos exinde oriri. Ea rursus fixa ut ungula alcis medulla saxorum, bolus armeniæ, terra sigillata, unicornu fossile, lap. cancr. &c. ad drachm. semis assumta, sudorem provocant sat citum & largum, non certe ad massam sanguineam delata, id præstant, sed, ut potius reor, dum agunt in partes obvias, & chylum cum lympha tenuiorem subtilioremque reddunt, qui ad sanguinem delatus, in eumque mutatus facilius transpirat &c. Eadem turgescentem, ebullientem ferocientemque universam humorum massam sæpissime in primis viis præcipitando, materiam vellicantem corrigendo, placando sistendoque motus irregulares in membranis nervosis sedant ac corrigunt, adeo ut dubium sit, an etiam eo delata talem effectum producere valuissent. Lap. cancror. in pleuritide specificum non secus ac antimon. diaph. martiale in variolis esse dicuntur, qui tamen pleuram non attingunt, notante SACHSIO *Grammarol. p. 662. & 719.* Contra eandem atque anginam mandibulæ lucii pisc. & dentes apri, unicornu marinum in erysipelatibus illorumque æstu apud practicos decantata remedia sunt; lapidem spongiæ colli strumas destruere medullam saxorum stranguriæ, os sepiæ gonorrhœæ mederi, expertis constat: ungula rangiferi raspata pro infallibili remedio contra animi deliquia venditatur. Vid. TALANDERS *curieuse Reisen P. II. p. 14.* crystallum montanam præparatam & lac lunæ in mammis lac augere, & osteocollam in fractis ossibus occallescentiam promovere, lapides cancrorum in vulneribus pedum ruborem, ardorem & inflammationem sistere videmus, quæ vel ab unico cochleari vini acidi mire exasperantur. Quis vero facile crederet aut probaret, has materias in mammis ac pedibus fractis læsisque &c. ipso materiali sui contactu id efficere. Febris hectica, lenta, in quibus tunica ventriculi & intestinorum Villosa, glutine quodam crasso atque corrupto, acido, acri, nidoroso obsessa est atque obstructa, non raro in principio, unico vomitorio aut paucis laxantibus saltem, ex abstergentibus, salinis, terreo-salinis, arcano duplicato, tartaro vitriolato, sale tartari, sale ammoniaco, nitro, mercurio dulci & similibus quæ materiam hanc resolvunt, abstergunt atque auferunt,

runt, in sequentibus subadstringentibus & roborantibus, atque sic ulteriorem materiæ peccantis per crustam villosam accessionem impedientibus, feliciter curatur; si in massa humorum jam inordinatus & concitatus nimis est motus, præcipitantibus, terreis & terreo-salinis, nitratis, antihectico Poterii, nitro depurato, lapidibus cancrorum &c. tandem etiam cedit. Febres intermittentes famoso illo febrifugo, cortice Peruviano, uno quasi ictu, aut etiam quandoque rad. gentiana, costo arabico, cortice ligni guajaci tamarisci &c. concidunt, aut paroxysmi, qui insequi alias solent, emanent, atque sic in ventriculo saltem aut in intestino duodeno operationem fieri, in aliis autem locis extra hanc aut parum aut nihil prorsus assumta hæc remedia, operari apparet. Reliquæ etiam varii ordinis febres, quæ generi humano frequentissimæ sunt, ne dum omnes a quibusdam, ut & ab Anglis præsertim, epilepsia, hypochondriaca & hysterica pathemata, & a Gallis mensium suppressiones & pallidi fœminarum colores, eodem cortice aut frequentius per pulveres aut potiunculas ex præcipitantibus vulgo curantur, atque simul symptomata comitantia, præcordiorum anxietates, inquietudines, irritationes, jectigationes, agrypnias, cutis constrictam & aridam sopiunt atque emendant & transpirationem atque sudorem restituunt. Chalybs, lapis hæmatites pulverisatus atque assumtus, tinctura sulphuris vitrioli & similia hæmorrhagias narium, hæmoptysin, mensium fluxum nimium aliasque sanguinis fluxiones præternaturales inhibent, tinnitum aurium, tussim sic dictam periodicam stomachalem atque ferinam, soli pulveres terrei salini præcipitantes, vesperi sumti, penitus tollunt. Poterius celebratissimo auro suo diaphoretico fixo, aut magnesia saturnina, aut luna terrestri firma atque compacta, contumacissimas & inveteratas paralyses, melancholiam, vertiginem, palpitationem cordis, icterum contumacissimum, impetiginem, causum, hydropes, pedum tumores, podagram & malum ischiadicum, eradicavit funditus. Vid. Excel. D. F. HOFFMANNI *not. ad Poter. p. 11. 21. 35. 39. 79. 80. 87. 96.* Convulsivi infantum motus familiarissimi ab acidis & biliosis corrosivis succis primarum viarum pulvere marchionis & cinabari, aut specifico cephalico D. Michaëlis, felicissime illicò auferuntur ut epilepsia a limatura auri, visco corylino atque quercino sedatur, qui pulveres quomodo per poros Villosæ tunicæ, obliquos circumvolutaque vasa lactea ad caput &c. feratur & in cerebro & in medulla spinali, horumque membranis lympham viscidam, acrem subsistentem rapiant aut resolvant ac temperent, haud mente satis concipere possum. Qui cruditates in primis viis alunt, vel buc-

cella panis mane ſumta, vertiginem, capitis dolorem, oculorum obfuſcationem avertunt. Sed ubi finis foret, ulterius ſi pergere vellemus, cum etiam hæc adiecisſe ſit ſatis. Hoc ipſo pariter nodus is ſolvitur, qui adeo multorum hominum ingenium torſit, quomodo ejusmodi corrigentia in maſſa ſanguinea ſanationem perficere poſſent, cum eorum tranſitus ad eam usque dubius eſſet, & minori temporis ſpatio ſæpius efficerent, quam quidem ad eam pervenire poſſent. Ex præfatis colligitur, quam bene ſuo officio & ægrotantium ſaluti proſpiciant medici, ſi univerſalia ſic dicta & ejusmodi alia præmittant atque adhibeant, quæ tunicam Villoſam liberant, abſtergunt, mucum tenacem incidunt, acidum & auſterum temperant, corrigunt & evehunt, tonumque firmant &c. Quod optime fit præſertim per ſalia deterſiva, temperantia, præcipitantia, invertentia, laxantia, roborantia. Quare laudis fructus pro eo ac par eſt Martiano, Ballonio ac Riverio inprimis tribuendus eſt, qui diligentiſſime monent atque hortantur, ut medici primarum viarum, provide, in omni morborum curatione, hoc modo habeant rationem.

§. XX. Ut per tunicam Villoſam ejusque poros vitia ad maſſam ſanguineam & reliquas partes transmittuntur; ita & hæc ab iis recipit ea, ut primæ ipſæ viæ varie afficiantur, quippe mutua harum partium conſpiratio eſt. Atque ſic natura per hanc, morborum præſervationem & ſolutionem non raro molitur, quando v. gr. diarrhœas ſpontaneas bono & ſalutari ſucceſſu exinde ſcaturire cernimus. Hoc maxime per glandulas fit quas habet intertextas & forte per ipſos villorum apiculos, quos glanduloſos Clariſſimus Brunnerus eſſe dixit, & antecedentia referunt. Nimirum ſubinde accidit, ut ex ſanguinis oceano excrementitiæ partes ſalinæ, ſulphureæ, acres &c. ad inteſtina deponantur, & ibi ex acriori vitio diarrhœæ, dyſenteriæ, choleræ, ex acerrimo, inflammationes ac corruptiones & ſphacelationes producantur. Ejusmodi frequentiſſime in plethoricis, cacochymicis, ſcorbuticis evenit, ſi forte auræ frigidiori ſe exponant, ex quo, tranſpiratione impedita, ſerum excrementitium ſimul atque laudabile, uti ad alias partes, aſperam arteriam, glandulas colli &c. ita & in tunicas ipſarum primarum viarum ſecedit, ſiquidem & in hanc rem notabile eſt, ſub catarrhorum acceſſionem, exacerbationemque tenſam, duramque fieri alvum. Dictum modo a nobis RIVERIVS comprobat *cent. I. obſ. 66.* dum ait: Quoties alvus reſtitabat, catarrhus affligebat graviter, &, fluxu alvi redeunte, catarrhus ceſſavit. Imo in medica praxi exempla empyematum thoracis per inteſtina & alvum expurgatorum occurrunt,

runt, qualia & GALENVS (vid. *de loc. affect. Lib. IV. cap.* 4.) vidit. Massa enim sanguinea turgescente, sero sive sensim sive confestim accumulato, aut per febrilem motum ac fervorem liquato, stimuloque accedente, sive ab humoribus facto, sive in intestinis contracto, onus hoc natura, per arterias cœliacas maxime allatum, deponit. Sicque ab impedita forte præternaturaliter secessione, per poros cutis aliasque vias tenuissimæ indolis salino sulphureæ, excrementitiæ sordes, aut serum etiam nimis lentum, crassum & viscidum exinde & ejusmodi particulis commixtum, quod per alia spiracula non facile excerni potest, per hanc viam publicam secernuntur. Sanguis etiam, dum per venas mesaraicas, venam portæ, hepatis viscus difficiliusque movetur, quod in vitæ sedentariæ deditis, hypochondriacis, cachecticis, senibus maxime accidit, mora atque stagnatione impurus evadit, & feculentias per glandulas in intestinorum canalem transmittit. Rursus autem ex retrocedentibus cutis exanthematibus, variolis, morbillis, purpura, scabie impetigine &c. ut reliquæ intestinorum tunicæ, ita præcipue Villosa ordino male afficiuntur, exitiumque patiuntur, siquidem, ut observationes testantur, hæ erosæ, inflammatæ, exulceratæ, sphacelatæ sunt inventæ, quod B. D. Ortlobius & Christ. Ludov. Welschius confirmarunt, qui varios ex purpura, morbo Lipsiensibus familiarissimo, retrocessa demortuos, secaverunt, atque semper tunicas intestinorum, præcipue Villosam, inflammatas corruptasque invenerunt. Eadem labes ibique deprehensa est ab illis Clarissimis Medicis in iis, in quibus purpura non sufficienter ad habitum est educta. Ex his modo hic superiusque allatis intelligi potest, intestina publicam solennemque diversarum ac copiosarum materiarum, quarum aliæ laudabiles ac necessariæ, aliæ vero aliis sunt pejores, esse cisternam, esse regiam promovendarum viam nutritionis, sustentationis, correctionis, curationis, per naturam æque ac per artem æmulam, institutæ, esse sanitatis ac vitæ pariter ac morborum, causarumque morbificarum mortisque officinam.

§. XXI. Quodsi itaque res se ita habet, quod tam utilia tamque necessaria munia & perficiat tunica intestinorum villosa, & tantum sanitati & vitæ intersit eam rite constitutam esse, tantaque mala secus exinde proficiscantur, indicata in superioribus paragraphis maxime vitia, quibus vitiatur, sedulo sunt præcavenda atque evitanda; præsertim cum vitium primæ digestionis vix satis in alia corrigatur, adeo, ut & idem malum sæpe ad suum recurrat principium, nam & hæc ipsa vitiosorum humorum circulatio & multiplicatio est, quæ difficilem maxime eorum

reddit curam. Hoc fine inprimis potimur, cum talis sit chylus, qualia sunt assumta, si quivis sibi caveat sedulo, præsertim, a cibis viscosis pinguibus, glutinosis v. gr. piscibus, in piscinis nutritis, tincis &c. durioribus, tenacibus, compactis, verbo difficilis digestionis & flatulentis, distendentibus. Qualia sunt: panis durus, mucidus, non bene fermentatus & coctus, placentæ calidæ & pingues, lac & lacticinia nimia & ventriculo acidis cruditatibus repleto ingesta, inter quæ lac ovillum inprimis ob crassitiem accusatur. Accusatur hinc & lardum, inprimis vetus, caro vervecina tepida assumta, superingestoque præsertim frigidæ aquæ aut cerevisiæ haustu. Abstinendum pariter est ab acidis excessivis, nimis constringentibus, acribus, acutis, scindentibus, lædentibus rigidis, austeris, acerbis, fructibus horæis immaturis, prunis, uvis, malis cydoniis, pyris, mespilis, fructibus acaciæ & myrtillorum &c. Ex potulentis absint vinum, præter modum acidum atque austerum, cerevisia acida & corrupta, non bene lupulata & defœcata, & aqua, quæ dura, aspera, fœculenta dicitur, a qua intestinorum eorumque pororum & viscerum obstructiones, lienis inprimis, & scrophulæ in glandulis colli procreantur. Absint etiam potus nimis frigidi inprimis, calenti ab exercitiis corporis aut ira commoto superfusi, qui stuporem & lentorem ventriculo & intestinis maxime inducunt. Hinc verissime CELSVS scribit *Lib. I. p. 28.* Illud nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio sit perniciosissima, atque etiam cum sudor remisit, itinere fatigatis inutilis est. De iis, qui frigido potu perierunt, legas apud MARCELL. DONAT. *hist. mirab. Lib. IV. cap. VI.* Quod vitium in viro quodam vidi, qui cerevisiam frigidam, ab exercitiis corporis adhuc æstuans, affatim hausit, ex quo in hecticam cum vomitibus matutinis incidit, cujus tunica Villosa ventriculi & duodeni intestini crassa pituita copiosissima obsessa, atque penitus obstructa, post mortem est inventa. Ejusmodi exempla in praxi frequentissima obveniunt: ex frigido potu, liberalius in corpus calidum admisso, hecticam, atrophiam, singultum, phthisin, inflammationes ventriculi & intestinorum, cachexiam, gravissimos diuturnos affectus cum spasmodicis & flatulentis intestinorum passionibus pronasci. Deleterium ejusmodi effectum spiritus vini largior & continuata potatio post se relinquit, horum enim corporum, qui hunc in quotidianis deliciis habuerunt, sectiones demonstrant, ventriculum, intestina omniaque viscera rugosa contracta, indurata, arida esse, atque bile concreta obsessa. Copiosa nimis quoque potus ordinarii materia id efficitur, ut hujus transitu diuturno viæ lacteæ, labefactentur & laxa-

tæ

tæ nimium atque ampliatæ, crassum cum tenui admittant, cor vasaque superfluis humoribus impleant. Exulent immodicus somnus, ac socordia, quibus totum torpescit corpus, humores incrassantur omnes & obstructiones ingenerantur, vita etiam, qua contabescimus, sedentaria & intermissio commotionis agitationisque corporis, frequentiores lucubrationes, meditationes profundæ, quas amant literarum indefessi cultores:. Per hæc enim sæpe relictum a cibis & cruditatibus vel ex glandulis intestinorum collectum lentorem in pituitam vitream quasi tenacissimam coagulari, intestinorumque latera obduci, incrustari, chylove aditum præcludi, observationes ferunt, qualis e. g. de Justo Lipsio habetur in vita Joh. Heurnii, qui postquam ex motus corporis defectu valetudinarius pharmacum adhibuit, pituitosam quasi fasciam ejecit. Similis casus quoque a Fernelio recensetur de Legato quodam Cæsareo, cui, per sexennium valetudinario, ex injecto acriore clystere firmus, durusque pituitosus pannus, pedis humani longitudinem æquans, est detractus. Quia & multum a purgantibus violentioribus, drasticis resina Jalappæ scammonii, helleboro albo & hujus farinæ aliis, ut & aliis corrodentibus patiuntur fibræ tunicarum carnosæ, nerveæ, glandulosæ ac ipsi intestinales villi, quoniam illa crebris spasmis & repetitis succussionibus nimiis & convulsionibus graviter invadunt, & irreparabile damnum, atoniam, pertinacissimam alvi obstructionem, tubercula, excrescentias, erosiones contritiones & denutationes, indurationes, inflammationes, exulcerationes, corruptiones, gangrænam, sphacelum cum ipsa morte, quæ tragœdiæ tandem finem imponit, inferunt:. cautus cuivis & circumspectus esse debet eorum usus. Male itaque sibi consulunt, qui consilia a pharmacopœis, medicastris, circumforaneis petunt, quibus nihil antiquius est, quam primum statim purgantia, vehementer nimis operantia, devoranda præbere, quem infelicem eventum, ac si optime purgati essent, ut felicissimum deprædicant atque collaudant. Ex reliquis rebus indifferentibus nocet aër caliginosus & nebulosus, nimius, solis & aëris æstus, vehementiora corporis exercitia, inprimis calidissimo aëre instituta, & accedente potu calido spirituoso affatim hausto &c. fornaces & balnea æstuantia nimis, quæ cruditates pituitosas, nidorosas &c. commovent, exagitant, exaltant, & ad vasa lactea, vi quadam propellunt. Rursus coagulantur contenta, si corpus ex calido aëre in frigidum corpus derepente transferatur. Ex animi affectibus maxime hic sunt accusandi ira atque terrores, qui spasmis perniciosissimis ventriculi & intestinorum tunicas corripiunt, atque invidia, odium

odium, ſolicitudo, meticuloſitas, mœror atque triſtitia diuturna: Nihil enim magis auſterum auget atque intendit, pituitam incraſſat. Vid. SYLVIUS *method. med. Lib. II. p. 132. & 314.* inquinamenta a peripheria ad centrum revocat & poros inteſtinales obſtruit & coarctat, quam hæcce, ut obſervationes loquuntur.

§. XXII. Ea autem potius ſunt in frequentem uſum ducenda, quæ obſtructiones præcavent & auferunt, & poros tunicæ Villoſæ liberos ſervant, abſtergunt, craſſum terreſtre attenuant, & mucum, quo obſeſſa eſt, viſcidum incidunt, conſtringens, acidum, auſterum & acre cauſticum, bilioſum vellicans, rodens, convulſiones inducens corrigunt, diluunt, deſtruunt, invertunt, temperant, educunt, tonum & robur ſervant atque reſtituunt & alvinas excretiones debite adjuvant. Quibus ſcopis egregie inſerviunt in genere magis infuſa & decocta calida ex herbis præſertim traumaticis, rad. cort. lignis, ſeminibus & floribus, ut card. bened. veron. angelic. imperator, naſturt. hortenſ. & aquat. ſalv. meliſſ. roris marin. abſinth. cent. min. menth. agrimon. cuſcut. chamædr. chærefol. fumar. lign. ſaſſafras, ſantal. juniper. quajac. buxi, cort. aurant. tamariſc. citri, rad. chin. ſaſſaparill. polypod. bardan. caryophyllatæ, helen. galang. cichor. tamariſc. bacc. junip. ſem. fœnic. aniſi, raſur. C. C. &c. in aqua & vino macerata & decocta, juſcula calida, theæ, coffée & thermæ præ aliis & acidulæ. In ſpecie magis acidum deſtruunt abſorbentia, præcipitantia, terrea & terreo ſalina, alcalia, fixa & volatilia, mand. luc. piſc. ebur, dens hippopotami, dens apri, corallia creta, ſanguis draconis, mater perl. conch. os ſepiæ. lap. cancr. unicorn. verum, teſt. ovor. terra ſigill. Sileſ. armeniæ bolus, oleum tart. per deliquium, ſal. tart. liquor. C. C. ſpiritus ſalis armoniac. ut & martialia in primis martis limatura. Ad auſteri & acerbi correctionem terrea, oleoſa, ſalia volatilia, alcalia, ut & ſpir. nitr. dulcem SYLVIUS commendat. *prax. med. Lib. III. p. 501.* & ejus ſigna, tam in inteſtinis quam alibi v. g. pulmonibus hærentis ſuppeditat *Lib. I. cap. XX. p. 209.* Acre cauſticum magis enervant pinguia & oleoſa, oleum amygd. dulc. butyrum recens, emulſ. ſem. 4. frigid. maj. & min. frigida, opiata &c. mucilaginoſa, ex herb. & rad. malv. alth. ſem. cydon. paratæ mucilagines, gelatina C. C. tragacanth. lac. & lacticinia. Acrimoniam vero bilioſam, magis infringunt cryſtall. montana calcinata, acida, nitrata vitriolica. Viſcidum reſolvunt, incidunt & attenuant, liquefaciunt, aquea, ut infuſa & decocta modo nominata, aromatica, ſalia alcalia, & ſecundum Sylvium acida, acria, ſpirit. ſalis, nitri, vitrioli, ſulphuris per camp. acetum deſtillatum, ſuc-

cus

cus citri, neutra fixa & volatilia, ut ſal ammoniacum, ſal tartari eſſentif. arc. dupl. ſal culinare, oxymel ſquillit. & ſimilia. Tonum laxatum firmant & reſtituunt ſubadſtringentia ut cortex chacarill. chinæ, fraxini, ſanguis drac. & ſimilia, balſamica aromatica gummata, maſtiche, ſuccinum &c. flores hyperici ejusque eſſentia, terrea & terreo-ſalina. Quæ & fibras ad motum edendum armant & ſollicitant. His indicationibus & ſatis faciunt amara, aromatica, ſtomachica dicta, antiſcorbutica ut eſſentia rad. gentianæ, abſinthii, cardui bened. chamædr. cent. min. ſcordii, fumari trifolæ, fibrinii cort. aurant. cinnamomiſata rad. ari calam. aromat. galangæ cardamomi &c. Reſinoſa & gummoſa G. ammoniac. in aceto ſolutum eſſentia ejus, mel & mellita, atque compoſita magis, ut ſalia volatilia oleoſa, ſal volatile oleoſum Sylvii, balſam. vitæ Hoffmanni ſpiritus & elixiria balſamica, elix. ſtomachic. D. Michaëlis elix. P. P. elix. rhabarb. Laxantia lenia ex phlegmagogis & cholagogis præſertim ex rhabarb. aloë rite præparata, & ſecundum mentem Becheri cum balſam. maritata. Ejusmodi etiam ſunt pilulæ Hoffmannianæ, Stahlianæ, Hermannianæ, ex mercurio dulci & ſimilibus paratæ. Item tartarea, tartar. tartariſat. vitriolatus, tinct. tart. cremor & cryſtalli tart. Spaſmos tandem ipſos & convulſiones auferunt antiſpaſmodica, anodyna, antepileptica, ut caſtoreata, ſuccinata, cinnabarina, camphorata, crocata, pulv. marchion. ſpecif. cephal. D. Michaëlis, pulv. lumbric. terreſtrium, ungula alcis, dens. hippopotami, unicornu verum, tinct. benzoës ſpiritus ſanguinis humani, pulv. ſecund. human. Extract. viſci quercini & ſimilia. Nec externa hic plane de nihilo ſunt, olea & empl. ex oleis laurin. ol. cumin. maſtich. caſtor. menth. philoſoph. nux moſchata, nard. ol. carminat. Minſichti, empl. de baccis lauri, carminativ. Sylvii & ſimilia; Vel fotus ex mentha, thymo, majoran, origano ſerpillo pulegio abſinth. calendula cum maſtiche, nuce moſchata, mac. caryophyll. Vinumque aqua vitæ, balſama, balſam. anglic. peruvianus, liquidus & ſimilia ejusmodi interdum poſſunt exhiberi, præſertim quoniam ſubinde ex chyli confectione recrementa maxime viſcida remanent, & acidum ſuccreſcit: atque ſi ſuſpicio hujus vel illius vitii adſit, convenientia indicata potius eligantur.

§. XXIII. Cœterum conveniat decens his omnibus ſemper victus vivendique ratio omnis, quam humanitas ſimul & continentia ſuadet, & quæ totam hominis naturam conſervat, & labefactatam adjuvat. Ea autem præſertim ita ſit compoſita, ut ventriculo & inteſtinis bene conferat, & non faciat moleſtiam & negotium; indicata emolumenta im-

pertiat, mala vero avertat: Nimirum cruditates pituitosæ, acidæ, austeræ, acres obstructiones &c. præcaveantur & tollantur, spiritus animales conserventur &c. Aër igitur, quoniam inspiratus & cum cibis ac chylo mixtus maxime ad ventriculum intestinaque descendit, conducit temperatus, serenus, elasticus, purus, siccus, tenuis, & calidus magis quam frigidus, & suffumigiis ex succino, thure, myrrha, baccis junip. spica, majoran, lign. aloës &c. correctus. A luxuria & immodica assumendi libidine, blando illo malo, & quod accusare facilius est quam vitare, sibi temperandum, ne cruditates colligantur, & eædem ac exuberans chylus tunicarum ventriculi & intestinorum inprimis Villosæ labem ingerant, tonum mole sua destruant, debilitent, ac fibras ad actiones instituendas inertes reddant, obstructiones in poris vasisque pariant &c. Qua de re verissimum Italorum proverbium est, quo dicunt: Qui multum vult comedere parum comedat, & elegans satis Fernelii dictum, non, quod sapit, nutrit hominem, sed gulam. Multi enim cibi multique potus multos morbos procreare solent, qui evitantur, si modice cibi & pro necessitate, atque Socratica mediocritate observata, assumantur, eique, qui boni succi mediamque atque convenientem formam inter solidum & humidum obtinentes, diluentes, incidentes, attenuantes, roborantes, temperantes, modice calefacientes, assati & duriusculi magis quam elixi & emolliti nimis, pultes ex frugibus oryza panico, milio, pisis, avena, frumento saracenico. Obsonia ex brassica rubra, rapis, sisaris &c. jusculа hordeaca, & avenacea & similia, aromatibus, cinnamomo, salvia, majorana, thymo, chærefolio, satureja, croco, nuce moschata, mac. pipere, galanga, zingibere, foeniculo, aniso, carvo, caryophyllis vel succo citri, & aurantiorum, adjecto, rapistro, nasturtio, cochlearia saleque bene condita, fercula, vel etiam herbis radicibusque aperientibus & roborantibus medicata ut rad. cichor. petroselin. cum herb. & chærefol. acetos. nasturt. capparibus, cortic. aurant. citri, baccis lauri, juniperi cocta, nec ideo sale muriaque maceratos cibos rejicere possumus. Panis bene coctus & secalinus potius eligendus, inprimis confert ille, in quo subtilissimi furfures adhuc sunt relicti, qui villos & poros egregie abstergunt, quod etiam alii cibi faciunt, ut pisciculi, in aquis gregatim natantes, cum spinis & cancri minuti cum chelis, crustis, cauda, pellibusque integri comesti poma dulcia, borsdorffiana, pyra aliique maturi arborum fructus sive cocti sive crudi cum putaminibus & pelliculis, umbilicis pomorum, tunicis nucleorum pisarum siliquis, uvæ maturæ ribesia, berber, baccæ cynos-

bati

bati cum acinis, fungi & boleti edules & ejusmodi manducata, edulia, quæ per digeſtionem non ſubiguntur, ſed integra iterum aut parum mutata exeunt, ſimulque acidum deſtruunt, corrigunt ſpiculaque ejus obtundunt & pituitam adhærentem, educunt, & de quibus vulgo dicitur: *Es ræumet den mägen.* Hinc non adeo ineptiunt illi ruſticorum atque plebejorum, qui ceraſa cum nucleis deglutire ſolent, atque quidam quos ipſe cognovi, qui cancros fluviatiles etiam mediocres coctos integros devorant, Succedere poſſunt lactuca, endivia &c. Conferunt & mel atque mellita præſertim melligo in cellulis cratibusque tenuibus adhuc contenta, raphanus major & minor & condimenta ciborum ſalita aromatiſata, ſaccharata, quæ interdum lenem efficiunt fermentationem, pituitam potenter incidunt atque abſtergunt. Potus genera eligenda ſunt tenuia, quæ cito tranſeunt, variis etiam alterata, ut vinum abſinth. cydon. helen. aromaticum Hippocraticum dictum cereviſia hordeacea potius quam triticea & bene defœcata, rite lupulata, rore marino & ſimilibus, fermentata & medicata, cuique panis ſubinde toſtus nuce moſchata & cinnamomo conſperſus, atque conditus eſt inditus, quod genus potus ad villos ventriculi & inteſtinorum laxatos roborandos inprimis commendatur. Inter ea & hydromel proficuum habetur &c. Nec non fumus tabaci ſuctione exceptus diſſuadendus eſt. Verbo, omnia bene conferunt, quæ tunicas ventriculi & inteſtinorum molliter abſtergunt, incidunt, aperiunt & roborant. Exinde etiam inducuntur ii qui a tunica Villoſa aquæ frigidæ hauſtu poſt potum ſuccolatæ gluten ejus abſtergere ſatagunt. Debitæ corporis motiones præſertim ambulatio, equitatio, curruvectio, tornatio, & quæ cibum antecedunt, utique ſuadendæ, illæ enim, quæ paulo fortiores a prandio inſtituuntur, poris tunicæ Villoſæ moleſtiam creant, & crudum chylum in partes rapiunt, unde CELSUS bene monuit *Lib. I. Cap. XI.* dicens: *Si quis interdiu ſeſe implevit, poſt cibum neque frigori neque æſtui ſeſe neque labori debet committere.* Alvus rite reſpondeat ſemper, ne fœtidæ ſubtiles atque ſuccoſæ excrementorum partes, ſi diutius hæreant in inteſtinis, per poros tunicæ Villoſæ pertranſeant, hinc ea alvo clauſa retenta per paucos ſaltem dies areſcunt & indureſcunt, indicio, ipſas partes liquidas fœtentes a calore naturali reſolutas ſeceſſum feciſſe: Si usquam enim certe hic locum habet, quod AVENZOAR Arabum experientiſſimus *proœm. in Lib. I. Theiſir.* ſcriptum reliquit: In habendo ventrem mollem nutu Dei conſervatur ſanitas. Reliqua excernenda per veſicam, menſes, hæmorrhoides, ne horum retentio multis noxis anſam præbeat, expedita

præſtentur, ſecundum enim illam regulam, bene, qui ingerit digerit & egerit, ſanus eſt; Nec non retinendorum negligenda eſt ratio; Animus in tranquillitate, gaudio, amore, lætitia & hilaritate, ſuavi muſica amicorumque amico jucundoque conſortio erectus ac recreatus ſemper eſt ſervandus, quæ ut univerſo corpori, ita & ventriculo & inteſtinis illorumque functionibus conſtantem afferunt integritatem.

❀ ❀

XII.

DISSERTATIO MEDICA DE COLO, INTESTINO, MVLTORVM MORBORVM NIDO EOQVE PROXIMO PRAESERVATIONIS CVRATIONISQVE SVBJECTO.

PROOEMIVM.

MInus accurate iſti ſentiunt ac cenſent, qui morborum curam ſuſcipiendo vel loco ſaltem affecto obiter perſpecto (qui ut plurimum laborantis ſenſui cognitus eſt, ita ut inde haud difficulter peti poſſit) contenti, minimum laboris in inveſtigando morborum fonte ac nido aut ſeminario atque matrici ſeminarii morbifici ponunt, ſed compendia quædam medendi quærendo medicamenta ſtatim præſcribunt ſatisque habent ea ingeſſiſſe, vanaque prope ratione exiſtimant ac ſi ipſa aſſumta ad ſedem morborum pervenirent: Siquidem cum quibusdam ex noſtris hominibus (præcipue iis, qui anatomiæ addiſcendæ iisque quæ in ea adhuc latent, accurate explorandis, exiguam operam dederunt) ita eſt comparatum, ut falſo ſibi perſuadeant, tantum circa ſenſibilia verſari oportere medicum; occultorum autem nullam omnino indigere cognitionem, multo minus ſcrutari profunditatem atque non modo libenter ea artis præcepta quæ ſedulitatem exigunt negligant, ſed haud incolumi etiam conſcientia, ſine indefeſſa ac accurata mentis intentione morbos eorumque cauſas ac fontem (nedum ipſum locum affectum) æſtimant, atque vix audita morbi hiſtoria, circumſtantiis omnibus ſpretis eis-

eisque in quibus vera vertitur indagatio atque cognitio, præ cæca & fastuosa imaginatione neglectis, modo ad formularum præscriptionem properant. Ast a janua aberrant. Fit adeo non raro, ex ignoratione, ut aliorum cognitione necessariorum sedis etiam morbi, ut parum de materiæ peccantis domicilio solliciti, vel symptomata maxime quæ velut hujus causæ effectus sunt, & quæ in longe dissita sæpe loca vim suam exerunt (sæpe enim morbus alibi hærens alibi sentitur magis, quam illic, ubi ejus quiescunt infixæ radices) rationem inde elicere ac derivare vix possint, multo minus diligenter attendant, quorsum hæc morborum sedes se transferat, aliam nempe partem occupatura; ac quales differentes motus, ex hac alteratione insequantur; quales aliæ earum dein se prodant sub quaque externa specie eædem secundum differentem conditionem corporis regionum, appareant. Sine tali certe cognitione omnis conatus medentium & labor quamvis sedulus, tamen est frustraneus vel fortuitus non autem artificialis parumque salutaris. Hoc namque deflexu inducuntur ut rebus desperatis salutem temere promittant, rursus in securis ad extremum, rem rediisse omnem, titubantes pronuncient, vel ut non rite intelligant, quem locum remediis magis adgredi, & ubi peccantem materiam causamque morbificam, quæ in abditis etiam corporis partibus hæret, invenire & depellere debent, cujus cognitio tamen, haud leve, in felicem sanitatis amissæ restitutionem momentum est. Quamobrem id scire medentibus non solum pulchrum & utile, sed & necessarium atque operæ omnino pretium est, ut medicus de genuina morbi sede præ aliis sit solicitus, atque scifcitando, adspiciendo, tangendoque eam, explorare satagat, illudque eo magis, quo ea, ut sæpissime accidit, adeo abscondita est, ut magnum certe opus magnusque labor requiratur, si certi quidpiam in dignoscenda illa est eliciendum. Hoc ipsum ut ex multis verum monumentis colligere est, in veteribus desideratur, quod nempe, non rite locos adfectos, distinguerent. GALENVS jam, uti ex libro *de compos. medicam.* colligere est, aliquot locis reprehendit hos ipsos, quod sine distinctione, quædam medicamenta adversus morbos conscripserint adeoque Appollonium & Archigenem accusat, at contra Herophilum, Appollonii Magistrum laudat, qui præcepit, medicum omnino anniti debere, ut sciat non solum, quæ & qualis & quanta sit morbi causa, sed & ubi ea maxime dominetur, quo curationem cuique convenientem adhibeat. De hoc & conf. G. H. WELSCHII *Curat. Observ. med. D. VII. p. 416.* Sic bene notat Experientiss. GEORG. BAGLIVIVS in *Oper. p. 647.* ex infarctu me-

ſenterii febricitantes majora mala in capite experiri quam in meſenterio, morbi ſede, adeoque medicis vitio vertit cephalica, emulſiones frigidasque potiones aut copioſas aquarum hauſtus propinantibus; utpote quibus remediis morbos ejusmodi magis augerent cum potius fotibus ventris, purgationibus vel iteratis clyſteribus ſtomachicis & digerentibus curationem perficere deberent. In hunc cenſum v. gr. præ aliis interna ulcera veniunt, quorum certe ſedes, ubi nempe ea ſit difficile cognoſcitur adeoque curatu quoque admodum difficilia ſunt. Verum, is cui in morbum debita diligentia eſt, qui ejusmodi bene conſcius eſt, cum ab uno illoque interdum exiguo ſeminario morbifero plures inſurgant affectus, vel unico remedio plura membra a dolore liberabit vel præſervabit. Ex humani corporis cavitatibus, quæ commodum morbis hoſpitium præbent, præ aliis inteſtina ſunt, quæ adeo vaſtas inteſtinas morbiferas mineras alunt, eoque magis verendas, quoniam inteſtina ſunt. Etenim nulla facile alia pars adeo ſenſilis eſt, neque alia tanta tamque multa latibula continet, in quibus nociturus fomes hæret, nullibique tanta confuſio & copia diverſarum materiarum, quam in inteſtinis reperitur. Atqui hinc ſciri poteſt, magnum operæ pretium in æſtimandis & perſcrutandis his quidem corporis partibus fieri a Medicis poſſe. Nos in præſentiarum Colon inteſtinum de quo præ reliquis inteſtinis hæc cenſura agenda venit inſpectione, penſitatione ac conſideratione quadam, peculiari Divino favore atque auſpicio aggrediamur.

§. I. Explanationem oſtenſuri innoteſcendorum æſtimandorumque morborum qui in Colo inteſtino ſtabulantur, recte a contemplatione phyſiologica & anatomica initium hujus Diſſertationis capere videmur. In qua tractatione modo ſcire licet Colon inteſtinum, de quo jam agitur, inter inteſtina craſſa ſecundum, eſſe omnium maxime craſſum cavum atque carnoſum, ut venter inferior appelletur & a Galeno ἔντερον ſimpliciter dictum, atque eſſe ipſi conſtructionem flexuram & convolutionem ſitumque ſingularem & multifariam: Siquidem ejus initium incipit mox a cœco inteſtino & octo aut novem palmarum longitudinem æquans, latum laxum amplumque, & multis cellulis & anfractibus convolutum, ex dextro hypochondrio circa orificium dextrum ventriculi circa os ilium ejusdem lateris aſſurgit, & in homine quidem parti ſuperiori ejusdem ſuſpenditur, ut ipſi inſerviat vice meſenterii atque connexum veſiculæ bilis (cujus etiam quandoque tinctura inficitur) renique dextro (hinc difficile dolores nephritici a colicis diſcernuntur mo-

nen-

nente Galeno) ſub ventriculo, quem ſimul attingit (hinc inappetentia cum nauſea in alvi obſtructione ob fœtorem) ad ſiniſtrum hypochondrium & latus flectitur, cujus etiam magnam partem occupat. Ab hoc, circa hepar aſcendit ejusque cavitatem pervadit & per transverſum ſub notharum coſtarum cartilaginibus rurſus infra ſtomachum transverſim ad ſiniſtrum hypochondriacum fertur, ad lienem, renem ſiniſtrum atque cum iis præſertim cum hoc per membranas varias arcto jungitur nexu, ubi varie conflexum in notabilem anguſtiam deſinit, hincque aſcendit ad finem oſſis ſacri in S. literæ Romanæ modum, atque ad umbilicum quaſi adſcendens circumducitur (quæ flexura neceſſaria ad fæcum retentionem videtur) ubique omento tegitur, quod hic cauitatem quandam producit dum adhæret non ſolum cœco ſed & fundo ventriculi, lieni ac pancreati, poſtea ad pubem declinatur ac in rectum inteſtinum recto ductu per medium ſacri oſſis & coccygis in anum delatum deſinit reflexum. Ex hac vel ſolius ſitus & figuræ coli inſpectione clariſſime eluceſcit, quam utilis & neceſſaria hujus notatio medicinæ practicis ſit, quomodo v. gr. ſint applicanda emplaſtra unguenta & id genus alia. His tamen non poſſum non errorem quendam, tam Anatomicorum, quam Practicorum ut & aliorum e plebe hominum notare, qui curvaturam Coli nimis anguloſam fingunt & pingunt, & dolorem acutum colicum huic anfractui acuto & anguloſo audacter adſcribunt. Nam ſitus hujus inteſtini ab anteriore parte retrorſum ſe flectentis, ſpinam verſus atque ad renem vix talem reſiſtentiam ibi patitur, ut angulum adeo acutum formet. Quandoque quodam naturæ luſu præterque conſvetos ductus mire volvitur & plures anfractus & circumgyrationes memorabiles format, qualem ſitum & ductum admodum mirabilem ſane in aperto quodam cadavere Amſtelodami conſpexi. Subſtantia ejus non abſimilis a reliquis inteſtinis ipſoque ventriculo eſt, ſimilibus enim cum iis, quibus tota componuntur, tunicis iisque robore majori præditis, gaudet, ſimilibus fibrarum carnearum, muſculoſarum ſeriebus i. e. longitudinalium & transverſalium eſt conflata. Etenim quinque diverſæ tunicæ harum partium compagem deſcribunt, quarum prima & exterior atque communis membranacea aliis, nobis potius nervea eſt, quoniam ex multis exiliſſimis fibris nerveis vario modo & nexu inter ſe complicatis contexta. Ob id, quod nempe tunica nervea juxta tendinem exquiſitiſſimi quoque ſenſus præditum colon ſit, præ reliquis inteſtinis, admodum, & præ reliquis quoque ſenſile eſt, tenuia vero tunica magis gaudent interiori villoſa & glanduloſa. Hanc ſecunda celluloſa

Ruy

Ruyſchii excipit. Sequitur tertia muſculoſa fibroſaque duplici nimirum fibrarum ſerie longitudinalium exterius ab intra circularium conſpicua. Quarta rurſus pro nervea habita, aſt nobis tendinea potius audit, nam tendines muſculoſarum fibrarum in hanc ipſam deſinunt. Quinta tunica villoſa, ob villos, quos monſtrat memorabilis, horum agmen, claudit. Ex his, tendinea tunica longior eſt, hincque in varias plicas annullares per univerſa inteſtina aliis alias tamen pauciores diſpares & minus eminentes ducitur, nam tales in jejuno, in ilio vero atque Colo noſtro elevatur magis magisque regulares adipoſæ & fimbriatæ, ſemilunares appellatæ, occurrunt; in recti inteſtini initio vero irregulares potius, Kerkringio conniventes dictæ, conſpiciuntur, harum fimbriæ velut ſegmentatæ modificant & firmant cellulas membranaceas circulares. Præter ventriculum renem dextrum & ſiniſtrum folliculum fellis lienem, etiam meſocolo, membranæ cuidam meſentericæ, pendulæ quaſi ipſi propriæ, (a quo ipſum etiam nomen accepit) adhæret & quidem in regione lumbari dextra, principium hujus inteſtini coaleſcit, ubi membrana ſuperior peritonæi tranſcendens, ipſum inteſtinum, ſuperior lamella, ad ipſum meſenterium, propagatur. Hoc meſocolon ubi colon adſcendit verſus ventriculum & per abdominis medium, non ſolum cum hoc ſed & ex parte cum duodeno atque cum pyloro, a latere poſtico ventriculi ut & cum pancreate connectitur atque adeo duas pene portiones laminæ ſuæ inferioris cum omento penes utraque loca, colo conjungit verſus orificium nimirum ventriculi inferius atque lienem. Ubi ad renem ſiniſtrum meſocolon pervenit, a latere ſuperiori, huic, per membranam a peritonæo oriundam, tum ſuperiorem tum inferiorem atque mox in regione lumbari ſiniſtra, verſus pelvim ad rectum inteſtinum flectitur, eo quidem modo, ut, cum colon per membranam peritonæi ſuperiorem circa muſculum pſoas ligetur, atque deinceps ſuper colo in meſocolon terminetur. Præterea & ſat notabiles plexus nervoſi truncum arteriæ meſaraicæ ſuperioris comitantes recipiunt & glandulas plurimas conſpicuas continent loco tamen, ſitu, magnitudine ac numero a meſaraicis diſcrepantes. Cæterum coli principium ſatis capax eſt & membranis robuſtis motricibus inſtructum, ut ſurſum excrementa propellere poſſit.

§. II. Peculiarem adhuc Colon, inteſtinum obtinet conformationem, & ut nos quidem reputamus, ab ipſa tunica tendinoſa magis elevata, deducendam. Valvula pendula ex circulo rotundo, ea Coli magna eſt juxta minores modo adductas, ubique ac omnibus decantata ac nota, quæque ulteriori conſideratione admodum digna. Hæc circa ingreſſum

greſſum ilei inteſtini in ipſum colon conſpicitur, ejusque interiora ſpectat ac concidens inteſtina tenuia occludit efficitque præcipue, ne flatus hic geniti adſcendant, nihilque aliud eſt quam propendicula quædam longitudinalis, ex duabus membranis ſemicircularibus velut e regione poſitis compoſita clariſſime conſpicienda. Si inteſtinorum hæc pars a ſordibus bene repurgetur & a partibus adhærentibus ſeparetur, flatuque infletur atque exſiccetur, tumque provide incidatur, aut recens mox inteſtinum iterum circa ejus finem & ipſum Colon circa ejus principium ligetur, hocque per longitudinem ſecetur cœcum verſus, ſicque regreſſum ibi a craſſis in tenuia prohibitum obſervabis. Equidem vulgo ea valvula Bauhini vocatur; aſt hanc inventionis gloriam ipſi dubiam Varolium, Salomonem Albertum & Picolhomineum reddidiſſe videtur, quoniam hi, eam ante Bauhinum, jam obſervaverunt. Etenim hujus conformatio ita eſt comparata, ut duplicem quaſi limbum ſemilunarem referat, quique ita ſe habeat alteri altero invicem impoſito, ut more aliarum quoque valvularum proritatarum deſcenſus provolvendis exagitatis maſſis quidem permittatur aſcenſusque vero inteſtina tenuia verſus prohibeatur, quia uterque limbus ſic ſibi jungitur, ut inteſtinalem tubum apprime occludat. Ab ipſa valvula procedunt duæ quædam fimbriæ rugoſæ oblongæ valvulam ſuſtinentes ſat magnæ & conſpicuæ quæ & ad ipſius valvulæ altitudinem propemodum quidem accedunt, ſed ſenſim decreſcunt; qua parte a valvula recedunt. Per hanc valvulam ileum inteſtinum latelariter Colo inſeritur. Juxta hanc valvuloſam conformationem ſeorſim notari meretur totius inteſtini Coli ejusque tunicarum robur ac vis, qua præ aliis inteſtinis eſt inſtructum, nec non ea, quam ratione ſitus ſui, exerere poteſt: nam per eam motu ſuo adventitio magma ex extractione chyloſa reſiduum, quod ſubinde ad motum fit tardius ulterius promovet tandem foras excernendum. His tandem addamus: Valvulæ coli naturam docere medicos, quod enemata in vulneribus inteſtinorum craſſorum noceant, in tenuium vero proſint.

§. III. In hoc inteſtino atque aliis glandulæ præſertim notantur, lympham utilem ac aptam lævigandis lubricandisque inteſtinis ne exareſcant ac coaleſcant, perfundendisque ac humectandis contentis ſtillantes, a binis eminentibus in Medicina viris Pechlino atque Peyero inventæ, atque deſcriptæ, qui ultimus præſertim ulterius iſtarum enucleationem inſtituit. Hæ, carneæ tunicæ intertextæ ſunt, & optime in inteſtinis flatu diſtentis ac exſiccatis conſpici poſſunt. Ubi ejusmodi inſpe-

ſpectionem inſtituimus, invenimus, eſſe easdem in tenuibus inteſtinis admodum exiguas, vixque milii granum æquantes (ſiquidem & miliares hinc inde vocantur:) ſed plures in cumulum velut congeſtas, mox orbicularis, mox ovalis, mox anguloſæ figuræ plexusque varios, formantes easque numeroſiores circa exitum ilei, videmus; In craſſis vero non in plexus conglomeratæ, ſed longius ab invicem diſtantes ſingulæ ad lentis magnitudinem excreſcentes eæque ſat copioſæ, adſunt; Nec non quædam in ipſa Coli valvula reperiuntur. Intus & pinguedine ſat multa inæqualiter tamen diſtributa præ tenuibus inteſtinis Colon ſtipatum eſt. Inſuper vaſa omnis generis obtinet noſtrum inteſtinum cum reliquis. Nimirum arteriæ nutritiam materiam afferentes, adſunt duæ, ex ramo cœliaco oriundæ, quarum ſuperior maximæ inteſtinorum parti, inferior hujus inteſtini (Coli) ultimæ portioni, ubi ſcilicet in rectum deſinit, ac ipſo (recto) modo inſervit. Ab arteria meſenterica præſertim inferiori, hæmorrhoidalis pronaſcitur. Venæ ſanguinem ex meſenterio in venam portæ revehunt, quarum ramus inferior, in ſiniſtro latere reperiundus, in recto inteſtino hæmorrhoidalis nuncupatur. Hæc vaſa ſanguifera quibus inſtructum eſt Colon, majora quam in reliquis inteſtinis deprehenduntur. Nervi motum & ſenſum præſtantes ab extremo medullæ ſpinalis atque ab octavo ſeu vago nervorum pari derivantur. Nec non vaſa lymphatica, ut & ipſa vaſa lactea, quamvis pauca, ipſi deſunt, quorum BARTHOLINUS v. *Anat. Lib. I. c. 10.* ſat multa conſpexit. Ligamenta dicta porro ipſi adſunt tria conſimilibus ſemicirculis ſtabilita, & nihil aliud, quam faſciolæ fibroſæ carneæ ſunt. Horum primum medii digiti latitudinem accedit, per ejus medium ſecundum longitudinem parti ſupernæ adhæret & a cœco ortum ad rectum usque protenditur. Reliqua bina adhuc fortiora ſunt, quorum alterum ſurſum, alterum ad latus & deorſum ducitur, quibus ſuperioribus & inferioribus partibus alligatur. Circa hæc ligamenta notabile eſt, quod ſectis his cellulæ ſuperius nominatæ, hujus inteſtini penitus evaneſcant, adeo, ut inteſtinum recto ductu continuatum, appareat. Uſum horum ligamentorum omnino videtur in eo conſiſtere, ut juxta alligationem quam præſtat, ſuis contractionibus, alvi fæces ex Coli cellulis rectum inteſtinum verſus propellendas adjuvent.

§. IV. Exinde haud difficile uſum ac utilitatem propriam magis hujus inteſtini vel potius inteſtinorum portionis, cognoſcere licet. Ubi modo præſuppono, inteſtina craſſa ſingula, æque eſſe organa admodum utilia & neceſſaria, ac eſſe æque ſenſilia ac tenuina acerbiſſimis multis

ſym-

ſymptomatibus teſtibus; quin etiam inſigni activitate pollent, licet vulgo pro receptaculis fæcum ſaltem habeantur; Ut & vulnera eorum abſolute lethalia habentur. Conf. P. AMMANNVS *in Praxi vuln. lethal. p. 54.* & Beat. BOHNIVS *de Renunc. Vulner. lethal. p. 351.* quod nempe a contentis ſuis ac flatibus diſtendantur & motu periſtaltico perpetuo exerceantur, adeoque difficulter conſolidentur, ac facile inflammentur gangrænaque corrumpantur, fæces ac chylum in abdominis cavum profundant, neque remedia rite applicari nequeant. Etenim amplitudo latitudoque magna, mira circumvolutio atque perpendicularis adſcenſus & anfractuoſa, ſinuata, celluloſaque ac valvuloſa conformatio ejus, tam defæcationi chymi, (quo enim majorem lineam per inteſtina alimenta aſſumta aſſequuntur, eo copiam majorem chyli purificati ad humorum maſſam transmittunt) quam magmatis illius reſidui, quod deinceps ſub nomine fecum venit, collectioni apprime favet ut commoretur ibi paulum illud, atque ſi tenuium inteſtinorum vaſa lactea aliquid laudabilis nutritii ſucci effugerit, in hujus lactea vaſa recipiatur neque quidquam de hoc perdatur. Copioſæ etiam hæ cellulæ quæ ſub ventriculo ſiniſtro latere, numeroſiſſimæ ſunt, alium adhuc uſum, juxta naturalem & phyſicum etiam moralem atque decorum ſpectantem, obtinent: Tranſitum enim fecum inutilium quæ inibi ſunt formatæ, remorantur. Quippe eum in finem a natura ſine dubio fabricatæ ſunt, ne homini frequenter, citra voluntatem alvi exonerandæ neceſſitas incumberet. Ulterius variæ convolutionis inteſtinorum uſus eluceſcit exinde, quod ea animalia, quæ rectos ductus a ventriculo ad anum ut ex gr. anates, habent, admodum guloſa ſint, ſine dubio, quia multæ alimentorum partes ſive digeſtæ ſive non digeſtæ cito excluduntur, quarum jactura mox iterum per aſſumenda reſarcienda eſt. Hoc etiam hic addi poſſet, juxta ſanguinem & ſpiritus animales per canales ſuos numeroſos intra tunicas diſperſos poſt aſſumtum cibum potiſſimum affluentes, maxime etiam collectionem ibi & retentionem ad modicum tempus fæcum aluinarum viſceribus abdominis & præſertim ventriculo quem alluit colon aliqua ex parte quoque conferre, quoniam calore ſuo præſertim ventriculum blande fovent, ſicque quoddam beneficium contribuunt.

§. V. Sed e contrario eadem facilitate etiam ex ſitu, ſtructura capicitate, amplitudine irregulari figura, ac flexuris, circumgyrationibus, anfractibus ſinuoſis, curvaturis & circumvolutionibus cellulis, & coarctatione tandem perſpici poteſt, quam aptum ſit inteſtinum Colon collectioni ſtagnationique futuræque corruptioni diverſorum humorum,

 adeo-

adeoque materiarum atque caufarum morbificarum, quorum malorum conditionem etiam figna propemodum femper quamplurimos morbos præcedunt, ut v. gr. dolores circa ftomachi & renum regionem quam hoc alluit. De quo jure dici poffet; femper reconditum ibi effe velut in annulo Hannibalis venenum. Eandemque proclivitatem ad varios morbos concitandos indicabit nervofi fingularis complexus atque fummæ fenfilitatis ejus confideratio. Quare his ita breviter animadverfis, quæ ftatum fecundum naturam refpiciunt, via jam patet, ut ea videamus, quæ præter naturam occafione inteftini Coli & per illud humano corpori contingunt. Vel ex fola infpectione inquam Coli inteftini, quoad ftructuram & conformationem ac fuas flexuras & connexiones atque communionem cum aliis partibus mox hariolari licet, trahi hoc inteftinum præfertim ab aliis in confenfum, trahere illud alias partes atque admittere in fefe caufas & materias morbificas easque fovere diutiusque retinere atque eas difficillime ob cellulas, quibus eft inftructum reddere. Atque propemodum Colon inteftinum (reliquis tamen non exclufis) totius corporis excrementis recipiendis deftinatum effe videtur non folum ferofis fed etiam iis falino fulphureis fummeque activis, quæ alias per fummam cutem evehuntur, ubi tranfpiratione fublata huc convertuntur. Siquidem a dejectionibus copiofis a quacunque caufa etiam eædem accidant, non modo fudorem & urinam minui & quandoque fupprimi, quin etiam fitire ægros, corpus colliquari comperimus, quod nemini anceps poteft videri confideranti harum partium tunicas glandulis copiofiffimis multifariisque obfitas effe; nec defunt numerofiffimæ vafculorum fanguiferorum advehentium ramificationes. Nec fine ratione ideo opinamur, providam Naturam tam colo quam tenuibus inteftinis fenfibilitatem magnam ob hanc ipfam rem tribuiffe, ut nempe affluens onerofum hic fenfibilitatem majorem inducat, hocque priusquam ad MS. perducatur per alvum excernatur. Hinc etiam haud obfcure latentes atque propinquos plurimos morbos claufa præter confuetudinem aluus ac preffiones contractionesque hanc abdominis regionem occupantes, fignificant. Præter hæc & alia huc quandoque ducuntur atque interdum per metaftafin deponuntur, fanguis, pus atque fanies ut de his & aliis variæ obfervationes teftantur. Non vana certe ratione exiftimo, medicos practicos fedem morborum eorumque contumaciffimorum fæpius alibi in liene, pancreate, hepate, renibus mefenterio, ventriculo utero aliisque quærere, quos tamen in Colo potius quærere deberent. Quid v. gr. frequentius eft, quam quod

quod practici non satis providi colicum dolorem pro nephritico habeant qui tamen gravitate motu, loco, a causis præcedentibus, ut & ab exeuntibus potissimum differt. Nimirum renum dolor non æque acerbus ac ille coli, sique dolor supra renum regionem excruciat non nephriticus sed colicus dolor habendus, is etiam longius se extendit, quoniam colon totum fere abdomen pervagatur; alter vero in regione renum fixus manet, nisi quod interdum, quando nempe calculus ad ureteres descendit, vesicam versus extendatur, in colica major exagitatio per abdomen sentitur, urina in dolore a calculo primum tenuis & aquosa dein arena aut calculi cum sanguine utplurimum excernuntur; in colica vero crassa magis rubraque apparet &c. incautiores tamen (medici) illi censendi, qui aut inflationem a flatibus dolorificam Coli (in hypochondriacis admodum familiare malum,) tumorem & dolorem lienis aut ventriculi pronunciant &c. Simulque affirmo, ipsos sæpe medicos (taceo, obstetrices) intumescentiam præter naturalem Coli pro ingravidatione falso habere, quales observationes inquilinas addere possemus nisi eæ essent odiosæ. Immo hoc quoque observatur doloribus, præ aliis Coli dolores arthriticos nephriticosque utplurimum conjungi adeo, ut non facile hic sine altero inveniantur, & hunc alterum excipere & sequi nec non unum in alterum terminari, adeo, rursus, ut alio præsente, abeat alter. Etenim apud medicos in confesso est omnes hos affectus a motu irregulari spirituum animalium spasmodico in articulationibus alios in membranis suam originem ducere. Sic Covs *Lib. de humor. in fine* ita loquitur: *Cui intestinum colon in dextro primo dolebat, articulari morbo correptus quietior erat; postquam vero hic curatus fuit, intestinum magis dolebat.* Atque Trincavellvs *Lib. XIX. cap. I.* commemorat, colicam in arthritidem cum euphoria ægri abiisse. Nec nobis ignotum est vice versa ex podagra colicam cum urinæ retentione fuisse subortam. Varia ejusmodi exempla passim literarum monumentis reperies consignata. Vid. v. gr. *Ephemerid. Germ. N. Curios. D. I. an. VI. obs. 208. D. II. an. VI. obs. 2. &c.* Ut nulla propemodum affectio est, quæ magis intestina affligit, quam dolor, ita patet primum hoc intestinum (Colon) præsertim reliquis intestinis multis iisque atrocissimis doloribus, ab humoribus acribus, falsis biliosis, lancinantibus nec non flatibus aliisque rebus præter naturalibus iisque toto genere discrepantibus, vermibus &c. inductis quoniam ob nervorum conjunctionem consensum atque conspirationem ac ligamenta tendinosa, obque tunicam interius nerveam admodum sensile est. Inter quos casus, eosque primarios moxque se

offert cruciatus ille graviſſimus, acutiſſimus, acerbiſſimus ac pertinaciſſimus & nomine & re ſatis notus atque qui ab inteſtino Colo, colica & a Celſo, inteſtini majoris affectus, appellatur. Hujus colon, locus vel ſedes primaria eſt, unde Colo infeſtari pro colica laborare apud SCRIBONIVM L. n. 121. legimus. Ubi ſic afficitur, afficitur fere ſemper totum, interdum ſecundum CELSVM *Lib. IV. c. VII.* in ea maxime parte, qua cœcum eſt, ſeu circa principium, quod cum valvula Coli halitibus & flatibus colligendis apprime favet, vid. SIM. PAVLI *quadrip. botan. p. 84.* & exitum eorum intercludit. Hinc obſervante jam ROLFINCIO *Lib. III. epid. affect. part. C. XIII. p. 262.* utplurimum dolor magis in dextro latere ſe exerit, gravior vero in ſiniſtro affligit, ubi colon anguſtius efformatur qua ex parte inferne, is incipit & ſurſum ad ſiniſtram adſcendit totumque dein ventrem cinguli ad inſtar acerbe conſtringentis occupat. Cui ordinario nauſea, vomitus & cibi faſtidium magis urget, quæ indicia ordinaria & fere primaria ſunt laborans Colon indicantia. Quandoque enim & reliqua inteſtina, imo ventriculus ejusque orificia utraque, imo œſophagus ac diaphragma ſimul afficiuntur. Pro ratione cauſarum quæ variæ eſſe ſolent, colica quoque varia eſt, ſiquidem vel humoralem ſanguineam a ſtaſi nimirum ſanguinis inter nervoſas ac admodum ſenſiles Inteſtinorum tunicas, oriundam pituitoſam, bilioſam, (ex aſſe a paucis deſcriptam) flatulentam vel nephriticam, ſcorbuticam, arthriticam, hyſtericam, hæmorrhoidalem, convulſivam, eam nominant Pathologi. Quidam eorum peſtilentem & epidemicam, qualem P. AEGINETTA *L. III. c. XXVIII. & cap. XLIII.* recenſet, addunt. Alii alibi & certis quibusdam regionibus v. gr. in noſtra Germania Auſtriæ atque Moraviæ præ aliis incolis & in Gallia Pictonibus admodum familiarem eſſe obſervant atque ideo endemiam eam appellant. Novæ ejusdem & a paucis receptæ & probatæ appellationes ſunt quibus auream, plumbeam &c. Colicam indicant vid. C. FR. PAVLLINI *Obſervat. M. phyſ. Cent. I. obſ. 28.* FEHR *C. III. epiſt. Barthol. 69.* BORELLVS *Cent. IV. obſ. 25.* Convolutionem atque flexuram ipſius inteſtini Coli exacte non raro monſtrat hoc malum, ſiquidem dolores per totum quidem abdomen, in profundo incidunt, ſed ordinario magis a dextra regione incipiunt, & ad ſiniſtram ileorum procurrunt, adeo ut miſeri, qui ſic torquentur, quaſi cingulo quodam ſumme dolorifico intimiorem abdominis cavitatem conſtringi aut falce incurvata conſcindi, ſentiant. Ubi in ſiniſtro latere ejusmodi pathemata magis obſervantur, caveas ne mox lieni cum vulgo adſcribas, cum potius coli flexuris

ris sæpius debeantur. Dehinc circa renem utrumque ac dorsum ut & supra infraque umbilicum versatur vago omnino & instabili, modo dextram modo sinistram abdominis partem pervagante dolore, mugitus cum intumescentia abdominis & murmura quasi conclusa ventris modo adscendentia modo descendentia circumvolventiaque acerbe affligunt, ac si per inferius guttur exitum inveniunt, a summo ad imum ileum provolvuntur. His ordinario etiam juxta nauseam cibi fastidium & conatus vomendi, junguntur cardialgiæ anxietates constrictoriæ, thoracis, gulæque angustiæ. Alvus est utplurimum adstricta, & ubi redditur, fæces induratæ atque ægre egeruntur quandoque etiam ejus dejectiones liquidiores sequuntur. Urina difficile redditur, & sæpe penitus retinetur. Si excernitur primum tenuis & aquosa est, interposito tempore crassa, arenosa bullulisque internatantibus conspicitur. Quandoque ex vesicula fellea, per talem constrictionem convulsa, per vomitum copiosa & sincerabilis, ac modo flava, modo viridis ejicitur. Hæc quidem sæpissime experiuntur, sed quandoque etiam fixus dolor una in sede ibi inhærescit alteque excruciat, perterebrante quasi doloris genere, quod sævissimum est, adeo, ut tum respirationem admodum difficilem & laboris plenam, sudores algidosque tum motus convulsivos spasmodicos singultus, vomitus, imo lipothymiam & epilepsiam, oculorum contorsiones & visus depravationem inferat. In specie adhuc indicandum est immanibus colicis doloribus ex facili & sæpius supervenire icterum ex eo, quoniam spasmodica hujus partis affectio ad duodenum intestinum & ductus biliarios eorumque orificia fibris motricibus instructa usque pertingens ea valide constringit bilis accessio denegetur sed ea per vasa lymphatica resorpta & ad massam sanguineam delata, icteritio colore totum corpus perfundit. Quod malum adhuc adeo est impeditum, ut id neque motus neque flatus illud leniant. Causæ tales morbificæ, si in Colo resident, resident autem eæ utplurimum ibi (spuria enim sic dicta colica aliunde ex partibus quibusdam vicinis prodiens ut mesenterio, pancreate, omento, peritoneo rarior affectus est) sunt, pituita crassa, lenta ac maxime vitrea, assumta fermentescibilia, flatus tunicas intestinales distendentes, cruditates biliosæ, atque nidorosæ, humoresque acres caustici, acidi, ipseque chylus ex ventriculo talis proveniens & balsamo bilioso minus correctus, tenuia intestina, quibus tunica interior magis villosa, glandulosa, citra magnum incommodum transiens; attamen ad hoc (colon) provolutus contractiones, torsiones, extensiones dolorificas infert. Observatum constat convalescentes interdum post

mor-

morbos diuturnos maxime febres dolore colico vexari, quoniam ſanguinis & lymphæ craſis admodum vitiata, nec minus menſtruum ventriculi iners & languidum eſt, unde digeſtionis vitia exſurgunt & inteſtina ſordibus viſcidis & acidis replentur. Porro huc faciunt frigus acre incaute admiſſum, tranſpiratio ſenſibilis & inſenſibilis impedita & retropulſa, vermes rodentes ac vellicantes, fumus metallorum, ſaturni &c. per os ab iis hominibus, qui metalla, lithargyrium, mercurium ejusmodique labores tractant, improvide exceptus, & quandoque calculoſæ concretiones in cellulis Coli hærentes atque eas obſidentes, ſiquidem & acres humores & quicquid dolorem inferre poteſt, ob valvulas hic non poſſunt ultro citroque longius evagari. Facile etiam hoc morborum genus a gravioribus animi affectibus, ira crebriori, terrore, maxime ab iracundia cohibita, movetur. Frequentiſſime in ſubjectis ſenſu exquiſitiori præditis viſitur. Quandoque in adoleſcentibus a nimio & intempeſtivo veneris nec non a largo potuum ſpirituoſorum uſu, aut verius abuſu, exortum hunc morbum eſſe, conſtat. Accidit quoque talis dolor non raro per conſenſum, quando nimirum ex epilepſia, paſſione hyſterica, atque hypochondriaca etiam a motu calculi renum, nec non veſicæ, ſuppreſſione hæmorrhoidum, menſiumque, inflammatione hepatis atque meſenterii, poſt partum, item ab uteri doloribus, & ex lochiorum excretione impedita, ut & vel ex ſola pedum infrigidatione Colon cum reliquis inteſtinis, dolet miſerrime. Ubi convulſiones tales invaleſcunt colica exſurgit convulſiva appellata quæ parum apud Autores occurrit, & ut plurimum in ſequiori ſexu ex utero provenit ut & in paſſionibus ob nervorum teneritudinem, quare tot paſſiones colicas facile epilepſia ſupervenit. Eſt vero convulſio, quæ ex contorſione ex Colo ad ſcrobiculum cordis immo ad fauces usque adſcendit, reſpiratio ſumme eſt impedita, umbilicus retrahitur & in lateribus contractio affligit. Aliunde quoque exſurgit alia Colicæ ſpecies, quæ colica hæmorrhoidalis appellatur, quæ æque ab Authoribus quondam non nominata neque deſcripta eſt, niſi eam pro tali velles habere, quam Hippocrates ileum hæmatitem vocavit atque delineavit, quamvis quædam in hac recenſione omiſerit, quæ in hac obſervari, ſolent. Indicavit eam primum Celeberr. Stahlius dicitque eam eſſe ex congeſtione ſanguinis in vena portæ, eſſeque eam adultis XXX. & XL. annorum habitus mollioris ſanguineo cholericis hominibus familiarem. Se manifeſtat alvo adſtricta, quandoque ſolvitur diarrhœa ſanguiolenta, cum continuo teneſmo & dolore quodam urgente ac ſi in inteſtino recto globulus urens hæreret. Omnium frequen-

frequentissime colica & iliaca passiones tam quoad causas quam quoad signa & curationem inter se communicant. Ex hoc morbi genere sæpe alii pessimi pedissequi proveniunt; Omnium vero frequentissime insequitur illa paralysis quæ paresis appellatur. Aliquando etiam in arthritidem, rheumatismum, epilepsiam, melancholiam, hydropem, tabem aliosque affectus perniciosos; nec non, neque haud raro, in herniam umbilicalem desinit, quia flatuum multitudo, intus coacervata est. Ubi vero flatulentæ colicæ, supervenit febris, bonum signum habetur, quoniam curæ spontaneæ spes affulget. Qui colica pereunt, ordinario ex inflammatione & subsequente sphacelo intestinorum pereunt. Hoc Ad. Spigelius affirmat, asserens, se nullum unquam dissecuisse ex colica mortuum, sine intestinorum inflammatione.

§. VI. Idem stabilis & atrocissimus, acutissimus & contractorius urensque Coli dolor, plurima ventris loca gravissime affligit, ubi a sanguine seu copiosiori seu tenuiori justo ibidem affuso, vel ex graviori præcedente dolore aut alia læsione concitata, sive totum Colon, sive hæc vel illa saltem pars ejus, inflammatione uritur: Etenim si dolor hic, regionem supra umbilicum & sub ventriculo cum nausea & vomendi conatu occupat, indicium præbet, eum coli tractum, qui infra ventriculum a dextro ad sinistrum latus porrigitur sic, laborare; si vero in dextro hypochondrio sub costis spuriis sensus talis molestissimus sentitur, principium ejus, ubi ileum incipit, pati, colligere est: Siquidem illud inflammationis causas communes, maxime autem & frequentissime ex dysenteria præcipue per adstringentia intempestive ea curata, non difficile gignit; quamvis raro, a medicis ipsis cognoscatur ac discernatur sæpiusque cum inflammatione renum & vesicæ confundatur. Vehemens accedit febris, urgens æstus, & ardor totius propemodum corporis, maxime internus, ad instar prunæ candentis extorrent, externa frigent, vigiliæ molestissimæ inquietant, succedunt sitis magna, nausea, singultus, biliosus præcipue vomitus frequens, nihil tamen dolores levans, per intervalla limpidi liquoris in os regurgitatio, animi deliquium. Intus juxta morbum ejusque regionem pulsatio & titillatio ignea quasi quædam utplurimum præcedit & eam comitatur, excrementa exsiccata sunt & indurata ac ideo alvus utplurimum manet clausa atque urina retenta. Lingua præ aliis sicca, uti certissimum inflammationum internarum, ita & inflammationis Coli signum est, adeo, ut crescentibus inflammationibus ejusmodi linguæ siccitas crescat. A renum inflammatione distinguitur, quod Coli inflammatio magis ventrem antrorsum versus, se exten-

extendat majorque mutatio in alvi dejectionibus appareat, quam in renum inflammatione, quæ etiam dolorem ad spurias costas, dorsum & vesicam spargit. Hujus intestini inflammatio, discussione frequentius per suppurationem solvitur, materia per alvum rejecta, Utplurimum malum in iliacam passionem facessit, aliquando etiam in gangrænam abit. Hujus rei testem eumque gravem præ aliis adduco TH. WILLISIUM qui *vid. Pharmac. rat. Sect. I. C. 2. p. 17.* inflammationem & sphacelum circa Coli initium sæpius vidit. Conf. & M. A. SEVERIN. *de absceß. Lib. IV. cap. 36. p. 276.*

§. VII. Cum non omnis intestinorum dolor colicus sit, qualis omnium frequentissime fœminas, tum a partu, tum menstruo impendente fluxu, torqueri solet cruciatus, siquidem & dolores partus immaturi iique nimii, passiones colicæ sunt, licet uterum nunc in consensum trahant, nunc ex utero oriantur; ita & frequenter nimirum extra dolorem illum quem colicam ordinario vocant, aliis occupatur Colon. Omnium vero frequentissime a flatibus copiosis & non raro præter modum ideoque haud levius ferendis solum extenditur, (nam hæc aut illa tantum intestinorum pars sic afficitur) & molestissime atque acerbe instabili tamen modo affligitur. In Colo enim ut amplissimo intestino, particulæ aëreæ a feculentis plus liberatæ validius, illud expandere possunt. Quæ afflictio admodum pertinacissima deprehenditur, quoniam per cellulas ad latera prominentes, flatus decurrunt ibique incarcerati quasi, diu persistunt positoque a spasmo obice, ad superiora magis compelluntur, ægre exturbandi, ex quo sola distensione multa eaque gravia incommoda in toto corpore & dissitis ejus partibus exsurgunt, adeo, ut non raro vitam in summo discrimine positam esse crederes & vulgus mox incantationibus diabolicis, easdem adscriberet. Magis adhuc hæc symptomata augentur, ex adjacentium partium & viscerum præsertim diaphragmatis pressione & distensione sursum, molestissima, unde cor atque pulmones maxime patiuntur. Hæc quotidiana observatio in eam multos perduxit erroneam opinionem, ut crederent, nullo alio fini a natura conditum esse Colon, quam ut excipiendis flatibus inserviat, cum potius reputandum sit, flatus ibidem molestos semper præter naturam sese habere. Admodum in hanc rem memorabilia sunt, quæ habet FERNELIUS *Lib. VI. pathol. c. X.* Colon a flatibus adeo distentum deprehensum fuisse, ut brachii crassitiem æquaverit. DODONAEUS similem observationem adducit *Obs. m. c. XXXVII.* FELIX PLATERUS in puero femoris crassitiem Colon æquans notavit *Lib. III. obs. p. 616.* Apud SCHENCKIUM legitur *p. 627.* eum intesti-

teſtinum Colon, adeo flatibus tumidum conſpexiſſe, ut ocream magnam referret. WELSCHIVS *Diſp. de Malo hyponch.* obſervavit, illud totum a flatibus diſtentum, ſub inſertione vero, in rectum inteſtinum adeo contractum, ut coaluiſſe videretur. Hujus inflationis a ſtagnantibus ibi humoribus in flatus reſolutis, ſpecies, morbi illi bini infantum admodum familiares ſunt quorum alterum *das Hertzgeſpan*, alterum *das Anwachſen*, vulgo vocant, & in hoc hepara clien ſubjectum morboſum pronunciant; Hic alterum gravitate & pertinacia ſuperat, præviis aut comitantibus ventris torminibus, abdomen & hypochondria dura atque tenſa elevantur, jungitur cardialgiæ & febricula, pulſus eſt celer, oculi intumeſcunt, alvus aut adſtricta eſt, aut ſi fluit, viridia, porracea & grumoſa rejiciuntur. Huc quoque forte referendi Engaſtrimythi, quos HIPPOCRATES hypochondriacos eſſe cenſet, quoniam in ſiniſtri hypochondrii cavitate flatus colliguntur. *Aphoriſm. 57. Sect. VII.* Conf. & WIERVS *p. 440.* His vix adeo frequentes diſtenſiones coli ejusque cellularum ab aliis rebus præternaturalibus, ut pituita craſſa & multa collecta, fæcibus induratis & impeditis atque hærentibus &c. accidunt. Haud erraverit, qui forte credat, præter pituitam inhærentem adipem multum & inæqualiter diſtributum, quo præ inteſtinis tenuibus donatum eſt colon, meantia excrementa morari potius & retinere, quam eorum excretionem facilitare. Atque adeo obſervationes anatomicæ & practicæ confirmant, colon a flatibus ruptum fuiſſe. WEDELIVS vid. *Pathol. Dogmat. d. S. II. C. XII. p. 380.* Coli crepaturam in paſſione iliaca vidit qualis & in *Collect. Uratislav. 1725. Auguſt. p. 225.* legitur.

§. VIII. Conformatio ejus atque progreſſus porro (ut explicatius paulo de eo loquamur,) clare docent, vix aliud inteſtinum colligendis cruditatibus a mala digeſtione ortis, aptius eſſe ac pituitam craſſam & excrementitiam ibi diutius juſto morari ac concervari, quoniam fæces ſurſum præcipue elevari debent, adeo, ut mirum in modum illud extendant, tunicas totam compagem conſtituentes, relaxent tonumque perdant penitus, ex quo ægri tarda alvi dejectione, flatibus plurimis obmurmurantibus, ventriculi cruditatibus, in ventre frigoris quadam perceptione atque dolore cum virium animique languore, ægerrime moleſtantur. Apud SALMVTHVM ut ad prius reſpiciamus in *obſervat. Cent. I. obſ. 78.* legitur, quod in cadavere hominis cujusdam Colica demortui diſſecto, totum Colon pituita obductum fuerit, relicto ſaltem foramine digiti minoris craſſitie, pro fæcibus transmittendis. Referri huc meretur quod ANTON. VON DER LINDEN *ſelect. Med. S. VI. S. 9.*

de vitrea pituita per exempla affirmat. *Simpliciter*, fcribit ille, *nihil eft in vivente frigidum excepta fpecie quadam pituitæ vitreæ, cujus memini vidiffe dejectum ab alvo fruftum pugni inftar. Quamdiu hærebat in finiftro, colo & cum inde propelleretur, ope purgantis, qua tranfibat, velut a glacie frigus fentiebatur. Vidi hoc Amftelodami in viro mercatore famofo, vidi & Franeckeræ in Imckia Horatii ab umbilico excretos aliquot centenos ex eadem pituita factos globulos, magnitudine luforiorum, & minores eosque pellucidos inftar cryftallini oculorum cocti & frigidos inftar cryftalli.* Simile de Jufto Lipfio notum eft, qui maffam pituitofam, lentam ac vifcidam paulatim in inteftinis coacervatam formamque inteftinorum exprimentem, poft varia, fymptomata maximo cum fubfequente commodo & fanitatis reftitutione per alvum ejecit. A qua adeo copiofiffima pituita confequenter & interiorem fuperficiem oblinente cellulasque atque anfractus adimplente lævigatur inteftinum, ut chylus facile refiduus & excrementa & quandoque affumta, vix alterata, cito dilabantur. Obfervationes pariter non defunt, inteftinum Colon quandoque & a fæcibus & a flatibus adeo extenfum fuiffe, ut ventriculum referret, qualem notabilem extenfionem aliquando in Amftelodamenfi nofocomio Celeb. Ravio fecante atque monftrante, vidit Præfes. Ejusmodi eft, quæ legitur in WELSCHII *Difput. de mal. hypoch.* Quandoque fæces induratas & ftratas inftar lapidum in lapicidina aut in muro invenerunt, cum magna intumefcentia partis, curiofi harum rerum fcrutatores. Tales extenfiones a recrementis factæ, non poffunt non contumaciffimas alvi fuppreffiones atque adeo iliacam tandem paffionem, ima fummis, fumma infimis quafi commutantem (fi nimirum in cellulis Coli merda indurata firmiter incompacta hæret easque implet obftructis interim ani mufculis,) procreare. Apud Fernelium legitur obfervatio de quodam, ex intumefcentia ventris, præter modum laborante: Adeo enim in illo infarctum fuit Colon pituita concreta, ut fcirrhofum & folidum quoddam corpus haberetur nihilque omnino fæcum pertranfire potuerit. Hoc meretur adjici, obfervatio ROS. LENTILII *in Ephem. Nat. Cur. D. II. A. II. Obferv. 152. p. 340.* & quem is adducit LAVR. HOFFMANNI *de vero ufu & fero abufu medicam. chymic. p. 45.* qui deprehenderunt ex pinguiori lacte, in coli finubus & cellulis concrefcere globulos, inteftinorum motus periftaltici ope compactos, admodum duros, pueros acerbe cruciantes, immo concitata nervorum diftentione enecantes, quales etiam aliquando Præfes hic Lipfiæ vidit in puero quodam, quotidie in magna copia non duros illos quidem, fed molles ad inftar ceræ & flavos nucleorumque cerafotum magnitudinem

æquan-

æquantes, excretos. Singularis Coli, a multa infarciente & diſtendentibus pituita, flatibus lienisque, in perfectum ſcirrhum tractu temporis tranſitura intumeſcentia, occurrit in morbo quodam incolis accolisque urbis Caſſovienſis in ſuperiori Hungaria familiari atque endemio porcello ideo Caſſovienſi appellato. Hujus enim inteſtini potiſſimum tumor in magnam & inæqualem molem ſecundum diſpoſitionem, ſitum, viciniam, connexionem ejusdem formatam, porcelli quandam figuram refert aut referre creditur. Reliqui quoque morbi Hungaris familiares atque frequentes, ut febris hungarica dicta & præſertim alter quem ztemer vocant forte in colo etiam & maxime reſident, quod fere indicio eſt, quod ſi cibos avide nimis deglutiunt exindeque nauſeam vomitum ac languorem moleſtiſſimum incurrunt, tuberculis circa carpos manuum apparentibus, extemplo, allio & aceto ſi non fricent, eadem tertio vel quarto die febri & colica paſſione corripiantur. Hæ recenſitæ cruditates quidem ordinariæ & quotidianæ materiæ ſunt, quæ hic coacervantur; Quandoque vero extraordinariæ magis & res toto genere præter naturam, multum incommodi inferentes per alvum excernuntur, quæ per plures annos ibi latuerunt, uti varia de variis exempla nota ſunt. Vix alibi, niſi in amplitudine ſinuoſa & cellulis Coli ejusmodi excreta ea hæſiſſe admodum probabile eſt. Ex. gr. PLATERVS *Prax. T. II. C. XIII.* exemplum habet de fœmina quadam colica laborante cui per injectum clyſterem oſſicula pedum gallinæ quæ per plures annos inhæſerant, educta ſunt, & BORELLVS *Cent III. obſ. 25.* hiſtoriam recenſet de Nobili quodam, qui centum aureos nummos deglutitos, per clyſteres quoque ſæpius adhibitos, tandem reddidit. Similem (hiſtoriam) *Cent. III. epiſt. 69.* habet. Ferramenta & cultri fragmenta deglutita diutiusque retenta fuiſſe in *Miſcell. N. Curioſ. Ao. MDCLXXII. obſ. 179.* legitur. Globulorum aureorum LOSSIVS *L. III. obſ.* nucleorum deglutitorum BRVNNINGERVS *Cent. II. obſ. 20.* mentionem faciunt. Rurſus anguſtia ejus, in quam tandem deſinit Colon, ut dolorem graviorem efficit, ita & magis adhuc copioſiorem materiam morbificam, ut pituitam lentam craſſam & concreſcentem viſcidam, calculoſis concretionibus, ac ſordes infarctui obſtructionibus, majoribus & difficilioribus curatu, anſam uberrimam præbentes, colligit. Hinc & facile magis & p. n. anguſtatur, adeo ut via & tranſitus impediatur & quandoque plane occludatur. Hinc & in affectibus ſpaſmodicis in quibus colon cum cellulis ſuis conſtringitur, ut excrementa ovilli ad inſtar ſtercoris, in globulos intorta minores, excernantur. Non ſolum vero ubi in anguſtum ſecundum

naturam contrahitur spatium, sed & totum præ aliis intestinis sæpius & ex facili præter naturam arctissime & mirum in modum constringitur, de qua totius (Coli) constrictione præter modo adductam observationem aliæ multæ hinc inde prostant habeoque quasdam easque satis notabiles, jam vero longius non recensendas. Ob hancce angustiam haud difficile etiam in se coalescere potest, qualis coalitus incurabilis fere est. IOH. RHODIUS *Cent. II. obs.* 77. de Nobili Patavino notat, cui ex dysenteria non solum Colon, sed & alia intestina conglutinata fuerunt, obortis inde sævissimis Coli doloribus, causa non nisi post mortem patente. Similem historiam *obs.* 82. addit. Coalitus ejusmodi IOUBERTUS *in Vita Rondeletii* meminit. Ariditatem & concidentiam ejus refert MARCELLUS DONATUS *Med. Inst. L. IV. cap. X.* Ipsum valvulum Coli, Colo quasi agglutinatum sæpius se observasse scribit SPIGELIUS *de humana corporis Fabric. Lib. VIII. cap. IX.* Quantum vero diutius retenta alvus retentæque fæculentiæ in hoc intestino noceant, statim liquet æstimanti, quod hic liquidum fœtidum adhuc separetur & ad ipsam usque massam humorum transeat, ex quo, ea non potest non, valde impura reddi: Nam præsuppono, ex superioribus adductis, dari adhuc in Colo intestino lactea vasa atque sub alvo plus justo retenta, excerni tandem exsuccas, aridas, fracidique fœtoris expertes fæces.

§. IX. Amplius dicendum est, quando vel alvus supprimitur, & cruditates acidæ, biliosæ, pituitosæ, in hoc etiam intestino stabulantur, quoque per diuturniorem moram atque per novam aliarum subinde accessionem comixtionemque, easdem pejores fieri ac magis indies corrumpi, mineras febrium maxime, intermittentium variique generis, quotidianarum, tertianarum simplicium, & mixtarum, nec non duplicium, biliosarum, ardentium, lentarum atque adeo malignarum, morbillorum, purpurarum, petechiarum, constituere.

§. X. Similiter commodam occasionem concretionibus calculosis quæ in omnibus corporis cavitatibus iisque arctioribus accidunt, in suis præsertim cellulis, tanquam in lapicidinæ latebris præbet, quoniam enim ibi calculorum rudimenta & incrementa seu mucilaginosa, lutosa arenosa, salsa atque tartarea recrementa confluunt incuneantur & retinentur, facile concretiones ejusmodi contingunt. Calculi qui exinde hisque in locis proveniunt nunc parvi nunc magni observantur, qui tamen ut plurimum nec sensu quidem percipiuntur nec dolores sensibiles inferunt, nisi quando angulosi ac asperi per inferius guttur, ejiciantur. Siquidem & non desunt plures observationes Autorum, post GALENI

tempora

tempora (qui *de loc. affect. Lib. VI. cap. II.* affirmat, calculos in inteftinis repertos effe nec viderit nec audiverit,) qui referunt per alvum tam in hominibus quam brutis, calculos haud exiguæ magnitudinis eosque copiofiores excretos fuiffe Ex. gr. apud HORSTIVM legitur *Lib. IV. obf. p. 232.* ducentos & triginta tres calculos per alvum fuiffe rejectos. Apud CAPIVACCIVM *Lib. III. cap. XIII.* MASSARIAM *de dol. calc.* MARCELLVM DONATVM, calculos ovi gallinacei magnitudine invenies FERNELIVS *pathol. Lib. VI. cap. IX.* multos calculos in colo vidit nucis juglandis aut caftaneæ magnitudinem excedentes. Mufa refert mulierem ex ano quinque lapides reddidiffe & Trincavellus hiftoriam calculi majoris per alvum excreti, adducit. Jul. Cæfar Scaliger vidit per clyfma magnam vim lapidum eductam. Si plura hujus rei exempla defideres evolvas BENED. SYLVATICVM *cent. III. conf. 7. Barthol. cent. III. obf. anat. 76. Cent. IV. obf. II. & 49.* IO. RHOD. *cent. II. obf. 74.* SAXONIAM *Lib. III. Parth. Cap. XXV.* HOLLERIVM *de morb. inter. in Schol. Cap. XLI.* PETR. SALIVM DIVERSVM *in annot. in Altimar.* IOH. IAC. HARDERVM *in Apiario p. 309.* IOH. BAPT. CONTVLVS *in Tr. de Lapid. podagra & chiragra Cap. XV. p. 70.* in viro quodam, a pueritia, colicas paffiones frequenter easque graviffimas experto, grandem admodum calculum per inferiora excretum vidit, plura hujus rei exempla D. SENNERTVS *Lib. III. P. II. Sect. I. Cap. V. adducit.* Ego in infante unius faltem anni adhuc lactato, numerofos calculos, pifi magnitudinem fere excedentes modo laxos molliufculos & pingues ceræ ad inftar, modo compactiores & friabiles, colore luteos, per integri menfis fpatium, fubinde fuiffe excretos, vidi.

§. XI. Vermium, qui vivos nos torquent, rodunt atque corrodunt, nondum etiam natos tefte Coo atque Ambrof. Stegmanno, ac mortuos confumunt, ut omnes corporis humani cavitates, eas etiam exiguas, occupant, ita commodiffimum & frequentiffimum omnium receptaculum inteftina habentur. Nam licet inquam vermes in omnibus inteftinis præfertim majoribus reliquis, in quibus excrementa folidiora hærent, generentur tamen in Colo ejusque receffibus præfertim omnium commodiffime, nidulantur, pererrant, atque nutrimentum accipiunt ut multiplici experientia perfectiones cadaverum apud Autores conftat. Conf. ZACVT. *Lufit. Pr. adm. Lib. II. obferv. 33.* REVERIVS *Prax. Lib. X. c. I.* HILDAN. *Cent. I. obf. 57.* AMATVVS LVSITANVS, *Cent. I. obf. 5. 33. atque 47.* Hæc G. BRAVI lectio & obfervatio eft experientia comprobata vid. *Refolut. p. 376.* inquientis. Generantur lati vermes per omnia

inte-

inteſtina, teretes in ſuperioribus, aſcarides in inferioribus i. e. Colo & recto inteſtinis. HOLLERIVS vide *de morbis intern. Cap. LIV.* obſervavit multitudinem vermium, tunicam ſibi contexiſſe, toti inteſtino Colo extenſam. Abhinc non modo punctione, morſu & vellicatione, maxima afficiuntur inteſtina, ſed & longius latiusque eorum malitia percipitur. Etenim exinde diarrhœa, lienteria eroſiones, nauſeæ, vomitus, ptyaliſmus, vellicatio & pruritus narium, ſingultus, tuſſes ſiccæ, vertigines, convulſiones, epilepſiæ, paralyſes, deliria, dolores capitis, ſyncopes, palpitationes cordis, anxietates, pavores, murmura ventris, inquietudines, tremores, tabes, febres acutæ & chronicæ, aliaque innumera propullulant mala, vid. præ aliis CHRIST. LANGII *patholog. animata.* Nec facile ex cavitatibus coli inteſtini moleſtiſſimi ejus incolæ, lumbrici, exturbantur, quoniam & ad hos receſſus, difficulter interdum perveniunt medicamenta. Numeroſa ranarum progenies excreta apud J. J. JOEPSERIVM legenda, bufonum, lacertarum atque ſerpentum alibi inveniend a ex. gr. in *Act. Haffn. Cent. IV. obſ. 19. &c.* vix alibi quam in Coli cellulis habitaculum obtinuit.

§. XII. Nullumque hinc & inteſtinum aptius eſt colligendi & retinendi abſceſſus & ulcera, eaque cancroſa, atque copioſum pus fundentia, quando ex inflammatione tumor, in pus abit, quorum exempla haud pauca hinc inde apud obſervatores, & qui cadavera demortuorum hominum aperuerunt & ſecuerunt, proſtant. Notabilem ejusmodi obſervationem in noſocomio quondam Tigurino, ex demonſtratione Clariſſ. D. D. Muralti, Filii collegi in viro ſexagenario majori, tabe, demortuo, cujus Colon mirum in modum tumidum apparebat, & intus quatuor abſceſſus diſtinctos monſtrabat. Colon cancro occulto affectum ex obſtructione pori bilarii, adducit SCVLTETVS *in Armament. Chirurg. P. II. p. 61. Obſerv. 48.* Nec non frequentius quam alibi varii alius generis tumores, ſtrumæ, ſteatomata, verrucæ, ſcirrhi, inibi & tophi concreti ſuccreſcunt & vitæ periculum inferunt. Ex his malis non ex aſſe ac rite curatis, cicatrice relicta, in ſe ipſum non raro coaleſcit atque concreſcit, quales obſervationes BENIVENIVS *de abd. & V.* VIDIVS *Com. in lib. Hippocrat. cap. de vuln.* addiderunt. Præterea hoc loco ruptionis vaſorum ſanguiferorum in Colo proponenda obſervatio, quam Argentorati quondam, monſtrante Celeberr. Scheitio, notavit Præſes. Nec ſilentio modo prætermittenda ea (obſervatio) qua notatur, colon cum reliquis inteſtinorum partibus p. n. coaleſcere, quod quandoque, ex colica fieri, aſſolet. Ejusmodi obſervationes legas licet, apud BARTHO-

LINVM

LINVM *Hist. anat. Cent. III. hist. 6.* HOCHSTETER. *D. X. cas. 6.* RHODIVM *Cent. II. obs. 32.* PAW. *obs. 5.* it. *in Miscel. N. Curios. D. II. an. VI. obs. 15.* Perinde non raro scirrhosum redditur, ut HOLLERIVS *de morb. intern. Lib. I. cap. XLI.* & RHODIVS *Cent. II. obs. 76.* ut & de callo ingenito BENIVENIVS *de abd. Cap. XXXIV.* testantur.

§. XIII. Quandoque ipsa valvula intestino Colo adstans & a muco atque pituita crassa ita obducitur, ut cœco ac colo, intestinis, quasi agglutinata haud quaquam possit aperiri, nec iis quæ inverso violentoque motu peristaltico sursum tendunt, remoram injicere, & laxatur atque adeo rumpitur, quod facile ab obstructionibus alvinis & incarceratis flatibus extendentibus prementibusque, quibus hoc intestinum ob flexuras adeo prolixas, & incurvationes apprime favet, accidere potest, atque oritur iliaca passio. Conf. AD. SPIGELIVS *de hum. corp. fabrica Lib. I. cap. VIII.* Quæ laxatio quidem curari potest, ast de ruptura ejus secus sentiendum, quæ vix curationem admittit, quamvis non lethalem modo eam pronunciare vellem.

§. XIV. Maximam insuper proclivitatem ad varios morbos concitandos, hic seorsim consideranda, magna sensilitas ejus indicat, per quam facile spasmodicæ constrictiones & affectus hypochondriaci varii, qui omnes spasmis debentur, hic præsertim exoriri solent, quæ derepente per universum intestinorum canalem, motum illius peristalticum, a quo totius corporis sanitas pendet, qui ibi secundum naturam viget, lædunt, impediunt & pervertunt; Ea enim hujus motus naturalis indoles est, ut, si in una parte intestinorum læditur, mox per totum illorum tractum lædatur. Hinc flatus & fæces constricto nimirum per spasmos liberoque sic transitu denegato, non debite descendunt, sed potius regurgitant atque ad superiora feruntur, unde duodeni intestini & ventriculi præsertim fit inflatio ejusque orificiorum speciatim distensio. Propter tensionem nervorum, multa eaque molestissima mala inferentem, hincque præsertim cardialgiæ, angustiæque præcordiorum maximæ, phlogoses, pressio circa scrobiculum cordis, spirationis difficultas asthma, palpitatio cordis, capitis torpor, vertigo, vigiliæ involuntariæ, angores, alvi obstructio &c. comites junguntur: hic turbatus, turbationes aliis partibus, iisque remotissimis, etiam externis communicat, & periculosas sanguinis stagnationes, & perversas humorum ad alias translationes & spasticas commotiones infert. Si diutius hæc passio durat, tonus penitus harum partium dejicitur, vix aut nunquam ex asse sanandus & reparandus; hinc malum hypochondriacum, perpetuum malum remanet, in quo ma-

 xime

xime & præ aliis colon patitur. Speciatim adhuc dicendum eſt: Ejusmodi vitium, in inediam diu perpeſſis, ab abuſu narcoticorum, a craſſo, viſcido, lento humore, qualis eſt pituita vitrea, tunicis inteſtini adhæreſcente &c. ſæpe notatur, quod ſi ſpaſmi, inferiorem maxime coli partem conſtringunt, vel per conſenſum quoque e conſtrictis remotioribus partibus usque propagantur, facile alvi contumax adſtrictio moleſtat. Etiamſi ſenſile admodum colon ſit & ad motum facile; attamen his conſideratis etiam ſenſus obtuſus aut penitus amiſſus interdum occurrit, ſiquidem atonia penitus depravatur, imo paralyſi peſſime vitiatur, ex quo excrementorum dejectio, vix ac ne vix quidem procedit.

§. XV. In robuſtis maxime & validis Coli membranis nerveo muſculoſis, easque perreptantibus vaſis ſatis capacibus ac amplis, facile jugis circulatio humorum per has partes turbari, & impediri, hærere atque ſtagnare, ob difficilem ad venam ſplenicam nimis remotam aſcenſum, ſanguis poteſt, ex quo ſanguinis lentiori motu & ſtaſi, in imo præſertim ventre, multa eaque gravia pathemata, ſpaſmi atque dolores exſurgunt; menſium ac hæmorrhoidum difficile negotium, vomitus cruentus, qui apertis ventriculi vaſis brevibus ex coli nimirum nimia ſtrictura ſanguine cum impetu adacto rurſus provenit, communiſſima mala ſunt. Ad hoc vitium facit plethora: nam quando auctus præter modum ſanguis, per imi ventris viſcera, ac præſertim per vaſa venoſa hepatis non liberum circuitum invenit, ſimulque ex arteria meſaraica inferiori, novus ad inteſtinum colon atque rectum fertur, regreditur atque regurgitat per venam portæ, parteſque alias, quibus cum hæc communicatio intercedit, moleſtat; Congeritur autem tunc maxime ſanguis in vaſis Coli, ex nervoſis ſenſibiliſſimis craſſis tunicis compoſiti, maximeque ab hac cauſa illud moleſtatur.

§. XVI. Cum plures internas partes ac viſcera alluat, atque cum iisdem connectatur, ob vicinitatem atque conſenſum præter modo adducta, non raro in malorum communionem atque ſocietatem, ut alia etiam remota longe quandoque loca trahit, ita ab aliis trahitur Colon. Jam non plura verba amplius de conſenſu per nervos faciamus, quia alibi modo hoc paſſim factum eſt, ſed hoc loco ſaltem præ aliis commemorabimus, quod facile ex vicinæ partis alicujus præter naturam tumentis, comprimatur. Singulare rarumque eſt, huc etiam hac occaſione trahendum, quod monet Adrianus Spigelius, ſenibus quandoque coſtas ſpurias incurveſcere, easque Colon inteſtinum pungere, adeo, ut inflammatio & mors inſequatur. Porro hic hoc modo non indictum relin-

relinquam, esse Colon flatu distentum & prætumidum, non raro causam calculorum nascendorum, & ex concretis iis doloris renalis & suscitati & aucti, si nempe ren ab illo (Colo) communi membrana annexus premitur, sicque liber sanguinis ibi circuitus, cum debita secretione urinæ, nec non illius defluxione, in vasa urinaria ipsamque vesicam, inhibetur, ex quo calculus generatur atque dein a generatis male affectus, & grandioribus & asperioribus calculis est refertus, colon sic tumidum renem ejusdem lateris & sæpe majorem in molem extensum ejusque vascula sanguifera premit, ut difficilior fiat per vasa emulgentia sanguinis motus & quæ ab hoc dependet, urinæ excretio & atterit, calculosque ibi detentos commovet, sicque dolorem immanem infert. Hinc etiam est, quod, qui calculi renalis doloribus obnoxii sunt, eos illico acerbe persentiant, quando assumserint flatulenta. In superioribus annotatum est, renem sinistrum, præ altero atque Colon arctius inter se connecti, quod in hac regione, multas gyrationes obtinet. Hinc animadvertitur ab iis, qui rem adcurate considerant, quod ren sinister, præ dextro frequentius calculos in se gignat & contineat, exulcerationibus exedatur & doloribus contorqueatur. Commonstravit hoc antea jam cum Dodonæo, CAROLUS PISO *Lib. de morb. ex serosa colluv. oriund. p. 249.* Rursus, in nephritide Colon in consensum tractum esse, in praxi experimur, quod sic irritatum flatus & tormina ordinario suboriantur, & suborta dolores quoque nephriticos augeant. Quia gyrationes Coli multæ per abdomen in cavitatem producuntur & extremitates imi ventris sic occupant, a ruptura in hernia, æque facile illud aut quædam ejusdem portio ac ileon intestinum, descendere elabique potest, ubi constrictiones molestissimas patitur: edocent hoc observationes CORN. STALPART. VAN DER WIEL *Lib. IV.* & NUCKII *Cap. X. Adenograph.* per herniam apertam multa quoque excrementa excreta fuisse. Æque frequenter Colon ventriculum per eandem causam afficit, ut quandoque ventriculus colon. Hinc experiuntur lautius cœnati, mane in lecto diutius decumbentes, præsertim supinum corporis situm amantes, quod nausea & cardialgia, imo quandoque vertigine syncope, ac vomitu molestentur, surgentes vero illico ab illis molestiis liberentur, ex illo, quod talia excrementa in decubitu, in coli superiori parte retenta fuerint, ventriculum quoque ob viciniam & connexionem coli afficiant atque irritent, insurgentibus vero e lecto, mox descendant simulque has molestias auferant. Eodem modo pluries diaphragma gravatur ac premitur, quando flatibus & sanguine turget nimio colon, de quo observationem re-

 tulit

tulit Præſes, de viro 36. annorum ſumme plethorico ac cui difficile hæmorrhoidum negotium, magnas creavit moleſtias: is nimirum per duos annos ſubinde, quando præſertim motu ſe aut vino exagitabat, depreſſione labore plena, in ſiniſtro dorſi latere quintam inter ſextamque coſtam cum phlogoſibus, anxietatibus circa præcordia, difficili reſpiratione ac anhelatione, dolore capitis gravativo, oculorum rubore & intumeſcentia, ſenſuum ſtupore, vertigine conqueſtus, ex medicamentis à medico ſuo, qui vitium in pulmonibus reſidere audacter ſemper affirmavit, nullo reſpectu de reliquis accidentibus habito, præſcriptis reſolventibus calidioribus ex ſpermate ceti, cinnabari, ſale volatili CC. eſſ. ſuccini ſaſſafrata, liquore CC. ſuccinato & ſimilibus, nullum huc usque levamen ſentiit. In conſilium vocatus Præſes circumſtantiis omnibus rite penſitatis, Colon juxta renem ſiniſtrum, ſedem morbi eſſe indicavit, congeſtionesque ſanguinis in his, hæmorrhoidesque non debite fluentes incuſavit & nihil prius habuit, quam venæ ſectionem in pede ordinare, ex qua ſola mox auxilium reportavit, quamvis poſt hanc pulveres præcipitantes & nitrati cum aliquot cinnabaris granis, nec non laxantes ex cremore tartari &c. non omiſſi fuerint.

§. XVII. Adhuc plures, præter nominatos profecto morbi iique graviſſimi ſunt, qui ex hac officina promanant. Mox ſe offerunt diarrhœæ atque dyſenteriæ quæ exinde tanquam ex ſua profluunt ſede, quæque frequenter excreſcentias verrucoſas atque criſtoſas ibi relinquunt. Etenim hic non poſſum non falſam practicorum quorundam diſtinctionem notare, qua in dyſenteria ex doloribus ſuperiorem abdominis partem afficientibus, gracilia inteſtina laborare, & inferiorem excruciantibus, craſſa exerceri temere affirmant, quoniam colon ſæpe ſolum afflictum, quod aſſurgens deſcendensque per abdominis cavitatem, & circumvolutionibus ſuis, tenuia fere omnia inteſtina circumire ſolet, eos ſæpiſſime fallit. Juxta hos dolores non omittendi videntur dolores arthritici & podagrici, qui hic utplurimum fabricantur. Hinc iidem vel ſolo laxante, vel emetico feliciſſime aut præcaventur, aut ſæpe numero curantur. Imo affectuum capitis quam plurimorum, vertiginis rotatoriæ, cephalalgiæ immanis, atque adeo ipſorum, in quibus mens errat, ut melancholiæ, maniæ, incunabula hic poſita ſunt: quo notamus in maniacorum cadaveribus etiam vaſa meſaraica præſertim circa colon inflata, turgida ſanguine craſſo referta juxta lienem præter naturam infarctum, hepar induratum atque obſtructum ordinario fere inveniri. Non a vero aberrare me confido, ſi dixerim, apoplexiam quandoque exinde proficiſci

ficiſci: Multo enim uſu confirmatum eſt, levamen, alvum a natura auxiliatrice ſolutam, ac clyſteres excitantes & repurgantes optimam opem in hoc morborum genere, afferre. Præterea nemo non ſcit, quantum laborem hæmorrhoidum & in fœminis menſium difficile negotium pariat, quod quidem facilitant pilulæ, ex aloeticis paratæ, quæ viſcoſis ac reſinoſis tenacibus ſuis particulis, Coli & recti inteſtinorum tunicis firmius inhærendo, non ſolum affluxum ſanguinis, ſed & ejus effluxum facilitant atque proritant. De his vel illis morbis, nemini longius ſcrupulum movebimus, an in cavitate an inter tunicas Coli lateant morbificæ cauſæ: Quibusdam enim haud credibile cum SENNERTO Vid. *Lib. III. P. II. S. II. cap. II.* eſt, v. gr. dolorem a quo perforari quaſi inteſtina videntur, excitari tantum a vitrea pituita, in cavitate inteſtini adhærente, ſed potius intra tunicas ejus continente afferunt, quæ etiam AVICENNAE ſententia fuit vid. *med. pract. tract. III. c. XII.* flatus in tunicis inteſtini vagari ſtatuentis. Multo minus in vanum diſputabimus, an Colon æque ſecundum dextram ac ſiniſtram partem ægre afficiatur, quod multi cum GALENO vid. *Vide loc. affect. C. II.* citra rationem quidem negant.

§. XVIII. Hoc per aſſiduas obſervationes quoque conſtat, ſimulque per aſſertionem alibi nempe §. V. allatam, eſſe inteſtina, præſertim, colon, ad excipiendas ſuperfluitates ex omnibus corporis regionibus, admodum proportionata atque dicata, per & in quibus natura & cum morbi inchoant erumpuntque, & cum ſalubritatis tempore ac ſtatu eas tranſmittit ac relegat, arthritidem fixam podagram, eryſipelas, ſcabiem, aliasque ſecretiones & excretiones retro pulſas, præſertim in Colon retrocedere, ibidemque varie ſuam tyranidem exercere. Monſtrant hoc haud indubie flatus atque dolores immanes colicæ deſcendentes in infimo ventre, asſcendentesque mox a retroceſſione materiæ peccantis excrutiantes, quæ ſpaſtica pathemata atque dolores, deinceps ad alias etiam partes, ventriculum & diaphragma, pulmones, imo cerebrum usque ipſum &c. progrediuntur, & ſingultus, ſpaſmos ventriculi, aſthma, inflammationes, febres nec non raro deliria inferunt. Sectiones quoque cadaverum detegunt, ex hoc genere morborum demortuis, inflammationem, gangrænam & ſphacelum primum in hoc inteſtino utplurimum latuiſſe atque ibi incepiſſe. Perinde id ſe habet, quando violentum quoddam purgans, ſæpe non tantum fæces alvi, vel contenta inteſtinorum omnia ſed & eadem venarum meſaraicarum venarumque contingentium foras ciet.

§. XIX. Ex his modo de Colo ejusque præsertim structura, situ connexione, usu, & functione materiarum inhæsione atque ad tam multos hinc morbos propensione &c. præfatis, proclive est intellectu, e re esse, collectas detentasque sordes certissime noxam inferentes, mature per diluentia eaque tepida magis, ut ptisana & id genus, laxantia & clysteres, in quibus pharmacia ejus & magnum emolumentum præcipue consistit, tempestive repurgare, quoniam Colon intestinum, præcipuam excernendorum materiam in finibus suis continens, proxime cum recto eluitur, eaque per corrigentia, temperantia, absorbentia & præsertim salia detersiva v. gr. arcan. duplic. terra foliat. tartari, tartaro tartarisato, tartaro vitriolato, sal. epsoniense, item per amara medicamenta, cum temperatis gummatibus & resinis mixta, rhabarbarina, succinata, myrrhata, aloëtica, & præparatas exinde essentias absinthii, cent. min. ess. gummi ammoniaci &c. invertere atque ad excretionem præparare, viamque sternere, per quam facilius excerni queant. Hunc ordinem servando, ut detersiva præmittantur, clysteres sequantur, & purgantia demum per os assumenda addantur, siquidem clysteres minorem exagitationem in corpore edunt, intestina præparant atque disponunt, ut facilius purgantia effectum suum perficere possint. Quod præsertim, ubi flatus intestina percurrant atque molestent observandum; ubi enim hi valde peccant, purgationi obstaculo sunt. Hoc speciatim in colica flatulenta videmus, purgantia improvide adhibita, vix laxam reddere alvum, sed potius magnas distentiones, lancinationes doloresque excitare, quare per enemata emollientia & resolventia flatus prius expellendi sunt alvusque solvenda, quam purgantia sic præpostere præscribenda. Æque imprudenter faciunt illi, qui, in alvi obstructione a fæcibus induratis, purgantia sine præmissis ejusmodi clysteribus suadent, qui difficilia ad exitum excernenda, facilia reddunt. Hunc ordinem, hancque cautelam jam HIPPOCRATES præscripsit *aph. LXX. Sect. VII.* qui alvum humectandam, antequam pharmacum deorsum purgans exhibeatur, præcipit. C. CELSUS prudens non minus quam eruditus pariter *L. III. c. XXVIII.* in omnibus morbis perpetuum id observandum monet. Hoc scopo, certissima emolumenta laudabiliter, tam in præcavendis quam curandis multis morbis, sublatis sic gravioribus ægrotandi causis, impedientibusque præscisis, collocare possunt medentes. Certo in hanc rem, argumento est, quod a pluribus morbis liberi maneant, in quibus alvus est laxa & dejectio facilis. Juxta positive laxantia ea assumta, quæ moderatos flatus cum emollitione alvi efficiunt,

qua-

qualia mellita, panes dulces, (*Pfefferkuchen*) ſerum lactis caprini & ſimilia admodum conducibilia eſſe reor, quoniam flatus per omnes inteſtinorum tractus oberrant motuque ſuo ex latebris inteſtinorum, materiam peccantem educunt aut ad minimum, educibilem reddunt. Quo & via nobis jam eſt expedita, alterum quod habemus inſtitutum ulterius & explicatius paulo pertractandi. Etenim clyſteres certe in quocunque propemodum morborum genere, ſi debitæ cautelæ, ratione materiæ, adhibendi modi, quantitatis, temporis & retinendi moræ &c. obſervantur, conducibilia remedia ſunt, quæ alvo clauſa atque fluente & tam in laxando & repurgando, quam humectando, abſtergendo, diſcutiendo, refrigerando, calefaciendo, ſtimulando, emolliendo, conſtipando, confortando, revellendo & derivando eximiam utilitatem ac effectus, eosque ſubito, exerunt. Sunt ergo tot enematum genera, quot corporis humani & ſpeciatim inteſtinorum vitia. Præterea & hæc laudabilis eorum indoles eſt, quod ſine aliorum humorum turbatione, ſineque omni, quam vulgus timet, virium dejectione, operentur. Hoc quoque emolumentum ab iisdem procedit, quod reliquorum medicamentorum uſum adjuvent promoveantque atque mala revera ſanent non pallient. Ad hæc quadrant enemata omni tempore, & loco, omnis ætatis, ſexus, corporis habitus temperamenti hominibus, debilibus pariter ac firmis, ut videre eſt apud JOH. WALAEVM *method. med. p. m.* 52. & MORELLVM *method. præſcrib. form. remed.* L. II. S. II. c. XIV. p. m. 245. *ſeq.* AVICENNA *VIII. tr. V. u.* ſcriptum reliquit, ſolutionem ventris per clyſteres, omni die, ſemel aut bis a phlebotomia excuſare. Et ſi non ubique per ſe, certe tamen per accidens opitulantur. Quemadmodum enim hujus inteſtini ſingularis ſenſilitas, cum partibus aliis connexio & vicinitas, ejusque conſenſio per nervos maxime, multis morbis anſam dant atque occaſionem; ita etiam hæ circumſtantiæ multorum morborum proximam curationem perficiendam innuunt: Siquidem non modo clyſteres, ubi vitium in ſolis inteſtinis crasſis hæret, (quoniam ad jejunum inteſtinum valvula impediente, nullatenus pervenire poſſunt, niſi per vim adigas, qua fortasſis etiam ad illud penetrarent) cum emolumento adhibentur, & neceſſarii ſunt, ubi crebris evacuationibus opus eſt, ubi copioſa materia craſſa pituitoſa cellulis eſt impacta, quæ purgantibus vix cedit, & ubi occluſæ viæ, quæ purgantia per os aſſumta non admittunt nec transmittunt, vel ubi fæces exſiccatæ nimis vel flatibus diſtenta, vel a vermibus arroſa inteſtina ſunt &c. ſed & in aliis bene multis admodum proficui deprehenduntur. Ad hoc & viam

viam ex reliquis inteſtinis excrementis expeditam reddunt prætereaque efficiunt, ne medicamenta in inteſtinis hæreant operenturque per avulſionem ut BACO DE VERVLAMIO *in Hiſt. Nat. Cent. I. p. 771.* loquitur, Abo Ali Arabs, enemata, utiliſſimam omnium medicinam, & ſuperfluas & noxias humiditates quasvis ex toto corpore educentem eſſe, dixit. HERODOTVS narrat *Lib. II. in Euterpe* Ægyptios fuiſſe maxime omnium hominum ſanos, propterea, quod ſingulo menſe per tres dies potionibus vomitoriis & clyſteribus, uterentur. Notabile in hanc rem eſt Hippocratem, in curatione morborum paſſim vix aliud remedii genus, præter clyſteres & glandes offerre. Nec minus GALENVS, uti colligere eſt *L. II. phar. loc. cap. X.* tam ex Archigenis, quam propria mente, ſummopere, pro vario ſcopo, clyſteres laudat. Tantam eſſe quandoque eorum neceſſitatem, ut absque illis vivere quaſi impoſſibile ſit exemplis quibusdam probat MAR. GERBEZIVS *in intricat. extricat. med. p. 32.* Licet etiam autoſophus Helmontius eos medicamen abſurdisſimum, viliſſimum & turpisſimum nominando, rejiciat, multique hodie medici non modo flocci faciant, ſed & contemnant, imo damnent. Per experientiam certe hauſtum habemus, calore inteſtinorum adjutos & liquefactos ſuas etiam undique fundere vires. Atque ſic vario modo disſitis partibus, & in ipſis capitis affectibus fere omnibus, ut cephalalgia, hemicrania phrenitide, paraphrenitide, imo in graviori contuſione ejus, clyſteres alterantes ex herbis, floribus & ſeminibus cephalicis & nervinis roborantibus, antiſpasmodicis parati, magnam utilitatem conciliare poſſunt. Præſertim, ſubtracta nimirum ex inteſtinis materia peccante, ſerum per glandulas inteſtinorum, liberius profluere poteſt, & quod alibi hærebat, rodebat, aliaque ratione moleſtabat, divellitur & excernitur. Inhæret etiam quandoque impacta acris materia firmiter inteſtinis, præſertim colo, ejusque cellulis, tanquam ſpina pungens ac irritans, disſitosque etiam dolores inferens, quæ vix alio medio quam per clyſma injectum, elui removerique poteſt. In apoplexia profecto eaque fortisſima, ex clyſteribus acrioribus injectis, certisſima reſtitutionis fiducia redit, atque adeo iidem valde acres, ipſam cataphoram, cum reliquis ſoporoſis affectibus tollunt. Nam irritatione ſenſibili ſic facta in inteſtinorum tunicis, per nervos, motu ſpirituum animalium ſuſcitato & revocato, motus eorum ulterius continuatur, & ad cerebrum usque propagatur, ut ad priſtinos motus priſtinaque officia prompte redeant. In lippitudine & ophthalmia, clyſmata utilisſima & neceſſaria remedia eſſe, probat F. DECKERS *Exercit. med. pract. circa med. meth. p. 404.*

§. XX.

§. XX. Nec dubium per confequens eft, quoniam ut in antecedentibus eft indicatum, cum pectore ut & cum capite atque externis quoque corporis partibus, arcto gaudet Colon confenfu, quin & in colli, gulæ & pectoris morbis adjutorio fint, ut in afthmate, catarrho fuffocativo, anxietatibus præcordialibus, palpitatione cordis, lipothymia, pleuritide, peripneumonia, angina, fyncope, &c. ex aromaticis ftimulantibus & temperantibus adornati clyfteres. In quodam pectoris vulnere quondam enematum, ex refolventibus & carminativis paratorum, fummam efficaciam, in fanguine extravafato & grumefacto refolvendo, & educendo, deprehendi. Hic & liceat, quandam hiftoriam medicam, in gratiam argumenti notare, quæ mihi non ita pridem obfervanda contigit. Scilicet novellus quidam medicus practicus, fœminam quandam XXXII. circiter annorum, anxietatibus præcordiorum & refpiratione laboriofa, menfium obftructione per aliquot faltem feptimanas conqueftam, pellentibus calidis emmenagogis curandam fufcepit, ex quo indies pejus fe habuit, refpiratione difficili & anxietatibus auctis. In confilium vocatus, de emunctoriis præ omnibus corporis, primum fcifcitatus fum, an aperta illa fuerint nec ne, fœmina autem affirmavit, fe jam per VI. dies alvum non depofuiffe, qua de re vero, prior medicus parum folicitus erat. Præfcriptum ipfi ftatim eft clyfma emolliens, ex quo fcybala compacta & dura admodum reddita funt, & ægra mox priftinæ fanitati reftituta. In faucium apoftemate pariter, ex falivatione inducto clyfma laxans, quod nimirum faliva acris aliorfum derivata, iterata vice injectum, admodum proficuum eft deprehenfum. Eorum (clyfterum) infuper gravitas, inteftina premens, etiam impedit, quo minus ita facile vifcera cum diaphragmate furfum attollantur, hinc que refpiratio impediatur & anxietates augeantur. In plurimis pectoris morbis, & quibus nempe refpiratio laborat, hac cautela utendum, ut clyfteres in pauca quantitate injiciantur, ne Colon nimis extendatur, & refpiratio nimium impediatur.

§. XXI. Multo minus, hinc nemini fcrupulus quidam remanebit clyfmata ventriculo, & inteftinis continuis atque contiguis tenuibus, maxime nervofis, ac cum reliquis corporis partibus exquifitum fenfum alentibus, (quæ Colon ut ampliffimum crafforum cingit, iisdemque undique circumvolvitur) nec non vicinis vifceribus, in abdomine, illorumque vitiis fubvenire. MOEBIVS *in fundam. Med. phyf. cap. XI. p. 105.* memorat, matronam Nobilem anorexia contumaci per aliquot annos laborantem, tandemque pene confumtam, remediis repurgativis exhibitis,

mucoſam ſubſtantiam copioſam, cum numeroſa vermium prole, per aliquot dies excreviſſe, atque ex eo integre convaluiſſe. In inflammatione ventriculi, clyſmata emollientia, refrigerantia & lenientia quotidie injicere jubet RIVERIUS *Prax. med. Lib. IX.* Porro ſingultus, diarrhœæ, dyſenteriæ, teneſmi, menſium obſtructionis, dolorum a calculo tam renum (ob ſitum ac nexum) quam veſicæ, item dyſuriæ, iſchuriæ, ſtranguriæ, clyſmata emollientia, anodyna & traumatica egregia & certiſſima remedia ſunt; hac tamen cautela obſervata, ut diutius retineantur quo ſpaſmos laxent & flatibus ſic exitum parent, certiorem ac faciliorem. Similiter paſſionibus hyſtericis egregie ſubveniunt, facilem partum procurant. In colicæ acerbiſſimo dolore, clyſma ex oleo rutaceo præſentiſſimæ efficaciæ eſt. Recte hinc ARETAEUS *L. I. p. 180.* præcipit: *Medelam inferioribus partibus adhibendum negligere non oportet, viris quidem in anum, oleum rutaceum, mulieribus in uterum infundendum eſt.* Sic SCHELHAMMERUS *de natura p. 279.* recenſet, ſe, in hydropico dolorem circa umbilicum perpetuum ac ſævum obſervaſſe, ut tandem eum pene conficeret, eumque nihil remediorum admiſiſſe, ſed cuncta eorum externa & interna reſpuiſſe, atque ab omnibus exacerbatum fuiſſe, ipſis etiam emplaſtris, epithematibus, purgantibus, acidis, ſalinis carminativis, ſolis autem clyſteribus mitigatum malum. In renum & veſicæ affectibus, clyſteres plurimum prodeſſe AVICENNA docuit, vid. *Fen. IV. 1. c. XVII.* Affirmat idem FR. VALLERIOLA *obſerv. med. Lib. III.* & HELMONTIUS *Lib. de Lithiaſi Cap. VII. p. 45.* Præterea ſi & alvus ſic laxa, lubrica & temperata fuerit, vix generantur flatus, a fæcum ſubſiſtentium calidorum quantitate, ſubtracta. Sic & enematibus, aqua benedicta Rulandi addita, ut fortius ſtimulent, quandoque vomitum excitavit, ac terebinthina admixta, urinam violaceo odore imprægnavit. Nec dubium eſt, quin ipſi ſanguini ac lymphæ ſe inſinuet tandem, eorum medicata virtus. Clyſmata ſtupefacientia ex narcoticis parata, totum corpus ſtupefactum relinquunt. Experimentum in Actis Angl. legitur, quod hoc facit teſtatum, ſpiritum vini per clyſma injectum longe magis, quam ore hauſtum, inebriare. De aliis corporis ægritudinibus unum ſaltem addamus malum Iſhiadicum, de quo JOH. DE BEVERWICK *im Schatz der Ungeſundheit*, meminit, quod clyſteres ex centaurio minori parati, humores nocentes evocando doloresque mitigando, egregii ſint.

§. XXII. Pari utilitate hoc medicaminum genus, ſe commendat etiam, ſi vitia tota corrumpunt corpora, ex quorum ordine frequentiſſimæ febres ſunt, eaque multis difficultatibus & dubiis intricata, ac generi homi-

hominum inimiciſſima & impetuoſiſſima mala, quæque æque ac accidentia ſua, maxime ſpaſmis debentur. Circa quæ notabile eſt, ubi inguina laborant, ac viſcera, præſertim inteſtina gravis dolor fatigat, venter in tumorem attollitur, flatibusque diſtenditur, nec hi emittuntur, ſimulque nervorum diſtentio oritur, promptiſſimum delirium inſequi, remque periculi plenam eſſe. Contra quas (febres) licet Martianus vehementer illud improbet, easdemque omnis generis, imprimis intermittentes tam laxantes & emollientes ordinarii magis quam ſpecifici clyſteres antifebriles ex cortice præſertim Peruviano, felici ſubſequente ſucceſſu parantur. Nemo præterea non, etiam novit, quantam quotidie opem, laxantia deterſiva ſalina &c. leniter ſingula inteſtina repurgando, tam pro præſervatorio quam curatorio ſcopo adhibita, collocent. Optime monet GALENVS *ad Glauc. Lib. II.* in febribus intermittentibus maxime in quartanis, præ omnibus aliis, & ſtatim in initio utendum clyſteribus eſſe, deinde ad alia deſcendendum. Iis ſolis multos tertianarios liberatos eſſe, legas licet in ARGENTERII *Op. P. II. p. 141.* Pariter in praxi medica notiſſimum eſt, enematibus emollientibus, aperta, alvo ſervata, in febribus ardentibus, egregie naturam vi preſſam ac circumventam, levari. In ipſis malignis ac peſtilentialibus, atque adeo exanthematicis, non raro clyſteres iique tamen mitiores tutiſſime & ex utilitate admittuntur & præſcribuntur. Sed de multis jam pauca & pleraque quam pauciſſimis notaſſe, hac vice hocque in paſſu ſufficiat. Quantum igitur utilitatis in medicina clyſteres collocant, tantum laudis Gallis præſertim debetur, quibus clyſterum uſus frequentiſſimus eſt. Atque hæc adduxiſſe hac vice ſufficiant. Ad alia enim quæque præſertim in medica praxi minus attenduntur, ulterius & longius evagari, non libet. Ejusmodi eſt, quod nonnulli hodie adhuc, veterum placita ſectantes, ſedulæ obſervationi & æſtimationi curioſæ commendant, Colon inteſtinum in dextero latere, ad ventriculum & lienem usque adſcendere, ut per compendium viæ, atrabilaris humor evacuetur, eoque deferatur noxium, tanquam excrementum, multos morbos eosque difficillimos procreans, atque natura duce ac ſtimulo per ſeceſſum foras ejiciatur.

§. XXIII. Ubi tandem aut ſumme faſtidientibus omne alimentum eſt odioſum, aut ubi totum corpus tabe conſumitur, aut regia alimentorum via, quod in angina præſertim quandoque accidere ſolet, in faucibus præcluſa eſt, nullaque ratione corpus nutriri & refici poteſt, omnisque ſpes eſt abſumta, per hoc inteſtinum Colon & vita, nutritio

& virium reſtauratio conſervantur, reſtituuntur & continuantur. Quoniam enim, uti ex jam adductis iterum præſuppono hoc inteſtinum vaſa quoque lactea, ut in cuniculis plura ac ordinario, ita & in hominibus non raro ſat numeroſa continet, per clyſteres ex jure & ſucco & jure gallinæ expreſſo, lacte ovis, ptiſana, melle, vino &c. paratos, nutrientes ſæpius & in majori quantitate injectos diutiusque retentos ut & reficientes ex ſpirituoſis confortantibus adornatos, hominis conſervatio inſtitui poteſt. Ut enim ratio ſic non deeſt, ita etiam uſus aſſertum confirmat. Et ſi teſtes quosdam hujus rei deſideres Joh. de Muralto vid. *Clavis med. p. 382.* & Th. Craanen modo ſiſto, qui, uti videre eſt in *Tr. de homine.* multos hoc modo ſervavit. Conf. & *Hiſtor. Reg. Pariſina* atque Joh. Langius *in Epiſt. med. Lib. I. p. 406.* De horum efficacia dubitantibus, difficilius adhuc creditu erit, quod tamen multi cum Zacuto Luſitano aſſerunt, cataplasmata ac emplaſtra nutrientia nec non balnea ex lacte parata, in emaciatis, hecticis & imbecillibus non prorſus vana eſſe, quam nutriendi rationem etiam Hippocratem jam ſtabilitam iviſſe, apparet ex libro *de Alimento*, quando emplaſtra eundem in finem, inſtante potiſſimum abortus periculo, umbilico imponi juſſit ac ſcripſit: Forinſecus alimentum ab extima ſuperficie ad intima pervenit. Pari paſſu incedunt enemata corroborantia, ex medicamentis parata: ſi enim olfactus vires reficit, quod tamen toto die videmus, certe etiam ejusmodi clyſteres vaporibus ſuis elevatis, multo magis corroborare ac reficere poſſunt. Hic commode memini, mihi quondam in paralyſi linguæ in juvene, XXI. annorum plethorico, terrore præter modum affecto, clyſmatum ejusmodi corroborantium injectionem, multum profeciſſe. Ad extremum, circa clyſterum uſum & injiciendi modum monendum venit, quod alias vix attenditur, ut nimirum æger in latus dextrum decumbat, poſituramque corporis incurvatam ſervet & inſtrumentum a chirurgo vel miniſtro verſus dorſum flectatur, ne ſcilicet injectus liquor e colo ad inteſtinum rectum ſtatim refluat ac urgeat ſui expulſionem atque ne Coli inteſtini pars, ſub liene in latere ſiniſtro comprimatur, & ut injectio ideo altius penetrare poſſit. Alia adhuc poſſemus emolumenta, quæ per hoc ipſum inteſtinum, toti corpori redeunt, ſi ulterius evagari vellemus: Inter cujus rei exempla unicum ſaltem exemplum hic adhuc legatur: quod nempe colon præ aliis inteſtinis ob continuitatem illam, quæ cum peritonæo, cum muſculis abdominis ejus parti externæ intercedit, ut per varias obſervationes conſtat, in vulneratione facta, cummuni cicatrice, cum exterioribus abdominis integumentis inter-

terdum coalefcat, qua de re videatur WOYT *in dem Unter-Richt von denen tödlichen Wunden p. 364.* ubi & multæ obfervationes huc facientes ex variis Autoribus collegit.

SOLI DEO GLORIA.

❀ ❀

XIII.

DISSERTATIO MEDICA DE MORBIS FREQVENTIORIBVS ET GRAVIORIBVS PRO DIVERSITATE SEXVS.

PROOEMIVM.

UT in tota rerum univerfitate, in producendis rebus plures femper caufæ concurrunt, earundemque infinitus datur progreffus, dum hæc vel illa caufa hunc vel illum infert effectum, qui poftea alterius iterum caufam conftituit; fic etiam in gignendis humani corporis morbis, eadem conditio, idem modus ac ordo obfervatur: hi enim non ex iis duntaxat rebus, quæ ad vitam fuftentandam continuandamque quotidie, imo omni momento, neceffariæ funt, producuntur, quales funt aër, cibus & potus; fed & ad morborum genefin juxta difpofitionem ad eos pariterque prognofin formandam ac indicationes curatorias & præfervatorias formandas, multæ fubinde aliæ fimul conferunt caufæ, quamvis remotiores illæ fint ac mediatæ, quales funt temperamentum, habitus corporis, nativa atque connata hereditaria conftitutio, confuetudo, quæ altera eft natura, atque quodvis clima, quævis ætas, uterque fexus determinatus ille corporis modus a diverfa conformatione & ufu partium genitalium proficifcens, fuos habet peculiares morbos, ac multi eorum frequentiores pariter ac graviores & periculofiores huic aut illi accidunt, facilius aut difficilius mutantur in hoc vel

 illo,

illo, corriguntur, tolluntur. Qua de re, primum, magnus ille Medicinæ Parens Hippocrates optime meritus eſt, qui ut ſcitiſſime explicavit, quibus vitiis ſexus hominum expoſitus eſt, ita & præclare & utiliſſime exinde indicavit, quæ in curatione reſpicienda veniunt. De quibus & nos, ea qua hucusque licuit ſolertia, obſervationes quasdam conſcripſimus, & ut ſperamus, non prorſus, inutiles. Accipe itaque eas B. L. æquo animo, & tibi penitus perſuadeas velimus, nos nunquam defuturos, ſi quando rei medicæ magis prodeſſe poterimus. Deus T. O. M. benedicat conatibus noſtris ex alto!

§. I. INter cauſas morborum internas juxta temperiem, corporis habitum, ætatem, &c. quasdam obſervationes etiam deſiderat humani generis ſexus, ceu complexus variarum affectionum, quæ potiſſimum generationi competunt, qui ut diverſus, diverſos non modo patitur morbos, qui organa maxime diverſa, quæ unum ab altero diſtinguunt, afficiunt, & proprii audiunt, ſed & communes utrique non eodem modo in utroque ſe habent, quemadmodum & alia ſanitas eſt maſculi, alia fœmellæ; ſed varii in altero frequentiores & graviores, curatu difficiliores, periculoſiores atque funeſti magis, in altero iidem minus tales obſervantur, & hos primarios jam videamus ſtrictim.

§. II. Quantam virilis ſexus præ altero habeat præſtantiam, non ſolum ex Scriptura Sacra & Jure Conſultorum ſcholis, ſed & ipſa medicina abunde patet: Hæc enim ſtatus corporum naturalis & morboſi ſedula ſcrutatrix præcipue morbos & ſymptomata ſuggerit graviſſima, ſiquidem ſexum cum ſexu hoc modo conferendo, in anteceſſum quaſi ac in genere ſcire licet, mulierum genus præ virorum, non modo brevioris vitæ, in locis præſertim frigidis, ſed & morbis plus eſſe expoſitum, adeo, ut duplo majores, Helmontii effato patiatur illud; atque Riverius plures quam ſexcentos præter illos, quos cum virorum habet communes numeret verumque maneat effatum: mulier omnem morbum bis patitur; præſertim autem pituitoſis, ſeroſis, lentis, diuturnioribus, chronicis frigidioribus ſic dictis, nec non, omnis generis ſpaſmodicis affectibus maſculorum vero, acutis, continuis & bilioſis magis morbis vexari, vehementioraque multa ſymptomata perſentiſcere, brevius tamen eos finiri patet. Quo ſimul tamen innuere convenit: fœminas plures ad annoſum pervenire ſenium quam viros atque easdem licet torporem & marcorem corporis rugoſitatem, dentium lapſum, inceſſus labefactationem viris citius incurrant, tamen quoad interiora diutius vividam energiam vitalem

vitalem conſervare & non adeo ſæpe ac viri morbo quodam acuto derepente enecante, apoplexia & ſimili, ſi catarrhum ſuffocativum excipias, perire, quæ res locum autoribus fecit, ut plures eorundem integris quoque voluminibus traderent. Singulos horum dein recenſituri & ordinem quidem obſervaturi ſine ordine, recte ab iis modo incipere corporum vitiis poſſe videmur, quæ totis inhærent corporibus. Ex horum ordine generi hominum inimiciſſimum eique frequentiſſimum febris eſt, adeo ut perſpectum ſit, bruta vix aut rariſſime ea affici, atque quorundam literis conſignatum, neminem facile niſi violenta morte enecatum ſine ea, e vivis deceſſiſſe.

§. III. Rem ergo hanc, ab origine aggrediamur & a potiori ſexu potior quoque fiat tractatio. Hic (ut evictum eſt,) febribus propemodum omnibus præcipue continuis acutis inprimis acutiſſime lædentibus & magnis, petechialibus (de quibus teſtatur FRACASTORIVS *de morb. Contag. Lib. II. cap. VI. p. 159.*) ut & purpura, (ſi puerperas inprimis hic excipias,) atque variolis & morbillis frequentius & gravius detinetur & perit ſæpius. Noviſſime Exc. D. FR. HOFFMANNVS Vir de univerſa re medica ſupra quam dici poteſt meritus, *in Diſſ. de Variolis Epid. p. 12.* meminit, eas (variolas epidemice graſſatas) in ſexum potiorem vehementiam exercuiſſe majorem. Jam pridem Rhaſis ſcribit: variolis puerorum corpora magis eſſe obnoxia, & Avicenna variolas puerorum peſtem nominat; attamen fœminis juvenibus quandoque poſſunt eſſe periculoſiores, ubi fluxus menſium intercurrit. Hoc & obſervationes ferunt, plures nempe fœmellas inveniri, quæ eas reiterata etiam vice, patiuntur. Imprimis febres ardentes rarius periculoſe cedunt fœminis ob copioſiores nimirum partes ſeroſas, quibus earum maſſa humorum ſcatet, qui & ſalino-ſulphureas, acres, feroces diluunt, mitigant, compeſcunt. Similem HIPPOCR. *V. Epid. n. 24.* morbum ex venenata ſeroſitate oriundum, memorat viris magis periculoſum. Hiſtoriæ morbor. Uratislav. graſſ. a Clariſſimis Medicis Uratislavienſibus collectæ de febribus petechialibus, quæ bonam Uratislaviam, Sileſiæ caput, Anno MDCXCIX. infeſtabant, loquuntur, eas frequentius in mares ſanguineos & ſanguineo-phlegmaticos, ſævitiam ſuam exercuiſſe iisque graves ac infeſtas præſertim fuiſſe, qui vino, ſpiritu vini, ſe obruerunt, ac corpus cacochymicum, prava victus ratione, contraxerunt. Noviſſimum exemplum nobis præbent febres, quæ modo apud nos epidemice graſſantur ex acutarum familia, hæ nimirum plures mares, pauciſſimas fœminas aggrediuntur ac jugulant. Ejusmodi febres cum morbis pectoris

ris epidemicis, quæ nempe pauciores viris mulieres corripiunt describit LANCISIVS *Hist. R. epidem. p. 197.* Catarrhales vero & purpuratæ utplurimum sexum sequiorem infestant, ut observationes per multas annorum series persuadent, quando hæ vernali autumnalique tempore ingruere solent. De his audiamus HIPPOCRATEM, *Epid. II. Sect. III. p. m. 697.* ita loquentem: *Fiebant in febribus æstivis circa septimam, octavam ac nonam diem asperitudines in cute miliaceæ, culicum morsibus maxime similes non valde pruriginosæ: hæ perseverabant usque ad judicationem. Nulli equidem masculo tales erupisse vidi, mulier autem nulla mortua est, cui hæ fiebant & gravi auditu præditæ & soporosæ erant; prius autem non valde soporosæ erant hæ; quibus illæ affuturæ essent, non tamen in totum durabant. Qui locus simul indicat, purpuram priscis jam notam cognitamque fuisse.* Hungaricis vero fœminas magis expositas esse, perhibet H. CONRING. *in Disp. de Febre Hungar. §. 22.* Hectica teste RIVERIO *Prax. Med. Lib. XVII. cap. III.* in fœminis facilius curatur, licet etiam cura sit palliativa, qua per longum tempus, vitam protrahunt, eædem. Non intermittamus quoque hic intermittentes commemorare, atque simul annotare, omnes omnis generis fere inprimis vero tertianas parcere magis fœmellis, quartanas tamen fere maribus. Febrem quotidianam familiarem fœminis magis esse quam masculis IOH. HIERONYM. PVLVERINVS *in med. pract. p. 81.* scribit. Non alibi saltem, sed & apud nos per multas hucusque annorum series Præsidi observare datum est, quando febres intermittentes vere & autumno epidemicæ extiterunt, paucas fœminas corripuisse, affectas tamen, tardius eas, reliquisse. Semitertiana viros frequentius premi quam mulieres ex ADRIANO SPIGELIO *Lib. II. cap. X. p. 57. de febre semitert.* accepimus; verum nos observavimus, quintanas, sextanas, septimanas atque adeo menstruas, mulieres præsertim scorbuticas quandoque passas fuisse.

§. IV. Si ad alia quoque ejusmodi progrediamur atque juste perpendamus, invenimus sexum sequiorem omne propemodum contagium, omnesque morbos contagiosos, putridos &c. ut & horum principem pestem, quod & de ultima Lipsiensi peste cives nostri referunt, frequentius aggredi, atque prostant observationes, pestem nonnunquam mulieres solas, imo quandoque nitidissimas & formosissimas earum invasisse, de qua re vid. ROLFINC. *O. & M. Med. Spec. Lib. II. Sect. III. Cap. XXXVI.* In nupera peste Massiliensi, in Gallia Anno 1720. miserandum in modum grassata, ut referebant *novellæ gallice conscriptæ Lugdunenses Batav.* plures etiam fœminas & infantes quam viros e medio tulisse,

de

de quo & conferendus Clariſſimus & diligentiſſimus Dn. D. I. KANOLD *epiſt. med. conſcripta de peſte Maſſilienſi.* Contrarium invenitur in *Chronico Anglico Stow Annal. p. 681.* quod nempe peſtis Oxonienſis anno 1579. neque fœminas neque infantes necaverit. Nil attinet jam, ut ad examinandum illud momentum afferamus, quod habetur, fœminam maxime ſi infecta ſit peſte & ſanos aſpiciat, oculis eos facile quoque inficere poſſe, quod contagium ex oculis mulieris ejusmodi laborantis emanans tantam habere vim ſtolide ridiculeque ſatis adducit COLERVS *in Oecon. rur. & dom. P. II. Lib. III. cap. XVII.* adeo ut, ſi lunam adſpiciat, & ſani etiam poſtea eam, eosdem quoque peſte corripi, conf. WOLFF. *Scrut. amul. Cap. II. Sect. I.* Circa febres hoc adhuc in genere obſervatur, & jam notatum legitur in HIPPOCR. *de Virg. m.* in mulieribus has cum majori anxietate, horrore, lumborum dolore junctas eſſe atque labore plenas.

§. V. De lue venerea & ejus contagio varia apud autores lectio proſtat. Sequiorem ſexum eam facilius afficere ſcribit LOMMIVS *p. 69.* ROS. LENTILIVS vero contrarium perhibet, vid. *Miſcell. Med. pract. P. II. p. 570.* alii adhuc volunt, hoc contagium non adeo diu inhærere iis, quam ſi in maſculum ſe recepiſſet corpus. Nobis, quoniam nondum liquido ſatis conſtat, cujusnam experientiæ ſubſcribendum ſit, in medio adhuc relictum volumus potius, quam modo aliquid de hac re affirmare. Verum quod curam attinet, nobis quoque haud ignotum eſt, ſi abominabili illo malo, fœminarum corpora contaminata fuerint, celerius per ea ut laxa magis, tam per ſudores quam per ſalivationem venereum illud venenum mitigari diſpelli atque expelli. Scriptum reliquerunt SENNERTVS *3. Med. pract. V. 2. C. V.* & HARTM. *Prax. Chymiatr. p. 213.* mulieres ſcorbutum ad annos 15. vel 20. mares non ultra 7. 8. aut 10. ferre, quod tamen, ſi experientiam conſulamus, vix firmum eſſe comperimus, arguit quidem hoc quoque V. A. MOLLENBROCCIVS *de variis Cap. VII. p. 86.* ubi ſimul conſentit per experientiam convictus, mulieres ſcorbuto minus obnoxias eſſe. Aſt ſi rem & cauſas ejus penitius intueamur, ut par eſt, rationes expendamus, & experientiam conſulamus, affirmare auderemus, fœminas ſteriles maxime & quibus menſes & lochia fluxerunt parcius, magis eſſe obnoxias ſcorbuto, maxime in dentibus ſe exerenti, atque opinaremur difficile in iis etiam eſſe eum ſuperabilem. Phthiriaſi fœminas potius confœdari pro comperto habetur. P. FORESTVS *Obſerv. de Tumor.* teſtatim reliquit: fœminas minus apprehendi lepra.

§. VI. Amplius obſervamus de aliis, maſculos frequentius ad ſudores p. n. & colliquativos graviores, per quos ſpirituum animalium copia diſſipatur, diſponi, ſed fœminas lymphæ vitiis aliisque morboſis ſeri excretionibus, catarrhis, rheumatiſmis, in variis corporis partibus, coryzæ &c. magis eſſe obnoxias. Perraro tamen malo iſchiadico eas correptas videbis. Obſervamus item magis plethoram, cacochymiam & cachexiam tandem, in ſuis corporibus generare ac alere atque ad majores & frequentiores languores, ſi ſegnioris ſunt naturæ, ad ſpaſmos & nervorum diſtenſiones, ſi activioris paulo ſunt, magis eſſe pronas; a quibus tamen crebrius liberantur, teſte ARETAEO *de morb. acut. ſign. & cauſ. Lib. I. cap. VI.* atque ad majores & frequentiores animalium ſpirituum, motuum perturbationes & ataxias magis ferri. Atrophia plures mares laborant, pauciores fœminæ; illi & præ his pruritui & ſpeciatim univerſali magis, particulari magis, hæ ſubjectæ ſunt. Aſt has ſæpius æſtuationes volaticæ, horrores & horripilationes, infrigidationes invadunt. De his eorumque invadendi modo loquitur Aphoriſmus HIPPOCRATIS *59. Lib. V. Rigores incipiunt mulieribus maxime ex lumbis & per dorſum ad caput; viris autem parte poſtica potius quam antica corporis, ut cubitis & femoribus: argumento eſt cutis raritas, quam pili oſtendunt.* Non poſſumus non demum adducere, fœtores tam totius corporis, quam alarum & pedum, ſexum ſequiorem magis contaminare, adeo, ut etiam vulgare jactetur proverbium: anus hirciſſans, tam male ut Thais olet. An propter libidinem ejusmodi accidant, problematice proponit AMMANNVS *in Medic. Crit. p. m. 600.*

§. VII. Liceat hoc huc quoque referre, quod notatum legimus in FIDELIS *Relat. Med. Lib. II. Sect. 2. cap. V. p. 224.* viros omnium frequentiſſime maleficiis & faſcinationibus eſſe expoſitos, ut mulieres dæmonum obſeſſionibus oppreſſionibus, dolis atque fallaciis & ſpectris terreri frequentius, & exinde ſentire plura mala, quæ exinde inferuntur, quæ modo morbis aliis ex aliis cauſis naturalibus oriundis ſeſe immiſcent ſæpe numero, ut menſium obſtructioni, melancholiæ &c. Sic enim de his loquitur HIPPOCR. *de Virgin. Virgines & ſteriles circa inſtans menſium tempus, inprimis dæmones ſibi infeſtos eſſe exiſtimant, adeo ut deſipiant, & multæ exinde ſtrangulentur, quia animi demiſſi ſint & puſillanimes.* Equidem apud R. A CASTRO quoque relatum eſt *Med. polit. Libr. IV. cap. I. p. 206.* faſcinationis periculum pueris ac pulchrioribus fœminis maxime imminere. Confer. ROZACK *Tr. de ſale p. 159.*

§. VIII.

§. VIII. Singularum modo partium corporis vitia proponenda, ut expendere liceat, quæ ex his quoque viris magis timenda ſint, quæque magis fœminis. Dolores ſive a violenta diſtenſione ſive roſione &c. membranarum derivandos, tenera maxime fœminarum corpora frequentius & ſenſibilius, virorum vehementius vere maxime autem in articulis percipiunt. Vix ulla vero humani corporis pars, æque doloribus patet ac caput, quod ſecundum HIPPOCRATEM ut habet *in Epiſt. ad Demetrium Reg.* radix eſt humanorum morborum & ex quo maximi morbi hominibus accidunt; facile enim hæc nobiliſſima pars propriæ conſtitutionis occaſione cauſas doloris & aliorum incommodorum & ex ſe & ex aliis, præ aliis vero ex abdominis viſceribus gignit & admittit in ſeſe, & aliis quoque communicat, atque hic ipſe eſt, cui fœminæ inprimis illæ, quibus non recte feruntur menſtrua, magis maxime ille, qui e diſtenſione procedit, obnoxiæ ſunt pertinaciſſimeque ab illo affliguntur. Hoc præter quotidianam experientiam cum Cœlio Aureliano graviſſimo ſcriptore SENNERTVS affirmat *Prax. Lib. I. Part. I. cap. III. p.* 747. In ſpecie dicendum eſt inter cephalalgiæ ſpecies ſæpius graviusque fœminas præ viris eam, quæ hemicrania, atque eam quoque, quæ cephalalgia iliaco-hæmatitica hodie audit ex inteſtinis adſcendens caputque occupat, atque ea quæ clavus capitis vocatur, exercere, atque hos affectus hyſtericis maxime eſſe familiares, hunc inprimis, unde & clavus hyſtericus audit vulgo. Idem de vertigine imo ipſa catalepſi cum ecſtaſi vid. COEL. AVREL. *de acut. morb. Lib. II. cap. X.* BORELL. *Cap. XI. hiſt.* 54. MARCVS MARCI *in Philoſoph. reſtit. p.* 397. dicendum eſt. In viris ſi adeſt multa magnaque utplurimum ſymptomata protrudere ſolet. Affectus item ſoporoſi & inprimis lethargus fœminas premunt frequentius; nihilominus tamen inter hos mares truculentiſſimum atque acutiſſimum frequentius obtinent malum, quod apoplexia eſt, hæc enim rariſſime mulieres corripit, ſi quando autem corripit, eas ſæpius invenies, quibus a partu minus lochia fluxerunt. Verum vero & hoc habetur, fœminas ſi ea laborent, difficilius viris curari, teſtatur hoc iterum COEL. AVRELIANVS *l. c. Lib. III. cap. V. p.* 209. Aſt paraplexia fœminas afficit frequentius. Idem *de acut. morb. Lib. II. cap. X. §.* 66. Catalepſin irruere magis fœminis ſcriptum reliquit.

§. IX. Proxima modo videatur obſervatio, per quam nobis propemodum conſtat, ut CELSO *vide Lib. III. cap. XXIII.* jam conſtitit, epilepſiæ & motibus convulſivis virilem magis eſſe obnoxium, niſi puerperas forte velis excipere, quibus lochia ſunt ſuppreſſa, atque eas, quæ

Ff ff 2 diutur-

diuturna menſium obſtructione laborant, quibus ea frequenter quoque accidit, quod mirum videri ratione virorum poſſit, cum debile ordinario ſit atque ſenſile maxime ſyſtema nervoſum fœminarum atque a leviſſimis cauſis facilius irritetur & a ſpaſmis aliis frequenter eædem impetantur. Quando fœmininum ſic afficitur, gravior ſe ſemper morbus habetur fere. Neque inconveniens erit, hic ſimul monere, mulieres, quantum equidem nos ſcimus, frequentius partium paralyſi & vel ex leviori cauſa, ex ſolo interdum terrore corripi, Conf. HELMONT. *Tr. de Lithiaſi. Cap. IX. p. 60. §. 63.* Communiſſima vero iis eſt ea, quæ ex colica fit ſpaſmodica & pareſis vocatur. Sequatur has ea, (obſervatio) quæ læſiones functionum animalium quasdam & mentis errores aliquos in memoriam revocat, ubi notare ſeorſim convenit, ut & annotarunt Aretæus atque Avicenna, maniam maxime & poſt hanc melancholiam vehementius frequentiusque viros & hanc quidem ſeniores, illam juniores affligere magis. Obſervaverunt hoc quoque COEL. AVRELIAN. *Lib. I. cap. V. p. 339.* GESNERVS *in Epiſt. Lib. III. cap. V. p. 125.* LOMM. *in Obſ. Lib. II. p. 77.* Attamen & hic excipiendæ ſunt gravidæ, quæ tempore geſtationis facillime ea corripiuntur, poſt puerperium vero facile iterum ſponte ſua, ut obſervare ſæpius nobis contigit, cedit malum. Cum HIPPOCRATI equidem contradicenti *de virg. morb.* & ingenii fœminarum imbecillitatem animique mollitiem accuſanti in eo conſentire cogimur, fœminis melancholiam quoad hoc eſſe deteriorem, quod abſurda magis proferant, pejusque ſe habeant atque deterius, usque adeo ut frequentius violentas manus ſibi inferant, & quod difficillime exinde etiam eluctentur, quod & LOMMIVS *Med. Obſervat. Lib. II. p. 77.* indicavit. Similiter viros in genere inſaniam crebrius infeſtare prodidit AETIVS *Tetr. 2. Serm. 3. Cap. CII.* atque ipſam maniam, quod probat ac ad ſuas cauſas deducit L. BELLINI *de morb. capitis p. 504.* Amor inſanus, ſolicitudo ea melancholica mentisque anxietas, ſpei, timoris, triſtitiæ & lætitiæ plena, a fœdo amore, communis quidem utrique etiam ſexui eſt; ſed viris ſæpius contingit, qui ab aſpectu fœminarum pulchrarum alliciuntur. Pervigilio fœmineus ſexus minus eſt expoſitus (ob minorem forte abundantiam humorum ſalino-ſulphureorum tenuiorum acriorum, ferociorum) minus & eum illud perturbat & lædit; e contrario vero ad ſomnum præternaturalem magis fertur. Poſt hanc vitiorum mentionem animadverſionem addimus, picam & malaciam fœmininum genus ſæpiſſime, rariſſime mirabiles eos affectus maſculinum vexare atque illud ad varium ſpurium ac inordinatum appetitum ferri.

Ut

Ut alias vegeta memoria ſuperant mares fœminæ, ut fœminas judicio mares, ita memoriæ abolitioni hæ magis ſubjacent & ſunt magis obliviosæ, quod & cum Medicis MENOCHIVS cenſet *Lib. VI. præſumt. XLV. No. III.* Specialiſſime hic adhuc dici poteſt, de illis viris, qui ob nimium laborem & meditationem debilitant caput, ſi morbos incurrunt, hujus debilitatibus inprimis eos affligi.

§. X. Fœminæ quoque frequentius patiuntur odontalgiam, ſed non adeo atrocem, ut & effloreſcentias ulceroſas, in externo oris ambitu & iſthmo interno. Oculorum affectus, ophtalmiæ, rubores, lippitudines, exulcerationes, concretiones, ſuffuſiones ſolenniores fœminas magis occupant. Viris vero everſionem palpebrarum ex ophthalmia tumore juncto inſtare LOMM. *Obſ. med. p. 106.* dicit. His tamen cataractas frequentius obtingere plures aſſerunt. Fœminæ porro præ viris diſpoſitæ ſunt ad amavroſin, maxime vero ſeniores, illarum genus quoque a coryza atque gravedine æque ac aliis morboſis ſeri excretionibus frequentius moleſtatur. Tinnitui aurium fœminas præſertim gravidas frequentius eſſe ſubjectas, legitur ac obſervatur paſſim. Cum alias fœminæ loquaces, garrulæ, obſtreperæ bilingues habeantur de quo jam Plautus & Pamphilus cecinerunt & univerſam armaturam in lingua eas habere atque ubi lingua res geratur, ne ſeptem quidem viros, pares eſſe uni fœminæ, ut (hinc CICERO *in Epiſt.* loquitur; facilius indomitam feram alligabis quam linguam) dicatur, curioſa obſervatio eſt, eas rariſſime eſſe mutas atque linguæ vitiis & balbutiei &c. ſubjectas. In hanc rem quoque notabile eſt, quod illi qui de Engaſtrimytho, de iſto nimirum loquendi modo per abdominis quaſi murmura, ab Euricle, Athenienſi, invento, (de quo Leo Allatius peculiarem tractatum conſcripſit, & Druſius, Dilherrus, Urſinus, Brodæus, Voëtius & Seldenus ſolliciti fuerunt) egerunt, annotaverint, eum in plurimis fœminis verum in paucis viris obſervatum fuiſſe. Quod externa capitis vitia attinet, refertur, plicæ polonicæ mulieres præcipue obnoxias eſſe ob ſedentariam vitam deſidiam & menſium retentionem Huc & referatur illa lues nova, Tiberii Claudii Cæſaris tempore demum exorta, cujus PLINIVS Sec. meminit *Lib. XXVI. Hiſt. Nat.* mentagra appellanda, quæ, quæ fœdo cutis furfure, totum primum vultum deinde vero & collum, pectus manusque occupat at oculis tantum immunibus, advertitque id malum non fœminas & plebem humilem ac mediam, ſed Proceres tantum invaſiſſe, atque contagioſum admodum fuiſſe, ut ſolo oſculo vel contactu afficeret. Et hic hoc quoque monendum ex ARISTOTELE *Lib. III. Hiſtor. anim. C.*

II. fœminas nunquam experiri calvitiem, quæ capitis lævitas eſt, quod in eunuchis Hippocrates obſervavit.

§. XI. Colli glandularum tumores catarrhales, uvulæ relaxationes & tonſillarum, fœminis, quantum nobis equidem hucusque videre licuit, propemodum, in comparatione virorum ſunt rariores; ſed non deſunt alii, in collo morbi, fœminis hyſtericis maxime & quæ intemperanter vivunt, ſpiritum vini præter modum ingurgitant, nec iræ frenum injiciunt, familiares magis, ſuffocationes nempe & oppreſſoriæ ſtrangulationes & conſtrictiones œſophagum & totum faucium iſthmum occupantes atque cohibentes, nempe ſingularis illa maxime in collo ſpaſmodica affectio, nervos a pari vago ad laryngem, pulmones, cor, œſophagum tranſeuntes affligens, animi deliquium, ſtrangulationis metum, contractivum dolorem in ſiniſtro colli ſæpius latere, capitis quoque dolorem inferens. Differt hæc omnino a convulſivo aſthmate, catarrho ſuffocativo, & longius adhuc angina, licet ab incautis ea confundi utplurimum ſoleat. Sæpius ex levi diætæ errore, hoc malum recurrit, ſed periculo vacat, & ex cruditatibus acido-biliofis, acrioribus in primis viis hærentibus, effluvia penetrantia reddentibus, nervosque prædictos afficientibus, convellentibus, & in conſenſum trahentibus deducitur; illi vero affectus nominati periculo ſunt pleni.

§. XII. Ad pectoris affectus fere omnes, mares magis inclinare multi ſunt, qui autumant ac ſcribunt, ſed ſi fœminas ſpectes ac cenſeas ex æquo, æque magnum numerum numerabis eorum, qui fœminarum corporibus inhærent frequentius. Nimirum ex altera parte per multa conſtat exempla, phthiſin veram, pulmonalem, exulcerationem nempe pulmonum, viris & maxime juvenibus ut frequentiſſima admodum iis eſt, ita maxime funeſtam quoque eſſe, fœminæ enim & præſertim virgines adultæ rarius ea corripiuntur, ac ſi ea corripiuntur, longe mitior eſt, raroque per eam pereunt. Hoc adeo verum eſt, ut non dubitanter affirmem, ad magnum numerum, virorum, juvenum, hac labe laborantium, vix centeſimam partem, altero ſexu, ſimili tamen ætate conſtitutarum, occurrere. Id etiam nobiscum obſervavit Clariſſ. Stahlius *Pathol. dogmat. Parte III. membr. II. art. II.* Experientia dein quotidiana docet, incubo affligi ſæpius viros, rarius fœminas. Ex altera parte ſcire licet, fœminas, ſyncopen præcordialem & lipothymiam magis, minus mares pati; aſt debilibus puellis, non adeo periculoſa ſunt animi deliquia, a minimis ſæpe cauſis, tam frequenter orta (quia nimirum illarum ſanguis nimis diſſolutus, vix vel ſaltem tardiſſime concreſcit,

quam-

quamvis etiam immotus hæreat). Fœminas quoque præ viris tuſſes ſimplices exercent in maribus utplurimum mira (tuſſis) conditio eſt, quod interdum vel aliis ſe adſociet morbis latentibus iis quidem eosque velut umbra corpus ſequatur, interdum vero morbi veſtem induat; ſæpiſſime vero ut effatum fert Helmontii, ad extinctionem hoſpitis vitalis tendat. Aſthma gravare viros magis COEL. AVRELIAN. *Lib. III. Cap. I.* (cum quo nos potius facimus) fœminas, Meſues voluit. Palpitationes cordis in fœminis frequentiores & majores ſemper habita ſcil. circumſtantiarum ratione, deprehenduntur. Empyema vel ſuppuratio pectoris fœmellas citius, prehendit graviusque afficit ac etiam tollit citius atque catarrhus ſuffocativus eas magis adoritur. Vid. STHALII *Diſput. de Senum affect. §. LX.* Hæ quoque cum vomica ſæpe animam evomunt. GOD. MOEBIVS *in Fundam. Med. Phyſiol.* obſervavit, in mulieribus, copioſiorem ordinario, in pericardio adeſſe aquam, easque idcirco eſſe proniores ad pectoris hydropem. In iisdem etiam ſæpius, præſertim, quibus menſes retinentur & lacticinia & acida frequenti in uſu ſunt, in vaſis polypi, producuntur. Sicuti vero mulieres reſpiratione minus moleſtantur, quod ob pectoris latitudinem, quæ ipſis eſt a natura conceſſa, fieri plures autumant, ita & hocce affectu (aſthmate) facilius liberantur.

§. XIII. Hæc de Cardialgia ſpeciatim animadverſio ſit: Circa eam ſexui alicui aſſignandam Authores in diverſas abeunt partes; aſt ſi rem accuratius æſtimare volumus, affirmandum nobis eſt, diſtinctionem formando, reperiri eam frequentius propemodum in potiori, vid. COELIVS AVRELIANVS *Cap. XXI. p. 146.* cardiogmum vero in ſequiori, qui ut minus a majori differt. Nam nihil frequentius eſt, quam quod fœminæ, quæ ex utero male ſe habent, quibus menſtrua non rite fluunt, aut quæ hyſtericæ aut hypochondriacæ ſunt &c. de hoc cordis dolore conquerantur. Similem querelam ſæpiſſime audimus, ſi modo plura, quam par eſt, aſſumant; ventriculus enim fœminarum minoris capacitatis eſt, quoniam & parcius ordinario comedunt ac bibunt. Singultus fœminas frequentius exercet, ſed levius, adeo, ut quam ſæpiſſime plurimas ex levi cauſa & inter flendum & lachrymas, ad quas ſequior ſexus magis eſt pronus, ſingultientes audies; viros vero fere gravius detinet, in illis enim videtur, eum eſſe violentum, clangoſum atque clamoſum ac periculoſiorem magis.

§. XIV. Si ulterius progrediamur, & conſideremus, adtenta obſervatio evincit, graviſſimis ventris affectibus mulieres frequentius corripi-

quam

quam viros, ſique inter hos intueamur præ aliis vomitum cruentum, qui ſi per alvum ſimul excernitur nigricans, fœtida materia morbus Hippocratis niger dici ſolet, edocemur eventu, eum qui ſive ex ventriculo, ſive pulmonibus fit, fœminis præſertim hyſtericis in ſpecie etiam gravidis, (quæ ſanguinis excretiones conſuetas & ordinarias habent, quæ ſi ſupprimantur vel turbentur natura facile per inſuetas vias exitum ſanguinis molitur) licet ejusmodi familiares ipſis ſint, non adeo eſſe periculoſum ut & breviorem, licet iis ſit magis præ viris familiaris. Ut ſingula molimina vicaria hæmorrhagica, utpote in iis ſpaſmi illi ad vomitum hunc tendentes, ſunt vegetiores; attamen & breviores: nam evenit alter ſpeciatim potius ex copia & regurgitatione violentaque perruptione, ex vaſis hypogaſtricis & brevibus ad regionem ventriculi teneriorem maxime; excertis enim menſibus & facile liberantur. Maribus vero, ſi adeſt (adeſt vero interdum in hypochondriacis lienoſis & hæmorrhondariis) ordinario fere in tabem & funeſtum exitum tranſit: in his enim utplurimum, ſi non ſemper, ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis oritur, & in quibus jam vitium hypochondriorum vel viſcerum labes, præſto eſt. Idem pene quoque ſentiendum eſt, de vomitibus ſimplicibus & ſiccis ſic dictis cum nauſea, nec non rarioribus & peregrinis, quibus pili, acus, filamenta, ligna, lapides & ſimilia rejiciuntur, quos & frequentius experiuntur & facilius iterum ferunt fœminæ. E contrario in fœminis cholera rariſſime reperitur, de qua conf. MVNDIVS *op. Med. Phyſ. p. 55.* Ut anorexia mulieribus magis eſt communis, ſiquidem & inediam longius ſine notabili noxa poſſunt perferre, ita bulimo mares magis ſunt obnoxii, ut fœminæ caninæ fami, ut notatum a Doctis hinc inde videbis. Frequentant vero magis in fœminis dolores lumborum, & circa ſplenem ſæpius colicæ in genitia tormenta & tormina ventris atque inflationes pertinaces abdominis, & hæ quidem ſpeciatim puerperis, aut iis quæ circa abdomen aliquid incommodi paſſæ ſunt, Conf. BOCCON. *Annot. p. 495.* & STAHLII *Diſp. de Flatulentia §. 33.* magnaque pathemata ſpaſmodica. Iisdem obſtructio alvi familior eſt & pertinacior, adeo, ut inter quingentas fœminas vix unam reperias, quæ ſingulis diebus alvum deponat, plurimæ tertio vel quarto demum die, hoc naturæ opus perſolvant; (quod otioſæ ſedentariæque vitæ ac potui parciori adſcribendum eſt) ſed etiam eam facilius ferunt, viris. Huic quidem experientiæ contradicere videtur obſervatio doctiſſ. BALLONII *in Ephemerid.* aſſerentis, mulieres utplurimum habere ventres difficiles, ex ea quidem ratione, quod venas obtineant anguſtiores ac chylus ea propter, venas lacteas abdominis

dominis non tam facile ſubeat & reliquiæ, accedente vita deſidi ob vaſorum conniventiam, facile effluant. Illæ vero (fœminæ) alvi ſtricturas ſpaſticas magis experiuntur, adeo, ut ſi forte iis applicandum ſit clyſma, inſtrumenti aditum ſæpius vix admittant. Immo paſſio iliaca fœminis familiarior, ſed non adeo periculoſa, viris rarior ac exitialis fere ſemper eſt. Hydropes quos ſitim ſed famem membrorum Langius vocat, in fœmineo ſexu pluries videbis omnis generis anaſarcam, aſciten, tympanitem &c. & eorum curationem difficiliorem experieris.

§. XV. Oppilationes porro hypochondriacæ viſcerum illorum vaſorum & tandem exinde enatæ ſcirrheſcentiæ atque intumeſcentiæ hepatis, lienis, pancreatis, frequentius fœminas, quantum ſcio, occupant, quanquam etiam me haud lateat, viros, quibus hæmorrhoides minus recte proceſſerunt, æque frequenter conflictari; obſtructiones autem meſenterii maribus potius inſidiari, fœminas autem, ſi illis affligi contigerit, difficulter, aut raro aut nunquam ſanari. MARTINI in eleganti ſuo libro *de morb. meſenterii obſtruſioribus p. 186.* affirmat cauſasque ſubjungit Quinimo veteres jam pridem obſervaverunt, malo nobis dicto hypochondriaco, raro mulieres laboraſſe (quamvis hodie contrarium fere ob majores forte diætæ errores &c. experiamur) ſed ubi laborent, pejus ſe etiam habere atque difficulter vel raro aut nunquam curari. In omnes alvi fluxiones, diarrhœam & id genus ut pronior eſt ſexus muliebris, ita & facilius fert eaſdem, atque adeo gravidæ, vix graviter ab iis læduntur, licet HIPPOCRATES contrarium innuat, mulieri ſi alvus profuſior ſit, abortus periculum imminere dicens *aph. 34. Sect. V.* Is *I. Epid. Sect. II.* teſtatur in Thaſo dejectiones ejuſmodi alvinas mulieribus natura humidioribus & viris talibus frequentiores fuiſſe. Non minus in ipſam dyſenteriam majorem habet diſpoſitionem idem, ſed alteri certiorem iterum, perniciem eoque periculoſiorem, quo magis blanditur, affert, ejus tamen curam mulieres ſuo tempore difficilius accipere docuit AETIVS *Tetr. 3. Serm. I. C. 143.*

§. XVI. Torquent quoque mulieres frequentius vermes, atque lumbrici, qui, quamvis in variis corporis partibus quandoque generentur, in inteſtinis tamen frequentiſſime magnus eſt eorum proventus Tormenta (quæ ſecundum HIPPOCRAT. *Aph. VI. S. 6.* vix ſanantur) etiam a renum calculo & nephritide maribus fere magis parcunt, veſicæ autem calculus, ut ſæpius viris præ fœminis accidit, ita ob viarum, per quas excernitur, differentiam non adeo gravi ab illo tormento excruciantur eædem, neque adeo periculoſus idcirco eſt iis. Scriptores quoſ-

dam si nominari velis, qui calculum vesicæ in fœminis inter rariora reponunt, & referunt, nominentur præ aliis VALASCVS DE TARANTA *Cap. de lap.* BENIVENIVS *C. LXXX.* ALEX. BENED. *Lib. XXIII. c. XXXVI.* JOANNES DE TORNAMIRA aliique plures: nam cervix vesicæ & urethra fœminis brevis est atque ampla & recta minusque anfractuosa faciliorisque expansionis neque ita sensilis, per quem ductum materia, quæ calculum gignit, pronius & citius faciliusque potest transire, priusquam concrescat in calculos, & transit is quoque felicius jam factus & interdum sat grandis vel sua sponte vel ex insessu & balneo emolliente. Ejusmodi exempla legas licet in WOLFFII *Observ. chirurgico-medicis Lib. I. observ. 47. p. 155.* Similiter interdum, ut *Ephemerides N. C. Dec. III. A. 9. Obs. 242.* referunt, urethræ diutius ille inhæret, tandemque erumpit ex facili. In maribus vero ea oblonga magis est atque angusta. conf. HIPPOCR. *L. de aëre aqu. & loc.* quod AVICENNA *18. Tr. 2. Cap. XXII.* Atque hodie alii plures confirmant, per dilatationem vesicæ, in mulieribus, eductionem calculi promoveri facile. Si & tantæ molis calculus sit, qui excerni non possit, & chirurgi manum desideret, attamen catheter immitti, dilatatorium applicari, forcipeque facilius feliciusque is extrahi potest. Sique & per sectionem calculus educendus, eam faciliorem in mulieribus atque puellis quam in viris aut pueris esse BLASIVS *in Medic. Univ. p. 46.* asserit.

§. XVII. Hæc de intestinali hernia debetur animadversio, quod ea maribus magis familiaris, fœminis vero periculosior sit. Equidem multi negant prorsus, fœminas, enterocelen pati, quia iis deessent processus peritonæi; Verum quo minus in illorum sententiam descendamus præter autopsian Autorum quoque testimonia nobis persuadent, nosque hortantur. Sic NVCKIVS refert. *Uter. fœmin. anat. nov. C. X.* processum peritonæi ligamentum uteri rotundum ingressum fuisse. Plura exempla videbis, (ne plures adducamus,) apud CORN. STALPART. VAN DER WIEL *Obs. rar. 57.* NIC. DE BLEGNY *Tr. de Hern.* B. PETERMANN *in Diss. de Enterocele §. 13.* Exinde nobis indubium manet umbilicali & inguinali herniæ fœminas familiarius exponi, simulque asserimus, in fœminis intestinalem herniam quæ fit circa curvaturam, esse periculosiorem, quia per annulum dilatatum, tendinum, parva saltem portio intestini, facile incarceranda, excidit: quamvis etiam Laurentius affirmet, in fœminis ab umbilico ad pubem peritonæum validius conspici. Perfrequentes autem viris sunt hæmorrhoides, paucissimæ enim inveniuntur mulieres, quæ mensium fluxum & hæmorrhoidum simul,

nisi

nisi quæ sæpius cum difficultate pepererunt, vel loco eorum hunc patiuntur, si obstruantur p. n. aut per gestationis tempus, quorum tamen exempla collegerunt ARISTOT. *Lib. III. Hist. animal. C. IX.* & *Lib. IX. C. XI. Lib. de generat. animal. C. XIX.* GALENUS *V. Aphor. 33.* FERNEL. *Consil. 39.* SOLENANDER *Sect. IV. Conf. 29.* HOLLER. *L. I. de morb. intern. Cap. LI.* GORDON. *Lil. med. P. V. Cap. XXI. Eph. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 22. Aral. ad An. 3.* conf. & *An. 4. p. 299. Dec. 2. An. 5. p. 52.* & alia ejusmodi apud alios passim reperiuntur & experientia propria observantur. Ubi cohibitio hujus fluxus, (hæmorrhoidalis) contingit, illa sexui sequiori præ virili adhuc tollerabilius existit, præsertim si modo per externa adminicula inducta est, & fœminæ adhuc ea gaudeant ætate, ut menses possint succedere, & quando hæmorrhoides magis ab occasionali causa v. gr. tempore graviditatis ab incumbente fœtu, in utero, vasa sanguifera, in his locis comprimente & sanguinis fluxum liberum prohibente, proveniunt, quam si ab interno directo molimine excretorio concitatæ fuerunt, quoniam facilius per menstruum fluxum, pathemata ex suppressione oriunda, levamen quoddam inveniunt; Verum annosiores ac quibus jam cessarunt menses aut illorum cessationis tempus appropinquat, minus secure quoque hæmorrhoides cohibentur, sed gravia quoque pathemata æque ac in viris post se trahunt. Gonorrhœa ea scil. quæ utrique convenit sexui, fœminis accidit frequentius, ut testatur FERNEL. *Univers. Med. Part. Pathol. p. m. 624.* ægriusque quam in viris curatur; attamen hoc nobis observare datum est, eas non diu ex illa laborare nec admodum periculose quamvis graviter sed uno mensium succedentium, largiori fluxu, ab illa liberantur. Sed hi (viri) in atrophiam, imbecillitatem virium & similia citius exinde incurrunt. Diabete cœterum sexus virilis afficitur frequentius ut alter stranguria atque urinæ incontinentia, conf. MERCURIAL. *Med. pract. p. 383.* qui faciliorem partium relaxationem incusat.

§. XVIII. Multi referunt, fœminas magis venere delectari, atque eam voluptatem duplo magis in iisdem durare, adeo ut ex hac sententia multi quoque dubitent, an mulier sine delectatione possit concipere, conf. *Elys. Camp. Jucund. Quæst.* A REYES *Quæst. 42.* atque eas ad senium perductas, venerem amplecti magis, observarunt. Conf. AVICENN. *Lib. III. Fen. I. Tract. I. cap. II.* GALEN. *in Cap. VI. Lib. I. Caus. Sympt.* Hinc OVIDIUS *Metamorph. Lib. III.* fingit, Tiresiam Regem Thebarum prius affirmantem a Junone excœcatum, a Jove vero vaticinandi dono donatum fuisse. Si hoc verum, non mirum si ad libidinem & ad sala-

citatem magis & frequentius præ viris ferantur, licet sagaces magis in dissimulando sint ac renuendo quandoque, quod tamen valde desiderant; masculi vero, si cœca libido eos cepit, in longe inconvenientiores excessus proniores habentur, unde Lacedæmoniis per Legem, ut XENOPHON *de Rep.* scripsit, uxori uni duo viri erant concessi. Sicuti & rari sunt mares, qui æque sint validi ad venerem seniores uti juniores, sic raræ quoque fœminæ, quæ non æque imo plus lasciviant in anili ætate ac in juniori. Hanc effrenam mulierum lasciviam in Pasipha, Semiramide, Glauca, Messalina, Tribade aliisque salacissimis, præsertim increpant, Conf. LANGIVS *in Epist. p. 528.* Quod p. n. veneris desiderium, si non expleatur, ad insaniam, rabiem atque furorem, qui uterinus vocatur, eas frequentius quam viros ad satyriasin concitare solet. Hoc excretionum genus retentum in mulieribus frequentius & gravius malum patrat, varias impressiones injicit, tum in animo, tum in sensibus, tam in sanguine & corporis membris, tam internis quam externis, easque vel amœnas vel tristes, vel dolorificas, vel omnis doloris expertes: unde juvenes viduæ & maturæ virgines, salaces (imo etiam interdum fœminæ senes ipsis puellis salaciores,) hystericis passionibus maxime obnoxiæ sunt, semen retentum earum sic appellatum magis corrumpitur, adeo, ut veneni naturam æmuletur. His addimus: mares exercitio venereo magis debilitari (sicque hoc Martem a Venere vinci) quoniam copiosum semen, calidum atque spirituosum emittunt. Atque mulieres non similibus semper morbis iisque multifariis, ut epilepsia, apoplexia, memoriæ lapsu, syncope, ophthalmia, cœcitate, cordis palpitatione, artuum tremoribus, ventriculi debilitate, dysuria, mictu cruento aliisque pluribus, qui ex nimio illo propullulant, corripiuntur: semen enim masculinum quod tunc excernitur plus plusque spirituosius est, præ liquore, quem illæ effundunt. Alias constat, mulieres ordinario citius sterilescere, & plurimum post XL. ætatis annum omnem generandi vim ac spem amittere.

§. XIX. Inter eos, qui artus afficiunt, morbos arthritis mox nominanda erit, de qua jam omnibus constat, ut Hippocrati jam constitit, omnium rarissime ea fœminas laborare, quod & de eunuchis dixit; viris vero nihil ea est frequentius, nihil magis vehementius, nihil magis dolorosum, inprimis fixa podagra; ast in iis facilius sanatur quam in illis, ut notat STEPH. BLANCARTVS *de Arthritide Cap. III.* Hujus Sophorum maximus Seneca, ut & Galenus in virorum intemperantiam & ingluviem rejiciunt causam, beneficium autem hoc in fœminis benefi-

cio

cio menſium potiſſimum acceptum ferendum eſt, ſecundum ipſum HIPPOCRATEM *aph. 29. Sect. VI.* inquientem: *Mulier podagra non laborat, niſi menſes ipſi defecerint.* Attamen modo laudatus SENECA in Romanis mulieribus contrarium expertus, iisdem indignatus, quod luxu ac libidine immenſa Hippocratem fecerint mendacem. Verba ejusdem *Epiſt. XCV.* ita ſonant: *Non mutata fœminarum natura, ſed vita eſt; nam cum virorum licentiam æquaverint corporum quoque virilium vitia æquaverunt, non minus pervigilant, non minus potant & oleo & mero viros provocant.* Pergitque: *Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus.* Vaga equidem ſcorbutica quandoque mulieres corripiuntur, eæ inprimis, quæ intemperantiæ & præſertim vini & ſpiritus vini ingurgitationibus deditæ, utpote quæ hanc labem fœminis magis quam maribus accerſunt aut quibus menſium fluxus cohibitus, cujus rei exemplum iterum ipſe adducit HIPPOCR. *Lib. VI. Epidem.* de Phäetuſa Pytheæ uxore. Sique etiam iis adſunt tales dolores, ad eam tamen, quæ in viris conſpicitur, vehementiam, vix accedunt; curatio vero hujus affectus in iis longe difficilius ſuſcipitur. Par judicium de chiragra ac gonagra ferendum eſt. Crurum ulcera antiqua fœminas magis moleſtant, quorumque conſolidatio novæque carnis accretio atque in integrum reſtitutio in iis difficilior ſemper ſe habet, ut adducit rationemque addit R. G. CRAUSIUS *in Diſp. de Ulcerib. Crur. antiq. p. 11.* PLINIUS *Hiſt. Nat. Lib. XI. cap. XLIV.* de Romanis & ARISTOT. *Hiſt. animal. Lib. III. cap. XLIX.* ſcribunt, varices in variis corporis partibus etiam in vaſis internis, ventre & ſcroto imo in venis pulmonum omnium frequentiſſime vero in cruribus (quoniam valvulæ in ramo crurali fortiſſimæ imo duplicatæ ſanguini incurrenti valide reſiſtant) illorum tempore viris quaſi proprios fuiſſe, quod jam HIPPOCRATES *de Aëre, aquis & locis*, aſſeruit. Hodie vero apud nos fere contrarium obſervatur, teſtimonium ſi deſideres petas illud e RODER. A CASTRO *de natur. mulier. Lib. II. cap. XII. p. 73.* Paronychia cœterum excruciat frequentius nobiliorem ſexum. Mulieribus claudicationis incommodum impendere magis Hippocrates refert, rationemque addit de natura pueri. Ratio vero hæc non æque conſtat, cur in urbe quadam Rugna dicta SOMMERO prodente *in Itinerar.* ſuo, omnes fœminæ, ne una quidem excepta in dextero pede vitio contracto atque connato claudicent. Quam maxime mulieres gravidæ & ſucci plenæ, ea tentantur.

§. XX. Sed reſtant adhuc plures morbi, qui non certam aliquam partem ſed variam occupant. Occupant autem primum in genere frequen-

quentius tumores omnis generis iique cachectici ac hydropici atque œdematosi faciei, abdominis & pedum atque anasarcam, ascitem, tympanitem, mulierum genus. Sic & erysipelas fœminarum capita inprimis frequentius, & acerbius quam virorum premit, atque ex inflammationibus plura modo notanda veniunt. Per experientiam haustum habemus, sexum masculinum phrenitide ut & paraphrenitide frequentius affligi, mulieres raro, nisi excipias puerperas, quæ lochiorum retentione laborant, quod Forestus & Horstius observarunt pluries. In pleuritidem atque peripneumoniam, anginam veram sanguineam, frequenter viri, frequentissime adolescentes incidunt, adeo, ut vix vigesima pars & ne hæc quidem ex sexu fœmineo ab illa appetatur; ad spuriam pleuritidem tamen fœmellæ magis inclinant; Simili modo COEL. AVREL. *l. c. Lib. III. cap. I.* plures reperiri synanchicos quam synanchicas dixit. Nec huic HIPPOCRATIS observatio, quam adducit *6. Epid. S.* 7. contraria est, qua refert de epidemica constitutione, anginas ac peripneumonias, quæ tunc in multos vulgatæ sunt, paucissimas fœminas affecisse. Quin imo plures testatum reliquerunt, eam fœminis post annum XXV. nasci nunquam. Quemadmodum ut modo indicatum, angina ita & pleuritis viros sæpius præ fœminis occupat, ita illis eædem tunc inprimis gravidis magis periculum afferunt, quod affirmat iterum sæpius laudatus COEL. AVRELIAN. *l. c. de morb. acut. Lib. II. cap. XIII.* Inflammatio vero ventriculi frequentior in fœminis est, licet non adeo funesta, in virorum comparatione, veniat. Ast viris vesicæ inflammatio familiaris magis habetur, difficilioris quoque sanationis, præsertim si hæmorrhoidum obstructioni sint obnoxii. Dolores insuper generatim dicendo, viros semper acerbius torquent. Nec obliviscendum quod polypi non modo in naribus sed & in aliis partibus interioribus corde &c. magis in fœminis frequentent.

§. XXI. Strumæ fœminarum corpora frequentius occupant. Nam istis in regionibus, in quibus ex aquarum maxime vitio incolæ, glandularum colli tumoribus insignibus, strumis & scrofulis notantur, fœminis præsertim istæ sunt familiares, ut in Pyrenæis montibus atque Alpinis, in Helvetia eique adjacentibus regionibus, Rhetia, Valesia ac Sabaudia passim, in Stiria, Carinthia, Moravia, circa Saltzburgum & Oenospontem urbibus quibusdam Herciniæ, in Hungariæ urbibus montanis imprimis Cremnitzii in Transylvania in urbe Cronstad, in Italia Luccæ in agro Bergomensi vid. FABRIC. *Ab Aquapend. P. I. cap. XLII.* & oppido Fabriano HORATIVS AVGEN. *de febrib. Lib. VI. cap. V.* in Hispan.

FER-

FERNEL. *de abdit. rer. cauſ. Lib. II. cap. II.* in Regno Bantam & Tipra TAVERN. *Part. II. Lib. III. cap. XV. & XVI.* in Moſcoviæ quibusdam provinciis, & in Sileſia circa montes Sudetes in tractu Schmidebergenſi & pago Steinſeuffen. Præter copioſiores partes ſeroſas quibus ut plurimum abundant (fœminæ) ut & vitæ genus aquarum vitium, in puerperio niſus fortes ad has conferunt cauſam, ubi vaſa & fibræ circa collum & pectus extenduntur nimis; Nec non iisdem ſtrumæ frequentius diſponuntur ad alas, pectus & inguen &c. In his etiam apoſtemata frequentius generantur, quibus ſæpe fœdum in modum notantur.

§. XXII. Hic quoque commemorandum eſt, mulierum non ſolum mammas & uterum, quæ ſunt partes glanduloſæ maxime & molliores, ſed & membra varia & artus cancrum frequentius quam virorum depaſcere, inprimis earum, quibus menſium obſtructio aut emanſio per ætatem, quia tum temporis acriores ſunt humores, & quibus affectus hypochondriacus ſubeſt, aut quæ gravi & diuturno mœrore ſunt confectæ. Dicit equidem HELMONT. *Tr. de Ideis morbor.* nunquam niſi in ubere & utero verum cancrum oriri, ſed ratio æque ac experientia contrarium evincit uberrime. Priusquam hinc abeamus addere nobis liceat, quod ozæna in ſequiori ſexu conſpiciatur ſæpius.

§. XXIII. Ad Hæmorrhagias ſequior pronior eſt, ſed facilius præ nobiliori fert eas, etiam largiores nec raro eædem criticæ ſunt; Atque proſtant multa exempla earum, quibus menſes, per alias vias, ſine noxa fluxerunt, ut apud Kerckringium per verticem & dextræ manus pollicem. Simile B. D. ORTLOBIVS (Reſpondentis chariſſimus Parens & Præſidis quondam Præceptor honoratiſſimus, Vir ſeriori profecto libitina dignus, dignusque qui nunquam ſatis juſta evehatur laude,) *in Diſſ. Phyſiol. XIX. §. 3.* memorat de matre ac filia, quibus per pulmones ſine noxa inſequente rejecti ſunt menſes. Hæmorrhagiæ tamen narium rariores videntur apud fœminas. Sic & mictus cruentus potiori ſexui fere proprius eſt, rariſſime eum in ſequiori reperies; etiamſi hic alios magis & quidem cum menſtruo ſuo fluxu cohærentes affectus non raro experiantur. Vulnera, ſi & infliguntur, majori periculo ſub iis fœminæ expoſitæ ſunt quam mares, niſi hi veneri vinoque nimis deditæ fuerint; Valet hoc de his, quod HIPPOCR. alias *de Vulner. cap. Sect. VI.* dixit, ſi ex vulnere moriendum ſit, juniorem ſeniore citius perire.

§. XXIV. Ex affectibus qui oſſa, quæ majora longioraque & inter ea coſtas molliores propemodum fœminæ habent, magis afficiunt, rachitis

chitis mox adducenda eſt, rarior hic, Anglis vero endemius eſt, rarior quoque in maribus videtur. Sequitur huic finitimum oſſium vitium quod ſpina ventoſa dicitur, cum quo eodem modo ſeſe res habet. Tradente enim ARISTOTELE *Lib. II. de part. animal. Cap. IX.* marium quam fœminarum oſſa duriora ſunt, tam ob nativam teneritudinem quam vitam ſedentariam, unde etiam ut exempla ferunt, facilius, fracturam patiuntur. Singularem de hac obſervationem injicit W. HVLD WALDSCHMID *in Diſſert.* habita *de fracturis oſſium ſine violenta cauſa externa Theſi XIX. p. 14.* Aeque iisdem frequentius quam viris oſſa excidunt.

§. XXV. Nec prætermittenda ſunt vitia cutis, quæ in fœminis mollis ac lævis eſt; in viris ſicca magis & dura atque hirſuta. Sic ſcabies ægerrime in viris, in fœminis facilius curatur; viros, lepræ magis eſſe obnoxios perhibet AETIVS *Tetr. 4. Serm. I. Cap. CXXI.* Magis & expoſitæ ſunt exanthematibus cutis fere omnibus fœminæ, ut papulis, imo nulli viro ea fieri Hippocr. dixit &c. mares rarius, ſeniores rariſſime; In fœminis tamen lichenes rarius conſpiciuntur; verrucis vero frequentius virilis ſexus notatur, niſi mulieres, quibus menſes deſierunt, velis excipere.

§. XXVI. Noviſſime notandum venit, quod ſequiori ſexui, ſi in morbum quendam ſonticum incidat, varia ſubinde accidentia, per externas pariter ac internas occaſiones, ſupervenientia, nocumentum, perniciem atque periculum concitando, aut morbum aggravando, aut alium aut indignatione ſaltem aut horrore nauſeaque, excandeſcentia, facilius paſſim inferre. Sic ex. gr. a terrore a leviori ſæpius cauſa lipothymia poteſt produci: Ita proclives ad paſſionem hyſtericam quam primum ſuaveolentia naribus obveniant, dulcia vel acida in os ingerantur longe periculoſius decumbant, in multifariis morbis, præcipue malignis &c. Pariter compertum habemus hujusmodi ſubjecta repente obiiſſe aut ad minimum gravius fuiſſe affecta, retrocedentibus, exanthematibus, quando ad aliquot ſaltem momenta extra lectum ſedere debuiſſent, ob vertiginem aut animi deliquia, tum ſupervenientia. Rurſum dicendum eſt, eundem (ſequiorem S.) ægritudinem contractam ut diutius fovet & facilius in eam labitur & citius magisque debilitatur, ita citius etiam ex illa convaleſcere, citiusque primas recipere vires, morbis tamen, qui convaleſcentibus accidunt, recidivis &c. præ altero eſſe obnoxium, ſed non æque facile ex iis fato defungi ac potiorem ſexum, ſed etiam periculoſiſſimis morbis mortique proximo, feliciter ſæpe evadere. Siquidem & ætatem ultimam frequentius attingit.

§. XXVII.

§. XXVII. Circa ea, quæ ad has vel alias differentias, ad hos vel alios morbos, in hoc vel illo sexu faciunt atque disponunt, & causas tam proximas, quam remotas, antecedentes & continentes, materiales & procatarticas inferunt, aut rursus hunc vel illum a morbis liberum servant, ut facilius ab illis liberetur, contribuunt, hæc primario, quæ hinc inde jam digito quasi sunt monstrata, explicatius demum sunt adducenda, quæ ad suos effectus facile possunt deduci, quorumque explicatio fluit: Nimirum, quemadmodum masculinum genus præ fœminino est præstantius tam corpore quam mente, ex præstantiori forte semine natum, cœteris tamen paribus, ita præter partium quarundam conformationem & habitudinem, in masculino sexu, naturæ robur majus, laudabilius temperamentum, vires præstantiores, quæ, quibuscunque præternaturalibus & violentis causis resistere valent, inprimis notantur. Calor iis magis intensus est, atque strictior ordinario, siccior, crassior tensiorque, solidior atque robustior, firmior, fortior solidarum partium habitus & tonus, per quem, fluida jugiter impelluntur atque circumaguntur, cujus fibræ majori facultate resistendi præditæ, ideoque fortius quidem movens, desiderant, sed semel motæ majorem motum ac impulsum, fluidis dant, eumque diutius conservant, & si doleat, dolet etiam is sexus ob hanc majorem tensionem maxime in articulis vehementius magisque inflammatur, magisque acutos morbos, acutas febres experitur &c. Ob compactiorem constrictumque vero corporis habitum, præsertim cutis excretiones per sudorem parcius procedunt, adeoque non magna simul particularum laudabilium nutritiarum & spirituosarum copia, quæ corpori alacritatem fœnerantur, dissipatur; nulla enim excretio, plures particulas laudabiles deprædatur, quam nimia per cutem transpiratio. Quadrat huc HIPPOCRATIS dictum *libr. de alimentis, Sect. VI. quibus corpus male transpirat, ii, priusquam ægrotent robustiores, cum vero in morbum inciderint, difficilius restituuntur.* Obque hanc firmiorem majoremque omnium partium, ligamentorum, nervorum & tendinum ut & ipsorum ossium, constitutionem, potior sexus, rarius etiam a morbificis causis læditur, læsus vero eo & gravius & difficilius afficitur. Ad hoc vasa huic sunt majora & pauciora, ut & omnes fere partes ampliores. In elegantiori sexu, tum ad tactum, tum ad visum, lenior & flaccidior, flexilior, laxior, spongiosior, obesior, pinguedine copiosiori vasa comprimens, ut arctiora inter vasa spatia fiant, mollior, humidior, segnior corporis habitus texturaque tenerior, sensibilior, flexilior & delicatior est & infirmior. Fibræ enim, quo molliores & laxiores sunt, eo majore quoque

numero, poris abundant, ita & humores quivis in easdem majori copia influere ibidemque congeri possint. Omnium enim stamina cerebri musculorum, glandularum, ventriculi, intestinorum, omniumque viscerum ligamentorum, nervorum exilia & debilia & languida languidusque hinc virium vigor, ut ideo durioribus omnis generis laboribus, longius ferendis, non tam par, is sexus sit. Quod vero Ligurum mulieres adeo robustæ sint, ut medios inter labores pariant, statimque ad eos redeant, id huic genti peculiare esse ARISTOTELES *Lib de Miracul. auscult.* dixit: Hinc & magis sensilis, ut vel levissimas irritationes mox persentiscat atque rerum sensibilium magis peritus est, ut elegantiæ in loquendo, diligentiæ in vestitu, exquisito demum saporis odorisque sensu & molesto ceremoniarum usu præcellit hincque etiam spasmodicæ partium contractiones ipsi familiares sunt, sic & vasa copiosa & parva magis, facile dilatabilia hincque impeditior fluidorum progressio. Equidem hæc corporum mollities confert, ut fœminæ facile extendantur, nutriantur & crescant, tamen ad morbosas dispositiones multum ea corporis habitudo contribuit, levi ex causa ad ipsum actum morbosum abituras, quippe minus promte ac expedite, vitales fluores per suas vias circulantur, hinc secretiones & excretiones plurimæ languent. Et inde fiunt frequentes humorum decubitus, stagnationes & viscerum corruptelæ: Nam humores ob motum lentiorem quidem increscunt, sed minus rite depurantur. Perspirationes autem per cutem fere (ob laxam mollemque texturam) haud sunt parciores, ob quam perspirationem liberam & auctam a plurimis morbis, quæ ab ea impedita, ortum trahunt, ut febribus &c. tutæ manent fœminæ, atque ex iis felicius restituuntur. Idem dicendum de salivæ & muci narium excretione, de qua notat celeberrimus WEDELIVS *Physiol. med. Sect. III. Cap. XXIV. p. 175.* catarrhosos, & quibus nares crebrius fluunt, minus reddi apoplecticos, molliores enim & laxiores teneriores fibræ & pori promtius transmittunt humores secernendos, & vascula arteriosa teneriora, facilius a transeuntibus humoribus, ad alternam contractionem & dilatationem sollicitantur. Secretio etiam ita se habet, ut partium habitus & sanguinis velocitas & vasis secretorii orificium, ut demonstrat belle Bellinus; Plethoricæ vero, quia humores ob motum lentiorem magis augentur, sed quia minus ob eandem rationem ita depurantur, (nimiam enim sanguinis abundantiam subito sequitur impuritas ejus) cacochymicæ, phlegmaticæ & cachecticæ fœminæ evadunt facile, & ad stagnationes, viscerum oppletiones, spasmos, & tandem corruptelas profundiores, magis sunt proclives

clives. Seorſim indicandum venit, mulieribus, denſam magis epidermidem eſſe, unde alii rationem catameniorum reddere volunt. Præſertim totum genus nervoſum in motus inordinatos, ſpaſmos, convulſiones maxime pronum eſt (ſiquidem & membra earum non modo ſed & vires animi debiliores ſunt tolerandis & doloribus & remediis). Atque ſi morbi accidant, ſtaſes & vaſorum infarctus difficilius tolluntur, ac eapropter citius in ejusmodi morbis, ejusmodi conſtitutionis homines ſuccumbunt; compactiores vero & robuſtiores fibras latioraque vaſa habentes, facilius ex illis evadunt, quia ob id facilius iſti morboſi ſtatus auferuntur. Quamvis hæc diſputata rite ſe habeant, tamen hoc etiam verum eſſe videtur, quod dicitur: *Vetulas, præſertim ſi multiparæ fuerint, eſſe texturæ firmioris, ad morbos ſuſtinendos præ viris ad eandem ætatem proventis. Non inſtituti intereſt ulterius, partium quarundam diverſas habitudines recenſere, quæ in utroque ſexu notantur, ex. gr. muſculus Pſoas minor Riolani in mulieribus rarius, quam in viris reperitur, glandulæ circa cartilaginem ſcutiformem in larynge in fœminis majores ſunt, ſed æque de hoc nulla ratio reddi poteſt. Pariter in iis cranii ſuturæ valde anguſtæ ſunt & ſæpe nullæ cernuntur. Quæ cauſa inter alias forte etiam eſt, quod hæ frequentius de aſſiduis capitis doloribus conquerantur, nullis remediis tollendis: Ad quod inferendum obſervationes faciunt, per quas conſtat, laxiores cranii ſuturas, minus capitis dolores parere. Ipſi humorum maſſæ atque adeo ſpiritibus animalibus in utroque ſexu diſcrimen quoddam per conſequens quoque; quoad indolem, craſin, conſiſtentiam, cohæſionem, intercedit: ſcilicet virorum ſanguis eſt magis digeſtus, ſpirituoſus, minori licet quantitate etiam ſit, ſulphureis particulis magis prædıtus non excluſis tamen terreſtrioribus & acrior eſt, qui in motus irregulares & præter naturales ebullitiones febriles, ex facili abripitur: Verum fœminarum humores ſunt ut copioſiores (quanquam enim mulier multo minus comedat bibatque, plurimo tamen cruore ſcatet) ita & dilutiores ſeroſiores, blandiores temperatiores quidem, ſed gelatinoſis particulis magis orbati quæ differentia in brutorum carnibus coctis & viſu & guſtu deprehenditur. Laxe hinc minusque cum ſanguine cohærent, viſcidiores tamen & craſſiores ſunt qui partes ſulphureas, ſalinas volatiles feroces mitigant magis, quique magis exinde premunt atque diſtendunt in ventriculo & primis inteſtinis, acidi & pituitoſi ſucci ſtabulantur, ſpiritus ipſi animales debiliores, infirmi atque propemodum craſſiores ſunt ad turbulentas tamen commotiones proclivi &c. Qui ſummam

dicunt, fœminarum temperamentum humidum & frigidum appellant quod quidem nos de temperamento potius adſcititio quam nativo intellectum eſſe volumus: videbis enim ſæpe puellas longe vegetiores & activiores ipſis pueris; ob adſcititium vero dein, inprimis vitam ſedentariam & alia, frigidiores omnino ſunt atque evadunt. Ob quos (humores) quidem non adeo pronæ ſunt in morbos acutos, ſed facilius in lentos & chronicos &c. incidunt. Virorum præterea humores conſiſtentiam majorem obtinent, arctius ſibi invicem cohærent atque calidiores ſunt. Ariſtoteles eapropter mulieres a frigore minus offendi quam mares, ac frigiditatem illis magis eſſe proportionatam & minus contrariam, dixit. Hinc in HIPPOCR. *Oper.* paſſim legimus, quod viri calidi ſint, mulierum vero genus omnino humidum & frigidum, illud ab aqua incrementum accepiſſe, unde rarum & laxum ad veluti fluidum; quamvis, non cum veteribus adeo rigoroſe, rem totam concipiamus, per experientiam convicti, non raro inveniri mares, fœminis frigidiores, molliores, teneriores, taceamus quod HIPPOCRATES ipſe alio in loco nempe *Lib. I. de mulier. morb.* ſcribit: fœminam viro calidiorem eſſe, fervidioremque habere ſanguinem. Ex hac ipſa diverſitate deducitur ut habet BACO DE VERVLAMIO *in Hiſtor. Nat. Cent. VII. p. 893.* quod mares hyeme magis exardeſcant in amplexus venereos, æſtate vero fœminas, quoniam nimirum ſpiritus animales in corporibus calidioribus & ſiccioribus virorum, æſtatis calor exhalando diſſipat, frigus vero magis condenſat integroſque conſervat, rurſum in corporibus mulierum frigidis & humidis æſtus fovet provocatque ſpiritus, hyems obtundit. Humorum variam hanc indolem innuit obſervatio LEV. LEMN. *Lib. II. de occult. Cap. XXII.* ſi verum eſt, quod de coralliis rubris habet, ea ſi a maribus geſtantur, rubrum elegantioremque colorem aſſumere; ſi vero mulierum collis adhærent, palleſcere.

§. XXVIII. Hinc humores in utroque ſexu varie, in hoc velocius, in altero lentius moventur, ſiquidem pulſus in utroque eſt diverſus; fœminarum enim pulſus a quo certa quædam roboris indicia ſunt petenda; ſi eum cum virorum conferas exacteque obſerves, quod etiam annotavit GALENVS *de Cauſ. Pulſ. III. 2.* debilior & languidior eſt, quamvis celerior (a ſanguine forte ſeroſiori adeoque mobiliori). Marium arteriæ ordinario pulſant vehementius, fortius & rarius atque æqualius, paulo tardius tamen. Ex quo inferendum, quod acutis morbis magis hi expoſiti ſint. Reſpiratio quoque major eſt atque acutior & ubi hæc indicata præſto ſunt, homines bene appetunt, digerunt ac egerunt neque

neque facile a causa quadam externa læduntur. Nec non aliæ partes illarumque functiones dispares sunt; Sic mares præter hoc, quod tardius ad maturitatem perveniant (non equidem secundum illam ridiculam ignominiosamque glossam in *Lib. II. C. de his qui ven. ætat. imped.* quod mala herba citius, quam bona, crescat) ut nullum animal majori cerebro præditum est homine, ut Anatomici observaverunt ita & magnitudine cerebri præcellunt, ii quoque majori ventriculo gaudent vid. BARTHOLINI *anatom. Lib. I. p. 55.* MOEBIVS *Fundam. med. physiol. p. 152.* & LISTER. *de hum. p. 405.* Capaciores vero ventriculi nonnihil protuberantes ad chylificationem aptiores habentur, siquidem & illi, qui talem protuberantem ventriculum habent, voraciores sunt. Fœminæ quoque frequentiores alvi purgationes experiuntur. Has cœterum Natura, lato magis pectore dotavit. Variam dispositionem quæ exinde fluit aliæ quoque circumstantiæ innuunt; sic fœmellæ cutem obtinent pluribus lamellis (secundum quosdam Anatomicos) conflatam atque novemplicem, non moraliter solum sed physice quoque, tenuiorem, leniorem, splendidiorem & porosiorem. Atque formosiores sunt, imberbes manent, clariorem tenuioremque edunt vocem, non calvescunt, capillis longissimis ornantur. Liquor serosus in pericardio, qui inibi duarum vel trium unciarum quantitate in statu naturali continetur, ordinarie vero copiosior invenitur in mulierculis, attestantibus Vesalio & Riolano. Puellæ facilius nutriuntur citius adolescunt crescuntque, celerius pubescunt citiusque iis vigor accedit simulque se ingenii vires ostendunt; siquidem & JCti idem cum Medicis sentiunt, qui ideo citius eas a tutela liberant; citiusque ad conjugium admittunt; sed incrementa hæc iterum in fœminis desinunt, citius & eædem senescunt atque canæ fiunt; immo dum utero adhuc includuntur inter utrumque sexum discrimen jam hincinde, a quibusdam notatur. Animi indoles, ingenii, judicii & memoriæ, intellectus & voluntatis vigor, vires, mores & inclinationes atque affectus & pathemata animi disparia sunt, quæ ut fert Galeni effatum, sequuntur temperamenta & corporis habitudinem, quoniam inter motus corporis & animæ, magnus datur consensus, atque hæc ad has notatas differentias hi motus in hoc, illi in altero sexu magis suum quoque conferunt & maximum quidem illudque urgentissimum symbolum. Notissimum est, ad quæ animi pathemata hic vel ille sexus magis inclinet. Nimirum fœmininum sexum ut imbecillem & tenerum sensibilioremque adeo acrius periculosiusque animi passiones maxime infestare, horum omnium frenum minus injicere, minus

eas occultare, ſecundis rebus inſolenter abuti; adverſis vero propere debilitari & terrore, mœſtitia, timiditate, anxietate, trepidatione, α) fluctuatione in agendis rebus, pudore, excandeſcentia ſubitanea, atque tacita iracundia, facile tamen ſedanda zelotypia, diffidentia impatientia, faſtidio, puſillanimitate, rebus in adverſis animum dejiciendo imo deſperatione citius faciliusque affici, altercationibus & rixis frequentioribus conturbari, per quæ pathemata morbos quanquam leviores, etſi hæc in hunc accidunt, majus periculum incurrit: Inter hos affectus nullus difficilior huic eſt, quam, quem amor occultus fovet aut ira; amorem, qui ſemper in eo fortior eſt, quidem profundius atque doctius occultare poteſt quam iram, ſed ille eum gravius lædit quam hæc, quoniam minus commoditatis vel licentiæ ad ſatianda amoris deſideria habet, ideo magis a libidine vel ſale laſciviente affligitur & durius majorique cum periculo atque tabem & delirium aliaque mala incurrit quam virilis. Nullus vero in utroque morbus ita contagioſus quam amor; ſive licitus ſit, ſive illicitus; ſive manifeſtus, ſive occultus, ut KOZACK loquitur *Tr. de Hæmorrh. p. 635.* Nemo enim non ſcit, quantum hæ animi perturbationes ſimulatque phantaſia perverſa, ad morbos producendos faciant atque ipſis in morbis noceant, quoniam tum irregularis jam partium motus, tam ſolidarum quam fluidarum magis augetur pejorque redditur. Exemplo ſit, quod commonefacit: In paritate cauſæ interimentis, facilius & citius interire timidos quam animoſos, quoniam timor per ſe, efficaciſſima ſubinde cauſa mortis eſt, ut GALENVS docet *Lib. II. de ſympt. cauſ. Cap. V. de locis affect. L. V. cap. I. L. XII. de method. med. Cap. V. & plurimis aliis in locis:* timor enim ſubito dejicit vires, & ſyncope accerſitur &c. Experientia inſuper docet, peſte aliisque morbis præſertim contagioſis timidos facile corripi, immo alios quoque ut epilepſiam &c. a timore induci, vulneratisque magnum periculum inferri &c. Virilis ſexus rarius quidem iis afficitur, ſed ubi afficitur & occultat hæc animi pathemata, (occultat autem ea is magis) gravius etiam perturbatur: Ea enim eſt horum indoles pene omnium, quo magis occultantur aut diſſimulantur, eo gravius alterant corpus atque afficiunt ac valetudinem lædunt, quod in viris etiam ordinario & magis videmus. Imprimis nocent ipſis luctus, mœror & triſtitia ſæpiusque videmus, eosdem ex

α) Cur mulieres ad has animi affectiones præ viris magis pronæ SYLVIVS *Prax. med. Append. Tr. VII. p. 767. §. 135.* hanc rationem reddit: quod ipſis ſint ſubjectæ, quoniam omnis ſubjectio ejusmodi pareret, ut contra dominium gaudium & animum fortem; quam Aetiologiam vero mulieres hodie apud nos alibique rident.

ex cohibita iracundia in cardialgiam & dolorem inteftinorum convulfivum incidere. Sequior fexus fufpiria, querelas, lachrymarum eruptionem minus cohibere poteft (easque ut & rifum, quafi in poteftate fua utplurimum etiam habet) cujufcunque etiam illæ generis fint, five veri doloris five infidiarum, fed largius profundit; cum enim humidioris fit temperamenti, facilius & copiofius preffis & contractis vafis venofis glandularum lacrymalium, illæ profluunt. Harum profufio mire juvat eum, ficuti enim ignis fcintillæ latentis affufis aquæ guttis extinguuntur, fic & mœrores & angores animam intimius excruciantes lachrymis demulcentur, atque fufpiria laxant pectus, præcordiorum anguftias & dolores deliniunt, querelæ in adverfis levamen adferunt fic & ut Poëta loquitur flendo iras diffundunt. Rurfus viri, ut ordinario affolent, decenti quadam ingenii ratione atque confilio, judicant de rebus ac deliberant, veritates inveftigant docentque exquifite magis, quoniam illorum mens a rebus externis & fenfibilibus a cœptis non diftrahitur, animi magnitudine mafcule adverfa contemnunt, perferunt, & excipiunt, pericula forti & generofo animo atque conftanti obeunt & propulfant incommoda calamitatesque certius perferunt atque omnia fuperant felicius mala quod animi robur ut recte monet SENECA *Lib. VI. cap. XXXII. Quæft. Natur.* a bonis artibus & a contemplatione naturæ proficifcitur. Nam folidæ fibræ circulantibus fluidis ab imaginatione motis & turbatis magna vi refiftunt & reagunt pari cum impetu & energia. Mulieres, fi vehementi alicujus rei defiderio afficiuntur & voti minus compotes fieri poffunt, dolore mœroreque magis turbantur, & querelas continuas gemitusque edunt: Hinc Seneca & Ariftoteles dixerunt: omne imbecillum eft querulum. Quæ inordinata animi pathemata varios eosque magnos appetitus, digeftionis, excretionum, quietis læfiones, anguftias præcordiorum, dolores capitis &c. fibi contrahunt. Attamen & hoc circa hanc rem obfervare datum eft: quod mulierum genus animi quibufdam pathematibus præfertim iræ facilius adfuefcat & iisdem fæpius recurrentibus, non adeo illius fanitatem offendant; verum virorum ac his gravioribus morborum difficilium aliquando folutionem experiatur, ob validiorem motus tonici energiam, qua illa exclufio unice abfolvitur. De coetero funt & alia vitia moralia quæ fexui videantur adnata, ut in viro ferocitas, in muliere vanitas & vindictæ cupido &c. nec non theologica magis: Sic de mulieribus atheis nihil, de fuperftitiofis multa audimus. &c. Horum intuitu, qui nimirum tam de caufis quam de morbis prolata funt, comparatione inftituta, fœminarum corpora puero-

puerorum & adolefcentium, virorum, hominum imperfecta & confiftente ætate conftitutorum æquiparantur.

§. XXIX. Ad has & illas diverfitates, contribuit haud parum vitæ conditio & confuetudo ac educatio varia. Multa certe funt, quorum expeditio a foeminis fufcipi, non ex earum naturæ defectu, fed ob nimis mollem earum educationem, non poteft, quin iisdem multum fibi contrahant mali, quæ tamen mafculis & faciliora expeditu & nulli prorfus damno futura funt, eo quod ad talia eorum naturam magis quam foeminæ affuefacere non dubitarunt. Foeminæ nimirum, ob mollem delicatamque magis & fæpius velut otiofam, (otium autem vitia dat, ut in proverbio habetur) defidem, fedentariam, tranquillam, hypocauftis quafi conclufam, vitæ conditionem, & adverfa forte, ut aëris aliarumque rerum injurias ægre ferre poffunt, graviusque affliguntur, ac fi afficiuntur difficiliusque eluctantur. Tametfi hæc vera funt proftant tamen obfervationes, quod ejusmodi vitæ conditio fœminis falutí fuerit, quemadmodum apud HIPP. *6. epid. 5. 7.* fequentia legimus: *Mulieres non fimiliter a tuffi afflictæ funt, verum paucæ febricitarunt, & ex iis valde paucæ ad peripneumonicam affectionem devenerunt, caufabat autem hoc fieri, eo, quod non fimiliter velut viri in publicum prodeunt.* Quoad aërem vero & fi aliquid de eo dicendum eft, imprimis exfolvens aëris auftrini conftitutio & ad putredinem facile faciens & juxta hanc humida & frigida, fœminarum corporibus, eft nociva. Aër, ventique calidiores & ficciores fic dicti melius conferunt iis. Rarum in hanc rem atque notabile eft, (quod fcilicet hæc conftitutio aëris huic fexui, illa alteri magis conducat) quod MARCVS PAVLVS Venetus *Cap. XXXIII.* de duabus infulis in finu arabico meminit, quarum altera viris folis, altera fœminis tantum peftilens eft. Idem fere fertur de Regione quadam inter Hunduras & Incutan, Hifpanis Vera Paz dicta, quæ virili fexui magis quam fœmineo favet, adeo, ut pro fingulis viduis triginta viri, qui uxores morte amiferunt, inveniantur. Hoc loco & advertere fimul licet, mulieres fi recepta femel confuetudine priventur, multa ingentiaque damna præ viris exinde fubire. Labores fœminarum etiam plurimi ita funt comparati, ut otium magis quam exercitationem accedant adeoque etiam beneficiis illis privantur a corporis exercitiis alias exfpectandis: earum enim fecundum SANCTORIVM *in Med. Stat. S. V. 9.* corpora non leviora fiunt & propter inhibitam perfpirationem, quæ ubi in fanis deficit ab illis refarcitur, humores intra vafa redundant, &c. quod obfervatione SYDENHAMIVS declarat, quando de affectibus hyfteri-

ftericis differit in *Diff. Epift. ad Guil. Cole Oper. p. 388.* fœminarum, inquiens, pauciffimæ ab omni horum affectuum fpecie prorfus liberæ funt, fi iftas excipias, quæ laboribus adfuetæ duram vitam tolerant. Taceamus quod iis confueti ad morbos multos difponant & faciant, v. g. labor fuendi vifus debilitatem inducit, quæ fila ducunt, iis caput agitatur, falivalis optimus & fervandus omni ftudio liquor perditur, fauces exficcantur &c. lotrices patiuntur naufeam, vomitum, afthma, tuffim, imo phthifin Conf. hac de re *Difp.* PRAESIDIS *de aëre Lipfienfi §. 13.* Viri contra laboribus & varia vivendi ratione, itineribus, exercitationibus corporis variis & frequentioribus equitationibus &c. corpus firmant, ut injurias quasvis aëris, v. gr. & ejusmodi minusque alias confueta facilius perferre poffint; Hinc HIPPOCRAT. *de morbis mulier. Lib. I. Sect. V.* apprime dixit. *Multum viro confert, quod duriter fe magis quam fœmina exerceat, vehemens enim exercitatio nonnihil humoris diducit expurgatque.* Arguto SANCTORIO enim notante *S. 5. 9.* exercitio corpora fiunt leviora, & fpiritus tenuiores. Hæc revera ita fe habent, ut plures fœminas delicatas alias in Anglia, imprimis illo amoeniffimo feceffu, qui Richmont vocatur prope Metropolim, notaverit Præfes, cacheticas vifcerum tantis obftructionibus vexatas, ut hypochondria effent dura & tumida, corporis habitu otio ac torpore corrupto & a medicamentis indies pejus fe habentes, folo corporis exercitio, equitatione præfertim, commodæ valetudini reftitutas. Hoc addimus, ut fimul indicemus prolixe fatis eleganterque caufam & rationem explicaffe SENECAM *Lib. XV. Epift. 91.* cur mulieres fiant arthriticæ, quem egregium locum hic tranfcribere, pagellarum harum anguftia vetat. Aft ut labores moderati corpus firmant, ita & immoderati, quibus potior fexus non raro exagitatur debilitant; fi enim fic corpus repente atque exceffive commovetur, ex ea commotione nimia humores præter modum exagitantur, ac partibus folidis vis infertur, ac non modo extenduntur, relaxantur, ac debilitantur, quæ debilitas tandem, decubitum humorum admittit, fed & rumpuntur, ut alia mala exinde propullulantia taceamus; unde foeminas viris vivaciores effe dixit, quia nimirum minus moverentur Illuftr. BACO DE VERVLAMIO *Hiftor. Nat. Cent. IV. p. 818.* Apertus amplusque campus hic panditur, per quem longius excurrere poffem, fi virorum labores, qui fanitati officiunt æftimare examinareque vellem; fed ne hujusmodi fcriptionis modum non teneam, faltem noftros homines litteratos accedam, qui, laboriofi lucubrationibus fæpius vacantes dum lectioni & fcriptioni præfertim operam dant interque eam pectus menfæ aut pluteo preffius incum-

cumbunt abdomenque diutius incurvant, ficque vifceribus ibidem compreffis liberum motum fufflaminant ac ftagnationibus fluidarum indurationibusque folidarum partium, occafionem fuppeditant, indeque nyctalopfiam, aliaque oculorum vitia, hypochondriacum malum multasque alias ægritudines fibi contrahunt. De aliis videatur multus nec indiligens hujus rei cenfor RAMAZZINVS *in Tr. de Morb. Artif.* Infuper viri magis appetunt, plura ingerunt, ingefta felicius digerunt fubiguntque & citius feliciusque egerunt; verum in mulieribus, alimenta affumta plus in utile nutrimentum, in viris plus in excrementa rejicienda, mutantur.

§. XXX. Amplius quod huc facit, dicendum eft, foeminas licet ebrias non æque plures videas adeoque vivaciores effe quidam reputant, attamen genio, blandimentis gulæ atque linguæ, quæ utplurimum funt nocumenta ventriculi rerum n. n. exceffibus variis, cacochymiam tandemque cachexiam inducentibus liberius indulgere, appetere magis dulcia, faccharata, lacticinia, nec non acida ut & placentas, fructus, horæos &c. fæpius fupra modum, quæ haud congrua diæta, febres putridas, purpuras, exanthemata maligna, lumbricos &c. gignit; in potus vero quantitate debita effe parciores. HIPPOCRATES equidem mulieribus ficciorem diætam convenire fcribit *Libr. de falubr. diæt.* quoniam eas humidioris & mollioris conftitutionis effe ftatuit, fed hodie apud nos fere ubique in defectu peccatur: Omnis enim vita in humido confiftit & ficcando procedit. De viris hunc in modum notandum eft, eos crapulæ, ebrietati & vinorum generoforum aut cerevifiarum inebriantium, ingurgitationibus copiofis, aromatum calidiorum nimio ufui effe deditos, a quibus partes fulphureæ, oleofæ, volatiles, agiles, activæ, humorum maffæ ingenerantur, quæ dein orgafmum præternaturalem excitant humoresque exagitant, ut majus fpatium affectent ac canales in quibus feruntur expandant diftendantque, fiquidem vel pertinaciffimæ congeftiones humorum reftagnationesque hinc inde fiunt aut mox rupturæ vaforum excitantur. Præter hæc mala ob vini potum copiofiorem, tartaream, ad calculos generandos, aptam materiam, colligunt. Variæ alias quoque confuetudines, hæ illi, aliæ alteri fexui propriæ magis fimul funt adducendæ, v. gr. Exc. WEDELIVS *in Differt. de verrucis* eas frequentiores viris effe ideo autumat, quia hic fexus minus tenax fit decoris fervandi minusque mollitiei ftudens. Cœl. Aurelianus dixit, ideo fœminas cephalalgiis vehementius teneri, quia capillos copiofiores in capite alerent. Sed jam plura non adducamus.

§. XXXI.

§. XXXI. Hæc adeo vera ſunt, ut conſtet, fœminas non ad quævis negotia & labores ſatis idoneas eſſe, ac viros fœminarum munia ægre obire ac difficillime infeliciterque perficere, atque maſculos quo propius ad fœmellarum conſtitutionem, genium & conſuetudinem accedant, & quo magis otio & molli effœminatoque vitæ generi, delitiis, voluptatibus, indulgeant, eo citius faciliusque ejuſmodi morbis eis familiaribus corripi, periculoſiusque decumbere & vice verſa, fœminas, quæ ad virorum naturam procliviores, & quæ viros imitantur laboresque & exercitationes fortiores exercent, immunes ab illis magis manere, ut exemplo poſſunt eſſe tenuioris fortunæ fœminæ ac ruſticæ. Rurſus quæ pravos virorum mores ſequuntur cupedine, curioſitate, temeritate ductæ, ſi ſe virorum intemperantiæ, ebrietati, vini & ſpiritus vini ingurgitationibus præter modum dant, familiares quoque iis ſimul experiuntur morbos ut podagram &c. de quibus SENECA *Epiſt. 95.* ita loquitur: *Fœminæ cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt*, & porro: *fœminæ beneficium ſui ſexus vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus.*

§. XXXII. Alia præterea ejusmodi quoque ſubſunt. Sic in amictus diverſitate quædam, in quibusdam occurrunt. Quemadmodum vero ſexus elegantior expoliri ſatagit, ac decentius ornari, quo venuſtatem formæque gratiam ſibi conciliet: Ita non deſunt exempla impeditæ depravatæque nutritionis in virginibus & mulierculis formæ nitorique præter modum ſtudentibus, ad coactam gracilitatem ſibi comparandam, quæ thoracibus illis, ex oſſe ceti formatis, abdomen pectusque Phrygum more arctius ſtringunt comprimuntque, unde & circulatio ſanguinis impeditur & reſpiratio fit difficilis, exindeque palpitationes cordis & diſpnœæ eveniunt, alimentorum digeſtio ſufflaminatur, impedito ventriculi & inteſtinorum motu &c. conf. TH. ERASTVS *Conſil. med. a.* L. SCHOLZIO. *collect. No. 103. p. m. 278.* SIM. PAVLI *de febre maligna p. 104.* Atque credisne denudationem vel leviſſimis ſaltem ac ſubtiliſſimis transparentibusque obvelationibus protectionem illam capitis, aurium, colli pectorisque & infimi ventris cum pubibus fœminarum (quæ corporis partes eæque nobiliſſimæ, tamen ſtudioſe defendendæ, contegendæ atque fovendæ ſunt) tempore hyemali & ſæviente gelu iis officere poſſe ac cephalalgiam, otalgiam, odontalgiam, catarrhos, vertiginem tumores glandularum colli, raucedinem, tuſſem, anginam aliasque faucium inflammationes, ventris tormina, diarrhœam, lienteriam, paſſionem hyſtericam ſuffocativam, apoplexiam ſæpius in-

ducere, aut ad ejusmodi noxas disponere? ut non mirum sit, si & ejusmodi morbis, qui rarius alias illis accidunt, frequentius se ipsas obnoxias reddant. Conf. FOREST. *Lib. XII. observ. 4.* Verum non modo hyeme sed & æstate (quo tempore cutis pori undique patuli sunt, quibus incaute constrictis, transpiratio maxime salutaris impeditur) plurimæ foeminæ per intempestivam refrigerationem vario modo eoque præsertim præ aliis conspicuo, quando nimirum corpore nimium incalescente sudoreque perfuso flabellis, frequenter atque assidue subitoque frigidam auram sibi ad caput, collum pectusque, valida ventilatione, afflant. Contra quos (morbos) mares, vestitus conditione sui equidem muniunt; Sed est etiam in ea diversitate, quod ad morborum variorum occasionem in viris facere potest: focale, collum arctius constringens, caligæ abdomen & regionem renum dorsi prementes, cinguli, tibialia firmantes arctius contracti, in hunc censum venire possunt, ut de aliis circumstantiis ob chartarum angustiam jam taceamus, & in iis modo, quæ in aprico magis sunt posita, subsistamus. Quædam horum quidem in propatulo sunt, sed negandum non est, quosdam casus, in hac recensione occurrere, qui secundum has notatas causas vix explicari poterunt, sed quorum veræ causæ adhuc latent ex ulteriori observatione colligendæ v. gr. non statim evidens apparet causa, cur peripneumonia & angina vera sanguinea ut §. XX. est relatum, sexui potiori adeo frequenter accidat atque adeo funeste cedat, cum tamen spuria sequiori sæpius adsit. Hic non intactum prætermittendum est, seria etiam censura dignum, quando foeminæ, quas CATVLLVS *in Epigram. ad Camer. p. 120.* lacteolas vocat puellas, ea dementia tactæ superbiaque ductæ ac si facies rubicunda rusticis decentior esset, ideoque ruborem istum, ex despectu odiosum habent, gratum pallorem atque urbanis nobilibusque dignum potius censent, adeoque pallorem per adversam valetudinem quærunt, atque creta, calce, gypso, arena, lapillis, cera hispanica, ex cannabe & lino filis deglutitis, aceto frequenter hausto & id genus aliis stomachum infirmant, vel crebrius incisa vena hæmorrhoidumque fluxu concitato, multum sanguinis sibi detrahunt, ut debiles fiant corpusque suum variis morbis iisdemque gravibus & diuturnis obnoxium faciunt, atque se ipsas præsertim, in mensium suppressionem, cachexiam & chlorosin præcipitant sicque per quod peccant: per idem puniuntur.

§. XXXIII. Maximum adhuc momentum superest, primoque loco collocandum: Scilicet, cum in foeminis humores increscant ac sanguinis plus colligatur, quam quidem ad vitam & nutritionem necessarium,

rium, almæ matris providentiſſimæ Naturæ optimo conſilio eſt ordinatum, ut, quod ſuperflui eſt (quo & ſimul multæ qualitate peccantes particulæ, ſalino-ſulphureæ, acres pituitoſæ ſecedunt:) ſingulis menſibus expurgetur, a quibus evacuationibus ſolennibus in fœminis (ut in quibusdam viris ab hæmorrhoidibus) omnibus dein quoque pendet ſanitas, robore quaſi quodam naturæ exinde conceſſo, omnisque maxime morbus; Etenim ubi rite fluunt, hæ fluxiones & ſuperfluum noxiumque detrahendo & motus & molimina a ſuperioribus & nobilioribus partibus ad inferiores revocando, illisque a pertinacia & conſtantia illorum, tutas præſtando, a multis morbis liberant & præſervant fœminas, qui alias viros frequentius vehementiusque premunt. Nam dum ſanguis ſtato tempore excernitur ſuperfluus, non moleſtare is poteſt, quo ſimul natura adſueſcit molimina ejusmodi ad partes inferiores ablegare, ut ſuperiores intactæ integræque ab incommodis ſerventur. Nec menſium ſolum fluxus ordinatus fœminis auxilio eſt, ſed & puerperium ipſum atque præſertim lochia bene ſuccedentia iis feliciter ſæpe cedunt, adeo ut multa a multis moleſtiis per ſolum puerperium liberatæ ſint. Verum ubi inordinate (extraordinarii enim menſes utplurimum vel morbos vel mortem præſagiant vid. HAGENDORNII *Hiſtor. Med. Phyſ. Cent. I h. 86.*) & parcius juſto fluant, aut ſupprimantur & plane deficiant aut retineantur, aut deſinant per ætatem &c. aut etiam lochia poſt puerperium non debite fluant, oriuntur frequentiora gravioraque incommoda &c. Nimia enim ſanguinis abundantia mox corruptelam contrahit, ex qua oriunda noxa excretionibus ſanguinis diutius ſubſiſtentibus in toto corpore graves exſurgunt ægritudines, atque laſſitudines, languores, phlogoſes, pallidi, luridi & fœdi cutis colores, efflorescentiæ, puſtulæ, vehementes cerebri affectus, capitis dentiumque dolores, apoplexia, inſania, paſſio hyſterica, chloroſis, difficultas ſpirandi, faucium conſtrictiones, cardialgiæ, tuſſis, diſpnœa, palpitationes, polypi cordis, animi deliquia, inflationes gravativæ alvi, & ciborum faſtidium, nauſeæ, ructus, vomitus, malacia, colicæ, alvi adſtrictiones, fluor albus, hæmorrhagiæ, procidentiæ, inflammationes, apoſtemata, gangræna hydrops, molæ, ſcirrhi tabes, ſanguinis per alia loca eruptio, varices rheumatismi, tumores œdematoſi &c. prodeunt. Hinc recte notat Hippocrates, univerſos morbos, quibus mulieres laborant, ab aliquo menſium vitio derivari. Dehinc tametſi illa omnia recte proceſſerint; novis tamen & inſolitis gravidæ & parturientes malis implicantur atque adeo pariendo pereunt. De Hæmorrhoidibus par propemodum judicium valet, hæ

præsertim, si non rite se habeant, atque prodeant, exinde variæ alibi turbæ, congestiones, spasmi in specie ingentes manent viros. Uterus qui primo loco in hac consideratione nominandus ulterius ipse quoque ansam atque occasionem ad morbos concedit, ac si secundum HIPPOCRATEM consentientem *Lib. II. de Morb. Mulier.* uterum malorum quæ fœminis humani generis conservatricibus accidunt, voraginem dixeris, recte dixeris, hinc & illæ, quibus ademtus est uterus, (ut mulierum ejusmodi sectores Lydi memorantur, inferentibus ex IOH. BROD. *Miscell. Lib. V. cap. III.* CONR. RITTERSHVSIO *ad V. instit. de Publ. Judic.* item ex ALCIATO *in L. Spadon. 128. de Verb. signif. & 4. Antiq. Lect. 10.* HENR. KORNMANNO *de Jur. Virg. Cap. CXVI.*) saniores longe longævioresque observatæ sunt; etenim ob innumera vasa quibus stipatus est tantum ægritudinibus ansam præbet, quantum succorum æquilibrii rationes, necessitates, occasiones multiplicat. Ne a scopo longius aberremus, hic quidem omittamus ea vitia, quæ abortum & id genus sequuntur illosque dolores, quos exinde mulieres sufferunt, ea hic saltem consideremus incommoda, quæ extra gestationis fœtus & nutritionis in utero, partus, lactationis negotia accidunt, & quæ vel per connexionem & notabilem consensum ejus, utpote summe sensilis partis cum aliis partibus, ut vesica, intestino recto, proxime, & cum pluribus aliis remote per nervos, vasa reliqua, ligamenta, ut renibus, liene, hepate, ventriculo, intestinis, diaphragmate, atque corde & pulmonibus &c. per quem (consensum) facta irritatione alias in consensum trahit partes, atque ab aliis trahitur, ut experimur, in calculo renum & vesicæ, in vomitu graviori, colica, tenesmo &c. quicquid etiam in contrarium afferant alii, qui uterum ab omni culpa absolvunt. Conf. C. PISO *de prætervis. hact. morb. observ. 74.* WILLIS. *de morbis convulsiv. Cap. X.* SYLVIUS *app. prax. med. Tr. VII. 133. seqq. Tr. X. 328. 785. seqq.* HIGHMOR. *de pass. hyster. Cap. III.* Juxta hæc excreta & retenta, etiam spermatici humoris vel immoderata excretio, vel justo diuturnior suppressio, quæ in hac classe quoque recenseri solent, utraque utrique sexui noxia est; sed sequiori periculosior quam potiori; quomodo vero utrique succurri consulique possit, videant alii. Taceam modo, quod adeo multis ærumnis gravidæ graventur atque parturientes dein periculis ac ægritudinibus aggrediantur, adeo ut præstet ter in acie stare quam semel parturire, siquidem & partus difficilis semper aliquid mali parturit.

§. XXXIV. Has observationes solerti attentione, quantum huc usque nobis licuit, notatas pro ulteriore consideratione ac pensitatione com-

commendamus, atque interim ſequentia tantum adhuc addamus. In conſervatione ſanitatis atque præſervatione & curatione morborum igitur ad hæc recenſita maxime animus medentium advertendus erit. Nam non modo, ut HIPPOCRAT. *lib. de morb. mulier. Cap. XX. n. 73.* notanter dixit, ſicut differt ſanitatis regimen, ita & differt ad faciliorem & difficiliorem liberationem, vir a fœmina, ſed & differt vere ut differunt cauſæ occaſionales, in utroque ſexu, verus modus, & alia remedia & medicamenta maſculis, alia fœminis magis conveniunt &c. Sic v. gr. GALENVS monet *Lib. IV. de Compoſ. med. Cap. I.* in ulceribus mulierum ut & puerorum & eunuchorum ejusmodi uſurpanda eſſe medicamina, quæ maxime exſiccant, citraque morſum, & ſi mordicent ut metallica, prius eſſe lavanda ob molliorem, teneriorem & humidiorem earum naturam ejusmodi pariter in mulierum corporibus plenis ſanguine facile inflammationem accerſere dixit AETIVS *Tetrabl. IV. Serm. II.* & RAMAZZINI *de chin. chin.* notat: in fœminis eam eſſe nocivam, quia vitam ſedentariam ducunt & parciori potu utuntur; nam china chinæ concentrat humores. Pariter Clariſſ. G. E. Stahlius fatetur, quod mixturam ſimplicem, eadem libertate ac liberalitate; imo vix aliquando, in fœminis exhibeat quodque aliam eſſentiam alexipharmacam dilutiorem loco ejusdem ſubſtituat vid. STAHLII *Obſerv. med. pract. a Gœtzio recenſ. Cl. I. de febrib. p. 78.* BAGLIVIVS *Diſſert. de Uſu & abuſu veſicant.* notat: ea delirantibus maribus admota, damnum potius quam utilitatem attuliſſe, pluresque ex iis mortuos eſſe, quam ſanatos, contra mulieres delirantes adhibitis iis (veſicatoriis) in melius proceſſiſſe, cum levamine ſymptomatum, morbi & ſanitatis recuperatione. Cauſæ præſertim bene expendendæ, quænam illarum in hunc vel in iſtum ſexum cadant, & differentiam frequentiæ aut infrequentiæ, morborum difficultatis & periculi majoris aut minoris, conſtituunt atque inducunt, ut hæ occaſiones mature præcidantur, atque major cura, majorque circumſpectio adhibenda in illum ſcilicet ſexum, qui ad frequentiores, graviores, curatu difficiliores & periculoſiores morbos magis pronior eſt. Mulierum vero genus, imprimis earum, quæ ſteriles alias ſunt, ut ex adductis patet, pluribus & difficilioribus morbis ſemper obnoxium eſt, qui ſymtomatum magnitudine, numero, frequentia, varietate, ſævitate, reſiſtentia, occulta malignitate, cognoſcendi difficultate, ſunt ſtipati, quique ſemper ampliorem obſervandi diſcendique anſam (juxta infantum morbos) præbent. Præ omnibus autem aliis gravidarum & parturientium affectus curam anxiam, difficilem & dubiam reddunt, ſiquidem his major impen-

dit

dit incommodorum & malorum ilias ut enim unda undam ſic in his, multoties, morbus morbum trudit atque mira ſubinde luditur ſcena quæ plura ſemper obſervandi diſcendi anſam præbet. Omnia inprimis eo ſunt dirigenda, ne ullo modo fœtus lædatur, circumſpecte igitur ubique agendum maxime circa purgantia &c. In ſpecie difficilis partus ſemper propemodum aliquid mali ſimul portendit. Veriſſimum hinc effatum non ſolum HELMONTII, ſed & jam dudum HIPPOCRATIS eſt: *fœminam omnem morbum bis pati, quatenus nimirum eſt homo, & quatenus fœmina.* Atque memorabile etiam hinc illius HIPPOCRATIS nempe dictum eſt, quod habet *l. de nat. mul. Cap. I. v. 11. Ille qui feliciter mulierum morbos tractare vult, curam a Diis ordiatur neceſſe eſt.*

§. XXXV. Hæc in genere ſcilicet teneantur, ut teneritudini ac ſenſibilitati majori, imbecillitati, delicatæ indoli & muliebri mollitiei conſulatur & delicate quoque & ipſa mollitie mollius cum illa agatur atque ut tonus partium ſolidarum in fœminis reſpiciatur & juſto laxior iis fere connatus confortetur per appropriata tonica. Quare his convenientiſſima erunt tam ſanguinem & humores quam partes ſolidas confortantia, roborantia dicta, ut balſamica & oleo ſubtiliſſimo & gratiſſimo, item gummatibus reſinaque ſuavi inſtructa, item ſalia volatilia, oleoſa temperata, ut ſuccinum, maſtiche, opobalſ. reſin. lign. aloës, ſantal. flav. ſaſſafras. caryophyl. cardamom. herb. lavend. majoranæ roſmarini ſerpilli &c. balſ. peruv. de Copayv. myrrh. camphora &c. item fixiora, terrea & terreo-ſalina, cort. Peruvianus chacarillæ contravervæ, oſſa cornua & dentes animalium præparat. philoſ. ex mineralibus martialia modica, prægreſſa tamen plethoræ ventilatione terræ ſigillatæ ſileſiacæ lemniæ &c. & ex his præparatæ tincturæ & eſſentiæ, eſſentia balſami peruviani, ſal. volatile oleoſum Sylvii, tinctura coralliorum, eſſ. ſuccini. ſaſſafras. ſpiritus cornucervi ſuccinatus ſpiritus Buſſii & præ aliis balſamus vitæ Hoffmanni & ſimilia. Cum a leviſſimis cauſis ſuffocationem uterinam incurrant, caute & circumſpecte ſemper cum fœminis agatur, tam a medico quam adſtantibus, famulantibus v. gr. vel a ſolo extinctæ recens candelæ nidore, graviſſime offenduntur. Hocque addo, juniorum practicorum gratia, experientia doctus, quod in curatione hyſtericarum ab purgantium & præſertim martialium exhibitione ſæpius magnæ tum animi tum corporis perturbationes atque non modo primis diebus ſed & per totum tempus, quo illis utuntur, moleſtent; quæ vero moleſtiæ non terreant atque ſtatim ab uſu horum abducant, eæque laudano opiato cum aqua aliqua antihyſterica mixto, ſingulis noctibus ad tempus

aliquod

aliquod propinato leniantur atque ſiſtantur. Ubique exulent ſuaveolentia, quæ rarius fœminæ perferre poſſunt, ſed uterinam ſuffocationem hæc concitant, imprimis ambrata, moſchata, utpote quæ ſtatim caput & uterum turbant, quæ tamen mares & reficere & nutrire & quidem inſtantanec, habetur; quas tricas vero extricatas, a m e, jam non exſpectes. E contrario accepta iis propemodum ſunt atque proficua caſtoreata. Camphorata, licet præſtantiſſima antihyſterica, tamen non paucæ reperiuntur præſertim plethoricæ & calidioris temperamenti, quibus ea admodum adverſa, quoniam illico caput petunt cerebrumque ferunt imbecillius. Præter modo adducta ſuaveolentia, ob eandem rationem, medici quoque prudenter a dulcibus, ſaccharatis, mellitis & ſimilibus fermenteſcibilibus ut & acidis (licet ea plurimæ appetant avidisque faucibus, magnis ſæpe hauſtibus infundant) exceſſivis ſalibusque nimiis abſtineant, quæ non modo morbum pertinaciſſimum & deterrimum reddunt, ſed & novos ſubinde cruciatus afferunt. Celeberr. STAHLIVS v. ejusdem *Obſerv. med. pract. de feb.* notat: Mixturam ſimplicem ob victrioli nimiam aciditatem non æque probat, loco cujus potius utitur conchis præparatis ſucco citri ſaturatis. Quantum nimia acida ingeſta gravidis & fœtui noxia ſint vel ſola obſervatio doceta GARMANNO *Epiſt. LXXIII. p. 308.* conſcripta de Nobili quadam fœmina, quæ uterum gerens non niſi alimenta & potulenta acida expetiit avideque copioſa ingeſſit, quæ poſtea fœtum absque epidermide excluſit. Sic & frigida in copia hauſta, mulierum ſexus, qui frigidior cenſetur quemque res quæcunque facilius afficiunt, ægre ferre poteſt, quare conſultius agunt illi qui acidulas v. gr. fœminis paululum calefactas & tepidas uſurpandas ſuadent. Sic & fœminis circumſpecte admodum vomitoria danda, cum exinde facile vomitum cruentum præſertim plethoricæ & circa inſtans tempus menſtrui fluxus itemque gravidæ atque hyſterica incurrant ſymtomata. Practici affirmant: pilulas purgantes fœminis magis convenire quia ſunt humidiores & pituitoſiores, ac fortiora paulo purgantia iis admodum nocere verum quæ menſtrui laborant retentione vix quidem illis expurgantur. Ad purgationem item ineptas mulieres Aetius pronunciat, quibus menſes valde effluunt. Sanguinis vero miſſiones, in pedibus utplurimum ſemper celebrandæ, largioresque in iis eſſe poſſunt, utpote quæ tempore catameniorum intercalari ſecundum B. BOHNII effatum v. *de officio Med. dupl. p. 257.* ſemper plethoricæ dicendæ ſed & hæ circumſpecte ſunt adminiſtrandæ, præſertim in tenerioribus, ſenſibilioribus & iis quæ exilia habent vaſa, in quibus ſcarifica-

 tiones,

tiones, venæ ſectionis vicariæ, potius locum habent. BAGLIVIVS bene advertit *tit. Oper. Edit. Lugdun. p. 256.* veſicatoria magis obeſſe viris quam fœminis delirantibus, eo quod mulierum fibræ molliores ſint & flexibiliores & criſpationi minus idoneæ quam marium, quorum fibræ ſunt duræ atque denſiores. Singulare eſt nobisque non adeo certum, quod PARACELSVS *tr. de Peſtil. p. 347.* aſſerit, bufones applicatos bubonibus magis ſexui ſequiori, auxilio eſſe. Cæterum idioſyncraſias plurimas apud fœminas obſervabis, quare Medicus inprimis, qui earum naturam nondum ſatis perſpectam habet, ſemper curioſo, ſuſpenſo animo ſuſpenſaque manu medicamenta iis præſcribat. Præſertim uterus & menſium ac in quibusdam hæmorrhoidum conf. *§. XVII.* negotium bene obſervetur, illudque circa inſtans tempus adjuvetur, pillulis balſamicis, Elix. PP. ſine acido, crocatis &c. pediluviis, V. S. in pede, potu calido. Imperet diætam convenientem ſtrictioremque (quoniam, ob dictas rationes etiam facilius ab ejus neglectu læduntur) potumque ordinarium ſufficientem, aëre frigidiori, maxime humido, ac ſumendis digeſtione difficilioribus ſpeciatim acidis, fructibus horæis fermenteſcibilibus, flatulentis, (quoniam paſſiones chronicas, hyſtericas, ſanguinem coagulando, ſpiritus ſupprimendo, circulumque ejus æquabilem impediendo, menſes cohibendo, pariunt hinc Belgiis fluor albus frequentiſſimus eſt) ut & lacticiniis nimiis, gravi animi commotione expertem. Atque attendatur, an obſtruantur, an ſufficientes illi ſint nec ne, an morbos præceſſerint, an mox ſequantur, an per ætatem emaneant, quoniam cum Hippocrate exiſtimandum eſt, nullum facile in ſexu muliebri affectum dari, qui non ab utero aut oriatur, aut propagetur, aut nutriatur &c. Atque hæ circumſtantiæ non modo plurimæ morborum cauſæ exiſtunt, ſed & pro vario illarum ſtatu, ſi aliis morbis junguntur ac ſuperveniunt & graviores eosdem reddunt, & multorum remediorum applicationem impediunt. Igitur optimum medium ac remedium eſt, contra morbos ſexui ſequiori familiares iterum atque iterum commendandum, humorum nimiam abundantiam imminuere & exinde naſcituram corruptionem avertere & cacochymiam corrigere, ſtrictioris diætæ obſervantiam in rebus ſex non naturalibus ſedulo injungere, cui ſcopo præſertim inſerviunt tempeſtivæ ſanguinis miſſiones & evacuationes, iterata blanda laxantia, abſtinentia ſomnus moderatus motus & exercitatio corporis, cœli mutatio per commodas peregrinationes inſtitutas, liberior potus cereviſiæ tenuis & aquæ fontium ſalubrium tepidorum tamen potius quam frigidorum & etiam calidæ herbarum infuſarum & incoctarum ut

theæ,

theæ, caffée, ſuccolatæ. Nec noſtris fœminis hodie ac olim vinum adeo ſevere interdicendum, quemadmodum apud Valerium Maximum legitur, quod conjugem Metillus fuſte delumbatam atque mulctatam quod vinum bibiſſet, interemerit, ac iſtud quidem abominabile facinus non accuſatore tantum ſed & repenſore caruerit. Qui fœminas feliciter vult curare, reliquis intermiſceat ejusmodi, quæ hyſtericam paſſionem juvant, ut caſtoreata &c.

§. XXXVI. Præterea aliæ quoque ſubſunt cauſæ adhuc adducendæ eæque morales, quæ tam diagnoſin, prognoſin quam ipſam ſæpius curationem morborum in fœminis, præſertim virginibus iisdemque honeſtioris conditionis, difficilem & dubiam aut fruſtraneam aut impoſſibilem reddunt. Plurima enim minus in medico ob verecundiam licita ſunt, v. gr. conſtat purpuram primum circa pectus erumpere, quæ tamen inſpectio medico & minus convenit, & minus licet, æque ac contrectatio hypochondriorum in febribus acutis, an dura ſint, an molliter diſtenta, quam tamen diligenter commendat HIPPOCRATES *epid. t. 2. ægr.* 2. Hæ ipſæ etiam frequentius, monente Hippocrate ſe ægrotare ignorant, donec tempore & neceſſitate edoctæ atque adductæ magno ſuo damno ſuos morbos denuo dignoſcant atque ob pudorem (qui ſi ingenuus eſt & in viris laudatur; ſubruſticus vero culpatur) ſæpius intempeſtivum multa tenaciſſime reticent, præſertim medicis junioribus & innuptis aut non ſufficienter manifeſtant, cum tamen tale ſilentium ipſis, medicisque valde noxium ſit hos morbos ſimul aut alios diſſimulant, ut fluorem album & id genus alios famæ forte ſuæ nocituros aut ad interrogata minus recte reſpondent atque remedia congrua non prompte admittunt regimenque debitum rectumque adhibendi modum negligunt. Atque adeo nituntur in vetitum frequenter cupiuntque negata medicos chirurgosque reformidant reſpuuntque penitus de qua re varii varias collegerunt obſervationes, ut GVIL. BALLONIVS *Epid. & Ephem. Lib. II.* IOH. BAPT. SIDONIVS *Miſel. med. cur. Tr. XXIII. p. m.* 114. N. TVLPIVS *Lib. III. obſ. med. Cap. XV.* IOH. HENR. BRECHFELD *Act. Haffn. an. 1671. & 72. obſ. 108.* MONTANVS *Lib. de affect. uter.* Hinc CELSVS dicit: *Pleræque mulieres propria ſua culpa pereunt, dum pudore perfuſæ ſecretiores corporis affectiones revelare non audent, cum tamen neceſſe foret, ut liberius de his conquererentur.* Aſt idem in maſculis quibusdam occurrit, præſertim initiantibus podagricis, de quibus SENECA jam *Epiſt.* 53. ſequentia enunciavit: *Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: adhuc diſſimulant & aut talum extorſiſſe eos dicunt, aut in exercitatione aliqua laboraſſe,*

boraſſe, dubio & incipiente morbo quæritur nomen. Si & victæ oculos manusque ipſas medici atque chirurgi admittere cogantur pudor ipſe ipſum morbum ſæpe exaſperat atque impedit ſanationem; ita verecundia quæ frenum forte erat naturale vitiorum moralium ſuppeditat ac adgravat phyſica atque corporis. Sic & dein verecundæ ſibi partum reddunt difficilem ac poſt eum lochiorum fluxum ſuppreſſum. Commentationem hinc meretur atque imitationem in Gallia parturientium mos quæ ſuæ & infantis ſaluti atque vitæ melius proſpiciunt conquirendo commodum ex utroque ſexu miniſterium: ille enim pudor eſt affectus animi, æque ac triſtitia ac ira amorque inſanus qui im modicus multas turbas in corpore humano efficit, nam corporis partes & imprimis faciem afficit ut rubore ſuffundatur & ut modo incaleſcat, modo paleſcat ac pulſus inæqualitatem membrorum quandam vacillationem, linguæ hæſitantiam, oculorum in terram demiſſionem &c. inducit, quæ phœnomena quæque indoles pudoris, quæ apud MACROBIVM *Saturnal. Lib. VII. cap. XI.* & SCIP. CLARAMONT. *de conject. moral. Lib. X. cap. XI.* fuſe deſcribuntur, oſtendunt inſigniter tunc ſanguinem & ſpiritus alterari. Quæ alteratio adeo quandoque fit enormis, ut exinde ſyncope etiam convellantur ut modo adductus MONTANVS *l. c.* exemplum de nobili quadam virgine addidit. Non negandum etiam eſt, quod medici & chirurgi cum fœminis ægris aut juſto verecundius aut timidius quandoque agant, hincque nec accurate ſatis has interrogent ſive in harum pathematum pro rei exigentia inquirent, remediaque ſingula debita applicent. Taceamus plurimas earum lubricas inconſtantes, variabiles & inobedientes eſſe, atque modo affirmare, modo negare, modo velle modo nolle atque quasdam interdum dolos malos callide ſtruere, aut morbum quendam diſſimulare aut ſimulare medicoque imponere. Hinc aperte & perlicenter fatetur KOZACK *in Tr. de Hæmorrh. Lib. II. cap. IX. p. 600.* ob hanc ipſam rationem difficillimum eſſe, fœminarum morbis mederi: verba ejusdem ſunt ſequentia, quibus quidem venia ſit: *Difficillime eſt fœmininis mederi morbis, quia ex profundis admodum ſurgunt principiis, & quos fœminæ geſtibus nequeunt fallere, fallunt verbis. Ad perveſtiganda fœminarum ſecreta actu opus eſt, eoque admodum occulto; nam ſi animadverterint aliquem vel in geſtu vel in verbis, non ſaltem paribus, ſed & occultioribus illudent inſidiis aſtutorum. Ego revera magis gaudeo familiaritate virorum quam fœminarum, quia me veſtigia terrent.* Aſt & hic ſexui fortaſſe aliqua debetur venia ob ipſam ejusdem debilitatem. Quare pauca interrogare, plurima, ex externis aliisque circumſtantiis ſæpe tamen fallentibus,

aut

aut hariolari aut ab adſtantibus & miniſtrantibus ſæpius imperfecta minusque certa ac firma, reſcire prudens medicus poteſt, ſicque eventum ambiguum exſpectet, neceſſe eſt. Ob alias quoque cauſas morales ſexus fœmineus in morbis pejus virili ſe habet, quoniam ordinario magis timidus eſt & animum illico deſpondet; qui animus enim ſic turbatus, peſſimam quoque corpori turbationem inducit; His accedit, quod propter obſtetricum ſimiliumque paraſtatarum ignorantiam, ſæpe male cum mulieribus agatur remediaque inconſiderate applicentur, ſi forte profundior partium affectarum ſitus aliæque circumſtantiæ talia requirunt; ſiquidem & conſulunt plurimis ægritudinibus preſſæ, potius fœminas easque vetulas, ac ſi talium affectuum melius conſciæ eſſent & eos prius expertas, præcipue, ſi occultare morbi forte turpitudinem ſatagunt. Alter vero magis confiſus beneque ſperans omniaque cum majori patientia, tolerantia firmoque ac conſtanti animo ferens, ſane felicem eventum facilemque ſanationem promittit.

§. XXXVII. Virorum, ob varias cauſas hucusque indicatas igitur curatio ſecurior ſuſcipitur & liberius cum iis agere, interrogare, ultro contrectare explorareque Medico licet, & illi ad indicandum reſpondendum explorandaque neceſſaria paratos ſe magis exhibent, quod haud leve ad felicem cognitionem & curationem momentum eſt: ſecundum HIPPOCRATIS dictum: huc etiam referrendum in quovis morbo valere ratione, recteque ſe habere ad ea quæ offeruntur bonum: contrarium vero malum. *Aphoriſm. Sect. II. 32.* In ſpecie adhuc hoc ſaltem denuo teneatur, nempe ut in fœminis juxta animi mollis in corpore molli, in bono moderamine conſervationem commendandam, uterus & menſes ſemper ſunt conſiderandi, ita & alter oculus in viris tractandis ad hæmorrhoides, eorumque fluxum dirigatur, an molimina excitent, an ſubſint, an legitime fluant; an ægre moveantur, aut penitus obſtruantur. Cum & ſecundum obſervationem Sanctorii provida Natura in quibusdam viris loco hæmorrhoidum certo ſtatoque tempore evacuatione paulo copioſioris & turbulentæ urinæ proſpexit, convenientiſſimum erit, hanc evacuationem attendere, atque in tempore interdum hoc naturæ opus, hæcque molimina per debita diuretica aut juvare, aut reſtituere, aut proritare aut augere. Eſt autem obſervatio iſta ſat notabilis ac curioſa, dignaque quæ ulterius conſideretur, quæ habetur in *med. ſtat.* prælaudati Curioſiſſimi SANCTORII *Sect. I. aph. 65. & 66.* Quoniam & in viris ob conſtrictiorem corporis habitum ut ſupra eſt adductum excretiones per poros cutis præſertim parcius procedunt, de illis pro-

 moven-

movendis ac facilitandis ubique cogitandum erit. Semperque virorum viribus ut robuſtiorum non nimis fidendum, quia ſæpe noxæ levitatem non ſtatim manifeſtam, gravitas inſequitur. Igitur ob cauſas & rationes adductas diſcrimen facientes hic etiam cautione opus eſt. Sed quo delabimur inviti quare vela (ut ajunt) jam contrahimus & ejusmodi tractationem alio tempore Deo dante perſequemur.



XIV.

DISSERTATIO MEDICA SISTENS ÆGROTANTIVM CONCLAVE,

PRAEFATIO.

STrenuus, prudens ac ſolers Belli Dux, ut urbem recuperandam feliciter vincat & capiat, hoſtesque e ſede ſua ejiciat, conſiliis concordia ſtabilitis cum agminum Ducibus prudenter nixus, belli ſtatum, militum armorum, annonæ omniumque aliarum circumſtantiarum conditionis atque qualitatis bene noſcens atque deſpiciens quid agendum ſit quidque omittendum rite & prudenter conjectatur, diſquirit, deliberat, nihilque differt & quod deliberatum eſt bene, ſtatuit atque omnem debitum apparatum prius bellicum conſtruit inſtruitque, & quam maxime cognitum meditatumque habet, quo potiſſimum armorum genere, cum hoſtibus oporteat congredi; ipſum dein Martis diſcrimen forti animo firmoque pectore cominus eminensque pugnaturus init, urbem, corona cingit, ſuis, quid opus ſit factu, præcipit: copias turbasque in diverſas partes agi jubet, quando ubique Peditatum aut Equitatum educere expediat, ex quo angulo accerſendæ ſint auxiliatrices copiæ, expendit, cuniculos agit, obliquos aggeres exſtruit, mœnia gravibus arietibus quatit atque tormentis ſternit atque ſubruit, reſiſtentes ac propugnantes fortiter aggreditur, inſequitur illos &c. Interea ſimul & omnia undique perſpicit, omnibusque proſpicit, caſtra ſua vallis, aggeribus foſſisque circumdat, propugnacula roborat, omnesque aditus provide

vide valida manu occupat firmatque, contemplatus ab omni parte loci naturam, excubias diſtribuit, ſufficientique præſidio cuſtodit, ne digitum quidem, ut ajunt, transverſum ab armis diſcedit, omnia a dextra lævaque a fronte pariter atque a tergo tuta præſtat, imo fines extremos tuetur, atque ſimul ſeditionum ſemina tollit, nunquam ſecurum ſatis ſe æſtimat ne inſidiatores verſuti, inermem opprimant atque inopinantem, (ut enim miles gregarius ſemper audax, ita Dux nunquam ſecurus eſſe debet, memor Pelopidam & Marcellum nimia ſecuritate, uno die omnem multorum luſtrorum perdidiſſe gloriam) neque unquam cautius excubias agit, quam cum hybernat vel inducias interponit atque pacis ſpeciem exhibet hoſtis. Nunquam non ſtat pro caſtris ſemperque excubat etiamſi tranquillus rerum ſtatus eſſe videatur, atque interim hoſtes imminentes utroque oculo obſervat, quorſum ſe vertant, an aggreſſiones tentent, an quieti ſubſiſtant, an retro cedant, imo cum fugam ſimulat hoſtis, ne ab externa vi & vel longiſſime etiam veniente hoſte aut in opere impediatur arceaturque, ac ne tam virtute hoſtium quam vitio ſuo inopinans obruatur at vincatur neque obſeſſus omni auxilio omnique commeatu privetur atque intercludatur. Rurſus interdum vel anguſtia & difficultate loci, vel rerum neceſſariarum inopia mutat caſtra, vel ubi vi agere non ſemper commodum optimumque videatur, verſutia, calliditate, ſtratagematibus circumvenit hoſtem, molitur dolum & machinas, componit fallacias (quæ in bello vel juxta alios, in amore quoque) æque ac in Medicina conf. PLATO *3. de republ.* HIPP. *epid. 6. 4. 8.* GALEN. *Comment. & 84. method.* habentur & probantur) ſecundum enim POLYB. *Lib. IX.* in bellicis rebus minoris ſunt momenti, quæ manifeſte ac cum violentia perficiuntur, quam quæ cum dolo ac opportune fiunt. Nihil inſuper inexpertum, nihil metu vel negligentia omiſſum relinquit, bene gnarus oſcitanter & languide in bello rem agere, periculum ac impenſas & hoſtium potentiam augere, & timidis animum addere. Aſt non minima etiam virtus in bello, hoſtem exſpectando fatigare & morando illudere, unde illud de Fabio Maximo notum: unus homo cunctando reſtituit rem. Adhuc æque magis bello quam medicinæ quadrat: bis peccare non licet. Adeo verum eſt, prudentem Medicum cum Imperatore bellico perito comparari poſſe, poſſe cum militia medicinam, ut exiſtimem Medicum qui debet eſſe malorum depulſor fidusque ſanitatis comes & qui artis ope feliciter cupit morari feſtinantia mortalium fata, rectiſſime agere, qui ſtudet imitari talem ſolertem ac proſpicientem belli Ducem, quique ſemper & ubique aliquid facit, ſa-

lutis

lutis hominum cauſa. Etenim uti illum fortitudo, conſtantia, prudentia, vigilantia, aſtutia, concordia & reliquæ militares virtutes ornant atque condecorant, ſic Medicum quoque iisdem præditum commendant atque evehunt. Ambo hoſtem aggrediantur, ambobus ut vires ſuas cum hoſtibus iisque ſæpius occultis, violentis atque perniciofis metiantur neceſſe eſt. Amborum victoria pax ſalusque finis eſt. Quemadmodum in bello, ita quoque in arte noſtra medica nihil fere tam leve eſt, quod non magnum interdum rei faciat momentum; Levia autem & minima non cenſenda, quæ ad hominis ſanitatem quomodocunque conferunt. Externorum ſpeciatim quoque ea eſt conditio, ut licet minima interdum illa viſa ſint, ita tamen afficere naturam poſſint, ut illius actiones ſalutares impedire & irreparabile detrimentum afferre, imo præſidia medica reliqua exhibita eaque optima, fruſtranea reddere vel evertere prorſus, valeant. Et hoc ipſum eſt quod HIPPOCRATES, qui ad minima ſæpius deſcendit, aph. illo *primo* nimirum *Sect. I.* ſcite monuit. *Nec ſolum*, inquiens *(medicum ſc. præſtare ſe ipſum oportet, oportuna facientem, ſed & ægrum & aſſidentes & exteriora &c.* Rurſus *Lib. VI. epid. t. 27. Non parum refert, quo in loco quis decumbat, ut melius aut deterius ſe habeat aut curetur &c.* item *l. c. text. 36. Boni medici eſt & cubiculi domus & lecti & externorum providentiam habere, atque omnia diſponere, ut maxime ad ægroti gratiam & utilitatem referantur.* Et GALENVS maxime copioſa ſatis oratione commodavit idem *6. de morbis vulgaribus com. 2. p. 330.* Ideo providus medicus, quem ratio ducit agentem, cui cum irreconciliabilibus humani generis hoſtibus, morbis ſcil. ſors ſubeunda eſt, horum omnium conſcius, cum harum rerum alterius altera poſcat opem atque quaſi conjurent, intentus ad cuncta ſit, omnia accurata mentis indagine conſtituat, ordinet; diſponat, ut omnia omnibus pro artis ratione, reſpondeant, adverſa avertat, nihil temere ac fortuito agat, ſemper loca ſummasque occaſiones, quarum præcipue parva momenta ad res ſæpe maximas cauſæ exiſtunt, nanciſcatur atque adſequatur non modo ſatis habeat præſcripſiſſe & applicaſſe utilia, apta & præſtantiſſima remedia, quibus velut armis idoneis debellare morbos conatur, quæ illorum cauſarumque exigit ſeries, ſed & ſimul reliquas circumſtantias omnes rite attendat, proſpiciat, regimen quoque circa externa circumſpecte obſervet, omnia examinet provide, nihilque admittat facile, quod ægris ullo modo nocere aut illorum ſaltem convaleſcentiam remorari poſſet. memor, illum demum perfectum medicum dici, non qui omnino curat, ſed qui nihil eorum quæ ad utilitatem ægrorum & curam pertinent, omit-

omittit. Tanto magis enim in ægris & circa eos omnia exacte ſunt obſervanda, quanto magis obnoxia læſis infirmitas eſt, ut re bene undique geſta, ut virum diligentem probum ac conſcientioſum decet, parta ante ſalute, illaque firmata profligatis morbis, clarus ratione, conſilio & induſtria conſtet, & digna reportet tropæa. Quivis jam hinc intelligit, quid me, de ægrotantium Conclavi ſcribere impulerit, utpote errores, qui circa hoc ipſum quotidie & ubique committuntur, aut non advertuntur, non leve ſubinde damnum, ægris adferre ſolent. Omnia enim hæc ad Diætam pertinent, ex cujus ordine in curandi ratione (etiam maximorum & pertinaciter reſiſtentium malorum) præſidia, primo loco, primaque acie ordinario forent collocanda (contradicentibus licet PARACELSO vid. *com. aph. 5. ſect. 1.* & HELMONTIO, & qui eos ſequuntur) quibus ſcilicet ſæpius ſolis, nulla vero ſine illis abſolvi poteſt curatio, & tutiſſime; cum in reliquis haud raro aliquod ſubſit periculum, quod veteres maxime agnoviſſe videntur, Aſclepiade Duce, qui plures cura, circumſpectione, regimine bene ordinato, impediendo malum aërem &c. quam medicamentis ſanaverunt. Quo etiam GALENVS reſpexit, *in comm. in Hipp. L. de V. R. in acut.* Quare ea tantum proferam, quæ a plurimis ignorantur, a multis negliguntur & ab omnibus tamen obſervari debent, præſuppoſitis artis noſtræ ſalutaris fundamentis, quamvis etiam inopibus & omnium facultatum vacuis, fruſtra plurima quæ ſequuntur, imperentur. Te vero B. L. humaniſſime rogatum cupio, ut laborem hunc noſtrum æqui bonique conſulas, veniamque concedas; ſi quando omiſſa adhuc, errata, aut inæqualitatem dictionis aut ordinem perturbatum interruptumque annotabis, quod non ampliori pomærio itidem finitum illum voluerimus, ac non continuus quidam, ſed interruptus ſæpius & feſtinatus fuerit labor. Deus cæterum T. O. T. Q. M. votis noſtris adſit, precamur.

§. I. PRimas ut inter diætæ objecta ſic etiam præſentis tractationis aër, nos undique ambiens, quemque continuo inſpiramus, & quo nec in ſecunda nec adverſa carere poſſumus valetudine, tenet, ac non modo primas tenet, ſed & maximam complectitur partem, quæque enim hic conſiderantur fere non alterant, niſi alterato aëre. Namque licet etiam non adeo intime ingrediatur mixtionem corporum atque non concreſcat cum corporibus mixtis, aut cum ſanguine & humoribus animantium; maximas tamen mutationes in iiſdem efficit, ſiquidem hic vel per modum ſuæ compagis, modo per affectiones ſuas, modo per varium motum & ce-

leritatem, a qua aër & æther omnem vim fortiuntur, ut varios morbos producit & exafperat, ita & illos lenit ac fanat, usque eo, ut efficaciffima quoque cætera remedia non raro illum non fuperent. Hinc fcite HIPPOCRATES *Lib. de flatibus* dixit: *Aër maximum eft omnibus, quæ corpori accidunt & autor & dominus:* Hinc & veteribus circa aëris felectum maxima erat cura & prima in morbis curandis & pro varia eorum indole varium quoque in modum, ejus alteratio. Scilicet perfpectum eft infurgere morbos maxima ex parte eaque qui medicis maximam operam imponunt ex anni temporum, ventorum mutatione & alteratione, infolitis tempeftatibus & a vaporibus ex terra adfcendentibus, atque evenire, vere, illos morbos, qui ex multis humoribus & qui ex illorum motu novantur, autumno, qui ex corruptis fiunt frequentius, ita tamen, ut docente obfervatione, plures ægrotent æftate, plures vero moriantur autumno. Sanguinem enim tunc in autumno, a prægreffæ æftatis calore, ad pauperiem redactum ac fpiritus magis confumtos, in caufa effe, non immerito judicat experientiffimus SYDENHAM. *Method. Curand. Febr. S. 1.* & quod evacuationes tunc temporis utplurimum damnofæ exiftant. Speciatim vere gravedines, anginæ, febres tertianæ, æftate calida & ficca imprimis, continuæ magis & acutæ, diarrhoeæ, ophthalmiæ aurium dolores, autumno quartanæ, affectus hypochondriaci, maniæ, lienis tumores, hydropes, tabes: hyeme tuffes, pleuritides, affectus foporofi &c. frequentius accidunt, mutantur, pejoresque redduntur, hinc variolæ, morbilli, febres lymphaticæ, nunc benignæ, nunc malignæ, apparent. Porro obfervatione conftat, quod ficco cœlo fubjecta ferofa arthritica, pluviofo & nebulofo, phthifici, peripneumoniaci, hectici & difficili refpiratione laborantes, minus habeant de quo conquerantur, (ob mitiorem nimirum fanguinis ad pulmones appulfum) quod humida in fpecie hyems, gravidis fit infaufta, ac vere humido ac tepido hyemem frigidiffimum fubfequente febres morbique multi acuti eveniant: quod procellofis imminentibus tempeftatibus hyftericarum paroxyfmi exacerbentur: Ad hoc in vulgus quoque notum eft, permultos videri homines, qui ex dolore capitis aëris mutationes præfagiunt: Qui herniis obnoxii funt auftrum mox perflaturum, prænunciant: Boreali vento fpirante, qui auditus gravitate laborant, facilius audire incipiunt. Imo nonnulli morbi de nocte, alii de die magis fumunt incrementa; fic v. gr. Notum eft, febrem continuam, quæ quidem calorem continuum habet, habere tamen interdiu majorem quam noctu; & mali hypochondriaci fymptomata, mane acerbius femper affligere. Rurfus perfpectum

eft,

eſt, febres quæ aliquam viſceris inflammationem comitantur, noctu magis augeri, minui interdiu, & omnes morbos a ſeroſa colluvie corrupta & acri, v. gr. cancer, ut & omnes fere dolores ingruente nocte pariter ingraveſcere, quod tum decidentibus iterum remoto ſole effluviis humidis, tum aliis atmoſphæram graviorem reddentibus & mole ſua moleſtis & motui & ventilationi humorum contrariis, adſcribo. Atque videbis multos morbos, maxime capitis, pectoris, pulmonum febres quartanas rheumaticos dolores &c. eosdemque diuturnos, rebelles, abſtruſiſſimosque, quos longus medicamentorum uſus etiam præſtantiſſimorum, quos medicorum prudentiſſimorum non raro conſultationes, conſilia, labores, non curare poterunt, mutatione aëris demum ſanari, mutatis vel anni menſibus, mutatisque iter faciendo locis. Notiſſimum eſt, ægritudines ab humoribus frigidis, crudis, craſſis, tenacibus hyemalibus menſibus, ut febres quædam intermittentes &c. vix ac ne vix quidem curari; curari vero eas vel ſua ſponte ſæpiſſime æſtivis appropinquantibus, quando nimirum ſol ſuaviſſimo externo ſuo calore ſuaque vi omnia vivificante ac exhilarante iterum, macrocoſmum microcoſmumque fovet, excitat, atque fœcundat. Videbis & ob id, quosdam morbos, in hac vel illa regione, difficillime aut nunquam curari, qui in alia facillime curantur: v. gr. lues venerea, catarrhi, tabes, hectica: (ob aërem gravem, denſum, nubiloſum, humidum) difficillime aut nunquam in Anglia, facile autem in Gallia, Pariſiis præſertim & Montepeſſulano ſanantur. Sic vulnera capitis Florentiæ utplurimum ſunt lethalia (quod aëris ſubtilitati adſcribunt.) PARAEVS notat *Lib. X. c. VIII.* Vulnera capitis difficilius curari Bononiæ ac Lutetiæ, quam Avenione, vulnera pedum vero facilius Lutetiæ, quam Avenione, additque rationem, quam ibi videre licet: Neapolitani hydropicos ad agrum Puteolanum, Romani tabidos ad Tabianum montem (ob aërem ſiccum) mittebant. Conf. GALENVS *L. V. meth. C. XII.* EPIPH. FERDINANDVS *Conſult. p. 33.* aliique. Eapropter olim, adeo frequenter ex Italia in Ægyptum & Hiſpaniam, itinera faciebant confer. CELLARII *Orig. & Antiquit. Med. cap. LII.* longe celeberr. FRIDR. HOFFMANN *in diſſert. de Peregrinationibus ſanitatis cauſa inſtitutis.* WOLFF. *obſerv. chirurg. I.* MONTALDVS *de Morbis cognit. Tract. VII. c. XV. p. 736.* BALBINVS *Miſc. R. B. Lib. I. c. V.* adducit Reges Bohemiæ ægrotantes, ſi ex Auſtria & Hungaria Bohemiam perveniſſent, ſanitati brevi reſtitutos fuiſſe. Eo nomine imprimis celebris eſt Inſula S. Helenæ in mari Atlantico, de qua tradunt, ægros moribundos pene & conclamatos, in illam, ex India redeuntes expoſitos,

positos, illico convalescere, incolasque nullum facile morbum præter annosam senectutem nosse atque alia in Regione Hybermensi, Thoma Carveo de Tipperara prodente V. ANDREAE GRYPHII *Diss. Funeb. p. 503.* in quam gravidæ ut propitiam Lucinam sibi concilient navi transvehuntur. Consilium antiquissimum fuit HIPPOCRATIS *Lib. IV. Epid. S. V. L. XIX.* in morbis longis solum vertere. ERATIANVS ait: *Migratio interdum Medicina, & in morbis mutatio loci sæpe salutifera.* Similiter AVICENNAS *Lib. I. Tit. 4. p. 72.* opinatur: Ex generibus medicationum esse, mutationem de terra ad terram, de aëre ad aërem. GALENVS *L. de Vet. Cur.* corpore languentibus peregrinationem & equitationem commendat. Nec ineleganter SENECA loquitur *de Tranquill. an. cap. XV. p. 541. Aliquando vectatio iterque & mutata regio vigorem dabunt*, Testatur idem de se ipso CICERO *Lib. de claris Orat. cap. XVI. & L. VII. Epist. 26.* Ob eandem sine dubio rationem olim Reges Persarum & Parthorum pro quatuor anni partibus sedes suas mutasse, ex TREVNERO *ad Cluverum p. 172.* NEANDRO *in præfat. ad Erot. græc. Linguæ p. 44.* ATHENAEO *L. XII. c. II.* CVRT. *L. V. c. VIII. §. 1.* patet. Hunc ad modum & hodie Augustissimi Imperatores Romani & Pontifices multique Reges & Principes non solum talem conclavium suis in Palatiis selectum instituunt, sed & varia hinc inde optimo & laudatissimo consilio, palatia erigere solent, ut diversum sic aërem certis anni temporibus, hic aut alibi salubriorem haurire, queant. In hanc sententiam eleganter CELSVS scribit *L. I. c. I. Pessimum Cœlum est quod ægrum fecit, adeo & in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio fit.* Dolendum hinc, quod hæc medicinæ pars præstantissima hodie fere negligatur, quare Chorographiam hanc medicam neglectam adhuc, inter desiderata medica cum Celeb. H. VELSCHIO merito repono. Vid. *Ejus Som. Vind.* Hippocrati ideo laudi ducitur, ut Wigandus & Soranus Ephesius habent, quod amore medicinæ ductus per diversas regiones profectus sit, experimentaque collegerit, ut rei medicæ effectus & successus per multa loca cognosceret, & his variis modis exerceretur. Huic causæ præterea maxima ex parte morbi endemii tribuendi sunt, ut vexatos fuisse Ægyptios olim imprimis & Arabes vermibus, Theophrastus, Græcos catarrhis Plato referunt. Sic observatur Insulas maris Ægei, incolentes Hungaros & Hetruscos epilepsia, Sabaudos tumoribus variis, Hispanos, Helvetios, Carinthiæ incolas, strumis, Lusitanos cæcitate, Londinenses tabe pulmonali, Neapolitanos roseolis, Venetos hæmorrhoidibus, Romanos febre semitertiana, observante jam GALENO *L. I.*

de

de morb. vulg. cap. II. Conſtantinopolitanos peſte, Danos, Svecos, Pomeranos, Livonos &c. ſcorbuto, Lapones, Finnos, Armenios &c. ophthalmia, Miſnicos & imprimis fœminas Lipſienſes purpura paſſim & frequenter laborare.

§. II. Quod ſi itaque adeo multum nec in una ſaltem re valet aër, quod ſi etiam ſanorum hominum corpora multa multo magis ægrotantium aëris ſtatu alterantur, hic, labor, hoc opus ſit ut medentes ea, quæ circa hunc obtingunt, bene obſervent & ad ſalutem hominum dirigant, ut ſanitatem eorum integram ſervent, atque tam præcautionem quam curationem morborum præſtent moderando, avertendo, contranitendo, corrigendo juvent. Loquitur de hoc ipſo ipſe HIPPOCRAT. *Lib. VI. epid. Textu 9.* ſequentem in modum. *Non certe exigua pars medici muneris eſt curare, ut ingreſſum & egreſſum habeat aër, quantum, quando & qua parte oportet in domum, quam inhabitet ſanus, aut in qua decumbat ægrotus, idque juxta naturam morbi & qualitatem venti conſiderandum.* Etenim ipſius aëris conditiones habitationes ſequuntur, quare & earundem ut pro ſanitate conſervanda, ita & pro reſtituenda ea & ſtabilienda ratio habeatur. Quinimo earundem obſervatio in diagnoſi magnam, ſæpe ſuam addere poteſt ſymbolam. Notanter GALENVS *5. de tuend. ſanit. 2. p. 179. & 180.* antecedentia bene conſiderare ſuadet, & inter alia, num domus, in qua verſatus ſit æger dormiens vigilansque calidior fuerit an frigidior, nec in prognoſi, is qui ejusmodi in memorato habet rudis eſſe poteſt. In his (habitationibus) primario quatuor illæ ſummæ mundi plagæ ſpectantur, & ob aërem & ventos, quos (ut belle Seneca dixit, ſummus rerum artifex, ad cuſtodiendam cœli terrarumque temperiem dedit) qui ex illis, per quæ media ſpirant, cœli adſpectus, ſalubres vel inſalubres dicuntur: nam alterant notabiliter, pro varia naturæ ſuæ, motus plus & minus vehementis ac elevatarum molecularum ratione alterati. Ordinario orientalis & ſeptentrionalis (cæteris paribus, nam varia accidentia, montes, ſylvæ, flumina, lacus &c. ſubinde illos variant, nec omnes ideo regiones æqualiter ab ipſis afficiuntur) vid. PLIN. *L. XI. c. XLVII.* CELS. *L. XI. c. I.* SCALIGER *exercit. p. 285.* ſolis calores violentos ſuaviter, temperantes omnium ad valetudinem maxime accommoda, ita tamen, ut ille huic vulgo præferatur. VITRVVIVS hinc & quondam celebris ille Architectus *Lib. I. c. I.* ita dirigendas domus præcipit ut aquilonem admittant, & Ariſtoteles, ubi de optima Republica in politicis agit, urbes, orientem verſus ſitas, auroram amicam omnia aurea tinctura pingentem, omnia exhilarantem ac reficientem, omnium pri-

 mum

mum adſpicientes, ſaluberrimas pronunciat. Curatius obſervantibus conſtat, pauciores mitioresque illas regiones experiri ægritudines & alienas impreſſiones, nec adeo facile admittere nec diutius retinere foverequе, conf. VERVLAM. *H. V. p. 451.* PLINIVS *l. c.* ARISTOT. *Lib. VII. polit.* RHAZIS *L. V. de re Med. c. IV.* CELSVS *L. XI. c. I.* & HIPPOC. *Aph. Sect. III. 16. & L. de a. a. & l.* illas prædicat dicens: *Incolæ regionum, quos venti frigidi & ſicci afflant, diuturnioris vitæ quam alii.* Orientales vero & Septentrionales ſunt ejusmodi. Illi enim per vaſtiſſima Aſiæ ſpatia ſuper Moraviæ, Hungariæ, Bohemiæ montium juga adeoque bene temperata, iſti vero ex terris Borealibus per varios montes glacie niveque rigentes, altius moti & depurati (quoniam vapores humidos ſurſum evehunt) ad nos tranſeunt. Ratio cauſaque peti poteſt, quod ejusmodi venti & particulis ſuis elaſticis magis ſerenis, limpidis ac ſubtilibus, nitroſis aërem repleant & corrigant, motu ſuo vivido, validiori & rectilineo magis corporum poros conſtringant, eorum penetralia ſubeant, denſent, humidum ſuperfluum abſumant, adeoque putredini reſiſtant, fibras motrices roborent, coloremque firment atque detineant, ſicque circulationem ſanguinis atque humorum promptiorem reddant, corporibus firmitudinem vividumque colorem inducant, appetitum generativamque virtutem augeant. Exinde colligitur, loca angulos hos ſpectantia convenire morbis refrigerio opus habentibus, acutis, contagioſis, malignis pro intemperie calida & humida corrigenda, urina provocanda, fœtu roborando &c. Refert tamen ad inſtitutum noſſe, aërem & magis adhuc ventos hos maxime ſeptentrionales tranſpirationem aliqua ex parte impedire inſenſibilem, fibras inprimis nervoſas, præter modum quandoque ſi invaleſcant nimis diutiusque durent, tendere, ſtuporem inducere &c. Atque hi venti fortius lædunt ſi humidus auſtrinus aër diu prius regnaverit, ibi enim redundantes in ſuis vaſis humores in vaſa majora & viſcera vi pellunt, ac trudunt, unde intumeſcentiæ fiunt, ibi & ſeri ſeceſſiones & plura mala, quæ has preſſo pede ſequuntur: Quare vitandi & avertendi ſunt, imprimis ſenibus tenerioribus, rarioribus ſenſibilioris conſtitutionis hominibus & poros anguſtiores habentibus & maxime iis, quibus ſeroſis humoribus corpus tumidum atque diſtentum eſt; hos enim maxime irritant frigiditate ſua, & ſtimulant ut fundantur excernanturque humiditates, hinc catarrhi, coryzæ, lippitudines, tuſſes & ſimilia mala inſurgunt! Vitandi hi pariter ſunt reconvaleſcentibus, in affectibus nervinis, dolorificis ſpaſmodicis, inflammationibus & capitis dolore habituali, ophthalmiis, odontalgiis, affe-

affectibus faucium & pectoris imprimis tussi pleuritide ut & in arthritide & podagra, phthisi, in quibus nimirum fibræ jam præter modum rigidæ atque distentæ atque constrictæ sunt. Nocere quoque possunt vesicæ & renibus calculo ut & morbo hypochondriaco, obstructionibus viscerum, febribus intermittentibus laborantibus, imprimis quartana & recidivas suscitant; item iis qui ad paralysin rheumatismos, apoplexiam dispositi sunt. Ea quæ dicta sunt jam alii gravissimi Autores notarunt. Sic CELSVS *Lib. XI. cap. I. §. 20.* scribit: *Aquilo tussim movet, fauces exasperat, ventrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolorem lateris & pectoris infert, sanum tamen corpus spissat & mobilius atque expeditius reddit.* Et RHASIS *Lib. V. de re med. Cap. IV.* prodidit: ab Aquilonaribus ventis illum custodiendum esse, qui in pectore asperitatem sentit, aut tussim patitur; vel cui pulmo aut pectus debile est; hic enim, si aërem attraxit frigidum, ad tussim vel ad sanguinem spuendum velociter perveniet. Præterea hoc quoque aliis constat, mulieres septentrionales menstruis difficilius purgari, difficile parere, pauco lacte refertas esse, phthisin & tetanum pati &c.

§. III. His salubritate modo inferiores habentur venti occidentales humidi, pluvias copiosas & nivem ex Oceano Atlantico nobis advehentes: In frigidioribus nostris locis enim in vapores resolutæ aquæ partes perventæ densatæ, pluvias concedunt. Conf. FIDELIS *de Relat. Med. Lib. I. p. 6.* Aspectus vero & ventus meridionalis, qui æstate calore violento molestat, conclavia quæ eum respiciunt in ignitas fornaces convertit & habitantes torret, radiis solis, per totum diei spatium irradiantibus, visum obcœcat, communi ore veluti insaluberrimus maxime Europæis atque Germanis potissimum censetur. Hinc & auster qui inde procedit, jam apud veteres male audiebat, de quo passim legendus HIPPOCR. *de a. & l. Cap. II. & Aph. Sect. III. Aph. v. 16. 17.* GALENVS *de Ther. ac Pis. Cap. II.* RHAZIS *Lib. CXI. cap. XXV. de vent. & Aëre* PLIN. *H. N. l. Cap. VIII. p. 201.* ARISTOTEL. *f. 26. probl. 46. p. 803.* CELSVS *L. XI. cap. I.* VERVL. *H. V. p. 451.* Et hæc eo nobis magis certa explorataque sunt, quod observamus & nos illum summe morbiferum, sicuti id non simplici vice superioribus annis notatum est; imprimis ubi verno tempore copiosior ille exstiterit, maxime in subjectis plethoricis, cacochymicis, pituitosis, mulieribus, infantibus, accessisse febres diuturnas malignas, putridas, petechiales, epidemicas, variolas, morbillos, dolores, lippitudines, aurium defluxiones glandularum, colli tumores, alvi fluxiones, apoplexias, lethargicos aliosque soporosos affectus, paralyses, inflam-

flammationes, dysurias, diarrhœas & dysenterias, tristitiam, motus, impotentias, raucedines, lippitudines, respirationes difficiles, præcordiorum angustias, affectus pulmonum insignes, appetitus prostrationes & in infantibus præsertim copiosas per varias vias, seri evacuationes tineas atque achores in capite. Epileptici etiam tunc frequentius miseranda exhibent spectacula, recidivæ accedunt, catarrhi & rheumatismi molestant, corpora languescunt & torpescunt tota, quare non male ab Horatio ventus meridionalis plumbeus & ex hac ratione vocatur. Urinæ porro excretio languidior evadit, articulorum dolores moventur, vertigines suboriuntur, & morbi contagiosi, pestis &c. ac notabiliter augentur, de quo testis quoque est PLINIVS *Lib. VII. cap. L.* & PLVTARCHVS. VARRO *de R. R.* 4. notat Corcyram a peste liberatam esse obstructis ubique fenestris austrum & apertis aquilonem admittentibus. Tuncque gravidæ sæpius abortiunt, illæque oborto sanguinis profluvio periclitantur, quare juxta HIPPOCRAT. 3. *Aph.* 12. austrinum hunc aërem gravidæ merito metuant vitentque. CARDANVS *in præf. de sanit. tuend. Lib.* refert F. Molinum Patrit. Venet. CCCIII. an. ætat. suæ interrogatum, quomodo ad tantam ætatem pervenisset, respondisse, quod non fuerit spaciatus sub umbra turris S. Marci, quod eo loco auster a mari spiret. Notabile insuper est, ventis austrinis & occidentalibus lumbricos infestare facile, quare multi illos ad morbos epidemicos & recte quidem referunt. Comparet horum ratio omnium morborum, sub tali aëris constitutione calida. (aër enim, quo calidior, eo magis infensus est vitæ & sanitati, & utpl. humidis & crassis impuris variis heterogeneis particulis & halitibus calidis crassioribus humo secum advectis quoniam ex præcalidis Africæ terris & Lybiæ arenis exsurgunt, & ex mari mediterraneo vapores secum abripiunt,) debita aëris elasticitas debilitatur, spirituascentia sanguinis debita ejusque motus circulatorius impeditur, spiritus ipsi in motu tardiores fiunt & turbulenti, vires hinc corporis dejiciuntur turbanturque, sensus gravantur, excernenda cumulantur, massa sanguinis corrumpitur, liquatur atque turbatur, impuritas putredoque inducitur, fibræ motrices nerveæ, tendinosæ, carnosæ laxantur ut flaccescant, & pori corporis omnes, & eorum tonus ac robur perditur, partes tenues salinæ & sulphureæ minus laudabiles quibus scatent in humores spiritusque intromittuntur, humores plus justo expanduntur, turgescunt, partesque continentes hinc extendunt, unde ibi stagnant & cerebro ideo maxime & magis hic aër hique venti obsunt quam violenti illi frigidi septentrionales. FROMMONDVS *in Meteorolog.* de insulis

ſulis quæ Azores appellantur ſequentia annotavit: *Auſtro ſpirante homines manifeſte moroſiſſimi incedunt, pueri triſtes & lugubres deſident domi, nec ſolemnes amplius luſus & coitus apparent in plateis, Borea autem reflante ſtatim ad alacritatem redeunt & in publicum refunduntur.* Plura præter recenſita ſecundum ſeriem mala invenies apud DEODATVM, *Libr. I. panth. Hyg. Cap. XV.* Apud chymicos in confeſſo eſt, ſpirante auſtro, fermentationes omnes vigeſcere, ex eo quod effluvia craſſa, calida, ejusmodi ſubeant poros internasque particulas valide concutiant. Illuſtr. BACO DE VERVL. *H. N. Cent. IV. p. 836.* obſervavit, ſpirante auſtro ligna intumeſcere. Præter hæc compertum eſt, referente VITRUV. *Lib. I. cap. IV.* Cellas, granaria, meridiem ſpectantia cito bonitatem ſuam mutare, & vina fructusque, qui ibi aſſervantur, non diu perdurare, autumno primum ea parte, quæ ad clima meridionale ſpectat, folia arboribus decidere, ſemina vermibus exedi, ædificia auſtro expoſita, ruinam & detrimentum citius incurrere. Hunc in modum curioſe ſatis notat Celeberr. F. HOFFMANNVS *in Obſerv. Bar. p. 41.* multus & ingenioſiſſimus rerum quoque naturalium Cenſor atque Scrutator. In altis turribus, horologiorum aureos numeros, occidenti & auſtro patentes poſt breve temporis ſpatium eſſe exeſos. Non duntaxat autem inſalubris eſt aër auſtrinus, ſed & circa meridiem ex nonnullis locis noxius vapor ſolet exhalare. V. H. VOGLERI. *Diæt & Comment. Cap. XXV. 176.* Verum iterum repetere neceſſe habemus; quemadmodum purus aër omnibus, omnis conſtitutionis, ſexus, ætatis, hominibus, ſanis pariter atque ægris bene convenit atque bene temperatus pro bene temperatis hominibus & pro ſanitate conſervanda, e re eſt, ita pro ſanitate amiſſa reſtituenda, & intemperatis intemperatus, quoad ſiccitatem humiditatemque calorem & frigus fere requiri. Diverſi enim pro diverſis circumſtantiis, ut jam ex adductis conſtat, diverſo quoque gaudent aëre diverſumque requirunt. Cum animalibus enim hac ratione æque comparatum eſt ac cum vegetabilibus, quæ pro ſolis, aëris, telluris, differentiis alia hic, alia alibi lætiſſime creſcunt alia triſtantur ac pereunt ex facili. Agnovit illud GALENVS *Lib. I. de San. tuend.* dicens: *Non omnibus temperatus aër ex uſu eſt.* Similia colligenda ſunt ex AETIO *Lib. III. cap. CLXIII.* ORIBASIO *9. Collect. cap. XI.* ne plures jam adducam, conf. F. FIDELIS *Relat. Med. p. 62. & ſeqq.* Hinc dicendum adhuc eſt, loca ad occidentem meridiemque ſita commoda eſſe calidæ & ſiccæ corporum intemperiei ſic dictæ atque morbis frigidis. Conf. PALLADIVS *Lib. I. Tit. 7.* COLVMELL *Lib. I. cap. V. VIII.* ORIBASIVS *9. Coll. Cap. XIX.* Et ventos au-

 ſtrinos

ſtrinos imprimis favere calculoſis, dolores enim mitigant. Ob eandem rationem (nam alias & hoc non negandum eſt, quod tunc temporis plures effluant ſordes) iis qui ulcera manantia habent, nec non ſeroſas acres, ſalinas excretiones, ut album fluorem, gonorrhœas &c. patiuntur, & ejusmodi doloribus excruciantur, atque iis, qui alvo laborant adſtricto, magis convenire. Phthiſici quoque hæmoptyici, hectici ſub hoc humido cœlo melius ſe habent. Hoc in loco ſimul eſt innuere: macilentis & emaciatis, ut & iis, qui non bene dormiunt loca aëre humido prædita magis eſſe præferenda. Igitur pro his eligantur conclavia has oras ſpectantia, & ſi neceſſitas ita ferat, feneſtræ quoque verſus meridiem vel occidentem poſitæ aperiantur.

§. IV. Ex modo delibatis facile apparet, quale conclave & verſus quos mundi angulos pro rei exigentia ſit eligendum. Simul tamen præferant (ſi iis datum eſt, pro opibus nam ſtruimus, quod ajunt mœnia) ejusmodi ob ſitum, proſpectum qui ex illo conceditur, nitorem &c. præ aliis gratum (ſi enim delectantur, ſi ejusmodi ſaltem ad tempus contemplantur, quanto magis ſi in illis degunt quadam voluptate afficientur) atque partem ædificii poſteriorem, aream aut hortum aut nemus frondoſum, aut torrentem leni aquarum murmure decurrentem, ſpectantem ſemotam & liberam a ſtrepitu hominum, fabrorum ferrariorum &c. item curruum, equorum, (quare multis in locis Pariſiis aliisve Galliæ oris præſertim aſſolent, plateam circa illud ædificium, in quo æger detinetur, & cujus cubiculum plateam ſpectat ſtraminibus & fimo obtegere) canum itemque latratu & ejulatu a clamoribus & pulſantium ſonis vacuam &c. ne ægri tali moleſtia afficiantur turbenturque atque inquietum ac per intervalla ſomnum capere cogantur, quo neceſſariæ ſecretiones, nutritio viriumque reſtauratio difficilius abſolvuntur, ſed eligant locum ex omni parte tranquillum. Sic Avicenna notat, galli ſaltem cantum, naturæ motum pervertiſſe. Si hoc verum eſt, ægrotantes Sybaritarum gentis ad omnes mollities natæ, in morem, gallos gallinaceos omnes ex domo urbeque fugarent, ne ſomnum & requiem turbent atque impediant, vide ATHENAEVM ac PANCIROLL. *Lib. I. p. 304.* Quid? maximis doloribus excruciati non debent, nec poſſunt prope molas aquaticas &c. degere, quod in ſpecie de paronychia laborantibus notat CAMMERAR. *M. N. & M. C. V. p. 45.* Exinde porro pro anni temporibus & diverſa electio vel optio datur, ſic hyeme ea potius eligantur conclavia, quæ radiis ſolis patent, qui frigus temperant, aërem reddunt ſubtilem & vapores diſſipant &c.

§. V.

§. V. Vitentur insuper in horum electione & loca uliginosa, palustria, quæ nec stagna respiciunt nec paludis halitu sunt infecta, nec ex profundo specu pestilentem auram spirant, qualis e. gr. circa Sardium, urbem in Lydia, Crœsi olim Regiam & Hierapolin alibique Galeno memorante visitur; nec quæ canalibus & ductibus non repurgatis obversa sunt, illuvie & exundationibus pluviarum, & effluviis putridis fœtentibus exposita, quæ respiciunt cœmeteria, stabula fimeta & sterquilinia vel quæ iis sunt superstructa, olerum leguminumque putredine coinquinata, vias publicas, quarum cura neglecta vel quæ cloacarum fœtoribus referta, vel in quibus, vel prope quæ habitant figuli, coriarii, saponarii, tinctores, pelliones, aut in quibus forte linum & cannabis macerantur, quæ effluvia noxia habentur. Conf. BERNH. RAMAZZINVS *de Morb. Artif. Cap. XL.* Quin & latrinas gravioribus exhalationibus fœdas, vitent, quarumvis atque spiritum facile cohibent respirationemque sufflaminant, hinc sæpius audimus, ægrotantes in his locis obscœnis derepente mortuos esse, quales casus etiam Tudecius & Guido de Fontenayo de Anastasio II. Pontifice R. habent. Celeb. LANCISIVS *Lib. II. epid. II. cap. V. p. 197. de noxiis palud. effl.* refert ipsi fuisse narratum Constantinopoli perniciosas febres frequentius in populum grassari quod linum & cannabis pene madida Cairo advecta publicis horreis inferantur. Ejusmodi enim aër depravatus sanorum corpora & multo magis ægrotorum alterat & lædit, ac eorum convalescentiam retardat, nam non solum is nocivis particulis inquinatus est, sed & crassus, qui inspirationi obest, & sanguinem, humores & spiritus labefactat ideo maxime in respirationis vitiis ut asthmate & in iis, in quibus dictæ reliquæ partes laborant, item ab iis qui capitis doloribus, febribus &c. vexari solent, fugiendus erit. Huc tandem referam, quod DOLAEVS *Encyc. M. P. I. p. 755.* monet, quod locus lue venerea laborantibus, in quo decumbere debeant, quantum possibile vitetur, ubi quidam lue hac mortuus sit, quod & de aliis morbis contagiosis dicendum esset. Nolo jam ad specialissima alia, ob chartarum angustiam descendere v. g. quando SOLENAND. *l. c. p. 241.* notat: in hydrope & palpitatione cordis vapores maxime nocivos esse, ex plumbo fuso, & quando e contra alii suadent, ut commorentur phthisici, ubi pix conficitur. Itali hydropicos convulsionibus, arthritide, scabie fœda, lepra, lue venerea aliisque gravioribus & desperatis morbis vexatos, in speluncam serpentum mittunt, ut ibi decumbant, de quo conf. KIRCHERVS *in M. S.* & ROMELIVS *in penult. Tomo E. N. C. D. III. an. 4. obs. 20.* Aër enim (ut ad prius hic redeam) & pro

diversitate effluviorum, quæ in eo volitant, copiosissima, magnam vim habent, texturam humorum immutandi. Hocque eo magis adhuc attendendum est, cum dentur nocentia, quæ odore vix deprehenduntur, ut noxia audit quorundam vegetabilium effluvia, ex iis emanantia umbra, qua de re conf. IOH. LANGIVS, *in Epist. med. Lib. II. p. 690.* ut & PLINIVS, GREVINVS *Lib. II. de venen.* MARCELLVS, DONATVS, CARDANVS, LEMNIVS *de nat. mirac.* FERNELIVS *de abd. r. c. Cap. VIII.* A GVLDENKLEE *Lib. VII. cap.* IOH. B. SIDONIVS *in Jatrosoph. Miscell. tr. XIX. p. 96.* a quibus exempla ut de taxo, juglande, papavere, fabis &c. petantur. Inter quæ notabile est, quod ALDROVANDVS *in Dendrol.* habet, ubi de rustico quodam narrat, qui postquam paralysi laborare cœpisset, quod nucis sub umbra, somno indulserat, pauco post tempore dum sub umbra quercus dormiverat, iterum sanatus fuerit. Etenim solis valida actio per diffusos halitus atmosphæram mire alterat, quos & ventorum agitatio in longinqua etiam loca devehit. Præterea & noxia illa sunt loca, quæ editis undique montibus in cavo loco tanquam conclusæ, nullam perflationem recipiunt. Galenus suffocantem illum aërem nominat & putridum similemque ei, qui domibus quibusdam est inclusus. Addamus & hoc: Conclave epilepticorum maxime non sit supra cellam aut fornicatam cameram ob exhalantes nempe vapores humidos & frigidos conclusos, vappidos maleque olentes. Cui jungam simile quoddam quod habet R. LENTILIVS *in Miscell. Med. Pract.* referens simulque salis communis activitatis sphæram comprobans: ibi enim *p. 380. P. II.* legitur: in cubiculo aream superstructo, ubi magna salis culinaris copia asservabatur, omnis generis vestes, situ quodam esse corruptas & vasa argentea in vasis bene munitis, arrosa.

§. VI. In deligendo ægrotantium Conclavi alia adhuc subit sollicitudo, præeunte HIPPOCR. passim *in Epid. & de Decent. Ornat.* an pars superior an inferior ædificii præferenda sit. Sciendum hic est, superiorem contignationem ordinario, maxime in locis aëre humido & squalido præditis salubriorem esse ob aërem puriorem & tenuem, quanto inferiores vero, tanto impuritate & densitate sunt deteriores; Inferior enim aër & terræ proximus vix verus aër habetur, quia ob effluvia crassa multa a nativa indole longe recedit, si præsertim non ita sunt comparata ædificia, ut aër inferiorem partem possit liberrime permeare, maxime in urbibus incolis plenis, ut Lipsia nostra est; & ubi solum non adeo salubre; Ad illas enim superiores ædium partes quoniam aëri & ventis magis sunt expositæ, exhalationes, quæ ex terra & humido sursum ferun-

feruntur graviores vix adſcendunt, purgatæ magis vero digeſtæ & leviores altius moventur. Comprobant hoc plurima Italiæ loca, præſertim Grotta canina dicta illa notiſſima ad lacum avernum, ubi circa humum ad certam duntaxat menſuram, animantia nocivus halitus extinguit. In Inſulis Indiæ quædam, ut Bantama, Peder Monzambique ibi ad terram habitare periculoſiſſimum eſt, & humi dormire lethale, quare incolæ penſilia domicilia inhabitare coguntur. Avenzoar ideo altas in quovis morbo cameras commendat. Apta inprimis ſunt loca alta morbis longis & contumacibus vexatis, pituita infectos pulmones habentibus, de thoracis aliis affectibus & capitis conquerentibus. Eædem item maxime utiles inhabitationes ſcorbuticis ſunt. Antiquis Medicis ideo ſcorbutus incognitus fuit, quoniam in Græcia, Africa, Italia, Gallia ob tenue & ſerenum Cœlum, quod magis diſſipat, attenuat, ac allevat, adeoque & tranſpirationem promtiorem procurat, hic morbus non obſervatus fuit, medicorum Autorum nemo vero illorum olim ſcorbuti mentionem fecit, qui in regionibus ſeptentrionalibus endemius eſt. Nominatim præterea mentionem facit THEODOSIVS *in Ep. Med. p. 376.* podagricorum & monet, ne illorum habitatio ſit terræ vicina & SOLENAND. *Conſ. Med. S. 2. p. 200.* Loca terreſtria & concamerata eſſe fugienda, calculo, gonorrhœa, imbecillitate ventriculi laborantibus, calida & humida corporis intemperie præditis, item in morbis ab extravaſatione ſeri oriundis, hydrope omnibusque morbis ſic dictis humidis ac ſubjectis cachecticis & febricitantibus &c. vid. GRADI *Pract. p. 274.* Siquidem expreſſe CRATO A HRAFTHEIM *apud Scholtz. Conſ. Med. p. 846.* pro tumoribus œdematoſis cubiculum in terra & concameratum nequaquam probat. Nam hypocauſta concamerata, ex lateribus & lapidibus præſertim erutis meriſque muris conſtructa, frigidiora & humidiora ſunt omnemque humiditatem facilius recipiunt ac retinent, & neceſſariam tranſpirationem per poros cutis inſenſibilem, aliqua ex parte cohibent, (hinc ut omnibus notum eſt atque perſpectum, convaleſcentes ex febribus maxime intermittentibus, ſi templa intempeſtive frequentant, recidivam patiuntur) iis ex ligneis parietibus exſtructis imprimis in locis per ſe humidis, paludoſis ad aquas deſides ſitis, concamerationes enim atomos ejusmodi cohibent, atque detinent ubertim quæ ſubinde pejus evadunt. Hinc Magni-Duces Ruſſici in ligneis tantum conclavibus per hyemem degunt, prandent, cœnant dormiuntque; Hypocauſta vero ad terram, febricitantibus maxime ardenti febre, item ſyncope, hæmoptyſi, capitis dolore vexatis accommodata eſſe ſcite pronunciat An-

tylus, item in calida & ſicca intemperie imprimis, ubi vicinum ſit flumen. Si & aeris maxima labes ſubſit, morbos contagioſos, malignos & imprimis peſtem proferens, conclavia inferiora probe occluſa præfert QVERCETANVS vid. *peſt. alexicac. p. 200.* quod vero paradoxum habetur, hac ratione caliditatis & frigiditatis etiam diſtinguenda ſunt ſecundum anni tempora ſc. in ſuperiori contignatione, conclavia æſtate ſunt calidiora, hyeme frigidiora &c. Sic ſi & eo intuitu ædificium in loco montoſo editiori ſitum eſſet, & hyemale tempus nimis frigidum, unde morbi, qui ex humorum denſitate naſcuntur, augerentur, ibi conclave in ſolo potius eligendum eſſet. Ex alia quoque ratione prudenter ſatis pro maniacis tale elegit COEL AVREL. *Lib. I. Cap. V.* ne furore correpti forte ſe præcipites dando necarent. Imo ſub aëre calidiſſimo & ubi refrigerandum, humectandum, & ſpirituum & humorum reſolutio, diſſipatio inhibenda præcavendaque eſt, & ubi aeris labes ſubeſt, & tempore morborum graſſantium, contagioſorum, epidemicorum, malignorum ex Arabum ſententia, ex æquo præferenda loca ſubterranea, quæ & ſanis ad ſanitatem tuendam, vitamque prolongandam apprime conferunt, ut docent id in antris, ſpeluncisque viventes, qui ſani, robuſti, proceri, longævi deprehenduntur, utpote aer inibi minus mutationibus obnoxius manet, a calore ſolis, non ita excitatus minus humores & ſpiritus conſumere poteſt, hinc & ſpiritus minus conſumunt. Conf. BACO DE VERVL. *V. & M. p. 536.* Hoc nomine adhuc antrum, ætasque Epimenidis vel ſi mavis fabula nota eſt. Præterea & animalia in latibulis ſubterraneis deliteſcentia adipe copioſa obeſa ſunt. Quamobrem illa GALENVS *10. Meth. C. VIII.* pro cura hecticæ & diabetes J. M. GRADI *p. 353.* elegit. Quoniam vero illa ut plurimum humida ſunt & vaporibus repleta, ob exhalationum retentionem incommoda eſſe poſſunt, ſicca quærenda ſunt & de perſpiratione liberiorisque aëris externi admiſſione quandoque cogitandum erit atque ejusmodi incommodis cavendum. Nec incommodum eſſet, ut tutiora ſint ea, ſi tabulis ligneis aut pannis inveſtirentur parietes. Alias etiam ibi eadem ſemper manet aeris temperies, contra vulgi errorem ſubterranea loca æſtate eſſe frigida, hyeme calida, quod certo thermometrorum genere adhibito edocetur atque legitur in PHIL. BVRGVND. *T. XI. Fr. 11. Diſſ. 1.* Lutetiæ Pariſ. in regii obſervatorii fornice ſubterraneo ultra 80. pedes alto aliquot thermometra per annos aliquot collocata liquorem contentum eandem fere altitudinem quovis tempore quavique tempeſtate in iis occupaſſe. Nobis tantum ſic videntur, atque ratio ſine dubio eſt, quod ſanguinis

guinis & ſpirituum activitas, temperies, in uno eodemque individuo ſeparatis temporibus variare ſoleant. Pariter conducibilius eſſet, ſi conclave morbis contagioſis ut peſte &c. plura contigua haberet ut frequens mutatio ac exſpatiatio fieri poſſit. Aræteus phthiſicos, tabidos perpetuo appetitu proſtrato & alvi fluxionibus pertinacibus & recurrentibus vexatos hydropicos, nervorum reſolutione afflictos morbo venereo caſtigatos. conf. HEIRNIVS *Meth. ad prax. cap. XVII.* Alii hos, ut & eos, qui putredine aliqua ſunt corrupti, ob ſal acidulum, blandum, volatile ex mari continuo exſpirans (unde vaſa aurea & argentea Venetiis aeri expoſita nigrorem contrahunt) ex terrenis locis in ipſum mare mittunt, quoniam aer marinus exſiccat ac roborat, unde & nautæ & piſcatores, marini quorum corpora cornea Plinius vocat, ab arthritide ſunt liberi; GALENVS vero ad Veſuvium, montem ut legitur *v. Meth. cap. 20.* tales ablegat. Pro iisdem montem Feſulanum Florentiæ vicinum & collem Maſſetanum, ad mare montemque qui Piſas inter & Lucam excurrit commendavit LEONH. JACHINVS *cap. XXXVIII.* ZACVTVS LVS. ad imitationem oppidum Luſitan. PALMELA dictum laudavit v. *Lib. VIII. Prax. hiſt. c. 10. obſervat. 2.* BAGLIVIVS *de Morb. ſucceſſ. p. 387.* memorat de ægro aſthmatico ad phthiſin vergente, qui quando ubi habitavit prope mare, bene ſe habuit, quando vero reliquit aërem marinum, & ad vicinos ſe tranſtulit campos, ſtatim aſtmate aliisque ſymptomatibus miſere correptus eſt. Carniolæ incolæ eos qui de doloribus in dorſo conqueruntur in certam arrugiam, ut & eos quibus aures dolent in aliam, quæ ibi inveniuntur, mittunt ubi ſanantur. v. VALVASSOR *Carn. P. I. Lib. IV. c. XV. p. 561.* Circa adducta audiendus adhuc eſt ORIBASIVS (*9. Collect. Cap. XI.*) *Sublimia* (inquiens) *loca, omnibus thoracis affectionibus ſunt accommodata & capite laboranti, & omnibus ſenſuum inſtrumentis: at loca humilia ante dictis non ſunt idonea his vero, qui per halitum digeruntur, qui in ſyncopas cadunt, & ſenibus apta ſunt: loca vero maritima hydropicis & quibus quævis defluxio moleſta eſt, accommodata ſunt: itemque ubi detergendum aut calefaciendum, aut aperiendum eſt, conveniunt.* Eandem ob cauſam ut ſcilicet ob hydropem, quo erat detentus, Heraclitus ſe liberaret in caminum ſe collocabat, fumosque excipiebat, quamvis haud exſpectato ſucceſſu, ſiquidem periit ibi aut ſuffocatus dilaceratus ac devoratus. Templa atque ſacella decubitus medici gratia jam apud nos, ut olim apud ethnicos ſuperſtitioſos, non frequentantur, qualem ritum de ſuis quoque temporibus Cicero & Plinius memorant, quo ægroti in deorum dearumque fanis maxime Aeſculapii, Minervæ, Iſidis, Serapidis immo-

immolatorum animalium pellibus involuti incubabant per somniaque potissimum remedia per oracula exspectabant.

§. VII. Conclavia ipsa non sint depressa, vel angusta, humilia & parva plurima ex parte utroque modo morbos non modo adgravantia, sed & mali vim divulgantia; ibi enim aëris paupertas & impuritas est & is suffocans quasi & pulmones male afficiens nedum satis expandens vel frequenti saltem respiratu nimium extenuatus, atque effoetus factus, quam rem optime persequutus est & claris experimentis probavit, aerem nimirum elasticitate debita sua privari in pulmonibus STEPH. HALES *in the Statical Escays Tom. I. in the Analysis in the Air, Exper: 108. p. 238. seq. & T. II. p. 323*, qui etiam affirmat aceto & salibus varii generis hanc elasticitatem aëri quadantenus reddi posse Vide *l. c. Vol. I. Exper. 116. p. 264. & Fig. 39.* Insuper & continentur, concentrantur, atque ad se invicem adiguntur reflectunturque miasmata magis magisque corrumpuntur ac putrescunt. Cerebro maxime adversantur, spiritus animales ipsos contaminant, varioque alio modo officiunt, inficiuntque deinde maxime calido existente aëre. Etenim corruptio in locis angustis aere coarctato ordinario producitur, adeo, ut quantitas corruptionis a quantitate aeris compressi dependeat plurimum. Hyeme aeque magna impendit exinde labes atque infectio, quoniam tunc temporis non aperiri fenestræ ad auram liberiorem captandam possunt. Proinde sint semper fere spatiosa, alta & perspirabilia, imprimis in morbis contagiosis, maxime ubi plures simul inibi decumbunt. De quibus videantur illi, qui nosocomiorum prospiciendorum curam gerunt, ne majus vitium ægris, ministrantibus adstantibus & accedentibus, immo Publico tandem enascatur. Quare & rationes medicæ & politicæ svadent, ne & medici, adstantes ministrantesque ejusmodi loca frequentius accedant neque diutius ibi morentur. Optimum tunc præservativum est, quoniam aerem partim ore, partim naribus attrahimus (juxta frequentem repurgationem, aquæ atque aceti respersionem & similia remedia) nares mungere & salivam sæpius exspuere, neque sæpius & fortius spirare, sed potius frequenter aerem e naribus rejicere neque multum loquendum ibi est, quia inter loquendum insensibiliter salivam deglutimus. In specie dicendum est, obesse arctam nimis cameram in hypochondriaca affectione atque in affectibus capitis, de quibus vid. SOLENAND. *Cons. M. p. 116. S. 2.* in cephalalgia & maxime in cephalæa, qua affectus loco amplo locetur expresse præcipit COEL. AVREL. *de Morb. Chron. Lib. I. cap. I. p. m. 271.* in stupore & paralysi id. *l. c. S. 2. p. 136.* Necessaria vero maxime

me ſunt alta & ſpatioſa cubicula in vitiis reſpirationis, in aſthmate, catarrho ſuffocativo, angina, diſpnœa &c. In arthritide, hyeme præſertim, in hypocauſtis degere depreſſis, malum pronunciat modo citatus SOLENAND. *l. c. p. 420.* Conclave quoque, in quo degunt vertigine vexati, ſit ſpatioſum longitudine præſertim, ne æger deambulans ſæpius vertere corpusque circumvolvere cogatur. Arctitudo cubiculi inſuper parturientibus partus difficilis labores adauget anxiasque eas magis reddit. Sique operationes chirurgicæ ut trepanatio & ſimiles adminiſtrandæ ſunt, locus ut calidus ac lucidus ita & amplus requiritur. Ulterius indicat id, quod per varia exempla ivimus explicatum, CELSVS *L. III. c. VII.* dum certos quosdam ægros maximo conclavi cubare & ut exercitium, unctio & balneum apud priſcos uſitatiſſima ibidem inſtituantur præcipit. Nam ipſius loci, in quo nimirum plurimus aer ineſt, in quo verſamur amplitudo ſpiritus animales atque humores, velut dilatare videtur, quandoque diſſipare, ſi reſolubiles ſunt atque reſolvere partesque relaxare, loci vero anguſtia ipſos coarctare, colligere, concentrare, (hinc & habetur illud: muſea ſint arcta). His prolatis addo acrem opacum, concluſum denſum qualis v. gr. carceris eſt tumores ac hydropes gignere apertum vero tenuem ac liberum febres procreare. Quo indicio ſimul apparet, ubi cubiculum arctum ſit præferendum quandoque & parvum, licet in genere modo ſuperius affirmaverim hypocauſtum ſpatioſum, altum & perſpirabile eſſe eligendum. Ejusmodi enim ut ad ſanitatem ſervandam commodiſſimum inhabitantibus eſt, ita pro ægrotis etiam ordinario aptiſſimum. Exemplum hujus exceptionis poteſt eſſe magna virium a nimia reſolutione ſpirituum debilitas. Sic NIC. PISO. *L. III. de M. C. & C. p. 225.* ſuadet in cardialgia ut conclave, in quo degit æger, ſit depreſſius; item ſentit & ſcripſit COELIVS AVREL. *de m. a. c. XXXVII.* de paſſione cardiaca. In ipſa ſalivationis cura ex SYLVII mente vid. *method. med. Lib. XI. p. 112.* locum anguſtum potius eligant, qui etiam pro calore debito ſervando, qui in hac neceſſarius, aptiſſimus eſt. Cum concamerata, fornicata, & rotunda conclavia ſalubriora alias æſtimentur, quia potiſſimum hæc conſtructio ad auram lenem excitandam plurimum facit, repercutitur enim ibi aër ad omnes lineas, motus. Cumque & illa conclavia feneſtris & januis plena ob aerem inæqualem exinde accedentem minus ſalubria æſtimentur, hæc quoque conditio poſſet ſpectari. Feneſtræ autem non caligent, ideo & ſint ſatis magnæ & politæ, latæ, altæ atque purgatæ. Pro maniacis feneſtris humilibus illuminatum conclave COEL. AVRELIANVM

ſigillatim damnare legimus *de morb. chron. Lib. I. c. V.* ne forte per eas præcipites ſe dare conarentur. Cumque parietes plus ad ſanitatem facere lateritios a VERVLAMIO credatur vid. *H. N. p. 954.* & craſſi optimi; luto coagmentati, tenues mali ſint, horum quoque rationem quis habere poſſet, qui vellet, & poſſet. Simul tamen expreſſius paulo iterum indicandum eſt, concava conclavia quia lapidea, tranſpirationem inſenſibilem facile ſupprimere & in febribus præſertim intermittentibus plerumque recidivam afferre, quare proſpiciendum & dicendum quoque hic eſt, parietes nudos & dealbatos cubiculi inde potius convenire, ibi, ubi refrigeratione ſit opus, tecti vero vel tabulis ligneis, vel pannis varie contextis, de reliquo magis ſunt apti. Hinc HIPPOCRATES *Lib. VI. epid.* monet: Nemo tentet ſudorem movere cubanti in cubiculo nudis parietibus. In morbis vero contagioſis maxime peſte, cubicula ægrotorum pannis, laneis, ſericisque, non ſunt obtegenda & exornanda, putrida enim fœtida effluvia atque contagium facile recipiunt, retinent & propagant, ut multæ ferunt obſervationes hinc inde relatæ ſicuti probatum ivit Diemerboeck, & per Panor mitannorum peſtem eſt confirmatum, quæ ex lana eo delata, quam Turcis Chriſtiani, ademerant, concitata fuit. Quare optimo conſilio a Collegio Sanitatis Hamburgenſium lege quondam cautum eſt, uti ex novellis accepimus, ne conclavia, ubi quis mortuus ſit, pannis, nigris laneis, exornentur, utpote qui facile incaleſcere & contagio contaminari poſſent. De reliquo OLAVS MAGNVS *in ſeptent. Gent. Hiſt. Lib. XVI. cap. LI.* ſcribit: ſcorbutum frigida humorum exhalatione foveri & inter tabulata eundem miteſcere. Pavimentum in morbis calidis lapideum, alabaſtrinum &c. in frigidis ligneum, aut pannis contectum potius expoſcitur. Qui alvi ſtypticitate laborant ſuper pavimentum nudis pedibus lapideum ambulent. Nota eſt obſerv. ex BRASSAVOLA *C. 9. tr. de purgat.* pertinaci alvi obſtructione laboranti Duci Ferrar. ſuaſiſſe Savanarolam, ut nudis pedibus ſupra pavimentum alabaſtrinum, aqua frigida prius conſperſum, obambularet, ac poſteaquam quinquaginta ſaltem paſſus greſſus eſſet Princeps, felici eventu alvum ſolutam fuiſſe. In ipſis hypocauſtis quibusdam quoque reperimus quædam adhuc, quæ officiunt, inter quæ modo nomino ahena & ollas, fornacibus alicubi combinatas, in quibus aqua contenta fornacibus calefactis fervet & ebullit ex quo humidi vapores reſoluti exſurgunt hypocauſtumque replent, certiſſime nocituri &c. Par judicium ſit de mala ea quarundam femellarum conſuetudine, hac occaſione quoque taxanda, qua linteamina lota, per hypocauſtum ſuſpendunt ac ſiccant.

§. VIII.

§. VIII. Internæ quædam adhuc aliæ conditiones conclavis ſpectandæ ſunt. Priusquam electum conclave quisquam ægrotorum ingrediatur, probe repurgetur, fœtores expellantur, ſi forte ſitum contraxerit, corrigatur, pulvis abſtergatur, impuritates ſordesque omnes abluantur, feneſtræ januæque apertæ per aliquod tempus ſerventur imprimis ſi diu concluſum nec inhabitatum fuerit, aer enim diu ibi & arcte concluſus peſſimus eſt, adeo ut illi qui cameras, ſpecus, puteos imo arcas vetuſtas temere aperierunt, aura venenata protinus ſint ſuffocati, de quibus exempla leguntur apud. ANT. CARTAGENVM *Lib. de febr. peſtil. fol.* 4. VALLERIOLAM. *Lib. II. Loc. Com. cap. II.* JVL. CAPITOL. *in vero*, CARDANVM *l. c.* Hinc domus & cameræ, quæ concluſæ manent neque inhabitantur, citius ruinam patiuntur iis quas homines inhabitant & libero aëre pervagantur. Omni denique modo bene præparetur, exſiccetur & vaporetur, quod omnium commodiſſime fit, igne in medio cubiculi accenſo: telæ aranearum, quæ uti ex obſervationibus conſtat. vid. FOREST. *obſ. L. VI. XXI.* contagium etiam promtiſſime recipiunt, diuque fovent, removeantur. Vana enim tantum illorum perſuaſio eſt, qui multum proficere in peſte eos credunt, qui araneas in ſuis ædibus atque conclavibus ſtabulisque ubique ſtabulare permittunt, ac ſi adtraherent atque abſumerent venenum aëris omne. Quare matresfamilias optaſſent ſibi, baſiliſci exuvias quas Pergameni olim in templo explicabant ſuo, ut fugarent araneas, vid. LOHENSTEIN *Armin. P. II.* vel ut ſua conclavia iſtam haberent inſitam virtutem ac templum illud in Carniola, de quo VALVASSOR refert in *Glor. Car. T. II. Lib. VIII. p.* 775. atque illud de quo Cardanus, loquitur, quod ſemper ab araneis illarumque telis maneant libera, quod & de curia Hagæ Comitis in Hollandia dicitur. Illi & cavent utilitati cubantium, qui muſcas, malos, culices & ejusmodi inſecta abigunt & fugant ex conclavi ſedulo, cum moleſtent non modo ſed & contagium ſimiliter morborum contagioſorum peſtis &c. & maxime dyſenteriæ graſſantis, facile poſſint deferre aliisque afferre, quia omnia fere excrementa deguſtare ſolent, ut per multorum obſervationes, notum eſt. Matresfamilias hic iterum iterumque ſibi optent ex Inſula americana S. Domigo dicta inſectorum volantium genus, quod Cucujos vocant, & quod Nürenbergius, ex ſcarabæorum familia deducit, hæc enim volantia animalia & noctu nitentia captant muſcas & culices omnes in domibus atque conclavibus, neque tamen infeſtant homines. Nec non ex cubiculis atque ſpondis exturbentur irrepentes pulices cimicesque olidi, aſſerum

rimas excavantes & internificantes fœturaque gregem supplentes, ut & mures, pavorem inducentes. Necessaria insuper ingerantur disponanturque, fenestris vela addantur, januæ umbraculo muniantur ut solis radii ac aër irruens forte averti possint. Hic moneo quod N. Piso *de M. C. & C. L. I. p. 36.* monet, parietes hypocausti pro phreniticis ita præparandos esse, ut leves sint, neque festucas, aut aliquid exerti habeant, ne ibi detenti delirio ducti, manibus illa arripere tentent. Hic memoria subit, quod in Austria, Silesia & Moravia, plebs pro ictericis cameram, parietes & lectum, axungiam ceti illinendo præparent sæpiusque id repetant, quod in curatiore icteri, pro euporisto habet, conf. Boccone *observ. curios. p. 461.*

§. IX. Cum autem non semper concessus sit aëris optimi & convenientis pro morborum conditione usus, quantum datum est corrigendus is & temperandus erit, trahendo semper in contrarium. Latus campus hic iterum panditur, occasio offert, præsens negotium suadet, aëris temperiem secundum singulorum morborum seriem eorumque causas describere, quoniam vero hoc longissimum foret, in generalioribus saltem consistamus terminis. Ubi in genere dicendum est, subcalidum aërem, in omni propemodum genere morborum ac statu requiri, ne transpiratio insensibilis adeo in omnibus necessaria ac utilis impediatur; verum siccus nimis calidusve aër, qui per particulas salinas sulphureas valde humores resolvit, bilem ejusque acrimoniam auget, exaltat M. S. nimiam ebullitionem exsuscitat, corpus exsiccat & humores dissipat, temperetur & conclave tunc subfrigidum sit, imprimis in morbis acutis, febribus ardentibus præsertim, quibus torrescentes ignem exspirant ut Aretaevs loquitur *de Curat. acut. Lib. II. c. III. p. 100.* quo aer in spiritus exinde æstuans, accenditur. Porro in inflammationibus hæmorrhagiis, hæmoptysi, hectica, dolore capitis, & ubi propensio ad apoplexiam & respiratio læsa est, in phthiriasi secundum Coel. Avrel. *de morb. chron. C. II. p. 497.* pavimentum ut & muri, frigida & aceto frequenter irrorentur, aquam fontanam e vase in vas frequenter transfundendo, lintea & pannos circa lectum frigida atque aceto madefacta explicando aut frondes, folia aut summitates & flores herbarum, fruticum, stirpium, arborum recentes, salicis, quercus, vitis lactucæ, sambuci, rosarum cichorei, buglossi nymph. populi cum gramine recenter carpto &c. aut simplici modo aut frigidæ aceto mixtæ mersa hæc refrigerantia per cubiculum conspergendo, solarium radiorum aerisque æstuantis accessum in ipsum conclave, vel cubiculum ad lectum & imprimis ad caput

put ibi degentium & cubantium quomodocunque arcendo, aperiendo feneſtras ſeptentrionem reſpicientes, meridiem vero ſpectantes claudendo &c. Tuncque cubiculum confert, non tabulatum marmore aut cœmentis ſtratum, vel excitatur flatus flabellis, quo notandum venit Sanctorii ſingulare organum, cujus beneficio, æſtivo calore æſtuante conclave frigidiſſimum reddi poteſt. Inveniuntur & imprimis in Magnatum Palatiis hinc inde conclavia, in quæ ad hunc finem vivæ aquarum ſcaturigines derivantur, ut frigida ex fontibus ſaliendo effluat. Hæc aeris ſiccioris temperatio facilior eſt, humidioris exſiccatione. Obſervatu ſæpius neceſſarium pariter & utile eſt, hypocauſtum refrigerandum ægrum tamen ſtragulis convenientibus bene contegendum eſſe, v. g. quando febrium vehementia miſeros urget angitque, & quos forte habitus denſitas premit, conf. F. VALESIVS *de Meth. med. p. 1141.* Præcipit GALENVS, *Com. 4. in 6. epid.* Calidi loco frigido dormiant ut frigidum aerem inſpirent, ſed ſe contegant ſtragulis calefacientibus ut calor ab interioribus ad cutim revellatur, vel potius ut calida effluvia circa corpus contineantur ac quaſi repellantur. Calidus vero & humidus, (nam humidus ſive ſimul ſit calidus, ſive frigidus rariſſime & ſubjectis & morbis convenit habita ſcilicet temperiei ratione) valde eſt nocivus; aer enim humidus ſi calor ei ſe jungit putredinem concipit facile, quoniam dilatantur pori per quos dein patentes, ipſi patet aditus, & partes ſalinæ, ſpirituoſæ aereæ corpus noſtrum a præternaturali ac putredinali motione defendentes abſumuntur, hebeteſque fiunt, ac ſimul tonus fibrarum partium ſolidarum marceſcit. Hinc caput & præſertim pulmones, imo ventriculus offenduntur, hincque & ſumma curationis febrium peſtilentialium exſiccatio eſt. Quare vapores humidi, ſive ii proveniant a lavationibus & eluitionibus conclavium, ſive a linteaminibus madidis circa fornacem expanſis, ut multarum mulierculaſum fert conſuetudo, ſive etiam ex aliis quibusvis cauſis, in locis anguſtis & concluſis ſunt maxime nocivi, catarrhos, apoplexias, affectus ſoporoſos, lethargum, producunt. Notabile in hanc rem ego quoque notavi hic Lipſiæ exemplum in ſtudioſo quodam, qui ligna humida, per noctem, ſub & circa fornacem in arcto muſeo calefacta ad exſiccanda repoſuit, ex quo mane lethargicus, in lecto eſt inventus. Ex fornacibus novis in cubiculo poſitis noxam ex vaporibus ſcilicet humidis vide apud W. FABRIC. HILD. *Obſerv. cent. IV. p. 386.* corrigit in conclavi aer commodiſſime igne, in camino accenſo. Inſervire quodammodo etiam poteſt infuſum veronicæ, meliſſæ, cichorii ſylveſtris, ſimiliumque

quæ caput & nervos roborant, aliaque remedia per conclave conſperſa vel expoſita quæ putredinem inhibent & avertunt, quæ ſub ejusmodi conſtitutione aeris timetur, vitrioli nitri, aluminis ſolutio a qua & cum aceto decocta. Optimum eſſet ſi is locus cum alio mutari aut, frigidioribus & ſiccioribus auris, poſſet perflari.

§. X. Aër frigidus (particulis aſperioribus conſtringentibus & ponderoſioribus premendo & conſtipando, ſpiracula cutis, effluvia excernenda, impediens, acidum augens acriusque reddens, ſanguinem inſpiſſans, bilem infringens, corpus refrigerans) & humidus (obtundendo & infringendo humores activos lentos & inertes augens) emendatur calefacto conclavi, lignis accenſis, in fornacibus aut in caminis, quod melius, nam ignis luculentus in eis accenſus, craſſum aërem magis dividit impurum (ſimulque aër ventilatur ac agitatur) depurat, perque hunc liber patet exitus. Atque per pavimentum herbas & flores calidos ſic dictos odoriferos, ut lavendulæ, ſalviæ majoranæ herbam ſerpilli folia lauri &c. diſpergendo, cubiculum moderate calidum per totam quoque noctem ſervandum eſt, præſertim in morbis ſic dictis frigidis & a ſeroſa colluvie oriundis tuſſi ferina, anaſarca, torminibus ventris, variolis, morbillis, purpura, & ejusmodi qui motu humorum ad exteriora ſolvi debent, &c. Hicque præſtat cubiculum undique aſſeribus tabulatum, quod ideo & in ſpecie ſcorbuticis ut ejusmodi conclavia inhabitent, commendatur. Ex Olao Magno *in Sept. gent. hiſt. Lib. XVI. cap. LI.* accepi, populos ſeptentrionales Suecos maxime hypocauſtis ligneis tabulis veſtitis ſe contra ſcorbutum quod vernaculum iis malum eſt, muniri, quoniam frigidæ murorum exhalationes eum fovent. Circa hoc calefactionis moderamen, iterum iterumque monendum eſt, quod in exceſſu ubique ferme hodie apud nos etiam peccetur. Communem errorem & ſonticum certe errat incautior plebs, quando more patrio, nimia ſollicitudine, ſtatim, ſi modo de leviſſimis moleſtiis conquerantur, non modo nulla habita ratione, lecto ægros affigendos urget, duplicatisque ſæpe illisque ſat ponderoſis lectis, illos obtegit ac premit undique circumjectis, ſed & hypocauſtum magno ignis fornacis gradu clauſisque feneſtris, vel media etiam æſtate ardenteque ſirio calefacit. In quibus prope fornacem intolerabilibus angoribus vexantur atque conficiuntur, macerantur, torrentur ac aſſantur præfocanturque languidi velut lectis igneis a Decio olim, inter tormentorum genera excogitatis, vid. Prudentius. *Hymno 4. v. 98.* Non habeo ambiguum & omni aſſeveratione & experientia non ſimplici convictus, affirmo, plures periiſſe, qui optime & certiſſime

tiſſime poterant ſervari, in morbis acutis, febribus ardentibus, exanthematicis, variolis, morbillis, & in illis qui ex principio ſalino acri cauſtico, oriuntur, malignis item lymphaticis & in genere in omnibus febribus ſymptomaticis, a dolore, putrefactione, a lochiis & ſecundinis retentis, a fœtu in utero mortuo oriundis morbis, in melancholia hypochondriaca, de qua vid. SOLENAND. *l. c. 1. p. 172.* Vertiginoſis pariter obeſſe nimium hypocauſti calorem vel ſolæ fœminæ hyſtericæ norunt, & rationibus probat idem *l. c. p. 8.* Maxime porro per calefactum cubiculum iis alienum eſt, quibus caput ex contentione & animi fatigatione imbecillum eſt, nec non iis qui ſanguinis profuſioni obnoxii ſunt. Taceo de aliis damnis, moleſtiis & ſymptomatibus ſomno impedito, apoplexia, paralyſi epilepſia & convulſionibus exinde pronatis vid. B. DE VIAS *in ſylva* & SENNERT. *P. Lib. I. p. II. pag. 31. p. III. 391.* de deliriis, mania, imbecillitate corporis, lethargo, hæmorrhagiis, hæmoptyſi, inflammationibus doloribus imprimis capitis, palpitatione cordis, anxietatibus circa præcordia, inquietudine, animi deliquio, viſus imbecillitate & obſcuritate &c. Nephriticis præ aliis noxam quoque affert ſi dorſum ſæpius igni aut fornaci obvertatur nimis calidæ. Natura enim nimii caloris hæc eſt, quod partes heterogeneas cum corpore mixtas non tam ſeparet, quam intimius ſæpius eas combinet atque conjungat. Dicto fidem facit experimentum illud chymicum v. g. ſal tartari ſulphure mixtum ſi tractetur igne, ſulphur non totum avolat in auras ſed firmiter implicitum manet cum particulis tartari alkalinis, quod color rubicundus, ſapor fœtidus & tinctura ſulphuris quam ſpiritus vini poteſt extrahere, luculenter evincunt. Rurſus ſi igne fundas, ſulphur vulgare, cum argento, ſtanno, plumbo, ſulphur, vehementiſſimo etiam igne non poteris iterum ſeparare, quin potius intimius remixtum maneat, & metalla iſta friabilia reddat. Amplius dicendum eſt, calorem ambientem nimium motum ſanguinis & humorum præter naturam maxime inteſtinum concitare atque in orgaſmum agere, ſpiritus effrenos reddere atque exſolvere, acrimoniam ſalino ſulphuream i. e. malignitatem, venenum procreare, intendere, augere, in actum deducere, quo enim atritio ſalium fortior, eo & majorem ſubtilitatem, penetrantiam & acredinem acquirunt. Tempore æſtivo in febrili intenſa ſanguinis commotione in febribus præſertim tertianis, ardentibus hecticis, excrementa acria ſalina & ſulphurea præter modum abundant & in corpore generantur multiplicanturque. Experientia teſtis ac vindex eſt, purpurarum, variolarum, morbillorumque puſtulas ac maculas promtius ſumere incrementum,

tum, quo magis calefiant ægri. Ad hæc simul meminisse e re erit, sanguinem & lympham æque nimio calore ac quiete & frigore cogi ac contrahi, quod variis observationibus compertum est. Conf. H. BOERHAAFE *in Chem. Tr. I. p. m. 274.* IOH. ARBVSTHNOTS Anglus in Tr. qui inscribitur: *Essay Concerning the Effects of Air on human. Bodies Cap. VI. p. 159. & Cap. IX. §. 32.* Regimen igitur moderate calidum sit nec ægris grave & æqualem semper servet calorem, qui omnium accuratissime beneficio thermometrorum haberi potest. Æger quoque ad ignem, ne nimis appropinquet, aut diu sedeat, juxta ipsum, maxime sumpto cibo & vultu opposito, imprimis si luculentus in camino est accensus, multo minus frequenter eum adspiciat, hebetat enim visum, & caussatur vertiginem, quod præ aliis, qui ex oculis illorumque hebetudine &c. laborant, teneant sedulo: oculis enim hæc tria maxime officiunt, ignis, sol atque ventus. Refertur Reges Persarum ad Regnum & Regimen perventos, fratres suos omnes, ut ad illud inhabiles fiant, visu privare, ferro candente, ante oculos diu posito. Quare dorso ad ignem converso cubent aut sedeant ejusmodi ægri; vel convenit potius aliquid, umbraculum quoddam igni & oculis interponere. Quin imo hoc in genere tenendum est, longe consultius illos agere, qui in hypocaustis ex fornacibus calefactis non cubant & dormiunt, sed cubiculum per apertam januam, per quam ad proximum hypocaustum calefactum itur, temperant, nam secundum ipsius HIPPOCRATIS sententiam *4. Sect. Lib. VI. Epid. t. 1.* somnus in cubiculo non calefacto, modo corpus bene sit tectum, potius laudatur pro sanis pariter atque ægrotis. Idem innuisse videtur A. C. CELSVS *Lib. I. cap. IX.* sequentibus quidem verbis: *Erectior mens est & melius concoquitur, ubi frigus quidem est, &c.* Certe longe salubrius si pulmones & sanguis etiam tempore hyberno, refrigerantur, si in loco paulo frigidiori dormitur. Denique non plane supervacaneum erit monere, ne conclave sit noviter calefactum, quoniam tussim, phthisin inde ortas esse, medicæ observationes loquuntur, ac ut fumus fornacis atque carbonum avertantur qui, suffocationem parere possunt, juxta HILDANVM *Cap. IV. obs. II. fol. 22.* & AMAT. LVSIT. *Cent. 7. curat. 33.* Si de frigido & sicco aëre in conclavi temperando, hic quoque quoddam legere velis, consilium FORESTI vid. *obs. Lib. IV. obs. 6. p. 117.* legas, qui in cura febrium hecticarum jubet, ut calidæ aquæ parietibus adspergantur.

§. XI. Pro alterando ac corrigendo medicabilemque reddendo aëre (cujus alteratio arte instituta plurimum certe potest, tum ad vitam pro-

protrahendam, tum ad morborum caufas evincendas) porro fiunt odoramenta, irrorando cubiculum fuaveolentis, aquis deftillatis, lintea intincta (quæ apud Italos hodie adhuc præfertim frequentiffimi ufus funt,) circumtegendo & expandendo, fornacem calefactam confpergendo, illinendo pariter unguentis fuaveolentibus. Apud nos hodie ufitatiores funt fuffitus, vapores fumique excitati, ex fuccino, benzoe, thure baccis juniperi foliis lavendulæ & fimilibus, qui & alias ex variis in variis quoque morbis commendantur, ab ipfo Hippocrate, jam dudum commendati: Odorum enim ficuti in morbis procreandis, adverforum abufus, ita gratorum ufus in medicina non paucus eft, ubi præcipue excitandum, refocillandum, incidendum, aperiendum, refolvendum, expellendum, fiftendum, roborandum quin & humectandum & exficcandum ut enim morbos imo ipfam mortem fubito poffunt excitare ita & fubito opitulari & vitam uno fæpe momento reducere: Adeoque Medicis fumos vendere licet. Hi enim non tantum ad fuperficiem corporis tranfeunt verum & intimius per nares, aures, fauces, uterum, anum omnesque corporis poros ad humores atque ipfos fpiritus animales conf. N. PISO *Lib. I. de M. C. C. p. 41.* & HELMONTIVS *Tr. Im. ferm. imp. m. fem. §. 16.* recipiuntur. Cui ignotum effe poteft in lipothymiis languentes evanefcentesque fpiritus animales fragrantium odore revocari inftaurarique: Sed horum ufus ab ufu hodie fere receffit. De iis HIPPOCRATIS hæc cenfura eft: odores implent, oblectant, placant *6. epid. aph. 14. Sect. 8.* hocque monitum, oportere medicum odorum fpeciem fcire, commutare & qualibus uti opus fit in quacunque occafione judicare. Memorandum inter exempla hujus rei, quod multi morbi a multis medicis fuffumigiis folis curentur, ut funt catarrhi quidam, quos frigidos vocares & falfo, acido, acres, tumores, fluxus varii generis, dolores, epilepfia, capitis gravedo & dolores, aliique capitis affectus frigidi dicti & foporofi, angina pituitofa, infarctus quandoque pulmonum, afthma & orthopnœa, empyemata. Sic & LANGIVS *in Mifcell. curiof.* fuffituum evaporationes, tam infpirando naribus, quam hianti ore excipiendo eas, fumme proficuas in tabidis expertus eft atque phthificos defperatos fuffitum ignis, ex auripigmento exempli gr. rite præparato &c. folis curatos affert HEVRNIVS *method. ad prax. cap. de fuffitu.* Non adducam jam pluribus, quod ad hoc trahi poteft, furnariæ exemplum apud Matth. de Gradibus qui per hunc infpiratum ficcum furni aërem XXVIII. per annos phthificam quandam fupervixiffe teftatur. His inter alia utile præfertim eft, fi in camino cefpites bituminofi fulphurei

(Torff) comburuntur. His Batavi acceptum referunt, quod a phthisi fere sint immunes. Alii de aliis idem referunt, ut de suffocatione hypochondriaca D. SENNERT. *Lib. V. instit. P. 3. S. 3. Cap. XXXI.* WEKER. *Lib. I. antid. general. Cap. LIII.* menstruis mulierum & lochiis suppressis & nimis fluentibus. HIPPOCR. *Sect. V. aph. 28.* M. A. SINAPIVS *in Paradox. med. p. 80.* videatur de curatione strumosorum per fumum exceptum. Præter Autorum variorum testimonia experientia quotidiana de multis adhuc aliis idem testatur, ut de prolapsu ani & uteri hæmorrhoidibus, tenesmo, lue venerea, ulceribus aurium, narium, oris, uteri &c. Sic IOH. LERIVS *in hist. navigat. in Brasil. Cap. II. p. 201.* admirandas peti in variis morbis virtutes odoretenus applicati, miris laudibus extollit. Notatu in hanc rem dignissima sunt, si vera sunt, quæque de Abderita Philosopho Democrito ex Diogene Laërtio tradunt eum, annum nonum supra centesimum agentem vitam qua triduo ex solo panis calidi, vel secundum Joh. Alexandr. & Oribasium mellis odore conservasse: & quod PLINIVS *Lib. VII. Hist. N.* refert: Astomorum gentem ex solo vivere odore. Similem historiam PH. MELANCHTON, recitavit, mœchum fame enecandum, per multorum dierum spatium in carcere, nidore carnis assatæ, quæ quotidie, ad pœnam augendam, offerebatur, vivum fuisse servatum. Equidem reor, aëris influxum & qualitates ejusdem, ad spirituum animalium generationem, conferre plurimum adeoque etiam odores fortes atque fragrantes spiritus vigorem spirituum animalium totiusque corporis vario modo variasque per vias augere ac instaurare, licet de nutritiva eorum vi, quam historiæ, modo recensitæ indicare videntur, quædam eaque haud exigua difficultas mihi se objiciat. Non vacat autem jam difficilem eam censuram adducere, an ejusmodi odoramentorum effluvia volatilia & subtiliora per nares & fauces una cum aëris quadam portione, pro spirituum animalium elaboratione immediate, cerebrum ingrediantur atque materialiter, ad spiritus formandos, concurrant, aut an vellicando saltem & stimulando agant, quam priorem sententiam cum ipso Hippocrate Galenus, Vesalius, Laurentius, Columbus, Varolius, Bauhinus, Fracassatus ex anatomica scientia probant, posteriorem vero H. N. Hyghmorus variis argumentis asserit, conf. cui volupe est VERVLAMII *Histor. natur.* Si hic curiose quæras, cur gratus odor magis recreet quam amœnus color, illius vero idea non ita diu persistat ac hujus, hoc tibi responsi loco habeas quod hoc dubio sine sit, a corporum striatorum & thalamorum nervorum opticorum, diversa consistentia. Varias pro variis suffimentorum formulas

mulas reperies ſufficientes apud DEKER. *in exercit. med. pract. Cap. II.* Pro iis qui catarrhis laborant, cubitum ituris, culcitras odoratis & fragrantibus aromatibus, ſedulo apud nos etiam mulierculæ ſolent ſuffire. Hæ ante ſomnum lectulorum ejusmodi ſuffumigationes, veteribus præcipue ſolemnes erant, non vane credentibus, per eas, commodam requiem comparari, diuturnas curas ac moleſtias eas impedientes relaxari, phantaſiam placari, inſomnia moleſta impediri &c. Huc ſpectat quando in variis morbis, variis conſpergere ac conſternere cubiculum practici ſuadent, v. gr. pro hæmorrhagiæ obnoxiis, phreniticis, maniacis vid. P. SORBAIT *M. p. 34.* item in cardialgia &c. aceto, aqua roſacea, & foliis vitis nympheæ, myrti, quercus roſarum foliis ſalicis præſertim & vitis quæ per conclave conſperſæ ſalacitatem extinguere, creditur, quare & arbores caſtæ hæ dicuntur, unde & ejus folia quondam a fœminis in urbe Athenienſi ad cuſtodiendam caſtitatem cubiculis inſternebantur in Theſmophoriis, quæ Cereri ſacra erant, ut perhibet quidem DIOSCORIDES *Lib. I. cap. XXXV. p. 70.* ſed an eventus etiam opinioni ſemper reſpondeat, nemini ſe prædem præſtitit, nec quoque potuit. Ego equidem nemini facile ſuaſor eſſem, ut hanc ſponſionem iniret. PISO *L. C. C.* in lethargo per conclave, thym. pulegium in ſtupore THEODOS. *in Ep. Med. p. 331.* majoranam ſiccam & cort. citri ſpargere, in melancholia hypochondriaca I. MANARDVS *Ep. 4 Lib. X.* per cubiculum res odoratas ſterni & ſuſpendi ſuadent. Practici alii aerem ſuaviter olentem in palpitatione cordis, commendant. Parantur & alias commode candelæ medicinales & fumales ex reſina balſamo ſulphuris, variis additis carbonibus ſalicis, glutine ichtyocollæ mucilag. tragacanti quæ lenem, ſed continuum emittunt fumum & odorem longe lateque ſpargunt atque pervadunt aërem, emendant & corrigunt. Huc pertinet CAR. DREBELII ſingulare inventum, quo aerem effœtum animare & ſale quodam volatili oleoſo imprægnare ſatagit; quod ulterius explicat PECHLINVS *in meditat. de aëris & alimenti defectu & vita ſub undis Cap. IX.* Monendum tamen eſt, ut eligantur odoramenta cuilibet grata, individuorum cum hic mira obſervetur diſcrepantia miraque idioſyncraſia cum quibusdam nauſeam quædam excitent, aliis alia ſuffocationis & animi deliquii aliorumque incommodorum periculum inferant: Sic de noxio roſarum odore qui hyſtericis alias mulieribus ordinario eſt inviſus SENNERTVS *T. I. Lib. V. Sect. 6. cap. III.* O. TACHENIVS *in Hippocr. chym.* legendi ſunt Levin. Lemnius De Arabibus dicit eos ob nimiam roſarum fragrantiam, qua Arabia redolet adeo affici ut male olentia pro optimis

 bal-

balſamis quærant ſibi. SCALIGER *exercit. 153. Sect. 10.* Cardinalis roſarum odore demortui, meminit, qualia exempla plures hinc inde notarunt Conf. & PIERIVS *Hierogryph. Lib. VIII. in ſcarabæo &c.* Nec ſubticendum, fumum denſiorem nimis ex optimis, licet ſpiritibus animalibus obeſſe. Quare conſultum eſt ſi ita res ferat ut fumum, in conclavi excitatum prius ſinant diffundi antequam in illud ſe recipiant. Illum BONETTVS *Merc. Comp. p. 75.* recte in omnibus morbis a fumoſis vaporibus excitatis v. gr. ab opiatis incaute aſſumtis, carbonibus fœtentibus, cereviſia & vino deſpumantibus metallorum vaporibus croci ſimiliumque vaporoſorumque effluviis &c. item & præcipue quidem in morbis pectoris & vitiis reſpirationis variolis morbillisque catarrhis calidis ſic dictis oculorum morbis, pleuritide peripneumonia, hæmorrhagiis, internis, alvi fluxionibus bilioſis, arthritide &c. damnat, quoniam, ejusmodi irritatione ſua ſimul irritat. Nec commoda talia ſunt gravidis, ſenibus macilentis morbis debilitatis & extenuatis in ſuppreſſione menſium a calida ſic dicta cauſa, ubi frigida potius proſunt. In genere corporibus bilioſis, calidis, ejusmodi ſuffimigia, odoratu potius nocent. Addo illa minus quoque locum in hyſtericis, & quibus caput infirmum eſt & debile, quibusve dolet quosque apoplexia præſtolatur & affectus ſoporoſi invenire. Odor præſertim hoc nomine caryophyllorum & florum narciſſi, vid. LANGII *Epiſt. Lib. XI. p. 690.* & levcoji lut: vid. GREG. NYMANN *lib. de Apoplex. fol. 304.* ſuſpectus habetur. Ejusmodi enim vaporoſa vaporoſitate ſua elaſtica, diſtendunt nimis tenuiſſima cerebri vaſcula. De aliis alii referunt v. gr. EHRENF. HAGENDORN *Cent. III. hiſt. 84.* juxta alios obſervatores lethalem effectum, ex ſeminis hyoſcyami ſuffitu pro dentium doloribus ſiſtendis, notavit. Hyſtericis præſertim potius graveolentia & minus grata conferunt pennæ, cornua &c. accenſa, ideo, quoniam irritant & excitant fortiter & reſpirationem augent, quo veroſimile eſt morbi cauſam excuti. Pariter non inſtituenda ſunt temere, aëre ſicciori & calidiori, calida nimirum ejusmodi ſuffuinigia. Tunc ſecundum quorundam conſilium frigida ſic dicta potius igni injiciantur vid. TH. BARTHOL. *Ciſt. Med. p. 221.* ut malorum & pyrorum mali & cotonei putamina, roſæ, violæ ſantalinum lignum & ſimilia. Rurſus apud multos recepta opinio invaluit: vid. VERVL. *H. N. Cent. X. p. 650.* Morborum contagioſorum, tempore odores ex floribus nimium ſuaveolentibus v. gr. liliorum alborum in conclavibus ſervatis, ſæpius nocentiſſimos eſſe. Annecto paucis adhuc ejusmodi odores ſuaveolentos, tamen intenſos epilepſiam provocare vid. THEODOSIVS *l. c. p. 369.* & ma-

maniacis obesse cum annotatum sit, illos aromatum exhalationibus efferatiores reddi. Copiosam aromatum bene olentium exhalationem tres nautas obruisse ac suffocasse MERCVLINVS memorat. Confer. RIDLINI *Lin. Med. p. 23. An. 2.* Taceo de particularibus magis v. g. quando fumum ligni sambuci herniosis valde obesse perhibent vid. JOH. ANGLICI *Pr. L. XI. p. 936.* &c. Circa horum suffituum administrationem adhuc etiam hoc notetur, primum eos equidem ordinario fere gravius ferri homines, mox autem facilius, quare ne nimium curent aut metuant prima forte pulmonum detersione facta.

§. XII. In specie indicandum est, tempestatibus caliginosis, nebulosis, humidis, pluviosis, aëre fœtoribus forte inquinato & maxime sub infecta, pestifera & contagiosa constitutione, aërem ut plurimum corrigendum esse frequentioribus & quotidianis suffumigiis, cum thure, mastiche ladano styrace, benzoe, succino fl. salviæ, lavendulæ, menthæ, hb. angelicæ absinthii, sulphure, nitro, pulvere pyrio, baccis junip. & similibus vel etiam acetum simplex aut rutaceum &c. spiritus acidi sulphuris, vitrioli &c. lateribus ignitis superfundantur. His institutis si commoditas sic ferat, fenestræ rursus aperiri possunt, ut discutiantur, ob quam rationem & de die commodius fiunt. Pavimenta aliquoties & quotidie conspergantur acetis prophylacticis, infusisque rad. angel. imperat. allio, hb. scordii rutæ major. orig. lavend. cubeb. & similibus. Hunc in usum egregia æolipila est, quæ in conclavi posita liquoribus fragrantibus & alexipharmicis ad dimidiam circiter partem repleta ignique pro vento artificiali efficiendo admota. Juxta hæc fiat luculenta ignis flamma ex lignis resinosis v. gr. juniperi, pini abietis fagi quercus, fraxini aliisque, adeoque tunc caminus merito fornaci præfertur. Quæ omnium potentissimo remedio Hippocrates Athenas peste liberavit quem alii bono effectu subsequuto alibi sunt sequuti ut etiam plura exempla referunt ORIBASIVS *sympos. Lib. VI. cap. XXIV.* AETIVS *Lib. V. de remed. c. XCIV.* PLINIVS *Lib. XXXVI. nat. hist. cap. ult.* PLVTARCHVS SVIDAS &c. Cavendum tamen ne viridia ligna, quæ concremata copiosum madorem exsudant & magis adhuc putrida ligna, in ignem conjiciantur, quod pessimum merito habetur. vid. BONETI *Polyalth. P. I. p. 440.* Mulierem ex igne succenso, ex putridis lignis in balneo animi deliquio correptam esse recenset GALENVS *2. aph. com. 41.* Hanc noxam sic forte inductam corrigent baccæ lauri folia rorismarini, flores lavendulæ succinum similiaque igni succenso injecta vel odoramenta, ex ligno aloes, ladano, styrace, sandaracha, benzoe, caryophyllis, nuce moschata &c.

Atque ejusmodi eligantur, quæ non fumum, sed copiosam flammam reddunt. Egregia certe ignis virtus, in multis, ut ipse resplendet. Nec est obscura ratio: ignis enim motu rapidissimo subtilissimæ materiæ, stimulo quodam potentissimo, in corpore humano, motum vividum instituit, quo humores solvuntur, dimoventur, attenuantur corpora, obvia mutantur &c. quod ex multis chymicis operationibus edocetur, quæ varia varie concreta mutant alterantque. Hocque suo celerrimo motu simul aërem ventilat ac purgat, omnes vapores noxios exturbando, & partes balsamicas oleosas, salinas volatiles, spirituosas, acidas &c. lignis concrematis ei ingerit. Verbo ignis corrigit aëris quietem, gravitatem & intemperiem. Notior res est, quam quæ peculiarem commemorationem commereatur, lue pestilentiali grassante, tormenta bellica, pulvere pyrio oppleta, sæpius explodere, quo remedio solo, Tornacenses Lev. Lemnio memorante civitatem suam a peste immunem præstiterunt, atque ignes luculentos instruere, non solum in conclavibus, ædificiis, sed & hinc inde in plateis e re esse; Namque hoc in genere verissimum est, si vitio aëris morbi grassantur, id non nisi vento aut igne posse corrigi. Autor est MARS. FICINVS *epid. antid. cap. XXIV.* accensis facibus carbonibusque bene succensis & manibus assidue gestatis ab illis, qui peste correptos invisunt, eosdem tutos reddi: Cæterum, & in aliis luculentus ignis in cubiculo laudatur. Svadet NIC. PISO *L. I. de M. C. & C. p.* 77. in convulsione ex repletione quam vocat, in conclavi continuum servare ignem; imo ignem ab utraque lecti parte succendere. Egregiam hanc ignis virtutem præter hæc & offendimus in ustionibus veterum ut admirabilis HIPPOCR. *L. de int. affect.* PLIN. AEGINETTA *Al. Trall. L. VIII.* ALPINVS *de Med. Ægypt.* aliique habent. Multus in primis in hoc argumento est. M. A. SEVERINVS *in Pyrotech. Chirurg.* In cauteriis actualibus nostro adhuc seculo usu perspectis quibus & moxam Chinensium similem fungis olim Græcorum, vid. Cornarius, adeo decantatam accenseo, cujus eximium usum igni plurima ex parte si non soli adscribendum esse tantum non reputo. Ob argumenti similitudinem addo, quod VALVASSOR *in Descr. Carn. p. 156.* semetipsum vidisse tradit: nempe in monasterio quodam Carniolæ globulo crystallino servato collectis radiis solaribus maniaci in fronte aduruntur, unde mox profundo somno immerguntur, a quo dein expergefacti, pristinæ sanitati restituuntur, E converso fere Itali farragine ignita utuntur, ad depellendum soporem, de quo conf. R. LENTILIVS *in miscell. P. III. p. 220.* Dies vix sufficeret, admirandis ignis virtutibus fere infinitis recensen-

censendis; hoc tantum primario jam indicabo igni accenso, & liberiori virtutem esse, agere in venena illaque edomare, elicere, eliminare ex corpore per combustionem juxta atque eminus, Conf. Illustr. BOYLE *Exper. Phys.* Sic vulnera ex venenatis animalibus illata, si candenti ferro urantur, veneni expertia fiunt, & quælibet venena cum uruntur & in cinerem rediguntur, venena esse desinunt.

§. XIII. Eundem in finem Quercetanus, Follinus, Ranchinus &c. pro contagio sc. avertendo suadent in conclavi, calci vivæ frigidam affundere, imo alii ad avertendas aëris injurias & contagium parietes, muros, de novo, calce tectoria obducunt & omnia undique spiracula januarum, fenestrarum &c. vel eadem vel bitumine, cera &c. obturant. Prospiciant simul tamen debite, ne ex altera parte forte noxam contrahant, cum non minus notum sit, calcem maxime & gypsum hac ratione, exhalationibus causticis, per inspirationem haustis, non pulmonibus solum, sed & sanguini & lymphæ imo spiritibus animalibus adversis illosque turbantibus, condensantibus viasque per quas fluunt stringentibus, haud simplicem saltem tabem sed & phthisin consumentem affricare. SORBAIT hinc opinatur vid. *Med. Pract. T. I. cap. XLIII. p. 323.* ob hanc calcis copiam aëre sicco atque ventoso phthisin in Austria esse frequentiorem. Experimur item hæc effluvia fortem sternutationem, vertiginem; oculorum ruborem, passionem hystericam paralysin earum, apoplexiam, capitis dolorem, febres acutas, lentas, hecticas, phrenesin, peripnevmoniam, præcordiorum angustias infarctusve pectoris, præfocationes faucium, sitim, languorem virium, scorbutum, catarrhos, rheumatismos, imo sæpius mortem repentinam inferre ut præter obvias observationes exinde periisse Jovianum Imp. R. vid. A MARCELL. *L. XXVI.* Valer. Max. & Baco. de Verulam. Sylv. Sylo. Q. L. Catullum vid. V. PATERCVLVS *L. I. c. LVIII.* Hermocratem ex HIPPOCR. *3. epid. ægr. 2.* Scipionem Aemilianum ex EVTROPIO ALBERT. *Marcb. Brand.* Casimiri Filium &c. ex historiis accepimus. Simili modo effluvia fugienda ex vernice aut pigmentis variis recenter obducta. Hoc eo magis sedulo prospiciendum est, cum nec minus notum sit, conclavia pigmentis æque oleaginosis fœtentibus de novo, ac calce obducta, per plures menses, imo annos hunc retinere ac spargere fœtorem si forte diu clausa maneant & aër humidus subsit &c. conf. de hoc RAMAZZINVS *de morb. artif. Cap. XXIV.* hinc saluti quondam lex ea Romanorum fuit multis, ut ex PLINIO constat *L. XXXVI. H. N. cap. XXIII.* qua cautum erat, ne intra tres annos noviter exstructa ædificia inhabitarent.

§. XIV.

§. XIV. Ut fumi candelarum sebacearum maxime fumosi atque foetentes mirum in modum aërem in conclavibus conclusis alterant & sanitati nocent praecipue si nullum caminum vel supra fenestras spiracula habent: ita illi ex iis non bene exstinctis, magis adhuc nocebunt. Etenim ut exempla declarant recenter extinctae, lipothymiam, syncopem, asphyxiam, suffocationem ac passionem hystericam, nauseam, vomendi conatus imo mortem repentinam ipsam causari possunt, effluviis suis foetidis, quae naturam veneni obtinent salino sulphureis & oleaginosis quae prae reliquis suffocandi vim habent, & quae tangendo narium nervos, spasmos producunt. P. AMMANNVS *in medic. Critica p. 367.* recenset, foeminam Lipsiensem, in confectione cerearum, in conclavi undique clauso occupatam, propter fuliginum attractionem, in catarrhum suffocativum, incidisse. Imprimis gravidis adversissima haec sunt, dantur enim mulieres adeo tenerae constitutionis, ut vel candelae non bene exstinctae nidore, abortum patiantur, viditque earum multas Libautius; nec aliis ejusmodi exempla ignota sunt. ARISTOTELES jam annotavit *Lib. VIII. histor. animal. c. XXIV.* inter caeteros foetores gravidis praecipue obesse extinctae lucernae fumum. PLINIVS *N. H. Lib. VII. c. VII.* idem refert & ei occasionem fragilitatis humanae reminiscentiam sistit sic loquitur vel de ea potius conqueritur: *Miseret profecto atque pudet aestimantem, quam frivola sit animalium, superbissimi origo, quum plerumque causa abortus fiat odore lucernarum extincto.* Hi pessimi fumi eo magis aegrotantibus perniciosi, atque maxime apoplexia, paralysi, veterno tremore & similibus morbis correptis, & capite infirmo, respiratione difficili praeditis, epilepticis, hystericis, catarrho suffocativo asthmati & aliis pulmonum & cerebri morbis obnoxiis. Singulariter praeter recensita oculis etiam adversantur & visus hebetudinem inferunt, Hinc etiam eo minus accendendae candelae, forte ex molliori impura pinguedine paratae vel sevo, ex animalibus minus sanis, vel ex iis, qui morbo interierunt, hae enim graveolentiam, & nidorem spirant hominibus nocivam, de qua re conf. SOLENANDER *Consil. p. 462. & p. 492.* Candelae quoque graviorem & acriorem spirant odorem, ex sevo bovillo & suillo quam ex vervecino. Lampades pariter ex oleo imprimis nucum & rancido paratae pessimae sunt, quarum fumus aeque cephalalgias, vertigines, stupores, affectus soporosos, & similia mala modo nominata infert, quod exemplo RAMAZZINVS *in Tract. de Morb. Artif. Cap. XV.* declarat. Quare (ut obiter, quod mihi in mentem venit scribenti, adscribere liceat) proprietatem commodam obtinere templum illud in Carniola

VAL-

VALVASSOR *in Gl. Carn. T. XI. p. 757.* dicit (ſi res ita ſe habet,) quod nullam candelam ex ſevo & oleo, ſed ex cera tantum accenſam patiatur. Omnis enim ex pinguedine aliqua graveolentia peſſima eſt. Id diſcriminis etiam in ellychniorum materia ponunt, & ex goſſypii filis ducta & juncorum medullam pro lampade conſtruenda potius, quam ex cannabis vel lini filis, & pura, elota, candida potius quam craſſa, impura, ſordida volunt. Confer. SOLENAND. *l. c. S. V. p. 462.* Omnium optimo vero inſtituto omnis candelarum & lampadum fumus per tubam foras educendus erit. Alii quoque fumi æque nocivi ac illi modo nominati ſedulo avertantur in cubiculis ægrotantium ad quos varia ſubinde adſtantium & miniſtrantium quædam negotia occaſionem ſuppeditant. v. gr. ex accenſione candelæ ſulphureæ in cubiculo maxime oritur fumus qui acidus, narcoticus & ſuffocans eſt, ex quo inibi cubantibus læſio haud exigua contrahi poteſt. Multo magis adhuc nocebit fumus craſſus & fœtidus carbonum maxime lignorum ardentium, quæ non raro pro variis ſcopis in conclavia ægrotantium ingeruntur, qui fumus maxime ſi pinguis quædam materia, ut ſæpiſſime fit, quando ſuper illos eſcæ præparantur & calefiunt, incidit, vi ſua ſuffocativa ac narcotica pulmones proxime ac dein ipſum cerebrum illicque vaſa lædit præternaturali diſtenſione, aëris purioris & tenuioris acceſſum impediendo, elaterem & ſyſtolen arteriarum ſubtiliſſimarum in meningibus cerebri infringendo tollendoque ſicque ſanguinis ſtagnationem & congeſtionem, tandemque corruptionem efficiendo. Monſtrant has noxas ſymptomata ex obſervationibus ejusmodi collecta, vertigo, cephalalgia, aphonia, movendi impotentia, animi deliquium, mentis alienatio atque ſenſuum motuumque omnium oppreſſio & torpor; profundus ſopor. Triſtis hujus eventus exempla collegerunt AMATVS LVSITANVS *Cent. VIII. curat. 33.* FORESTVS *Obſ. IV. Lib. IX.* MARCEL. DONATVS *Hiſt. memorab. p. 107.* SOLENANDER *in Conſil. Sect. V. p. 461.* WELSCHIVS *in Sylloge curat. & obſerv. 54. p. 173.* LOSSIVS *in Obſervat. Lib. I. obſ. 26.* RAMAZZIN *de morb. artif. ſuppl.* LANCISIVS *de ſubitis mort. Lib. I. cap. IV. obſ. II. p. 136.* *L'Hiſtoire de l'Acad. des Scienc. Ao. 1710. p. 727.* ubi ſimul legitur in cadaveribus hominum hoc fumo lethifero enecatorum cerebrum notabiliter affectum inventum atque meningum vaſa nimium ſanguine diſtenta infarcta ac inflammata viſa fuiſſe. Præfocati ſic ſervantur ſi modo extemplo ex hypocauſto fumido & concluſo in aerem liberum transferantur, & artus præſertim plantæ pedum fortiter pannis aſperis fricentur aut etiam vena in brachio ſecetur.

 §. XV.

§. XV. Juxta hæc, jubente Hippocrate ut circa ægros omnia munda esse debeant, iterum iterumque priusquam æger ingrediatur, repurgetur, scopis everratur, frigidaque conspergatur aqua, (ex qua alteratione etiam non parum ægroti reflecti deprehenduntur) conclave, fenestræ ad perspiratum aperiantur, rite tergeatur illudque purum & mundum semper servetur sordes fœtoresque imprimis, cum cubicula ægrotantium ordinario certo modo, fœtorem spargant, diligenter sæpiusque & quotidie ejiciantur, abstergantur, abluantur longeque ab ædibus projiciantur, quisquiliæ, vel, quod tutius adhuc, concrementur ibi; præprimis in morbis contagiosis, omnium maxime vero in dysenteriis aliisque similibus excretionibus notatis quæ non nihil de spiritu vitali participant, quo mediante, mutua conservatur sympathia. Fœtore enim & effluviis copiosioribus suis nocivis morbidis, quæ perniciffime per totum conclave se diffundunt, hæ pessimæ sordes & corpora vicina afficiunt contagio. Mundities vero & non parum spiritus recreat & infectioni resistit atque ad sanitatem tuendam instaurandamque plurimum valet. Præterea in variolis & morbillis, nil magis nocet, quam fœtor ejusmodi. Nam fœtor haud raro tantus est in ægrorum hypocaustis, ut vix libere spiritum ducant, hinc senties ibi varios vapores adversos, non solum illos, qui ex ipsis ægrotis exhalant, sed & qui aliunde subinde accedunt. Præsertim tum & sæpius videbis magna oborta nausea, detentos in lectis diu impuris, scrofarum instar involutabulis cœni, hinc inde moventes sese, olfacies, quos ulcera putrida spirant, quos fæces excretæ excitant, offendes illos, quos cura neglecta, exsiccatio linteorum sudore perfusorum, coctio, præparatio remediorum alimentorumque & similium causantur, quæ plurima non modo appetitum perdunt, (cum inter convivalia oblectamenta mundities princeps sit) sed & miasmati morboso transvehendo causam, occasionem ac vehiculum præbent. Seorsim hic mentionem faciam observationis, quam D. FASCHIVS Jenensis affert, vid. ejus *Disput. de morbo hungarico p. 17.* quod nempe cibus in conclavi febre maligna laborantis & demortui præparatus & assumtus miasmate morbido imprægnatus, quendam, eodem morbo mox affecerit. Intempestiva tamen quandoque conclavium repurgatio & abluitio nocumento esse potest. Notabilem de hac re observationem TVLPIVS adducit *L. IV. c. LII.* quod scilicet in variolis ex conclavium pavimentis, aqua gelida improvide a mulierculis detersis, insignes convulsiones, terribiles morbi commitialis insultus cum magno extremorum frigore aliaque gravissima symptomata, excitata fuerint. In similibus igitur similis quoque cautela est observanda. Insuper

per pulvis ſtudioſe vitetur, qui non parum quoque nocet, imprimis vero in oculorum & reſpirationis vitiis. Fœtores vero expellantur adverſi atque nocivi ejusmodi, accenſione ſubinde ligni juniperini, fagini &c. ſuffimigiis variis jam præparatis, gratum odorem ſpirantibus & ſpiritus inſtaurantibus, quæ ſub forma trochiſcorum, maſſarum, candelarumque &c. venduntur. Proſtant quoque varii liquores & balſami in ejusmodi uſum compoſiti. Omnes vapores graveolentes narcotici ſtudioſe vitentur, quales etiam ex fornace non raro alibive proveniunt. Inſuper hoc ſpeciatim adhuc animadverti poteſt: in conclavi ægrotantium, eſcæ præcipue ex carnibus nidorem ſpirantibus, non facile aut rarius præparentur neque prandium & cœna ab aliis ibi habeantur, ne ægri ex odore ciborum & ferculorum, tædium nauſeamque adipiſcantur & appetitum jam languidum perdant penitus, quod ordinario accidit iis, qui dapes tractant, unde coqui, ſtructores, & qui diſtribuunt cibos, minori ſemper appetitu feruntur: Quanquam & hoc non negandum ſit, ægris, quibus appetitus languet, quandoque dum prandentes & avide cibos ingerentes adſpiciant, ſalivam appetitumque moveri & excitari. Non modo ipſum conclave mundum ſemper ſervandum, ſed munda etiam ſint omnia, quæ vident, quæque tangunt quibusque utuntur ægrotantes; nimirum munda & candida ſint vaſa, quæ ipſis offeruntur, omnia mantilia, mappæ &c. Ceterum omnis tumultus & ſtrepitus ædium hypocauſtorumque, januarum pulſationes, ſoni acuti &c. ſedulo avertantur, qui præſertim in magnis doloribus, præ omnibus vero aliis, capitis, ſpeciatim in aurium paſſionibus ac ubi tympani membrana in aure ſpaſmodice ac nimis tenditur, quod & in affectibus hypochondriacis, flatulentis, in febribus, inflammationibus quibusdam &c. familiare eſt, ac plane intolerabile malum, denique in omnibus morbis acutis, (palam certe eſt, quantum exacerbentur omnia dum non quieſcant ægri & ubi ſomnus exoptatur) vitandi ſunt, præſertim tempore nocturno, quo omnes ſoni ex longinquo etiam magis percipiuntur, auditu, paucioribus ejusmodi occupato. Phrenitici omnium citius & facilius a leviſſimo etiam ſtrepitu irritantur, unde & hoc inter ſigna hujus affectus cenſetur; ſilentium vero omni cum cura procurandum. Quantum fragores ſtrepitusque obſint, qui capitis vulnera paſſi ſunt, docet PARAEVS *Lib. IX. cap. XIV. p. 283.* Quanquam hæc veriſſima ſint, concedendum tamen interdum & hic, ut in cibo & potu conſuetudini eſt, quando gaudent quidam magis uno certo loco quam alio, ut mihi Tiguri Helv. commoranti, opificem febre continua laborantem videre contigit, qui

in ſua opificina & inter laborum ſtrepitus melius ſe habebat, meliusque quieſcebat, nam ſeparato in conclavi manere nullatenus potuit, ab illoque abhorrebat, atque eo delatus delirio atque ſumma inquietudine tentabatur, ut & alios videbis multos, qui in mola bene dormiunt, qui a pulſu campanarum &c. vix excitantur. Conſuetudinis hæc ratio in aliis quoque hucusque recenſitis ac in ſequentibus recenſendis poteſt haberi. Exemplo ſint adhuc binæ, quæ mihi jam ſuppetunt hiſtoriæ, altera a R. SOLENANDRO *in Conſ. med. ſect. V. Ob. 16. C. XV.* allata, quam lubet integram tranſcribere. Accidit ut ruſticus quidam febricitans acutiſſime, perductus ad hoſpitale, nullis remediis a D. Gisberto curari potuerit. Tandem ex morituro quæſivit, ecquid peteret, quæ fuiſſet victus ratio antea? dicebat: ſe plane ab iſto cibo & potu & ſyrupis & id genus ſimilibus & lecto, qui nimis eſſet mollis, abhorrere; quod non dormiſſet intra 19. annos in lecto, atque uſus fuiſſet cepis, caſeo bubulo, & ſimilibus duræ coctionis, ſub divoque in ſtramine veſtitus dormiviſſet. Tandem Gisbertus una nocte permiſit, ut in ſtramine dormiret, deinde ut afferantur cepa, ſal, cum aqua frigida, conſentiit. & Gisbertus, arbitrans, illum tandem eo citius moriturum, cum ille poſtridie igni, præter omnium opinionem adſtaret. Videndum igitur medico diligenter, ut conſuetudinis habeat rationem, in omni morbo. Alteram CASPAR HOFFMANNVS recenſet *Lib. V. I. M. Cap. XLVI. §. 2.* de equiſone febricitante, qui ex ſuo ſtabulo in conclave mundum delatus, ægerrime ſe habuit; in ſtabulum vero iterum miſſus brevi, convaluit. Sic viſi alibi ſunt piſcatores, qui nonniſi in cymba ad mare, opiliones, qui in ovili, in tenui lecto aut ſtramine ſaltem, convaleſcere potuerunt. Conſuetudinis certe tanta eſt vis, ut noxia quæque etiam convertat in bonum, quoniam facile init naturæ ſimilitudinem adeoque recte cum Ariſtotele naturam adventitiam ea cognominanda atque quæ ad labores ferendos plus habet momenti, quam vel ætas vel corporis vires naturales ita ſecundum Celſum omnem laborem etiam duriorem facilius puer vel ſenex quam inſuetus homo ſuſtinet, permutatio enim contra naturam ut regionis & loci laborioſa ita & maxime diætæ ſæpe periculoſa. Sic conſuetudo ex pharmaco poteſt facere cibum & per eam helleborum ac opium ſuas amittit vires, ut Thraſias & paſtores plerique in Græcia helleborum citra noxam devorarunt atque Eudemus adſuetudine venenorum eo eſt perductus, ut cum helleborum aſſumeret neque vomitu neque dejectione tentaretur. Huic igitur indulgendum præcipit COVS noſter *2. Aphor. 16. & 17. & 49. 50.* ubi ita ſcribit: *Quæ longo tempore aſſueta ſunt*

etſi

etsi detersora insuetis minus molesta esse solent, quare ad insolita quoque facienda mutatio. De consuetudine, quantum nempe in actiones naturales, vitales & animales vulgo dictas partesque humani corporis possit docte RENATVS MOREAV CASP. A REIES *Elys. Camp. jûc. Quæst. XCIII. p. 1188.* docent, quantum vero in omnibus sex rebus non naturalibus, tradit C. HOFFMANNVS tam in aliis fusius quam succincte *in Method. Medic. Lib. I. cap. III.* quid Medico agendum *p. 14.* unde non inconcinne OVIDIVS:

Quod male fers, assuesse, feres bene, multa vetustas
Lenit.

§. XVI. Ob aëris debitam temperiem & æqualem tranquillumque statum conservandum & malas ejus qualitates avertendas arcendasque in peste præcipue & morbis aliis contagiosis grassantibus & aëre labe quadam infecto, conclave bene clausum atque munitum ventoque undique impervium servetur, non modo fenestras, sed & minimas rimas bene occludendo, occlusasque servando, præsertim tempore nocturno, aëre insalubri, nebuloso, frigidiori vel adverso vento, maxime in morbis frigidis & humidis, hydrope, catarrhis, tumoribus œdematosis, capitis læsionibus, vulneribus, contusionibus, doloribus, ophthalmiis, deliriis, phrenitide, variolis, morbillis, purpura, febribus lymphaticis malignis, & in genere omnibus iis, in quibus transpirationes & evacuationes sensibiles & insensibiles, per sudores & diaphoresin copiosæ & continuæ sunt instituendæ, in quibus aëris afflatus mirum nocet. Atque adeo Galenus ægrotos non modo in liberum aërem, verum etiam ad januas & fenestras, quoniam ventus maxime omnia spiracula eaque exigua potest transire, sæpe numero deducere vetat. Imo hoc habetur, ventum per rimam aut angustiorem locum spirantem violente actum (ibi enim nunquam non aliqua sentitur aura) deterius afficere. Hinc Cartaginenses, ut contra ventorum, imbrium & maris halituum injuriam, magis se munirent, ædificiorum parietes, pice obducebant. In hypocaustis vero ejusmodi, locisque conclusis, quando præcipue hyemali tempore, intus accenditur ignis, aër exterior majori per rimas irruit nisu, ac impetu ventumque plus minus in conclavi producit. Nam ignis ibi accensus celerrimo & vehementissimo intestino suo motu ætheris, aërem anteriorem in conclavi propellit, expandit, rarefacit, ut levius spatium minusve resistens efficiatur, in quod a tergo aër intrans, compressior graviorque, motum ejusmodi concitat. Non simplici vice observatum est, aërem frigidiorem per angustas rimas violente actum, proxime adstantes vel nudatum corpus improvide huic exponentes pleuritidem

tidem intulisse. Amplius dicendum est, fenestras januasque firmissime clausas obicibusque obditis servandas esse, ubi somnambuli & imprimis maniaci & melancholici detinentur, ne accepto damno, demum, januam claudant. Medium hoc imprimis atque remedium somnambulis est, quando surgentes cubiculo egredi nequeunt, sed repertis ubique omnibus obstrictis forte evigilantes & consternati, lectum repetunt, ibique permanent, quo pacto simul spiritus animales aliter determinantur, pristina repetentes vestigia, illorum simul mutantur cogitationes. Attamen hoc non semper & ubique strictissimæ observantiæ summique rigoris, sed potius interdum spiracula in parte præsertim hypocausti superiori sunt concedenda, ut perspiratio fiat, quod in multis necessarium est, v. gr. scite GESNERVS suadet *in Epist. p. 30.* ut locus, in quo æger peste laborans decumbit, foramen habeat apertum superius, quod alternis vicibus aperiri possit & claudi, ut halitus noxii exeant, præsertim si sudat validius & copiosius. Idem de variolis & morbillis aliisque id genus est affirmandum. Immo non raro, atque sæpissime suadendum venit, fenestræ hæ vel illæ & januæ aperiantur, si nimirum aër salubris sit, ut purior liberiorque aër & ex optimis cœli plagis ingrediatur atque sic aër ventiletur, & aër aëre expurgetur, unde Rhases in quovis fere morbo bene & sæpius perflatas cameras, voluit. COR. CELSVS *de med. Lib. IV. cap. VII.* sic loquitur: *Neque alienum est dum premit morbus, (pulmonum) clausis fenestris ægrum continere; ubi paulum levatus est, ter aut quater in die fenestris aliquantum apertis purum aërem recipere.* Hoc fiat præsertim a sole jam aliquot horis orto, quo aer purgatus & salubrior est, sed videndum etiam ut temperatus aer admittatur, neque frigidior justo aut calidior, aut humidior &c. Si vero id fieri non potest, quid agendum sit vid. GALEN. *Lib. IX. Methodo Medendi Cap. XIV.* & AVICENN. *2. 1. Doct. 2. sum. l. c. 678.* Aer enim paucus & diutius conclusus maxime calidus, (qualis semper ille in ægrotantium conclavibus est) nisi bene moveatur, celeriter vitium contrahit, eoque magis cum fuligines ex ægro & adstantibus &c. exhalantes, crassiorem & impuriorem reddant. Hunc enim sic describit SOLENANDER *sec. 1. consil. med. 10. Nec ille aër laudandus est, qui hypocaustis est Germanicis, maxime iis quæ a plurimis frequentantur, vel in quibus compotationes celebrantur conclusus, nec perflatus, continetur. Is enim præterquam, quod caput egregie onerat, etiam dissolvit humores, & colliquat in capite & pulmonibus idemque nativo spiritui est valde nocivus.* Hinc qui diutius in conclavi concluso ejusmodi miasmatibus morbidis referto permanent, scorbutum contrahunt, profluvium capillorum, vultum

pal-

pallidum & ſqualidum &c. Hinc etiam ſæpius videmus, quod in magnis concionibus, in locis, ædibus, conclavibus minus laxis multi hominum imbecilliores ex cœtu ubi deficiunt, exire liberioremque aerem ſpatiumque laxius quærere cogantur, ubi etiam mox refocillationem inveniunt. Hinc & aer in convallibus depreſſus, ut inſalubris culpatur. In hunc finem etiam ideo venti medicati pilarum æoliarum beneficio, inſtitui poſſunt & ſolent, in magnum ægrotantium emolumentum, ad excitandos, confortandos ac refocillandos eosdem, de quibus adeatur Celeberr. D. D. VALENTINI *in Armam. Nat. ſyſtem. p. m. 121.* Perflatus vero aer & liberior, emendat, inſtaurat humores, movet & promovet ſpiritus & animum recreat, &c. Exempla periculoſæ ſic aeris liberioris ſubtractionis in illuſtr. D. G. Montecuculi Conjuge vide *in Eph. G. N. C. D. 11. ann. 2. p. 426.* & in binis pueris in LOSSII *Obſervat. Medic. Lib. I. obſ. 26.* Si vero aer, aere non poſſit purgari incluſus conclavi, per ignem luculentum camino accenſum vel etiam per ſuffumigia aut per machinam quandam, in hunc uſum adornandam, quæ aerem, ex conclavi emittat recentemque in illud immittat commodiſſime, corrigatur. Primarii morbi, qui hoc ipſum expetunt, ſunt cardialgia, animi deliquium & lipothymia, adeo ut aeris liberioris afflatus ab illa protinus liberet, atque aſthma præſertim, catarrhus ſuffocativus & vitia reſpirationis alia, polypus cordis, pica, ſcorbutus inveteratus, morbi acuti, maligni, putridi quidam, vid. VALESIVS *Meth. med. p. 1141.* nephritis, vid. NIC. PISO *Lib. III. p. 148.* febris ardens *p. 441.* atrophia ſeu phthiſis nervoſa a. p. n. ſtatu ſpirituum & a tono nervorum perverſo proveniens, & phthiſis ipſa pulmonalis & ulcera inveterata, hectica, FRAMBESARIVS *Can. & Conſ. M. LIV. p. 249.* RIVERIVS *Pr. Lib. XVII. cap. III. p. 303.* calculus SOLENAND. *Conſ. Med. S. 2. p. 200.* gonorrhœa, affectus capitis cum cruenta ſpuitione N. PISO *de MCC. p. 179.* ventriculi imbecillitates, *vid. id. l. c. p. 420.* arthritis *l. c. S. 4. p. 420.* affectus hypochondriaci, melancholici *id l. c. S. 11. p. 124.* ſtupor & paralyſis *l. c. p. 136.* & fere quivis longi morbi. Superaddo his denique variolarum morbillorumque principium, ſub quo melius cum ægrotis agitur, ſi liberior, temperatior tamen aer, concedatur iis. Agnoſcunt hoc omnes prudentes medici, ut agnoverunt jam pridem ex Scriptoribus ingenuus atque cordatus FORESTVS *6. obſ. 44.* poſt hunc I. D. HORSTIVS *obſ. anat. 9.* & noviſſime SYDENHAM *obſerv. circa morb. acut. & de variolis confluentibus.* Hac de re inſuper HIPPOCR. *lib. epid. VI. text. 9.* ſic loquitur: *Cui attemperatio moliri oportet, aperiri cubiculum, ut pateat vento introitus & exitus.* Et eodem loco *textu*

21.

21. De conſuetudine monet, idem, inquiens: *Si quis ſub dio conſueverit decumbere, lædetur in valde concluſo loco.* Parturientibus Rod. a Castro *de Morb. Mulier. Lib. XI. p. 525.* aere imprimis calido exiſtente ſuadet, ut aer ſæpe diffletur & feneſtræ aperiantur, exemplisque variis probat, hocque inſtituto in maximo partus labore feliciter peperiſſe, ait, quemadmodum & (ut incidenter hoc ſaltem moneam) Hippocr. opinatur recens natis valde obeſſe, ſi in concluſo aere diu maneant, ſed expedire, ut mox liberiori aeri adſueſcant. Convaleſcentibus deinde acceptum eſt ſalubreque ex concluſo in liberiorem paulo aërem venire, citius illi enim vires priſtinas colligunt; cavendum tamen ne ſubito hæc mutatio fiat, præſertim ſi aer frigidior aut alio modo inconveniens fuerit, cum per calorem hypocauſti aſſuetum magis frigoris impatientes ſint, illudque per rarefactum corporis habitum facilius profundiusque penetret, rarefactos humores inſpiſſet, motumque turbet, diaphoreſin impediat vel recidivam pariat &c. atque caloribus aſſiduis relaxatum continuisque ſudoribus reſolutum & debilitatum; talis enim morbis magis patet, quam is quem moderatum frigus ſpiſſavit. Incommoda quoque, quæ forte quandoque ex hac mutatione, quam multi ut periculoſiſſimam ſuperſtitioſe nimis metuunt, ab ægris pro re nata averti & præcaveri poſſunt, & aura forte frigidior ſe ingerens corrigi &c. corpus ſufficienter vel ſtragulis vel veſtibus cooperiendo muniendoque focum accendendo &c. Sub conſtitutione præſertim aëris epidemica, peſtilentiali &c. aperiantur feneſtræ, aquilonem & boream admittentes, claudantur vero quæ meridiem ſpectant. Atque quondam ſoliti fuerunt ſuavi & amœna mollique aura reficere ægrotos ac in locis calidis noctu lectos ſub dio ad auram captandam conſtituebant v. Dietericus *in Antiq. bibl. p. 280.* Hic ſimul de expoſitione ad ſolem & ſeorſim quidem quædam dici poſſunt: Subit enim recordatio veteribus multis in morbis chronicis, contumacibus, frigidis ſic dictis præcipue cachexia œdematoſis, tumoribus duris, epilepſia &c. inſolationem, quam Græci ἡλίωσιν appellant, maximo in uſu fuiſſe, qua ægrotos ſolis fervori torrido expoſuerunt. Cujus rei exempla præ aliis exponunt, inter quos (ne jam alios nominem) graviſſimus Scriptor Coel. Avrelianvs, qui eam *de morb. chronic. Lib. I. cap. V. p. m. 334.* de mania, *Lib. III. cap. V. p. 458.* de ictero *Cap. VIII. p. 466. & p. 473.* de hydrope *Lib. V. cap. IV.* de iſchiadico malo *Cap. XI. p. 597.* de carne ſuperflua adducit atque ad curandos eos affectus commendat. Subit tamen & iterum cogitatio, ardorem ſolis multis haud leve nocumentum afferre, quod ſupra jam paucis eſt

indi

indicatum; plures enim invenies, qui ſolis radios nequaquam poſſunt perferre, ex quorum numero Auguſtus fuit Imp. Rom. de quo SVETONIVS refert, eum ſolem ne quidem hyemali tempore ſplendentem ſine noxa potuiſſe ferre, quare neceſſe fuiſſe, ut ſemper pileo caput tectum ſervaſſet. A capite igitur imprimis ſedulo arceant ardentes ſolis radios a plethoricis, maxime in hæmorrhagias & capitis debilitates & affectus, apoplexiam &c. pronis, ut & a maniacis: Hinc mihi non diſplicet FR. VALESII *Lib. de S. philoſ. fol. m. 334.* commendatio, (ut obiter ſaltem hac occaſione hoc commemorem) ad morbos biblicos referenda, qua opinatur maritum Juthitæ (de quo legitur *Jud. 8. cap.*) apoplexia mortuum fuiſſe, quam ex ſolis ardore tempore meſſis rure contraxiſſet ſibi. Adhibeatur ea (in ſolatio) porro etiam præcipue, in ſenectutis (quæ ipſa eſt morbus) infirmitatibus, unde HORATIVS *Lib. I. cap. XX. v. 24.* ſenile corpus ſolibus aptum dixit. In hunc finem helio caminos exſtruebant in ſummis ædibus, atque ita adhuc comparabant tectis parietibusque, ut repercuſſis ſolis radiis, ardorem poſſent quoque augere. Fiebat quoque ea vel cum unctione, vel ſine ea. Hujus remedii generis non amplius apud nos uſitati commoda & incommoda MERCVRIALIS *Lib. VI. cap. I.* recenſet. Quid? quod ideo domicilia & hypocauſta ipſa interdum mutanda ſint, imprimis in morbis acutis, atque thoracis, modo id fiat caute ac circumſpecte, ad quod FIDELIS *l. c. p. 86.* ſedulo hortatur, cum ſcilicet unius cubiculi aer, ex aſſidua habitatione ægri, plurimum vitiatus emendari facile non poſſit. Affirmat hoc FR. VALESIVS *Meth. Med. p. 1141.* illud non eſſe difficile, faciendumque eſſe ſæpe, etiamſi quis acute febricitet, ſi aliud conclave commodius ſit. Specialiſſimum adhuc occurrit, quod mihi huc trahere liceat, nempe fulmine tactos, non in eodem conclavi relinquendos eſſe, cum dubium non ſit, quin vapores ejusmodi noxii ſulphurei plures, narcotici & ſuffocantes, adhuc aerem contaminaverint & tacta fulmine loca ſulphur redoleant, ob hunc ipſum odorem adverſum canes & aves abſtinere videntur, a cadaveribus animalium fulmine tactorum V. PLVTARCHVS *ſimp. Lib. IV. q. 2.* VOSSIVS *de origine & prop. idol. Lib. V. cap. VI.* Immo optimum conſilium eſſet, ſi ex ipſa domo educerentur aut exportarentur.

§. XVII. Aëris affectiones ſunt lumen & tenebræ & cauſæ ſalubres & inſalubres, ita tamen ut aer lucidus in genere præferatur tenebroſo atque caliginoſo, quare eorum temperatio ſecundum morbos quoque potius dirigatur ad quam directionem ipſe HIPPOCRATES *de Medico*

Lib. Sect. 1. hortatur. Quemadmodum enim luminis & umbræ hic & illic pictoribus neceſſaria conſideratio, ita & medicis eſt, adeo, ut lumen ſine umbra non ſatis perſpectum, aut ad minimum non adeo perfectum ſit. Nimirum ſubobſcurum & minus lucidum obſtructis luminibus, ſive a ſolis radiis ſive candelis illa ſint, cubiculum convenit in morbis acutis, in iis enim ſæpius advertes lucem averſantes & ſponte lacrymantes ægros, (malo ſane ſigno) ut in cholera vid. FONTANON *Pract. Med.* p. 256. N. PISO *l. c. p.* 262. hæmoptyſi, ut notat. ANT. AB ALTOMARI *Art. Med. p.* 342. & quævis hæmorrhagia, inflammationibus, doloribus, cephalalgia, præcipue, ſi a cauſa calida ſic dicta ortum ducat ſuum ac maxime in cephalæa, in ſyncope item hydrophobia, mania, phrenitide, in hac enim ægri ordinario lucem metuunt, efferatiores redduntur, novas imaginationes ex multis & variis objectis oculis oblatis fingunt ac imprimunt. Quandoquidem obſervare datum eſt, phreneticos & maniacos tenebris lædi, magis hinc eorum decubitum, in loco obſcuro Aſclepiades improbat, quia (inquiens,) in luce mentis ſive intelligentiæ viſa debilia atque parva efficiuntur; in obſcuro autem e contrario vehementiora atque majora fiunt & operantur, mentis atque intelligentiæ viſa ſilentibus ſenſibus. COR. CELSVS vero *Lib. III. cap. XIX. de med.* locum obſcurum pro iis potius elegit, quoniam is ad requiem ſomnumque inducendum magis eſſet idoneus. Itaque nos opinamur eos in mediocri & æquali luce ſemper eſſe ſervandos. COEL. AVRELIANVS *Lib. I. Morb. Chronic. Cap. V.* pro maniacis hoc ſuppeditat conſilium, eorum oculi ut adumbrentur, quo cæterum corpus luce tangatur. Ad hæc N. PISO *l. c. Lib. I. p.* 36. addit phreneticos & ſimiles, ſi vires valeant, lucidum aerem magis, ſin minus, tenebricoſum juvare. Perinde id ſe habet, cum hypochondriacis, melancholicis, qui lucem fugiunt, tenebras vero mire amant, quale mirum exemplum in viro quodam militari, tympanitico, notavit ROS. LENTILIVS *Miſcell. med. pract. P. II. p.* 361. *Lib. V.* & quo magis afficiuntur, eo gravius tenebris contriſtantur immodicis ſcilicet, modicis vero melius ſe habent & manent, imo hi (ut expertis conſtat) per nimium ſolis ſplendorem & æſtum fieri & facile poſſunt maniaci. Experientia docet vertiginoſos, aere lucido extra paroxyſmum, in illo vero, in tenebricoſo melius ſe habere. Porro in lippitudine, dilatatione & diminutione pupillæ & ſimilibus oculorum affectibus atque in omni dolore inflammatorio lux eſt fugienda ut & omnes colores, qui ex intenſa reflexione lucis oriuntur fibrillas nimium diſtendente, ut color flammeus, flavus, rubicundus, quoniam ſemper

dolor

dolor exinde exaſperatur quod ſequentibus expreſſit LVCRETIVS *Lib. IV.* verſibus non invenuſtis:

> - - - *ſplendor quicunque eſt acer, adurit*
> *Sæpe oculos ideo quod ſemina poſſidet ignis*
> *Multa dolorem oculis quæ gignunt inſinuando.*

Hinc & in nyctalopia (ſi ad præcedens quoddam pauliſper reſpicere velimus) noctu melius vident, quam interdiu, quia a luce pupilla magis contrahitur, adeo, ut pauciores radii ad retinam poſſint transmitti. In hanc rem notabilis caſus eſt & inſolitus oculorum affectus, qui legi poteſt in W. H. WALDSCHMIDII *Diſſ. Epiſt. de rebus medicis & philoſoph. p. 21.* & ſequens eſt: *Puerulus unius præter propter anni, quoties defertur in conclave, radiis ſolaribus aut candelæ illuminatum, toties inſigniter intumeſcunt oculi, colore rubicundo ſuffunduntur, lachrymæ fluminis inſtar fluunt, ſalivaque prout in canibus rabidis fieri ſolet, in magna quantitate ex ore deſtillat. Eo tempore nihil videt, ſed maximo clamore adſtantes ad commiſerationem invitat. Quamprimum vero iterum in conclave radiis deſtitutum defertur, oculi tinctura croci & benzoës foventur, tumor & rubor ſecedunt, patiensque pancratice vivit, bene ingerit, bene digerit, & bene egerit, optimeque nutritur.* In affectibus & doloribus capitis, apoplexia, imprimis ſi caput nudum ferventibus ſolis radiis exponatur, ut & cardialgia atque paſſione cardiaca a COELIO AVREL. *de morb. acutis Cap. XXXVII.* adducta, in qua præcipue illud lumen, quod a ſolis radiis procedit, præcavendum eſſe monet. Aneuriſmate item Conf. ROD. A CASTRO *de Morb. mul. p. 332.* & in omnibus morbis qui refrigerio alias opus habent, quos nulla putredo comitatur, vid. FIDELIS *Lib. I. p. 65.* ubi exagitatio & reſolutio ſpirituum & humorum tenuium nimis, in quibus cruditates ſubſunt primarum viarum, item in delirio febribus ardentibus vid. HIPPOCRAT. *rat. vict. in acutis p. 387.* vid. *id. 4. acut. 48.* erraticis & quando alias ægroti ad quietem & ſomnum ſe componere debeant, id obſervandum eſt. Pro cura hecticæ loca lucida eſſe vitanda colligere eſt ex GALENO *X. Meth. Cap. VIII.* Scio quosdam phthiſicos peſſime ſe habentes, quando in ſolis radiis errant, optime vero, quando in umbra ſe continent. Capite graviter vulnerati vix ferunt lumen vel candelæ ſplendorem, (quod ſemper funeſtum habetur indicium,) & ab eo notabiliter læduntur. Hoc equidem veriſſimum eſt, neque tamen & hi in cubiculo nimis caliginoſo ſemper ſunt detinendi, ſi reſpiciamus & æque ratum habeamus illud quod BONETTVS *Mercurio compital. p. 96. §. 27.* in medium affert

ad inferiora, quæ ſequentur referendum, qui inter alia rejicit, quod adeo multi, capitis vulneribus Florentiæ moriantur, quodque lumen penitus arceant debilitata ſic ægrorum natura. Ut hydrophobia affecti omnimodo quieti ſunt ſervandi; ita & ab iis ſolis candelarumque ſplendor ſtudio arcendus eſt. Pari modo ſe res, cum puerperis habet, quæ ſemper ut graviter vulnerati tractandæ ſunt, quibus primis præcipue puerperii diebus, aer lucidus nimis, valde nocet. Infelicem ex hoc eventum ſi legere velis, adeas GERBEZIVM *Intricat. extricat. med. P. II. cap. XX. p. 199.* Mulieres etiam optimo conſilio ſerio præcipiunt, ne infantes recens nati, in locum lucidum, collocentur, cunæque integumentis obtegantur, ne oculorum acies ſtatim debilitetur ac luſci fiant, aut candela ad caput ponatur, ne ſtrabismum acquirant. Quod etiam de adultis dicendum eſt, qui diu in tenebricoſo loco fuerunt, vel a ſomno longiori evigilant, quorum viſus a repentina luce illabente læditur, facto radiorum impetu, exinde, quod per diuturnas tenebras pupilla præter modum ſit dilatata ultraque tonum diſtracta, ex quo iridis fibrillæ contrahi difficillime atque retinæ filamenta, ex diutina motuum & radiorum agitatione, ſuppreſſione invalida reddita, non æque facile hunc recipere ac propagare poſſunt. Exemplum notatur a GALENO *Lib. X. de uſu Part.* eoque ſimul declaratur, quomodo omne excellens viſibile ſenſum lædat de Dionyſio Tyranno Sic. variis tormentorum generibus miſeros ſubditos torſit, ſuper carcerem quinam conſtruxit domum longe ſplendidiſſimam, atque illos, qui quam diutiſſime carcere fuiſſent concluſi, ad eam ducebat, ut occœcarentur. Hoc etiam SENECA de Hercule ex ſpelunca revertente dixit:

- - - *Torpet acies luminum,*
Hebetesque viſus inſuetum ferunt.

Quare lucis claritatem illuſtriorem & ſubitam præcavere debent, qui diſcuſſo ſomno evigilant, quod nocentiſſimum in epilepſia habet C. AVRELIANVS *de Morb. Chron. Lib. I. cap. IV.* Rurſum annotatum eſt, infantes, ſi diu in obſcuro loco detinentur, evadere ſedatiores triſtioresque dein per totam eorum vitam. Hæc non addidiſſem, niſi intereſſet exempli. Ex phyſicis in hanc rem notum eſt, aerem luminoſum calidiorem eſſe, caliginoſo & lumen a lucis continuatione oriundum conſiſtere in motu inteſtino velociſſimo impetuoſe per lineam rectam, impulſo ætheris, utpote materiæ maxime mobilis & tenuis, unde & in inſtanti & facile generatur & perniciſſime diffunditur per undas ſphæricas quod experimento Romeri evincitur. vid. HVGENII *Traité de la lumiere,*

ere, & ad immenſam propagatur diſtantiam, brevi vero iterum evaneſcit, adeo, ut ex ejus obſerv. l. c. ſonum, lumen pluribus quam 600000. & fortaſſis pluribus adhuc vicibus celeritate ſuperet. Hoc argumento ſimul innoteſcit, nobiliſſimas res creatas hoc attributo quoque præditas eſſe, ut undique ſe longiſſime extendant aut extendere poſſint illic in aurora & alibi in auro cernimus. Quod ſi itaque res ita ſe habet, quod aër luminoſus, tenuior, rarefactus magis ſit, adeoque & calidus & corporum denſitatem diſſolvat, non poteſt non, quin etiam non duntaxat aërem expurget, perſpicuum & ſerenum reddat, expandat, ſed & ſpiritus, (qui maxime delectantur luce) & humores, excitet & quaſi illuſtret, exagitet, ebullitionem ſanguinis producat, extra vertat & alacres reddat, corpora perſpirabilia præſtet ac calefaciat atque animum quoque pari modo perſpicuitate ſua perſpicuum & exhilaratum reddat. Sole exoriente atque cœlo ſereno ac claro omnia animantia alacria & vigore quaſi novo excitata ſurgunt, gaudent, lætantur & ad omnes motus edendos & functiones plurimum valent omniaque quæ undique conſpiciuntur amœna apparent. Hoc FERNELIVS indicat *Meth. m. L. XI. p. 70.* & HIPPOC. jamdudum. (a quo in hoc nec Aſclepiades alienus eſt.) *epid. Text. 32.* dicens, *ut lumine, calore, motu & vigilia evocantur ab internis excrementa: ita tenebris, frigore, quiete & ſomno accurrunt ad viſcera gravantque partes.* Et *textu 75. ut luce & calore ſucci evocantur & diſſipantur, ita tenebris reconduntur & denſeſcunt.* Palam eſt non ſolum lucem ſplendidiorem, ſed & alia ſenſibilia excellentiora ſpiritus torpidiores ſuſcitare. In hanc rem notabile eſt, quod nemini ignotum eſſe poteſt, ſæpius a magno ſplendore ſolis maxime, vellicari nares, ſternutationem moveri, quod mirum ſane dignumque quod ulterius exactius alibi conſideretur. Atque adeo exiſtimat Illuſtr. BACO DE VERVLAM. ex illa cauſa ſplendore lapides pretioſos pellucidos in ſpiritus animales operari eoſque roborare & reſocillare. Aër tenebricoſus vero, quatenus craſſior & frigidior, motus illorum refrenat, ſedat, coercet, concentrat & colligit, refrigerat, cor mœſtitia perſtringit, mentem quaſi obumbrat, corporisque univerſi vigorem disjicit, torporemque injicit. Unde & apud Autores v. gr. COEL. AVREL. ſæpius adeo laudatum, legimus, eos quando loca lucida in morbis commendant ſimul & ſemper mediocriter calida laudare & quando obſcura præcipiunt mediocriter frigida ſimul ea eſſe, velle: Hinc loca ſacra, templa ſubobſcura (ne mens longe evagetur) & ſacro horrore afficiatur eſſe, voluit, veneranda antiquitas. Ob hanc ipſam cauſam & volunt eſſe tenebricoſa multi eruditorum muſea. Euripi-

ripides, GALENO referente, *Lib. XV. cap. XX.* quoties ſuas meditationes inſtitueret, in obſcurum & horridum adſpectu antrum, ſe recepit. De Maino Mediolanenſi ſui temporis JCTo celeberrimo, idem refert ex PANCIROLLI *Libro II de claris Leg. interpret.* BOYLE *Dict. hiſt. critic. T. XI. fol. 504.* cum ſole etiam meridiano occluſis feneſtris accenſa lampade & capite linteo obvelato lucubraſſe, ne cœli claritate mens evagaretur. Atque adeo Democritum Philoſ. ne videndo a cogitationibus abſtraheretur ſuis, & ut meditationes animi, in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores redderentur, luminibus oculorum ſplendore aerei clypei, ſeſe, privaſſe fertur V. A. GELLIVS *Lib. X. c. XVII.* Simul perſpicere jam licet, in quibus cubiculum lucidum, ſplendidum a ſole vel candelis cum ſpeculis orbibusque politis, illuminatum, conveniat. Exempla hujus ſint affectus ſoporoſi, carus, lethargus &c. animi deliquium, & ubi ſcil. ſpiritus oppreſſi magis ſunt, vid. DOLAEVS *Encycl. Med. C. I. p. 405.* ſuffuſiones, oculorum pupillæ contractio, cum enim luce clara, pupilla magis ſit contracta, in loco tenebricoſo, ea melius ſe dilatat, ut ſpatium concedatur, per quod radii ad retinam poſſunt transmitti ac deinceps refringi. In malo hypochondriaco, & apoplexia affectis, luminoſum conclave quoque conducit. Aſt ſi in his vita exploranda ſit, conclave tenebricoſum plane reddatur, omnibus feneſtris clauſis & deinceps candela accendatur & naribus admoveatur. Sunt quoque ulterius nominandi alii affectus, ut incubus, memoria abolita, paralyſis, menſium obſtructio, catarrhi, febres, quibus Aſclepiades ægros juxta vigiliam & ſitim hinc quoque convellendos eſſe præcipit. Conf. ORIBASIVS *Collect. L. IX. p. 358.* tumores item atque obſtructiones ſplenis &c. de quibus vid. BRVELE *Med. p. 128.* calculus id *l. c. p. 157.* cutis defœdatio, ſcabies, elephantiaſis &c. conf. FONTAN. *Med. Pr. L. I. p. 7.* purpura variolæ morbilli atque ejusmodi cutis exanthenata ut facilius ad habitum referantur, epilepſia SOLENAND. *l. c. p. 208.* COEL. AVREL. *de Morb. Chron. Lib. I. cap. IV.* ſcorbutus ALBERTI *de Scorb. p. 261.* angina, fluxus ventris vid. GRADI *Prax. p. 311.* FRANBESARIVS *Can. & Conſ. M. L. XI. p. 81.* illiaca quoque paſſio ſecundum COEL. AVREL. *de ac. morb. Lib. III. cap. XVII.* atque omnes qui majorem & continuatam magis liberiorem ventilationem, perſpirationem, apertionem, diſcuſſionem & digeſtionem requirunt. H. MERCVRIALI *de Arte Gym. L. VI. c. I. p. 343.* prodente, veteres, debiles, ſenes ægrotantes & ex morbis conveleſcentes ſoli inurenti exponebant, quam conſuetudinem Solicationem vocabant. Conf. PLINIVS JVN. *L. VI. Epiſt. 16.* SENECA

NECA *de brev. vitæ C. XIII.* C. CELSVS *de Med. L. I. c. 3.* COEL. AVRELIAN. *de M. a. & chron. Lib. III. c. V. cap. VI. & L. I. c. IV. p. 312.* ubi de epilepſia agit, præcipit, ut ſole corpus torreatur, ſed prætecto capite, alibique ad hanc apricationem celebrandam non ſatis habuerunt, in hortis, pratis campisque ſole excoqui, ſed etiam ex luxuriante ingenio, meniana de induſtria, tectis ædium adſtruebant, in quibus ſole uri poſſent, quæ hinc ſolaria appellabant v. SVETONIVS *in V. Claudii C. X.* & MACROBIVS *Saturni L. II. c. IV.* Ipſam exſtruendi ſolaria, rationem delineavit GALENVS *de Art. P. III. ſegm.* Aſt hæ diætæ ſolares indicandæ ſaltem non commendandæ: Tales enim hodie, noſtrates, æque ac carceres ſolares, quales etiam in ſimilem fere modum conſtructi, apud Romanos tunc temporis noti erant, horreſcerent. Ejusmodi propemodum fuit, in quem deinceps bonus Barthol. Platina, vitis conſcriptis Pontificum clarus, juſſu Pauli II. P. R. eſt injectus, a Sixto vero IV. Succeſſore, libertati reſtitutus Bibliothecariique munere ornatus fuit. Antea recte quidem dictum eſt, in affectibus ſoporoſis requiri ſplendidum conclave, ſed in contrariam partem adhuc etiam ſcire licet: in vigiliis læſis, ut ſopore æger quieſcat, e re eſſe, ſi ante ejus oculos res aliqua ſublucens ponatur, ut eam ſemper intueatur ex quo ſtabili fixoque adſpectu continuoque oculorum exercitio delaſſatus connivebit, quod genus remedii HIPPOCR. *6. epid. Sect. 4. text. 17.* propoſuit, inquiens ſomnus ſtabilis rectorum nictatio, conf. & GALENVS *comment. in dictum locum*, quod ad ulteriorem experientiam perducendum eſt.

§. XVIII. Luna fœmineum ac molle nocturnumque ſidus, ubique male ſatis audit, & ejus lumen noxium, quoniam ob varios morbos cerebro præſertim inferendos, exaſperandosque ſuſpectum habetur. Atque nos ita quidem ſentimus: Luna non agit ita in corpora, ut hoc aut illud effectum conſequatur, niſi quia jam corpus ſic affectum eſt, ut luna hoc vel illud efficiat. Palam eſt, creſcente luna, noſtri corporis fibras laxari, vaſa diſtendi, tumeſcentiam fluidorum augeri, tranſpirationem humorum impediri, defluxiones varias tumoresque varios oriri & incrementum capere, ea vero decreſcente, ſtringi fibras, eaque ſymptomata minui, atque in mulieribus cæterum ſanis circa novilunium vel plenilunium ſe menſes exerere. Circa plenilunium major ſemper in cerebro humorum ſanguinis &c. turgeſcentia, congeſtio, decubitusque obſervatur, unde ſine dubio voluit antiquitas, ut circa lunam plenam inſtituerentur purgationes; verum decreſcente luna melius procederent excretiones, niſi quod languor major hic virium concurrat. No-

ctam-

ctambulis hoc præsertim, pituitosis, impuberibus & fœminis cephalalgia laborantibus N. PISO. *L. I. de M. C. & C. p. 27.* vertiginosis catarrhis ac defluxionibus acribus seri & sanguinis ophthalmiis &c. & morbis ex illis oriundis capitis cerebri & nervorum nervosarumque partium affectibus epilepsiæ (lunaticæ affectionis ideo dictæ) detentis, ut & convulsionibus, passionibus hystericis, tremoribus membrorum apoplexiæ (de qua præ aliis vid. ALEX. BENED. *Lib. I. cap. XXXIII. de curand. morbis.* & MACROB. *Saturn. Lib. VII. cap. 16.*) lethargo, paralysi, hæmorrhagiis, sanguinis sputo, vid. GRADI *Prax. p. 177.* asthmati hydropi, calculis, colicis passionibus, fluori albo, gonorrhœis renum doloribus obnoxiis, conf. SOLENANDER. *Conf. med. p. 116. S. 4. p. 136.* aut illis affectis infensum. In febribus, item varii generis, maxime malignis, putridis, contagiosis, ipsa peste (quoniam causam putredinis lunæ lumen auget) vitandum. In vulneribus, ulceribus spina ventosa &c. quoque lunæ decrementum & incrementum periti chirurgi, notarunt. Conf. SALMVTH. *Cent. 1. obs. 72.* Quod haud ignorasse Pythagoram innotescit, qui aliquando interrogatus, quomodo tam diu vixisset? respondisse fertur: Satur nunquam a mensa discessi, luna me nunquam vidit &c. Monet GALENVS *3. de diebus decret. C. II.* sub ejus lumine dormire malum esse, pallorem & capitis gravitatem statim subsequi, & ob hanc causam PLVTARCHVS *Decad. 3. probl. Sympos. 10.* ait. Lunæ radios si dormientes feriunt, stupidos & sensibus obtorpentes eos reddere. Convulsiones ex decubitu sub dio sic contractas vidisse refert JACHINVS *in L. IX. Rhaf. C. XIII.* Illustrat hoc HORATIVS *Sat. 4. L. XI.* quando vina nocturno cœlo exposita, nervis nocere dixit. Attonitos quandoque & aphonos reddere radios lunares testatur ZACVTVS LVSIT. *L. I. Prax. mirand. obs. 37.* plura vid. *in L. XI. de princip. hist. p. 37.* ALEXANDER BENEDICTVS *Lib. I. cap. XXXIII. de curat. morbor.* vidit dum in Creta esset quosdam, qui noctu lunæ radiis expositi, mane sideratos fuisse. Exemplum amaurosi ex aspectu lunæ plenæ correpti vid. apud HEER *obs. 47.* Alia inter alios plures recenset notabilia KERKRING *spicileg. anatom. obs. 92. p. 174. seq.* Hinc & recordatio subit S. Davidem Regem & Prophetam *Psalm. CXXI.* piis inter alias benedictiones etiam optat, ne luna eos lædat. Circa hanc materiam præter alios quod ANT. MVSA *in Lib. ad Mæcen.* affert, equidem jam non meum faciam, quando linteamina illius lumine infecta magnopere nocere dicuntur, & quando chirurgi monent, ne panni & linteamenta, quæ a vulneribus extrahuntur, radiis lunaribus exponantur, ut inter alios advertunt ANDR. BAL-

CASAR

CASAR *L. I. de vuln. c. XXIV.* JOAN FRAGOSO *in gloss. quæst. 100.* A. REIES *Elys. Camp. 1. Q. LIII. p. 669.* Notabile est, Verulamium, quoties luna eclipsin passa est, deliquio animi correptum fuisse. Conf. LEV. LEMN. *de occ. N. M. p. 331. 333.* Alioquin carnes ad lunæ radios expositas, teneriores coctuque faciliores evadere, perhibent. Efficaciam hanc lunæ, quæ tam in animalia quam plantas, nec non Oceanum, lacus majores, paludes, fluvios, alterando, turbando, mutando, adeoque non penitus negandam, operatur, juxta effluvia &radios, & qui ad nostram atmosphæram mittuntur a solis effluviis plane diversos & humidos potissimum pressioni adscribo, quæ aërem etiam compressiorem reddit, unde dein respiratio difficilior redditur & transpiratio impeditur, seri copia in corpore augetur &c. Quæ huic similitudini vulgo objiciuntur, servatum disputatorio conflictui est. Quod si res ita se habeat, cubicula a lunæ lumine bene sunt defendenda, obturando & armando fenestras, aut velis, aut (quod melius) valvis. E contrario hoc sydus partui salutare illumque accelerare, rimas corporis distendendo meatibusque viam dando (quod munus lunæ veteres assignabant, hinc Lucina) habebatur.

§. XIX. Ornatum an spectem? an etiam jam mihi negotii sit (ut cum Sapiente Seneca loquar) cum parietibus pretiosis, cum orbibus illis magnis atque fulgentibus, cum murrhinis & deliacis crystallinisque, (quibus pretium fecit ipsa fragilitas,) vasis cum pelvibus ac aquiminalibus argenteis, cum cubilibus istis in ambitionem compositis, per multum pretium multumque opus civitati notis, cum auleis istis Attalicis ex arcula modo prolatis, mensulis varietate macularum conspicuis & reliquo lautitiarum apparatu splendidissime exposito, quem ut aliquid novi luxuria commenta est, ne atria displiceant oculis venientis amicæ: JUVENAL. *Sat. XIV. 65.* Potius equidem reputo merito dicendum esse de cubiculo ægrotantium (Agragitis enim interdum ac Circensibus ut aiunt, alias pompa placet) licet & omni apparatu splendido, omni ornatu sumtuosissimo instructum illud sit, impensæ & pompæ saltim & fastus & vanitatis causa per omnes angulos distributo, qui accedentium oculos voluptate morantur, & accendunt invidiam, quod alias de carcere alii proferunt, quod nullus nimirum detur elegans & qui placere queat, carcer, licet haberet aureos clathros atque quod semper sit mala mansio, licet pretiositate aut arci Regis, in Insula Zipanon dicta, de qua MAIOLVS *Colloq. XXIII.* videndus; aut Regum Persarum cubiculo, cervical regium vocato v. HIER. DREXELIVS *T. II. p. m. 316.* ex *Athen.*

Lib. XII. Dypnosoph. vel Neronis J. R. vel Divi Marci Venetiis aureæ domui æquiparandus esset, cui loco arenæ, margaritæ erant. Si & lectus vel illum aureum Carbilii Pollionis Equit. Rom. vid. PLIN. *Hist. Nat. Lib. XXXVI. cap. XIV.* vel Julii C. de quo SVETONIVS, vel Heliogabali profligatissimi luxurii mancipii vid. LAMPRIDIVS *in ejus vita*, superaret, si & fulcra adamantina haberet, quorum meminit N. GERBELIVS *in Fab.* de aranea & podagra, quam exhibet nobis CAMERARIVS *in narrat. Aesop. p. 215.* Ambo tamen (inquam) manent vera vivorum sepulchra, dum ægri, ægre & in divitiis & paupertate se habent, quocunque illos transtuleris, morbum suum secum transferunt atque ægrotantes conclavi ejusmodi ceu carceri tanquam Latumiis Syracusanis (de quibus PERIZONIVS *in Anatom. Aeliani Cap. XII. XLIV.* agit & ANT. BOMBARDINI Paduanus, peculiarem tractatum conscripsit) mancipati sunt in quo sua libertate privati, in solitudine, multum boni amittunt plurimum vero mali adsciscunt illique ad minimum adsuescunt. Quin imo, jure dicendum est, quod inconvenienter illi satis agant, qui ejusmodi conclavia nimio interdum apparatu ad luxum saltem composito, exornant, peristromatibus campanicis & picturis sæpe lascivis (ut nihilominus tamen apud multos usu venit:) lenonibus lenisque magis quam ægrotantibus & moribundis dignis &c. instruunt. Est utique & his multum inane. Dantur atque adeo casus, in quibus ejusmodi indifferentia etiam & innocentissima quoque ægris splendore & varietate obsunt. Inter cujus rei exempla febribus acutis ardentibus laborantes, maniacos, phreneticos, delirantes, insanientes, melancholicos hystericas, saltem si nominare vellem, clara res esset sine dubio. Advocandus commode in partes nostras ROLFINCIVS est, qui in *conf. med. L. XI. conf. 4. p. 82.* in ejusmodi casibus omni studio præcipit, ut cubilia a picturis sint libera, quippe quæ visa mentem & phantasiam corruptam jam conturbatamque amplius magisque conturbant, conf. & N. PISO *L. I. p. 36.* atque oblatæ rerum species aliæ, quoque iis, quam quidem re ipsa sunt, apparent, vel quæ levem quandam similitudinem saltem referunt, vera æstimant, & peregrina simulacra accipiunt. Speciatim dici insuper & potest ex conclavibus, in quibus salaces satyriasi; gonorrhœa, furore uterino vexati continentur, removendas esse omnes picturas, imagines, spectacula, quæ rei venereæ usum, vel cogitationem saltem ejusdem in memoriam, ullo modo revocare vel excitare possunt quod & Lucretii consilium est: fugitare decet simulacra & pabula amoris. Nam externorum lasciviam sequitur augmentum internarum concupiscentiarum. Tale quoque

que consilium fuit a DIEMERBROECKIO datum vide ejus *Anat. Lib. I. p. 29. pro pica laborantibus.* Certe eos qui pompæ saltem causa ægrotantium cubiculum pretioso suppellectili exornant æque stolidæ vanitatis arguere par est, ac veteres Romanos, qui moribundis etiam ornamenta quævis afferebant atque adeo eosdem pulchro ornatu, armillis aureis ac argenteis, gemmis interdistinctis, induebant atque ornabant. vid. ERNST. *Delic. Histor. Coll. XL. p. 770.* Attamen iterum reperies casus, in quibus picturæ & statuæ atque sculpturæ ornatus atque iis ridens apparatus splendidus aliaque splendentia & quæ vario colore oculos in se convertant, e re esse censentur: Lethargi, cari, apoplexiæ & stuporis hic mentio est facienda. CARDANI hæc subtilitas est, quando *Lib. de subtil. de hom. nat. p. 651.* ad excitandam venerem depictas virgines formosas circumponendas, frigidis sic dictis, suadet. Suadent rursus alii tabulas in quibus congressus venerei artificiose repræsentantur, ante oculos ponendas, ut eas semper adspiciant, quoniam ejusmodi delectationem (quæ aphrodisicacis quoque accensetur) augerent, & mobilitatem spermatis excitarent, hoc enim, ut aliis quoque externis fœcundum & animatum redditur, per fortem libidinis phantasiam ut & de generatione docuit Harvæus. Quam rem adeo PETRVS ARGELATENSIS *Lib. V. tr. 18. Cap. VIII.* necessariam ad confortationem coitus habet. Conf. & VIDVS VIDIVS *oper. T. II. p. 652.* Objecta enim movent sensus adeoque & voluntates & voluptates carnis, & appetitum stimulant, & sensibile ex insensibili sæpius producitur, uti inaccensum potest fieri accensum. In hujus probationem quod nimirum & figuræ mentem movere possint, aliud quoddam exemplum legas licet de Zeuxi, qui ob depictam a se vetulæ cujusdam deformitatem, dum attente eam intuitus esset in tam effusum prorupuit risum, ut inter ridendum animam efflaverit, & aliud ejusmodi TIMAEVS A GVLDENKLE *Lib. II. cas. 16.* commemorat, & ut demonstret per ejusmodi picturas affectus corrigi posse: Nimirum Serenissimæ cuidam Principi ira sæpius tactæ ut ab ea eam detraheret, curavit, ut Megæra illa infernalis furia depicta, ante oculos poneretur, cujus atrocis furiæ adspectu illa etiam mota est Princeps, ut iram detestata in mansuetudinem componeret animum. Huc pertinet, quod ex Sorano & Augustino refert VOSSIVS *Theol. Gentil. Lib. III. cap. XII.* Dionysium Tyrannum cum propterea, quod deformior esset prolem nollet sibi similem gignere, in cubiculo suspendisse picturam formosam, ut eam potius quam mariti vultum uxor in animo haberet. Præterea aliis quoque, qui plus nitori quam sanitati student, lædi pos-

ſunt: exemplum inter alia modo ſit arthritis ex menſa marmorea contracta apud BARTHOLINVM *in Actis Haffnienſibus Philoſ. & Med. Vol. III. & IV. p. 169. legenda.* Neque vana prorſus ratione quis exiſtimet, interdum eſſe conclave & lectum ſericis ornamentis & gratis ægrotantibus picturis, ſtatuis & figuris ornandum, ut viſus & ſenſus delectationem percipiant & demulceantur atque mens exhilaretur exciteturque, ſenſibilia enim jucunda ſunt & ſpiritus animales & ſanguinem afficiunt. Atque ex aſſiduo figurarum earum adſpectu, quæ oculos in ſemetipſas convertunt, provocatur ſomnus, ſicut provocatur, quando hiſtoriæ narrantur, muſicæ & ſuſurra lenia audiuntur, quod a ſummo Præceptore HIPPOCR. propoſitum auxilium eſt *6. epidem. Sect. IV. text. 17.* Figuræ & picturæ conviviorum, nuptiarum &c. movent appetitum, ut iram præliorum &c. Hunc in modum C. CELSVS *de med. Lib. III. cap. XXIV. p. m. 176.* & NIC. PISO *Lib. III. p. 321.* adducunt, in ictero v. g. lecto, conclavique cultiori eo reſpectu opus eſſe additque ille, ob ejusmodi animum exhilarantia, morbum dictum fuiſſe regium & RODER A CASTRO *Med. Polit. p. 158.* vult, menſa floribus aliisque ornamentis vaſorumque nidore eluceat, quoniam appetitum revocaret reſtauraretque. Stricte hoc plurimi Anglorum præſertim obſervant in atrophia maxime, ſive nervoſa, ſive phthiſi, quibus uti & convenit victus deliciis plenus & varius, ita & cubiculi apparatus nitens & gratus. Pariter J. MANARDVS *Epiſt. 4. L. X.* cubiculum melancholicorum floribus exornat. In viſus debilitatione ex ſpirituum inopia ſpecula plura circumpoſita viſum reficiunt, quoniam reflectuntur radii ac ſpiritus robur concipiunt ac ſe conferunt copioſius. Fertur, Ariſtotelem Alexandro M. ſuaſiſſe, ut ad viſum recreandum & conſervandum ſæpius adſpiciat ſpecula, ut etiam ſecundum ſcholam Salernitanam, fons, ſpeculum, gramen, dant oculis levamen. In hujus gratiam etiam expedit ut per conclave picturæ atque panni virides & cœrulei expandantur.

§. XX. Præcipuum in ægrotantium conclavi utenſile lectus eſt, nihilque ægris lecto lectius, hoc unicum ægrotorum refugium, hæc infirmorum percommoda & peroptata manſio, nil eoque magis iis neceſſarium eſt, quum remedii etiam non raro impleat vicem, adeo ut ſolo maturo tranquillo & convenienti decubitu bene collocati æqualiterque ſtrangulis contecti, juxta ſomnum, qui nutrit, ſimul protractum, a morbis liberentur & reficiantur. Et ſane impuritatum, cruditatum, quæ fomites ſunt morborum, digeſtio, conſumtio, ſecretio, refectio virium & inſtauratio, vix alia ratione felicius, facilius, meliusque procuratur

placida

placida quiete & decubitu teporeque fovente suo, qui calorem internum corporum blande fovet & excitat, qui ut omnes uno ore affirmant coctionem perficit omnem atque sudorem spontaneum deducit, quem & ambientia juvant: Lecti enim æqualiter convenienterque corpora contegentes, caloremque naturalem fovent, conservant augentque, atque jugem & faciliorem sanguinis circulationem juvat in illis decubitus decenter compositus. Hinc CELSVS *Lib. V. cap. XXVI.* ait: optimum etiam medicamentum quies est corporis pariter atque mentis quietem efficiens. Atque, quod quibusdam paradoxum esse videatur in senibus vel summe debilibus motus debiti defectum ut sobrietas ita & protractior in lecto decubitus supplet & alimenti confectionem, cruditatum vero consumptionem juvat. Id innuit iterum CELSVS, scribens: *qui bene concoxit, tuto mane surgat, qui minime, in lecto diutius quiescere debet.* Exinde intelligitur, quibus in morbis præcipue longior in lecto decubitus proficiat & loco remedii sit: v. gr. in omnibus diarhœis, lienteriis, dysenteriis & reliquis ventris profluviis, secundum AETIVM *Tetr. III. S. 27.* & CELSVM de *med. Lib. I. cap. VI.* nec non in maximis doloribus ut & inflammationibus ac ubi tumores & vulnera maxime in pedibus aliisque partibus ad motum ciendum & progressum promovendum factis, infestant ut & in calida & sicca, vulgo vocata intemperie, biliosa & similibus. Idem suadendum extenuatis macris atque e maciatis ac imbecillis (propterea, quod quietis beneficio spiritus refocillantur & corroborantur corpusque grata humiditate perfunditur) in morborum item declinatione nonnunquam febrium, ut materia eo citius digeratur superstes. CAROLVS PISO, vir eximius, qui medendi rationem potissimum a veterum observationibus traxit, monet *Lib. I. de Morb. Intern. C. VI. p. 35.* ut ii qui cephalalgia ex bilis abundantia laborant, quiete utantur maxima somnoque largiori, ut adsit animi tranquillitas & hilaritas, fuga iræ, curarum, mœroris, studiorum, amorum. Observavit EXPER. SYDENHAM quod cum in febre continua ab ipso observata, ægri diutius quam par erat a lecto abfuissent, eos in dolores vagos, rheumatismum, iterum incidisse, curam horum autem attulisse, si iterum lecto addicti fuissent, & *p. 588.* podagræ obnoxiis suadet laudatissimus auctor hyeme præsertim, ut diu in lecto, licet non dormiant, commorentur. Sigillatim recenset, de juvene febre pestilentiali laborante, in quo cum medicamenta nihil perficerent & tandem omnia iterum rejicerentur, sepositis omnibus iis, decubitu solo in lecto & tranquillo situ, spontaneo sudore oborto, symptomata omnia remissiora

facta, medicamenta deinceps exhibita, retenta & morbum superatum fuisse. His jungo prostratione virium notabili animi deliquio stipatos morbos, febres malignas &c. quibus detenti extra lectum vix se continere, ne dicam, caput erigere valent, & quibus exantlatis etiam aliquandiu adhuc eum non relinquant. In angina itidem quies primis imprimis diebus imperanda, adeo ut ne linguam quidem vel loquendo vel masticando commoveat æger? Decubitus per longum temporis spatium protractus æque necessarius est, in fracturis ossium, qui tunc fere ad sanationem, agglutinationem perfectam majus adfert momentum, ac ipsa emplastra, & quibus ulcera in cruribus sunt, hos neque ambulare, neque stare, neque sedere oportet, atque aliæ circumstantiæ idem exposcunt. Sic v. gr. modo laudatus Sydenham adducit, quod in venæ sectione melius cum ægro agatur, cum cubanti ℥x. fuerint detractæ, quam si VI. vel VII. tantum amiserit, postquam surrexit. Qui & facile animo hac chirurgica operatione linquuntur, illa decumbentibus præstat. Circa alia medicationum genera alia atque alia observanda occurrunt v. gr. de Borbonienſibus in Gallia & Bathonienſibus in Anglia aquis mineralibus MAYERNIO vid. *op. med. p. m. 344.* & GVIDOTTO vid. *tr. de therm. Britan. p. 251.* & Præsidi de thermis Carolinis constat, has minerales aquas pro cura potas, in quamplurimis subjectis longe citius & facilius per alvum etiam atque vesicam a decumbentibus in lecto quam deambulantibus reddi. Quanto magis vero necessarium, quantoque expetitius hoc ægris solatium, tanto magis misera atque calamitosa funestaque illorum conditio est qui cum IOBO ex *Cap. VII. v. 13.* queribundi suspirant: *Eheu non consolatur me lectus meus: Ah quando sustentabit me in querela mea cubile meum.* Atque quorum aut inquietudo (qui & permutationem lectulorum acrius adurgent, cum iis ordinario res est conclamata) aut afflictio ac certa morborum genera vix ac ne vix quidem permittunt exoptata hac requie frui. Orthopnœa præprimis est hoc nomine memorabilis ut & asthma fere omne in iis præsertim frequens, qui obnoxii & obsessi sunt angina, peripneumonia, strumis colligrandioribus, polypis cordis, pulmonum infarctu, hydrope pectoris, abdominis, lienis, & mediastini inflammatione, tumore scirrho, &c. Si enim decumbunt in lecto, & corpus stragulis coopertum quiescit, ex illis calefit, ex qua incalescentia sanguis concitatiori motu agitatur, unde turget atque sic uberiorem & frequentiorem aëris inspirationem, ut promoveatur respiratio, requirit, quam per asperam arteriam & bronchia coarctata exinde possit suppleri, ex quo harum partium omnium

labor

labor efficitur, quo plus enim ſanguinis quoque frequentius ſyſtole diaſtoleque trajicit per pulmones, eo copioſius & frequentius aër accedere recedereque debet. Ob ipſum decubitum horizontalem & multo magis ſupinum forte dein & magis & urgentius premitur diaphragma reprimitque ſuperiora verſus, pulmones, qui in arctius coguntur ſpatium, quo rite ſeſe expandere nequeant; vel ſerum extravaſatum peccansve loco, aut pus intus collectum, pulmones undique inundat, faciliusque afficit obruitque. Rurſus humores ſtagnantes, ſanguis, lympha, ſerum facilius deſcendendo refluunt, minoremque experiuntur reſiſtentiam, quam ſi in æquilibrio adhuc ſubſiſtunt humores, aut ſi aſcendunt. Quemadmodum experimur digito forte inflammato, panaritio &c. dolorem augeri, digito verſus ſolum declinato & pendulo, minui vero digito elevato arrectoque, aut tumores augeri, ſi humores libere remeare nequeunt: v. g. pedum œdematoſi enormiter ſæpe augentur, quando ſtant, ſedent (maxime cum curru vehuntur) & ambulant; lecto vero jugiter æquali poſitura decumbentibus ſenſim diſſipantur minuunturque. Ubi mihi in mentem venit, mirus quidam caſus a LENTILIO *in Miſcell. P. II. p. 529.* recenſitus, de quodam ſummis doloribus & convulſionibus afflicto, ubi quieverit, ubi vero concitato curſu inceſſerit, melius ſe habuit. Præter hæc haud raro etiam non tam remedium laborum & ægritudinum lectus eſt, & in eo longior decubitus, quam cauſa, de quo plura adhuc exempla exhibere poſſemus, niſi ſequentia varia ejusmodi in memoriam revocarent, & hoc ſaltem foret exemplo, quod longior decubitus dolorem, intertriginem &c. contrahat, circa quæ tamen magna morborum & hominum occurrit differentia, ubi recordor illius miræ cutis teneritudinis apud Gaſſendum adeo, ut quacunque corporis parte vel tantillo veſtium contactu rubedo, pruritus & tumor exorirentur. Ejusmodi ſi accedunt atque longius tandem tædium contrahitur molliſſimi etiam lecti ſic decumbentibus duriores videntur ac recte valentibus ſaxa, ut proverbio dicitur.

§. XXI. Etenim hoc etiam veriſſimum eſt, in multis morbis atque in levioribus præcipue malis conferre, ægros non ſtatim lecto committere, nec ſemper & diu nimis illo affixos tenere, ſed & prima invaſione, ut & in ipſo morbi ſtatu, extra illum in ſella ſervare, aut ſi quandoque & quotidie & aliquoties per aliquot horas (morbo vehementiori, intenſiori febre, vomitu enormi, vertigine, animi deliquio, artuum dolore & ſimilibus non contra indicantibus) a lecto ut abſtineant, ſurgant, ſubinde obambulent & ſedeant, ut morbus cum minori moleſtia ac breviori

inter-

interdum ſpatio tranſigatur, ut ægri minori ægritudinis tædio, tempus peragant, ac ſymptomata multa & incommoda ut alvi conſtipatio, urinæ obſtructio, reſpiratio parva & denſa præcaveantur &c. Certe experientur ægrotantes, quod leviora incommoda facilius excutiantur, ſi reſiſtant tantiſper illorum inſultui, nec lecto ſe mox abſcondant ad primas illorum perceptiones atque exſpectent, donec majori vi morbi, eo adigantur. Sique forte major debilitas obſtet, ſaltem veſtibus induti lecto incumbant. Notanda in hæc ſunt HIPPOCRATIS verba, qui & alibi quorundam ægrotantium hoc intuitu pigritiam & puſillanimitatem caſtigavit, quando dixit *epid. Lib. VI. p. 347. Morbi quidam ſunt difficilis judicationis, quorum ſolutionem ſi exſpectes antequam ægroti e lecto ſurgant, illi certe langueſcent & facultates obliviſcentur ſuorum munerum & interibunt.* Item, convenit ſæpe cogere ægrotantes ut lecto ſurgant, etiam nondum integre curati, atque torpentes ad ea quæ agunt ſerio excitare, nam paulatim ſic pigrities deponitur, & facultates velut reviviſcunt, atque ita ſuperantur morbi, qui alioqui a jacentibus & otioſis nunquam ſuperarentur. Vid. & SYDENHAM. *l. c. p. 186.* obſervavit etiam hic laudatiſſimus Auctor inter alia ex longiori in lecto mora (ſi ſcil. in principio & incremento morbi, uti modo dictum, in lecto manſiſſent,) rheumatiſmum phrenitidem & icterum ſubſequutum eſſe *p. 283.* Non ex ingenio tantum comminiſcuntur, qui exiſtimant, apoplecticos in paroxyſmi vigore non ſtatim in lectos conjiciendos eſſe, & ſtragulis cooperiendos, cum ſatius ſit illos (ſi non adeo tenerioris & imbecillis ſint conſtitutionis) extra lectum in ſella ſaltem per aliquot 5. 6. 8. horas, uſque V. Sectio inſtituta aliisque remediis adhibitis, circuitus humorum liberius meet, detinere. Experientia enim teſtis eſt, atque inter alios Auctores FAVENTINVS *Tr. p. 665.* apoplecticis, ſi ſtatim lecto committuntur, majorem ad ſomnolentiam propenſionem adeſſe. Sanguis enim ob ambientem lecti calidi calorem magis exæſtuans ac exagitatus obſtructiones vaſorum capitis & cerebri minimorum, adauget. Experientiſſ. iterum SYDENHAM *l. c.* atque adeo errorem hunc optime agnoſcit advertitque, quod lecto præpropere nimis, inprimis juniores & ſanguinei magis affigantur variolis, morbillis & ejusmodi exanthematibus laborantes, vel in quibus illorum ſuſpicio eſt, 4to enim demum die lecto ægros hos adjudicat, modo in cubiculi ambitu ſe contineant, & demere juſſit ſtragulorum onus, ne forte immoderato & præmaturo lecti calore cito nimis propellantur, ejusmodi ex anthemata, cum certum ſit, eo magis univerſalem fore materiæ ſeparationem, quo tardius prorumpant, nec adeo

adeo facile retrocedere: Sanguis enim in motum violentiorem concitatur, quam qui materiæ variolofæ feparationi rite peragendæ par eft. Idem *Sect. III. Cap. II.* mirum cafum affert de juvene (variolofo) qui pro mortuo habitus, nudus libero aëri expofitus erat, quo vero incolumis evafit. In febribus porro intermittentibus, ægris, ægre ipfe concedit decubitum, & ob illum corticis peruviani ufum fufpectum atque fruftraneum habet, imo adeo ab eo, mortem metuit. Simile judicium efto de omnibus morbis acutis & cum excretionibus cutaneis aliis ftipatis febribus ardentibus, fymptomaticis & fecundariis, hectica item & tabe, inflammationibus inprimis internis, angina & pleuritide, phrenitide præfertim. Expertum enim habemus in his, ut & rheumatifmis V. Sect. atque medicamenta appropriata, refrigerantia &c. parum procedere, nifi ægri per aliquot horas, fingulis diebus, a lecto abftineant. His facit fidem præter alios BONETTVS, qui *Merc. Compit. p. 224.* ardentibus febribus quibusdam, quæ cum fummo capitis dolore, ardore, fonitu aurium, caligine oculorum, deliriis, ftuporibus infeftant, & ab eo, capitalibus vocatis obfervatum fuiffe fcribit, optime ægros fe habuiffe, fi quotidie lecto, faltem ad horas aliquot, abftinuiffent, vel fi veftes faltem (fi ob debilitatem non licuiffet) induiffent & fupra lectum cubaffent, capite paulo elatiori, rationemque apponit, quam ibi vide. Non modo hoc in ejusmodi fudoribus febrilibus fed & in omnibus morbis fudoribus nimiis ftipatis, tenendum, quoniam affiduo in lecto decubitu, fudoris caufa, vaforum extremis præfertim laxatis atque debilitatis eos augeri videtur. Lectorum & ftragulorum moles & accumulatio prætereà in his modo adductis morbis ut & maxime in cardialgia, fyncope & refpirationis vitiis laborantibus valde etiam obeft, illa aggravantur magis & refpiratio & anxietas ftatim fit difficilior graviorque &c. Hic non poffum non aliquorum & pene multorum errorem feorfim taxare, qui caput & faciem cervicalibus & ftragulis pulvinaribusque obvolvunt, operiunt, ac tantum non obtegunt, ex quo dolores aliique capitis affectus cum aurium fufurris, pilorum defluvio & catarrhis, gingivarum inflammatione, halitus fœtore &c. contrahuntur. Infpiratus etiam infuper proxime aër ab ipfius ægri exhalationibus inquinatur, ex quo morbus augetur ex facili.

§. XXII. Commoditatis eft, fi fponda ex ligno leviori fabrefacta, ut facili negotio transferatur, fit & humilis, ut eo commodius æger fe in lectum recipere & fimul iterum defcendere poffit. Talis præcipue neceffaria erit in ejusmodi morbis, in quibus frequenter ægroti lectum

 afcen-

aſcendere deſcendereque v. gr. ventris fluxionibus, diarrhœa, dyſenteria &c. habent neceſſe. Sit quoque ampla & lata, ut ſi forte lectus per diuturnum decubitum comprimatur eoque magna decumbenti moleſtia dolorque creetur, ad diverſas partes, membra ardore forte & dolore excruciata, & dimovere interdum, eoque melius ſe in requiem & ſomnum componere poſſint ægri, ac in febribus ardentibus forte & ſimilibus torreſcentes per flabellum quaſi aërem gratum frigidiusculum ſibi concitare atque ſic blando interdum refrigerio moleſtum calorem, temperare. Conf. R. A CASTRO *de Morb. Mul. Lib. VI. p. 132.* Attamen COELIVS AVRELIANVS *de Morb. acut. Cap. XXXVII.* lecti latitudinem & ſpatium tantum probat, quantum ægro ſufficiat, ne alterna & frequenti verſatione per eum frigus corpus occupet & relinquens ſpatium nativo calore occupatum, quo evaporatio inſenſibilis præcipue inhibetur, quod in ejusmodi morbis, in quibus ea maxime neceſſaria eſt, obſervare licet. Alias ut ex illo loco ſimul apparet, ſi parare lectum ſpatioſum ita velint, ut hæc verſatio corporis impediri poſſit, conſultum, pro rei exigentia ſpatioſiſſimum & ampliſſimum lectum conſtruere, ut mutatio quandoque fieri poſſit & in altera parte interea lectus duplicata quaſi ſerie inſtructus de novo ſterni, & ut ſic non neceſſum ſit, ægrum in alium transferre, quoniam hæc translatio ægris ſæpiſſime incommodum, debilitationem, imo animi defectum affert, ut ſic mutatio, lecti mutatione fieri queat. Idem COEL. AVREL. ſæpius laudatus *Lib. XI. de morb. chronicis Cap. XIII.* in hæmorrhagia & *Lib. I. cap. IX. de acut.* phreniticis & pro maniacis *Lib. I. de morb. chron. Cap. V.* lectum bene ſtabilem & immobilem ac non ſine cauſa requirit. Præſertim vero contectus lectus ſit altus, ne, propter humilem tectum ex aëre concluſo & vaporibus ex ipſo decumbenti exhalantibus, diu inibi retentis moleſtia & noxa augeatur. Quare incommodi ſunt lecti veteres germanici dicti depreſſi, commodiſſimi autem hodierni gallici nominati, qui alti & conclavis tectum propemodum attingentes. Stragula ſint levia & mollia æqualiter & leniter ſtrata, imprimis in morbis qui doloribus magnis excruciant. Sic in iſchiadico & pſoadico malo, COEL. AVREL. mollioribus ſtragulis jaceant ægroti, vult *Lib. V. de Morb. Chron. Cap. I.* ut ægri eo commodius tranquilliusque in illis conquieſcant, & patientes minus ſint patientes. Hoc animadvertens Galenus, lectos molles febricitantium nominatim eſſe voluit tanquam difficilis tolerantiæ inquietationis correctorium. Molliſſima quoque ſint in venere languida utroque in ſexu, enterocele, pervigilio &c. HIPPOCR. *Rat. vict. in Ac. Sect. 4. p. 387.*

&

& morbis renum, nervis vulneratis, in continuis, putridis RIV. *Prax. L. XVII. p. 308.* & ſimilibus. Sæpius etiam animadvertes, licet lectus ſatis ſit levis, quod tamen in acutis ſc. (funeſto indicio) in doloribus, inflammationibus, de ejus gravitate conquerantur, ne dicam, quibus lintea ferre grave ſit. Sed etiam lecti duri interdum magis e re ſunt, de quo GALENVS *de ſalubri diæta Cl. II. p. 81.* Itaque lectos molles in hydrope & imprimis anaſarca plane damnant. N. PISO *l. c. Lib. III. p. 334.* L. FVCHSIVS *de cur. rat. 327.* & SCHOLZ A ROSENAV *conſ. M. p. 362.* Phthiſici non in lectis mollibus & pulvillis, ſed duriuſculis jaceant. Eundem in modum, de omnibus item in genere malignis febribus HIPPOC. *Epid. text. 68.* idem ſentit, ubi dicit; neque ægrotantem multis tegumentis opprimi ne febris augeatur. Eadem mens, eadem ſententia RIVERIO *Prax. Lib. XVII. cap. I. p. 308.* fuit. Alii ut mollem corpus implere, ita durum lectum illud extenuare, contundere atque appoſitionem alimenti impedire ut C. CELSVS *de Med. Lib. I. cap. III.* voluit, alii eundem alii rurſus carnem & oſſa firmare, habent & ſcribunt, quare & Poloni præſertim ejusmodi probant, a Germanis ideo, dicitur, maxime in Polonia quoad lectos & jejunia magnam patientiam eſſe. Et GALENVS *L. de art. Cl. VII. p. 519.* adducit ſibi conſtare quosdam frumenti acervis obvolutos & abſconditos, a ſomno ſurrexiſſe firmos ac reſiccatos. Alii lectum parant huic fini ex arenis, de quo conf. G. FRANCVS & REISELIVS *in E. G. N. C. &c.* Adeo multum refert hoc conſideraſſe, ut Hippocrates ſedulo moneat, non eſſe negligendam contemplationem cubilium, ut ſciat Medicus durone an molli uti æger ſtrato conſueſcat, & quo in loco habitare & jacere debeat, quod ſane ad morbum plerumque multum valet. In hæmorrhagiis, COEL. AVREL. *l. c. Cap. XIII. p. m. 401.* ſtramenta minime cedentia, eſſe vult. Convenientiſſimi de cœtero cenſendi ſunt illi lecti, qui velamentis obtenti ſunt: ea enim dirigunt aerem nimirum, quoad ſuas qualitates, quare & lectus, conopei etiam ratione, ſit amplus, ne concluſus aër ibi contineatur. Ad abigendas muſcas &c. commodiſſima forent veterum Ægyptiis primum, dein Romanis quoque familiaria conopea, ut Herodotus & Plinius habent, cum de noſtris conclavibus idem dicere non poſſimus, quod de Herculis æde SOLINVS in *Memorabil. Mundi P. I. p. 4.* dixit, quam nec muſca, nec canis ingrediebatur. Speciatim bene monet N. PISO *l. c. pag. 36.* ut lecti delirantium, phreneticorum &c. ſtragulæ æquales ſint & glabræ, neque circa illas aliquid protendat, ne floccos colligant, illis utpote communiſſimum, quo ſemper delirium efferatius

tius manet. Porro lectus non contiguus ſit muro forte humido & frigido, ſed remotus ab illo, quia in febribus intermittentibus & in morbis, in quibus frigus nocet, id multum officit, inprimis cum dorſum & pedes denudent decumbentes, ponaturque, ne verſus ægrorum faciem lumen & fornacis calor ſit, quæ ambo incommodum adferunt, atque non ſolum incommodum, verum etiam noxam & morbum, ut v. gr. notum eſt: aſpectum ſaltem ignis longiorem ophthalmiam cauſari, & quod pejus eſt, caput fornaci calenti obverſum apoplexia non raro tentari. Sint lecti quoque foribus & feneſtris per quarum rimas anguſtas ventus vehementius ſpirat, adeo ut nunquam non, circa eos aliqua eaque fortior ſentiatur aura, averſi, ne aëris forte frigidioris & luminis acceſſu, & ex hominum ingreſſu turbentur & lædantur, decumbentes &c. Providæ tenellorum infantum nutrices, ita incunabula ponunt, ut feneſtra ſit retro caput longe & nullo modo ex latere, ne infanti ſtrabismus inducatur. Ad magiam naturalem hoc forte pertinet, in gratiam illorum, qui talia credunt addendum, & quod Experientiſſ. HELF. IVNCKEN *in Med. ſuo præſenti ſecul. accommod. p. 778.* ut expertum allegat, penes quem etiam fides ſit: Si nimirum parturientis lectus eo in loco locaretur, ubi ante multos etiam annos cadaver hominis demortui repoſitum fuiſſet, vel in quo loco homo quidam animam exſpiraſſet, non parere poſſet parturiens, donec alio transferreretur; atque adducit morem nonnullis in terris ſatis uſitatum, quo parturientes locant illuc, ubi menſa ordinario poſita eſt, cum ibi raro demortui reponerentur.

§. XXIII. Ut vero diverſis infirmis melius conſulatur, vario modo lectos conſtruunt. Sic & varii proſtant hinc inde lecti difficile parturientibus, laſſis & imbecillibus maxime accommodati. Lecti penſiles priſcis jam noti atque uſitati, in quibus tanquam in cunis demulcentur, apud quosdam Primates adhuc inveniuntur, ut Pariſiis annotavi, quod & ibi pro apoplecticis & ſimilibus lecti penſiles, mobiles & verſatiles habeantur, ut ægri vehementius poſſint commoveri & excitari, quod inſtitutum etiam laudat DOLAEVS *Encycl. med. P. I. pag. 169.* Nec deeſſe crederem eos, qui Indorum in Promontorio Jamaico, de quo vid. *Act. Phil. Oldenb. Anno 1668. M. Jun.* in morem lectos pendulos optarent ut ſub blanda volutatione incunabulorum ad inſtar, dulcius ſomnum caperent. Aſclepiadem Pruſienſem (qui varia blandimenta excogitavit atque maxime τὸ jucundum ſpectavit) illos inveniſſe creditur, vid. PLIN. *Lib. XXVI. v. 3.* Adhibebantur vero non ſolum ad delicias ac voluptates vel ad ſomnum conciliandum, ſed & ad infirmos exercendos & mul-

tos

tos morbos abigendos, dolores leniendos, ad appetitum excitandum, ut ex Antyllo, Aetio Cœlio, Avicenna, Galeno, Herodoto, imprimis colligere eſt. Sic verbi gr. GALENVS *meth. 10.* voluit, ut hectici in lecto ejusmodi portarentur. OCTAV. HORATIANVS *Lib. II. rer. med* pro phreneticis, quos contumaces vigiliæ perturbant, commendat, ut lectus ſuſpendatur & ad vicem geſtationis agitetur, affirmatque frequenter ex hac motione, veluti & oculis & mentibus occupatis, ſomnos dulciſſimos procuraſſe iis. Illud geſtationis genus in variis morbis inſtituit Baglivius. Amant multi lectos ferreos, ne moleſtis inſectis infeſtentur, quamobrem Oggium R. Baſanit: talem habuiſſe Cl. Clericus putat. vid. HVET. *Demonſtr. Evang. propoſ. 4.* Tales Venetiis maxime etiam habentur utplurimum ad impedienda inſecta, quæ ibi ob atmoſphæræ humiditates, uberrime generantur. Ob hanc etiam rationem Incolæ Braſiliæ, retia perdicibus tendunt, ut in his lectis penſilibus ſecuri dormiant & volvendo quieſcant, liberi a vermibus & halitibus malignis ex terra adſcendentibus ut P. DUVAL. *Geogr. gen. P. I. p. 143.* refert. His non ſine ratione Aſclepiades morbos curabat, ægrotantes nimirum in his movendo & exercendo, ut morbos extenuaret (ut effert) horumque uſum in curandis morbis multi inter Dalmatas adhuc retinent.

§. XXIV. In lectorum electione, haud inutilia ſequentia ſunt & obſervatu ſæpe neceſſaria, ne quies fiat moleſtia. Lecti ordinario noſtris his præſertim oris ex plumis anſerinis conſtruuntur, & linteaminibus, qui tamen imprimis levioribus illis plumis ſuffarcti multum calefaciunt & ſiccant corpora tamque variorum morborum cauſæ exiſtunt, teſte HERM. CONRINGIO *in Diſſert. de Germ. hab. antiqui & novi cauſis p. 81. ſeq.* Hoc quoque indicat ROD. FONSECA *de tuenda valet. Cap. XVIII. p. 100.* ſcribens: Ne dormiamus culcitris plumeis ut in Germania fit, nam is decubitus calculos renum gignit, calorem externum conciliat & ad tabem præparat. Hincque aliis certis quibusdam morbis ut inflammationibus, palpitatione cordis, reſpiratione difficili, vertigine, ſcotomia, aurium tinnitu, capitis dolore, variolis, morbillis, purpura, arthritide vaga, præſertim rheumatiſmo, catarrho ſuffocativo, aſthmate convulſivo, eryſipelate, lue venerea, ſcorbuto calido inveterato, dolore capitis atque crurum, præſertim ſcorbutico, pollutione nocturna, gonorrhœa, nimia ſalacitate, nymphomania nephritide (renes enim nimio calore plumarum incaleſcunt, exſiccantur & ad calculum generandum opportuni fiunt) urinæ incontinentia laborantibus (de quibus exempla hinc inde nota ſunt) & ſimilibus in genere in omnibus morbis a ſeroſa collu-

vie oriundis, haud satis utiles sunt. De odondalgia ab humoribus, salsis in vulgus quoque notum hoc est. Item in hæmorrhagia, aneurismate, nimio mensium fluxu, fluore albo mulierum, vid. DOLAEUS *l. c. P. I. p. 756.* atque hectica RIVER. *Prax. L. XVII. c. III. p. 302. &c.* infensi esse videntur. Intolerabilius ægri ejusmodi ferunt lectos, ab illa imprimis volucris arcticæ lanugine, Edderduhn, quæ præ omnibus aliis calefacit, quæ tegit corpora, eaque exagitat. Huic fere accedunt antiquissimorum ex pellibus stragula, quibus usu fuerunt Atalanta, Jasonis filia v. AELIANUS *H. V. Lib. XIII. cap. I.* Daphne Penei filia v. OVIDIUS *Metam. Lib. I. v. 475. seq.* De Saturni temporibus JUVENALIS ita canit *Satyr. VI. 5. seq.*

Silvestrem montana torum quum sterneret uxor,
Frondibus & culmo vicinarumque ferarum
Pellibus.

VALER. MAX. *Lib. IV. cap. III. n. 11.* Catonis continentiam laudando ita scribit. *Age, si quis jam pellibus hædinis pro stragulis utatur - - nonne miserabilis existimetur? Atqui ista patientissime Cato toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo cum summa dulcedine continebat.* Non modo mihi notus, sed & affinitate conjunctus est, qui quando pulvillum plumis anserinis farctum, pectoris regione, ad excludendum frigus gerit, anhelatione vexatur; demto vero illo pulvinari, extemplo liberius spiritum ducit. Hujus ætiologiam si quæris, forte hæc sufficiet, quod ejusmodi utpote molliores, leviores, calore suo magis intenso densoque, sanguinem in concitatiorem justo, motum agant, ex quo vasa sanguifera in pulmonibus magis implentur & distenduntur ductusque tracheales sic magis adhuc comprimunt arctioresque reddunt, quo aëris sufficientis accessus & negotium, systoles præcipue impeditur. Atque per motum hunc magis concitatum partes acres salinæ, tenues acriores adhuc & tenuiores redduntur, ut minima spatia partium solidarum & ductus eo facilius possint subire, ut fibras nerveas vellicent magis & corrugent, materiamque peccantem, aërem intestina magis motione commoveant, alliciant, ad orgasmum disponant, &c. Addo & hoc, plumas, pulverem plumaceum semper reddere, in vitiis respirationis nocivum easque ex corporum sudore ejusque humiditate facile situm fœtoremque contrahere, quod vitium dein, quasdam morborum causas constituere potest. Hecticis præterea & tabidis cavendum est, in sudoribus nimiis, ne in lectis justo calidioribus & plenis nimium plumis, dormiant. Siquidem

&

& lecti molliores & qui facile cedunt ut concavi evadant, in ejusmodi morbis ob hanc etiam rationem, non æque conducunt, cum nimis vaporatione sua resolvant, perhibente COELIO AVRELIANO *de Morb. acut. L. II. c. XXXVII.* atque ideo hos ibi in passione cardiaca atque in aliis alibi non admittit. Commodiores igitur erunt lecti apud Gallos præsertim & Anglos usitatissimi, ex culcitris laneis, gossipio &c. confecti cum nobis desint vimina illa Sinensium mirabilia ab illis, Tengs, dicta, e quibus subtilissimas & mollissimas storeas parant, in quibus nudi decumbunt, maximaque laude extollunt pro sanis pariter & ægris commodissimas habitas. Horum ea quoque est commoditas, quod corpus undique jugiter & æqualiter obtegant, alii vero hiatus quosdam relinquant. In dormientibus enim stragulis detectis magis impeditur perspiratio, quam in vigilantibus vestibus denudatis, cum ob quietem dormientium feriantibus plurimis musculis (nam cor & diaphragma saltem, & qui huic auscultant musculi in iis aguntur & agunt) tum quia calor externarum partium refugit, adducta ex Sanctorii observatione, maxime dum ventres dormiendo calidiores sunt, quam vigilando, extremus corporis habitus frigidior ex HIPPOC. *Epid. L. VI. text. 11.* effatu. Hinc & notabilem persentiscimus pulsuum diurnorum nocturnorumque differentiam. Hinc & experimur, non evaporari noxia effluvia per cutis poros refrigeratis externis, etiamsi interna calidissima sint imo urantur; Frustra tunc etiam fortissima sudorifera propinabis, imo lædes potius, dum sanguinem magis turgescentem & symptomata singula exasperata efficies. Refert Illust. BACO DE VERVLAM. Hibernos ægrotare incipientes nihil prius facere, quam ut lintea e stratis tollant, & laneis pannis se convolvant. *Hist. V. & M. p. 538.* ROD. A CASTRO *de morb. mul. Lib. II. p. 332.* commendat lectum laneum & stragula tenuiora. RIVERIVS *P. M. L. XVII. p. 308.* dicit: in febribus putridis continuis plumea strata auferenda, & lanea substituenda esse. Quinimo in sudore colliquativo, febribus, hecticis præsertim familiari suadentur lecti ex corio vento repleto vel decubitus (imprimis tenuioris fortunæ hominibus) super saccum saltem lineum, in quo farina frumenti antehac asservata, aut super linteamina multo amylo rigefacta ad mentem HOFFMANNI in *Clave.* Similem in modum Celeberrimi longe Medici bini WALDSCHMIDIVS atque DOLAEVS variolis atque morbillis laborantibus lectos plumarios dissuadent; suadent vero ex corio tegumenta confecta. Paralytici a quibusdam in vinaceis aliisque similibus ex arboribus resinosis reconduntur. In Gallia in mictu sanguinis & fluore uterino aliisque morbis plumbi laminam

minam lectis insternunt, ut æger super illam cubet. Alii pellem cati sylvestris in rheumatismo & paralysi, vid. ANGLICI *Praxin. L. I. p. 98.* vulpinam in articulorum doloribus conf. R. SOLENAND. *l. c. p. 414.* subdunt. Pellem vero caprinam, epilepticis adversam esse, quidam notaverunt, ob odorem forte graveolentem, cerebro infestum. At illud non ita facile cuivis creditu est, quod tamen non a paucis iisque, qui ultra vulgus alias sapiunt, affirmatur, pellem cervinam œstro venereo percito cervo, detractam & super lectum explicatam connubio conjunctos venerem stimulando mire juvare, Vid. MATTH. UNZERI *Tract. med. chym. p. 929.* Alii solent lecto folia & flores, semina aliaque pro morborum differentia insternere, v. g. lectis hydropicorum herbas, flores, semina contusa, calida, exsiccantia, vel sal tostum, alumen tostum vel eosdem totos pellibus sole ustis & calefactis obvolvunt, gonorrhœa, pollutione nocturna, satyriasi, salacitate affectis vero refrigerantia, addunt. Bengalenses morbo quodam apud eos familiari affecti, profusissimis sudoribus diffluentes, ad eos compescendos, lectis lini semina inspergunt, quo sudore madescentia ea utpote mucilaginosa cuti adhærentia, illius poros obstipant sicque sudorem cohibent v. *Lettres curieuses des Missions étrangeres T. XIV. p. 414.* In hanc rem legitur apud Dioscoridem, Galenum & Plinium Matronas, quæ in Cereris sacrificiis seu Thermopoliis vel Thesmophoriis Athenis castitatem servabant, super folia agni casti herbæ, cubasse, Alii adhuc culcitras herbaceas varias pro affectibus variis parant v. gr. compositio ejusmodi in fluxu mensium nimio, inveniens in *Ephem. G. N. C. D. 1. Ao. 6to & 7mo. in app. p. 144.* in convulsionibus, vid. ANGLICI *Praxi l. c. p. 59. &c.* In hocque imitantur Romanos, qui sæpius cubilia ex herbis & foliis straverant, quod & de Atticis incolis constat, ut legere est apud DIOSCORIDEM *Lib. I. c. XXVI.* V. FEITH *Antiquar.* HOMER *Lib. III. cap. VIII.* Sic pulvillos rosis illos implevisse, notat TREBELLIVS *in Gallieno Cap. XVI.* voluptatem magis quam necessitatem sectantes, vid. & SPARTIANVS *in Aelio V. c. 5.* Ad hoc illustrandum Milo Crotonia *in Dial. mort.* FONTANEL. *II. p. 10.* tantam reprehendit mollitiem, Sybarithæ conquerentis, se per totam noctem non dormisse; quia unicum rosæ folium incondite esset complicatum. Hæc MAXVELLI conjectura est quam affert *Lib. II. cap. XVI.* longævitatem roburque primos Parentes sibi comparasse, qui super herbas salubres somnum captabant, unde super rorem marinum, salviam, betonicam, balsamitam & similia frequenter somno indulgere saluberrimum esse colligit. Nec diffitemur ita censere, hæc suavissima ac gratissima effluvia

corpus

corpus & ſub dio vertens & in lecto recubans refocillare ac confortare, qua de re, pluribus egit MARS. FICINVS *Lib. II. cap. XII.* P. SORBAIT *Tr. VII. p. 533.* commemorat de lecto plumoſo levisſimo raro, vi mirabili ad ſudorem eliciendum prædito. Scrupulum, qui vulgo circa lectorum materiam reſtat, de aliarum volucrum gallinarum, columbarum, alaudarum &c. aut etiam moribundarum plumarum noxa, aliorum judiciis defero, ego parum iis tribuo quamvis ſciam, quosdam cum D. CHARL ESTIENNE anatum plumas hoc quidem nomine, anſerum præferre.

§. XXV. Aegri proin lecto cubantes, ut commode & cum levamine ſomnum capere posſint, corpore in longum & horizontaliter magis diſtento ac ſtrato: (ſub hoc enim corporis poſitu fluida commodius celeriusque & juxta inclinationem innatæ ſuæ gravitatis percurrunt, quam in elevato aut obliquo) cœterum eam jacendi figuram generatim dicendo ſervent, quam HIPPOCRATES *1. Pragn. XIII.* ſequentibus deſcribit: *Cubantem offendi ægrum a medico oportet, in latus dextrum aut ſiniſtrum, ac manus, cervicem & crura paululum reducta habentem, & omne corpus molliter poſitum; ita enim plerique bene valentium cubant, at ita cubare, ut ſani ſolent optimum eſt.* Non male tecti jaceant, nam corpore quieto & probe contecto fovetur & excitatur blande calor internus, qui omnium teſtimonio coctionem omnem perficit; tranſpiratio vero, quam ubique ſervare neceſſe eſt impeditur, qua regula vero neglecta, acceſſuque frigoris præſertim, mala ſemper redduntur graviora: qui enim dormiunt monente HIPPOCRATE *Epid. Lib. VI. text. 11.* noctu pluribus tegumentis ob aërem frigidiorem & humidiorem indigent quam interdiu. Nam rerum externarum (ad naturam noſtram non pertinentium) vires, corporis noſtri viribus, fortiores ſunt easque ſupprimere, conantur. Poſt mediam noctem præſertim & circa ſolis ortum, ut nimirum abſoluta digeſtione, ſudores adjuventur melius, hoc obſervent. Atque non intempeſtive ſe denudent, qua denudatione, æſtate etiam, ex tranſpiratione impedita, colicam & diarrhœam incurrunt plurimi, ſecundum enim SANCTORII computum, quem habet *in med. ſtat. Sect. IV. obſ. 13.* iis, qui dormiunt pedibus aut coxis detectis, noctis ſpatio libra integra perſpirabilium exhalare prohibentur. Quamvis etiam decumbentes calorem ægrius perferentes ſæpe regerant, quod in calefacto ſatis hypocauſto detineantur. Siquidem multi tali mollitie notantur, ut neque calorem ferant ſtragulorum neque tegumentorum contactum. Aſt meminisſe oportet, non parum diſcriminis inter calorem hypocauſti cale-

 facti

facti & teporem lecti atque aëris lecto inclusi, aëris in cubiculo liberi ambientisque elateris, aliamve ad internum tum elateris ratione admodum intensum auctumque, proportionem, intercedere, adeoque subitam hanc quoque mutationem (quæ ægrotis majorem certe quam recte valentibus obest) damna afferre posse, & si non majora incommoda, debilitatem tamen quandam virium, angustias præcordiorum, flatus, eructationes & similia symptomata exinde sentient. Nec frequenter ex lecto surgant, præsertim sudantes, nec se in lecto erigant, insurgant atque volvant sese, & ad hanc & illam partem vertant atque revertant, quæ crebra corporis jactatio non modo lectum incommodum tandem reddit sed & ob musculorum omnium totius corporis laborem debilitat notabiliter, residuos spiritus absumendo, quorum implacide dormientibus plerumque inopia adest; secus vero se res habet in iis, quos spirituosus forte potus somno tradidit, & magis agitat, quam velox cursus, quoniam in cursu musculi saltem inferiorum partium laborant, ac digestiones & perspirationes necessarias imminuit. Conf. & SANCTORII *Med. stat. aph. 4. Sect. V.* Neque brachia super caput protendant, non echinorum ad instar se contrahant &c. Quæ corporis jectigationes singulæ æque transpirationem impediunt variaque symptomata augent ut calorem febrilem &c. atque naturæ utilissimos conatus impediunt omnes, cujus motus in statu naturali præcipuus est ab intra ad extra. Hoc tantum habeto tibi obvium. Qui a crapula hesterna mane evigilant, quamdiu in lecto adhuc morantur, nihil molestiæ propemodum atque anxietates cardialgicas ac vomitus biliosos a reliquiis vini in ventriculo adhuc contenti & ibi penitus nondum digesti, sentiunt; imo si permanent in lecto & quieto decubitu, corpore probe tecto ac præcipue abdomine sudoremque expectant, quod reliquum est vinosæ cruditatis feliciter digerunt atque incommoda hæc certius præcavent. Potius sub optima corporis totius compositione qua multi artuum musculi tenduntur respiratioque ac transpiratio per universum corpus liberæ manent, quietique se teneant, quod plurimorum morborum exigit indoles, quo eo facilius citiusque morbus superatur viresque conservantur. Citius enim in hoc tranquillo situ ad quietem redeunt ferocientes in plexibus nervorum spiritus neque novus subinde ipsis stimulus novaque turba additur; citiusque constrictæ convulsæque ob atrocem irritationem fibræ ad blandiorem laxioremque redeunt tensionem ac naturalem recuperant tonum. Ad hanc (commodam corporis compositionem) requiritur, ut membra quidem non directe extendantur, sed aliquo modo

ad

ad corpus attrahantur, quod GALENUS *L. C. II. C. 4.* de motu musculari monet, quietem nimirum musculorum in mediocri contractione consistere, quæ & media & magis secundum naturam figura habetur. Hocque inprimis commendandum venit in inflammationibus, læsionibus, doloribus magnis, arthritide, malo ischiadico (quamvis etiam sint quædam doloris species, ubi impossibilis videatur quies) excretionibus cutaneis stipatis morbis, variolis, in febribus, colica, hysterica passione, nephritide, ardentibus, malignis, animi recurrente deliquio: Sanguis enim atque humores volutatione ea atque gyratione inquieta magis accenduntur & exagitantur, acris irritansque causa, orgasmum impetumque in affectam facit partem, malignitas præsertim retrovertitur, unde mox in ejusmodi ægris, angustiæ præcordiorum & syncopticæ defectiones affligunt. Quam nocumento sit hoc impatientiæ genus vel exinde apparet, quod vomitorii assumti, operationem diversa commutataque sæpe corporis positura, mox sedendo, mox stando mox in lecto volvendo &c. impedire possimus: Verum e contrario immanibus excruciati doloribus in se ipsis experientur, quod, si vincere tantisper impatientiam queant, etiam tum citius eorundem lenimentum sentiant. In vomitu adeo, ne caput quidem attollant, protinus enim ad levissimam motionem capitis subsequi solet vomitus; In ulceribus imprimis malignis, fracturis, vulneribus & similibus idem observandum est. Attamen etiam hæc regula non est sine exceptione, nam alvi obstructione pertinaci, irritis omnibus aliis clysteribus quoque & cæteris laborantes optime sibi consulunt, si ipsos in lecto hinc inde se volvunt & agitant; facto enim illo corporis motu, fæces alvinæ, facile excernuntur. Hæc in lecto volutatio maxime præcipitur a Practicis, ipsa iliaca passione excruciatis, post globulorum plumbeorum & mercurii currentis exhibitionem. Hæc conveniunt iis, quæ supra memorata sunt. Antecedentia etiam non ita intelligi velim, ac si ægri semper in uno loco defixi manere debeant; Ut exemplo hoc illustrem, sistam monitum experient. SYDENHAMII *p. 186.* quo in variolis & morbis exanthematibus aliis stipatis exigit, ne ægri eodem loco semper jaceant, sed & erecti sedeant & ne scilicet sudores nimii erumpant, qui haud absque ingenti periculo promoventur quoniam horum (sudorum) febrilium juxta alias causas etiam vasorum extremorum, tonus laxatus atque debilitatus refertur, quam (causam) assiduus in lecto decubitus, quo totum corpus calido humidoque vapore alluitur, certa auget. Monet & hoc jam AEGINETTA *Lib. II. Cap. XLVI.* his verbis: *Cum vero sudores largius eruperint, tunc*

abstergendo ac levando integumenta recreare oportet: etenim lassant supra modum, ut in syncopen frequenter deduxerint. Tenue ergo sit velamen & aër frigidiusculus adjungatur & eventilatio. Ejusmodi notabilem observationem Cl. WEDELIVS *in Amœn. Mat. Med. p. 353.* ex *Anon. Aut. chronic. Thuring. MSS.* citat, de morbo quodam singulari epidemico Ao. 1529 grassato, eum imprimis statim, somno profundo oppressisse ægros, contra quem agitatione & commotione ægrotorum in lecto omnium optime pugnatum esset, morbumque expugnatum sine illo vero remedio mortuos fuisse. Aliquando etiam in ipso motu, jactatione atque adeo cursitatione nephriticos, quæri doloris acerbissimi remedium atque nonnunquam forsan reperiri videmus quos nunc motum magis, nunc quietem, pro statuum casuumque diversitate juvare ipsiusque causæ, ratio docet. Ad causam assertorum adhuc memorandum, quod cuivis notum est ac fere quotidianum: inter decumbendum sive supinus jaceat sive pronus, sive in alterutrum latus inclinatus undique lassitudinis sensum obrepere, ut subinde aliter decumbendi modum capessere oporteat, nimirum, quod nimium imponitur oneris unius generis musculis, corpus in illo statu tenentibus, alterius vero minus, ut ita non justa & æqualis utrorumque exercitatio sit. Cum in lectis pro morborum diversitate diversi corporis situs instituendi sint, quos vero omnes indicare non est hujus loci; illos proin tantum adducam, qui peculiarem lecti constructionem & compositionem præter consuetam exposcunt, supinum nempe & perpendicularem. Ideo lectus in parte superiori duplicata pulvinariorum serie, inferiori vero subditis culcitris sternatur: plus minusque quidem prout necessitas exigit v. gr. puerperis ita lectus sternatur, ut tam caput quam atque præsertim pedes elato situ collocentur, ut lochia nimirum eo facilius effluere possint, alioquin situs elato magis capite, naturalis atque proficuus est atque in plurimis morbis ut ophthalmia, orthnopnœa, aliisque respirationis vitiis, necessarius. De reliquo notum est: si defatigati nimis cruribus paulo elatis requiescunt, quod lassitudo citius depellatur. Scilicet, supinus in dorsum oculis sursum versis decubitus (qui soli homini cum testudine marina proprius esse dicitur) alias minus conveniens minusque naturalis habetur adeoque ab HIPPOCRATE damnatus *1. Progn. XIV.* Consentientibus dein GALENO ac AVICENNA: Ille enim v. *Loc. affect. C. Lib. II. IV. & de instr. odor. in fine* scribit: *A decubito supino nullum auxilium sperari, quo facilius ad infernas partes feratur alimentum;* iste sequens scriptum reliquit *III. I. Doct. II. C. IX. Supine dormire malum, quoniam ad multas præparat ægritudinis scilicet apoplexiam, paraly-*

ralysin incubum: quoniam superfluitates ad posteriora declinare, facit, quare retinentur, nec per suos recedunt canales, qui in partibus sunt anterioribus sicut nares & palatum. Confer. SENNERTVS *Lib. IV. Instit. P. II.* 4. quoniam & pulmones comprimuntur & viscera infimi ventris renibus magis incumbunt, sicque seri segregatio difficilis redditur, motus diaphragmatis impeditur, truncus aortæ arteriæ descendens a visceribus abdominis premitur, sanguis promptius ad caput ejusque vasa fertur, difficilius remeat, medulla oblongata gravatur, spirituum undulatio impeditur, turbatur, multa infert detrimenta & insomnia turbulenta, torporem, aurium tinnitum &c. & ansam præbet repletionibus capitis, apoplexiæ, paralysi, epilepsiæ, rheumatismis, catarrhis suffocativis, phrenisi paralysi, incubo, malo hypochondriaco, melancholiæ, vid. SOLENANDER *Lib. I. p.* 272. febribus, apostematibus, BIKER *in Herm. redivivo schol. ad Cap. XVIII. sect. I.* HIPPOCR. *Lib. II. de motu muscul. XI. Cap. IV.* CRATO *Cons. Med.* 218. PLATERVS *Lib. II. de læs. funct. p.* 239. nocturnis pollutionibus, nephritidi, hæmorrhagiis &c. convulsionibus, WILLISIVS & *Eph. G. N. C. D. II. an. IX. obs.* 227. Practicus quidam Helvetius, Præsidi quondam retulit, se observasse, quod singultus semper invaderet si ægri pedum erysipelate affecti, supini jacerent. Hæc mihi etiam in mentem revocant, quod de Viro quodam Lipsiensi relatum habeo, qui posteaquam dentem sibi extrahere curaverat, ex hæmorrhagia subsecuta, sub supino paululum decubitu, fere suffocatus esset. Dantur tamen, inquio, casus, in quibus supinus decubitus commendandus venit, inter quos notantur intestini recti prolapsus, herniæ, uteri descensus: Retrocedit enim sub tali decubitu portio prolapsa seu intestini seu omenti, adeoque nullus dubito, quin continuato ejusmodi decubitu (per plures septimanas imo menses puto) sanentur herniæ, retrogressis, prolapsis restitutisve sic fibris relaxatis, ac illarum justo tono ac robore. Nec desunt illius Auctorum testimonia, si quæras illa, adeas G. FABRICIVM *in Cent. V. obs. Chirurg.* 54. *E. G. N. C. D. II. Ao. X. obs.* 190. Calculus item vesicæ & urinæ suppressionem causans, situ ejusmodi declivi, cruribus aliquo modo elevatis, dimovetur, dolores leniuntur & quietus tunc magis ille tenetur. Testatur hoc GALENVS *Lib. V. cap. IV. de loc. affect.* statque in eo tale consilium Riverio aliisque hic non longius recensendis. Supinus præterea decubitus ad venereum impetum excitat, adeoque frigidis sic dictis commendandus: magis enim affluunt spiritus & humores ad enervia membra. In mensibus immodicis ægræ jaceant supinæ in lecto cruribus elevatis & thorace magis de-

 presso

preſſo. Pleuritici quoque dolores ſedantur, ſi caput deorſum, pedes ſurſum collocantur. Ad noſtram ſententiam ulterius confirmandam non deſunt nobis Auctorum ſuffragia. Supinum decubitum utilem eſſe in morbis oculorum, PLINIVS *Lib. XXVIII. cap. IV.* HEVRNIVS *de morbis oculorum p. 25.* & viſus debilitate R. SOLENANDER *conſ. Med. ſect. II. p. 126.* perhibent. Stomacho laborantes decubitum, ubi crura ſurſum attrahuntur, genuaque ad os quaſi admoventur, mire juvare reputat BACO DE VERVL. *Sylv. Sylv. Cent. VII. p. 904.* Similiter COEL. AVREL *Lib. IV de Morb. chron. Cap. III.* ventriculoſis, aut cœliacis maxime ſi ſolutio urgentior ſit, ſupinam jacendi poſituram ſuadet, capite paulo elevatius locato. Vigiliis involuntariis vexati ſub ſupino decubitu melius longiusque dormiunt. Lowerus de infrigidatis obſervavit, eos neque incaleſcere neque dormire, niſi lecto ad pedes altius ſtrato. Illuſtr. TSCHIRNHAVSEN *in Med. corporis* memorat de ſe ipſo, ſi ſupinus cubaverit, largiorem ſudorem provocatum fuiſſe. FERNEL. *Meth. med. Lib. II. p. 76.* hanc addit cautelam, a venæ ſectione, æger ſupinus decumbat, ut in quiete partes exhauſtæ repleantur, reſarcianturque ſpiritus & LEONH. BOTALLVS, ne animi deliquio capiatur. Cæterum ſupinum collocant ægrum lithotomiam, herniarumque repoſitionem, catheteris applicationem meditantes; Cui cataracta acu remota fuerit, in lecto per plures dies capite paulo reclinato cubet. Conf. G. BARTISCH *in ophthalmogr. P. V. Cap. III.* ut forte heterogeneum ex oculo per foramen acu factum felicius excernatur, & ut impediatur, ne ſuffuſio, quæ e ſede ſua jam remota eſt, & infra pupillæ aperturam depreſſa, iterum aſſurgat ſupra humorem cryſtallinum. De gravidarum dormientium ſitu cautius dirigendo quædam quoque moneamus. Ab uteri male ultimis menſibus geſtationis increſcente fortius reſiſtente veſica urinaria quaqua verſum, valde premitur, in qua repleta atque diſtenta quædam tunica rumpi aut dyſura vel ſtranguria admodum verenda, oboriri poteſt. Ab uteri preſſione per ſitum incommodum variæ fœtus ægritudines ortum ducunt. Geſtationis tempore abdominis vaſa fere omnia ut & præſertim uterina copioſo ſanguine turgeſcunt, quæ itidem fortius preſſa inordinatum efficiunt ſanguinis circulum. Membranæ fœtum ambientes, quæ licet liquore plenæ magnæ expanſionis capaces ſint; tamen ab validiore preſſione aliquando ex corporis ſitu poſituque ruptionis malorumque ſymptomatum gravidæ fœtusque imminentium periculum propoſitum eſt. Vel mulierculæ diligenter imperant, optimo quidem conſilio, parturientibus, ut facilius labores niſusque obeant ſuſtineantque, ut lectus

ad

ad ſupinum decubitum paulisper diſponatur & magis adhuc in partu difficili, ſitu fœtus p. n. ut eo melius fœtus ad interiora ſe ſponte ſua recipere, vel obſtetrix commodius ad meliorem egreſſum debita enchireſi viam ſternere poſſit. In parturientibus dein lochiorum fluxus capitis ac pedum elevato, poſteriorum autem paululum decliviore ſitu optime promovetur ſimulque dolores arthritici, varices aliaque ejusmodi incommoda commode præcaventur, alioquin ex his retentis ordinario ingruentia, quoniam hoc liquidum excernendum ad pedum vaſa ruit & ibidem pernicioſiſſime retinetur. Memoratu digna Loweri obſervatio eſt, a decubitu ſupino in occipite foveas & ſinus profundiores & magis excavatos fieri.

§. XXVI. Explicatius dicendum eſt de decubitu erecto & perpendiculari, illum præcipue in difficili reſpiratione expoſci, in olfactus pariter læſione N. PISO *l. c. p. 143.* epilepſia, apoplexia, aliisque affectibus ſoporoſis, catarrho ſuffocativo, hydrope pectoris, hydrocephalo conf. LOWERVS *de corde Cap. II.* empyemate, in hæmorrhagiis & ſimilibus. Infantes recens nati motibus convulſivis obnoxii, ſemper erecta, imo prona facie in cunis collocandi ſunt, cum alias ſub ordinario magis decubitu nunquam diu & placide dormiant, quod clare explicat R. LOWERVS *l. c.* Adeo hoc verum eſt, ut obſervaueris, quod ſi infantes in nutricum complexu tenentur, ubi caput magis erigitur, placide mox obdormiant, immunesque magis a convulſionibus ſerventur. Omni ſtudio vero is vitandus venit in viſcerum corruptione, in acutis & præprimis virium debilitate, animi deliquio, ſyncope, febribus exanthematicis malignis, cum morbi vehementiam ſenſibiliter augeat, brevique finem vitæ accerſat; nullusque dubitationi locus eſt, ſi quod res eſt, inſpiciamus: in malignis ſcilicet deficere ſpiritus animales, deficere vires & circulationem ſanguinis, ſyſtolemque cordis eſſe imbecillem, quæ non ſufficiunt ſanguini ſurſum & caput uſque movendo (quæ promotio fluidorum ordinario ſemper eſt difficilior, quam ſi in plano magis fiat). Quandocunque ita cerebrum ſufficienti ſanguinis affluxu deſtituitur ſpirituum animalium, exinde generatio parcius juſto difficiliusque adhuc magis inſtituitur, a quorum deſtituto influxu debito ſufficientique cor ſegnius movetur, ſicque vires magis magisque deficiunt, animi deliquia invadunt frequentiora, ſecretio heterogenei & propulſio e centro peripheriam verſus & ejectio per ſuos excretorios poros impeditur, imminuitur, extremitates membrorum, perfrigeratione afficiuntur, novæ alterationes inducuntur, & tandem certiſſime mors inſequitur. Erectum magis

quo-

quoque tenere corpus pessimum est in pulmonibus inflammatis, docente HIPPOCRATE in *prænot.* & multiplici experientia comprobante Experient. BAGLIVIO vid. *Pr. M. Lib. I. p. 78.* Ita etiam CELSUS *Lib. II. de Medicina Cap. IV.* ubi de malis ægrotantium signis, agit, inquit: *Gravis morbi periculum est, ubi supinus æger jacet porrectis manibus & cruribus; ubi residere vult in ipso acuti morbi impetu præcipue pulmonibus laborantibus.* Speciatim hic indicandum est, doloribus crurum scorbuticis misere affectos circa suras & tibias imprimis cruciantibus, pedes, in lecto elati & erecti collocandi, ut lympha salia fortius resorbeat. Decubitus cœterum partium superiorum erectior, inferiorum depressior commoda stragulorum dispositione sicuti recte valentibus ita & ægrotantibus, utplurimum convenientior est. De decubitu prono & super ventrem, qui secundum AVICENNAM calorem naturalem auget atque PLINIUM tussientibus utilis est v. *Lib. XXVIII. Cap. IV.* item inflexo, cruribus sursum attractis positura corporis, quæ stomacho laborantes mire juvat aliisque multa dicenda adhuc forent, quia vero vix peculiarem lecti adornationem requirunt, missa hic illa faciamus.

§. XXVII. Ac ne id quidem mihi reticendum est, lectorum & stragulorum (ut & indusiorum) sordidorum cum mundis frequentem nimis mutationem nocere, in morborum paroxysmis, morbis contagiosis, peste &c. & in omnibus, ubi per diaphoresin & excretiones cutaneas morbi solvi debent, quales sunt variolæ & morbilli, purpura, petechiæ aut criseos tempore, aut effervescentiis illis nondum sufficienter evanescentibus &c. quare mox non solum imbecilliores illos experieris, sed & capitis dolores, anxietates, vomitus, apoplexias, convulsiones & symptomata omnia aucta sæpe sæpius cum extremo vitæ periculo conjuncta, adeo ut cum illis stolam feralem induant. Idque non semper a frigore solum procedit, quod tunc admittitur, aut inducitur forte, sed & a saponis fœtore diu certe inhærente, (qui vero in ejusmodi & aliis multis morbis valde noxius est) quare rectius agent, qui semisordida iterum, sed siccata illa de novo adhibebunt, vel quibus alii sani per aliquot dies jam usi, aut ad minimum manibus prius bene fricata & attrita fuerint. Contra in multis v. g. ciborum fastidio, cardialgia, siti immodica, hectica RIVERUS *Prax. m. Lib. XVII. cap. III. p. 302.* lintea quoque prius aqua rosarum ut irrorentur jubet *p. 303.* frequentem ejusmodi mutationem linteaminum, lodicum & stragulorum &c. ex usu esse refrigerando statuunt, conf. F. PLATERUS *Pr. Tr. I. 601.* N. PISO *l. c. Lib. III. p. 235.* & *p. 447.* notat, in febre ardente culcitram stragula & linteamina frequen-

quenter esse sternenda. In dysenteria stragula lecti sæpius esse mutanda, ait SENNERT. *Pr. Lib. III. P. II. S. II. cap. VII.* In scorbuto idem suadere videtur B. RONSAEVS *de Scorb. p. 139.* Alias in genere fatendum est, lecti linteamina melius pura conferre, & impura vero aëri liberiori & vento exponenda atque singula calore foci & fornacis & frictione, attritione corrigenda & præparanda: Sordities enim poros cutis infarcit & obstruit, unde quoniam impuritates per vasa cutanea crebrius cum sanguine communicari solent, morborum exasperatio, inquietudo atque causa & occasio scabiei, phlictenum aliorumque vitiorum cutis ut & cimicum, pediculorum, pulicum generationis &c. propullulant. Præsertim in morbis contagiosis id diligenter observandum est, ne a collectione sordium iidem foveantur, augeanturque, ne forte pori cutis, ab ejusmodi sordibus coacervatis, obstruantur, quod in morbis pectoris maxime pessimum est, vel ne miasmata morbifica exhalantia respiratione hausta, ægro obsint & adstantibus, labe quasi duplicata ac subinde novata. Præter has noxas molestiæ haud parvæ accedunt, quæ a madidis & fœtentibus sudoribus linteaminibus & rigentibus, sanguine vel sanie patiuntur ægroti, quæ tantæ omnino sunt, ut requiem & somnum impediant &c. conf. HOLLERIVS *2. cap. de febr. ard.* RONDELETVS *de febr. Synoch.* LEV. LEMNIVS *4. de O. N. M. 8.* RONSAEVS *Epist. 39.* A REIES *Juc. Quæst. Camp. qu. 82.* VALLESIVS *l. de morb. acut. 48.* qui ultimus medicos hac in parte nimis rigorosos objurgat & merito quidem objurgat *Comm. I. ad text. 8. Lib. I. de morb.* acutis inquiens: *Peccant vulgares medici nec luteam tunicam mutare, nec syndonem, nec manus faciemque lavare, neque quidquam aliud, quod ad munditiem spectat, suis ægrotis permittentes &c.* Hanc censuram ideo (nec jam alios magis forte notos nominem) merito meretur LAZ. MESSIONERIVS, qui in *novo suo de febr. dogmate* ab hac munditie abhorret, & par est, ut alii ab istis sordibus ab illo laudatis quoque abhorreant. Agnovit hoc ipsum ipse jam Hippocrates, quando omnia circa ægros munda esse vult atque nitor, decus & sanitas suadet. Quamobrem veteres, qui linteis rarius utebantur frequentem adhibebant, tum balneorum, tum frictionum usum. Sed sub horum mutatione iterum atque iterum sedulo est monendum, ne tempore criseos fiat & ubi efflorescentiæ cutaneæ imminent, aut nondum sufficienter eruperunt &c. & ut quam diligentissime caveant sibi, ne præter modum præterque necessitatem denudetur corpus, ac ne frigus exterum ullo modo accedat

§. XXVIII. Non tam prolixius explico, quam modo innuo, in variolis & morbillis similibusque exanthematibus, in conclavi aut puniceos rubros pannos expandi ægrotisque obverti, vel lectum contegi, ut illos adspiciant, credantque ex illorum aspectu variolas &c. in efflorescentiam promoveri. Probant & id hodie multi medici cum Amato Lusit. & Vallesio imprimis, ac si color iste spiritus excitaret & ad extra evocaret &c. & sic imaginationi sanguinem moventi adscribunt, quod alii ob arsenicum, cujus ope hi panni tinguntur, prodesse opinantur, vel ob grana kermes, cum confectio alkermes, infantum thoraci inuncta, copiose eliceat exanthemata, de quo videndus Simon Pauli. Ejusmodi etiam est & ex doctrina satis nota desumptum, quando luteos pannos ictericis protendunt &c. Interim non de nihilo est, imaginationem & spiritus animales in sanguine, qui subtilissima facile mobilia & maxime sensibilia & calidæ & perniciosissimæ naturæ corpuscula sunt, & quæ alia in orgasmum & impetum vertunt celerrime, sanguinem & humores ab aspectu rerum externarum, crebriori moveri, eosque ad exteriora & summam cutem ferri. Quemadmodum alias & stupor dentium, alio viso acetum aut liquorem alium acidum hauriente, aut rem quampiam acrem comedente, inducitur; Licet in omnibus subjectis non idem inveniatur effectus, in his enim majorem, in aliis minorem senties, prout nimirum motus a phantasia vel imaginatione introductus intensior & fixior est. Idem variat quoque prout temperamenta sunt diversa, ex quibus præ reliquis melancholicum, ut notissimum est, crebriora & fortiora sibi format phantasmata, quæ pro veris visionibus habet. Certe colores multum possunt in nos, in animos & corpora nostra impressionibus suis, quod præter quotidianam experientiam docet exemplum Evæ, quam sola species formosa fructus, seduxit & Jacobi qui variegatis virgis infœcundavit oves, variegatis oviculis. Atque de colore interim rubro, utpote qui in luminis radiis in circulum quasi reflexis & refractis & vehementiori circa centrum rotatione consistit, affirmare nobis quoque necesse est, illum quia proxime (juxta colorem album disgregantem visum spiritusque ad exteriora evocantem sicque humorem quoque efflorescentiam promoventem ergo illi adscribi possit idem) ad naturam splendentis lucis accedit & valde adspectum movere vehementerque in oculos impingere, & a centro ad peripheriam deducere & spiritus animales ac humores dilatare & commovere, atque per consequens animum quoque exercere agitareque. Sic tauri atque bubuli, elephanti, galli Jndici rubro colore irritantur & excandescunt, leones vero

vero terrentur & ophthalmia detentis vel saltem in eam inclinantibus rubore res tinctas inspicientibus oculi aut inflammantur, aut inflammati magis læduntur. Confirmat hoc ipsum, quod observationes testantur, a solo ignis adspectu longiori ophthalmiam produci, quoniam radii tales lucidi, qui recipiuntur, præ cæteris fortius reflectuntur, qui nimium spirituum animalium motum intra oculos concitant, & visum exinde turbant ac lædunt. Viridis vero nigrum & album æqualiter temperans, cæruleus & niger non nimis spiritus dissipant, nec nimis afficiunt. De quibus CARDANVS ita sentit *de rer. variet. Lib. III.* dicens: *Cæruleus color visum magis quam animam; viridis animum magis quam visum recreat;* Cum radii luminosi ibi partim avertantur & reflectantur, introrsum magis aut minus partim suffocentur ut majores fiant tenebræ, ac mediocriter ac leniter movet organon visus, ac ideo confortat eum, quæ causa sine dubio est, cur campos, gramina, herbas, arbores virere voluerit rerum Creator benignissimus, ut oculos & animum delectent atque conservent. Hinc in melancholia hypochondriaca suadet I. MANARDVS *Ep. 4. L. X.* ut in cubiculo æger spectet virides & florentes herbas & flores. Eo magis vero adhuc necessarium est, quando ophthalmia, lippitudine &c. obsessis per conclave & ante oculos pannos virides, nigros, cæruleos obtendunt. In hanc sententiam scribit B. PORTA *in Phytogn. Lib. III. cap. VI. p. 151.* omnia rubra vel solo intuitu usurpata, valere ad sanguinis depurationem & correctionem, ut alio colore tincta ad alios humores scilicet corrigendos. E contrario in hæmorrhagiis narium, uteri hæmoptysi, mensium nimio fluxu &c. vid. I. ANGLICI *Pr. Lib. I. p. 585.* prohibeatur rerum rubentium, atque præcipue ipsius sanguinis excreti aspectus studio vitetur, ne sanguis magis commoveatur. Observatione constat in paroxysmo cephalææ jacentes alba & splendida lintea vix ferre. Scio & alios, qui in venere languida utroque in sexu excitanda conclave & lectum panno tincto cocco contegunt, nec ab illa sententia alienus N. PISO, *vid. Lib. III. de M. C. & C. p. 378.* videtur.

§. XXIX. Angli inter utensilia in ægrotantium conclavibus nunquam horologium vel clepsydram obliviscuntur, habentque, nec sine ulla ratione, quod tempus tædiosum magis & longius ægrotis videretur absque horologio, quam consuetudinem forte ex Illustr. suo conterraneo Bac. de Verul. hauserint. Nam mihi hæc scribenti venit in mentem, me legisse in *lib. de Augm. scient. p. 167.* tædium, vexationem morbi & dolorem facere, ut tempus longius videatur, quam revera est, ac computationem temporis errorem illum corrigere & brevius facere,

quam opinio illa falſa conceperat. Horologia quoque leni æqualique ſuo alliſu aures demulcente gratumque ſomnum provocante alium adhuc uſum in ſequentibus adhuc explicandum conciliant. Cæterum omnis ſupellectilium apparatus ita adornetur, ut ægro perquam utilis & gratiſſimus ſit. Expreſſe GALENVS præcipit *6. de morb. vulg. comm. 4. cl. 3. p. 353.* Medicum oportere percontari, quibusnam ægri delectentur, ut illa in cubicula inferantur. Longiſſime igitur abſint omnia, quæ moleſtiam & commotionem ullatenus creare poſſint; & quæ ſpectantur, nunciantur aut aguntur, quæ adverſos affectus movent, iram, triſtitiam, mœrorem, metum &c. inferunt, omni ſtudio avertenda. Contra offerantur auditui, quæ grata, viſui, quæ delectant, tactui, quæ demulcent &c. ſecundum ſalutare HIPPOCRATIS præceptum, *vid. 4. in 6. epid.* hic iterum iterumque repetendum, quo præcipit ut infirmis omni modo conſulatur, ut cibus potusque mundum in modum præparentur, ut omnia, quæ vident & tangunt, ſint commoda & mollia &c. Hic & hoc addere non abs re eſt, aliquos ægros ad riſum gaudii ſobolem, animi corporisque lætum affectum, imo quandoque cachinnum concitandos eſſe, ut obſervationes leguntur, alios a morbis apoſtemate v. gr. rupto exinde liberatos fuiſſe, quorum exempla aliquot apud PECHLINVM *obſ. p. 467.* leguntur. E contrario in aliis & hic omni cura eſt præcavendus v. gr. riſum in vulneribus partium nervoſarum maxime multum periculi & damni afferre poſſe, teſtantur binæ iſtæ hiſtoriæ a GVL. FABRICIO notatæ *Cent. I. obſerv. 23.* Quibus hoc tantum vel ſuperpondii loco adhuc addere liceat, quod laudentur ſcamna & ſellæ ex ligno quercino, quibus calefactis & illitis variis ut ſevo hircino &c. ægriba vulgo non modo, ſed & practicis medicis nonnullis inſidere jubentur, fluxionibus alvi, dyſenteria, prolapſu inteſtini recti &c. laborantes. Pariter hic commemorare libet, quod pro alui obſtructionibus & iliaca aliave laborantibus ſellæ humiles vix commodæ ſint, quia ex ſeſſu humili ſtimulus ad alvum liberandum magis impeditur, quare altiores ſellæ, potius tunc ingerantur, ut ſub hac corporis poſitura ægri tales conſidentes deorſum tendente, motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, ſuperflua & oneroſa, e corpore ejiciens, adjuvetur deorſumque quaſi invitetur. Pocula & ſcutellas, diſcos ex ligno tamariſci & fraxini, hederæ e quibus bibant, ſuper quibus comedent, ſplenetici, anginoſi &c. alii eligunt, vid. ANGLICI *Pr. Lib. I. 426.* ANTON. LE GRAND *Compend. rer. juc. p. 224.* Poſſem complura de poculis, diſcis aliisque vaſis ex variis terris, metallis, lapidibus, lignis &c. pro morbis variis fabre-

brefactis, item de vestimentis &c. ad supellectilem ægrorum pertinentibus adferre, sed vereor nimiam tractationis prolixitatem, hæc alii tempori servans.

§. XXX. Alunt quidam ægrotantium in conclavi & in lectum secum adsciscunt varia animalia, quorum contubernio morbos fugari credunt, multique autumant, ejusmodi animalia infectam labem facile in se recipere, unde ægris levamen aliquod emergere possit. v. g. apud arthritide, podagra, colica, paralysi, erysipelate affectos porcellos indicos, vel catellos melitenses sæpius videbis, atque leges apud Authores, in canes contubernales, morbos varios fuisse translatos hominesque eo modo curatos. Conf. GALENVS *VII. Method.* Sic RIVERIVS in variolis, ovem aut vervecem in hypocaustis detinere suadet *L. VII. de var. & morb.* & FORESTVS *Obs. L. IX. obs. 19.* adducit, columbas imprimis sylvestres paralyticos & scorbuticos consummatos cum illis versantes circumque volitantes juvare, vid. LANGIVS *L. II. Ep. 14.* Quare illos, ad ipsa columbaria ablegat. Alii galbulos, ictericis sanitatem afferre sibi aliisque persuadent, vid. PLVTARCHVS *Lib. I. Sympos. c. VII. Lib. V.* qui aliam volucrem quem Gesnerus Charadrium vocat, aquilæ non absimilem, simul nominat, HELIODOR. *Lib. III. Hist. Aethiop.* & PLIN. *L. XXX. H. N. C. 2.* SEBAST. MONTVVS *Lib. I. Dial. Med.* MERCVRIAL. *L. IV. de cogn. & cur. affectibus C. XXIII.* ALDROVANDVS *Ornith. T. 1. LXII. c. XIX.* BENED. VICT. FAVENT. *Pr. med. c. XL.* MAIOL. *diebus canicul. col. 6.* ALB. MAGNVS *animal. L. XXIII.* M. A. ZIMARA *Art-Magico-Medica.* Similiter Silesii avem cruciferam pro infantibus epilepticis & avem illam rubro pectore & fusco cineritio tergo conspicuam (Loh. Fincke, Gimpel,) pro arthriticis & pro erysipelate amoliendo, ut & turturum par V. R. LENTILII *Miscell. Med. Pract. P. II. p. 310.* in cubiculo alunt, de qua B. MAIOR *in carm.* Simile de Chinensibus NEVHOF. *Itin. leg. p. 153.* recenset, eos imprimis, qui circa Suncham habitant grues & cervos (quos longævos æstimant) in ædificiis continere, eosque frequenter adspicere, ut effluviis, quæ spirant, per inspirationem fruantur, ac sanitatem ac longævitatem adipiscantur, exinde. M. A. SINAPIVS *in Paradox. med. P. II. p. 109.* refert, Tartaros de lue venerea suspectos, dormire cum catellis, quos sæpe mutant, & in stabulo inter equos alunt, quorum vaporibus ab ea liberarentur. Ejusmodi quoque est, quod ex libro quodam Gallico, ut legi, transscribere licet: Nimirum *Lettres historiques & galantes de* MAD. NOYER *Tom. IV. p. 32.* referunt sequens: *Contre le rhume ecclesiastique on pretend que l'usage des serpents vives*

 dans

dans les appartements, fait quasi l'effect du mercure qui, est bien commune a Paris principalement les Gens de l'Eglise en sont fort sujets. Alias experimentum in vulgus notum eſt, ſi equi obſtructione urinæ laborant in ſtabulum caprarum & ovium ducunt eos, & ſtatim obſtructio urinæ ſolvitur iis. Hoc etiam in hominibus procedere nullum eſt dubium, quare experimentum eſſet faciendum. An ejusmodi plus habeant nominis quam operis, aut an in imaginatione potius affectus poſitus ſit, inſida ſuſpicio non audet ſingula determinare aut admittere. Interim ſit mihi illud cenſendi jus, ſit mihi affirmatio, eſſe multa rerum effluvia, per quæ multi effectus fiant, quorum naturam adhuc cum ignoremus, veriſſima interdum quædam negamus, plerorumque enim effluviorum efficacia prius innoteſcit, quam illorum exiſtentia, quod variæ antipathiæ & idio-ſyncraſiæ demonſtrant, v. gr. eorum qui præſentibus felibus non iis equidem viſis, in animi deliquium incidunt. Verum, ſit, bruta æque ac homines a labe quadam atque contagio infici, ægrotare & mori, ſicuti DOM. PANAROLVS *Pentec. II. Obſerv.* 49. refert, quod phthiſici ſputum virulentum muſcas enecaverit; attamen ægri exinde non a labe illa, quæ infecit, nullatenus liberantur. Quid notius porro eſt, quam quod tempore peſtis hircum non ſolum in ædificiis, ſed & in conclavibus contineant; Aves præterea in cameris circumvolitantes, aërem volatu atque agitatione alarum, ventilare ac purgare, habent ut Antyllus, apud ORIBASIVM *Coll. Lib. VI. c. XXI.* loca avium volatu frequentata, ſanitati bene conferre affirmat; Ita & non deſunt ægroti, qui oſcinibus in aveariis delectantur, ac non modo delectantur, verum & juvantur. Loquuntur id de auditus gravitate & ſuſurru aurium conquerentes avium Canarienſium imprimis concentu & coturnicibus cantillantibus in illorum hypocauſtis, nimirum auditum acuari, & ab auditu tinnitus &c. auferri. Pariter in cruditatibus variis ventriculi, appetitu imminuto, virium debilitate, perfrigeratione, nutritione imminuta, paralyſi &c. catulos (animalia ſcilicet inter calidiſſima) aut cuniculos abdomini imponunt, ut nativo ſuo calore digeſtionem cruditatum adjuvent &c. SYDENHAM *de meth. cur. febr.* catuli applicationem ad ægri ventrem pro corroboratione ventriculi & reſtauratione motus ejus naturalis in iliaca paſſione commendat. TH. BARTHOLINVS *Cent. VI. Obſerv. f.* 285. recenſet de quodam, qui colica affectus, catulum ventri impoſuit exindeque melius ſe habuit, catulum vero vomitu fuiſſe vexatum. JOH. CRATO *in Conſil. Lib. III. f.* 113. vult, ut in eodem affectu (colica) anas in ventre deplumata abdomini applicetur: Nec non in chiragra

gra, podagra & omni arthritide, nihil præſentius ad conſopiendos cruciatus eſſe Lev. Lemnivs aſſerit. Calor enim ad digeſtionis negotium maxime neceſſarius eſt, hoc ſolutio juvatur egregie omnis, hic mixti poros potenter penetrat, & vi ſua expanſiva partium compagem diſſolvit intime. Eundem in finem, & ut refocillentur debiles, quidam adhuc puerulum carnoſum vel adoleſcentem ſive puellam (quam I. Damaſcenus paralyticis maxime commendabilem eſſe ait) admovent. De Friderico I. Imp. R. cognomine Barbaroſſa legitur, eum ætate extrema & elanguidum conſilio medici puerulos continuo ſtomacho ſibi applicari curaſſe. Talem accubitum S. Davidem R. probaſſe apparet *J. R. 1.* cum ſenio confectus & infirmus, & cum vix calefieri potuerit, virgines pulchritudine conſpicuas, qualis puella Sunamiti, Abiſas fuit, ſibi adduci curaverit, ut illæ illum corporis contactu blando, in lecto aucta forte virtute fomenti ex corpore vivo inunctione myrrhæ & ſimilibus more virginum Perſiæ, foverent, atque caſte in illarum applexibus dormirent. Crediderim enim facile juxta jucunditatem ac voluptatem ab amabili objecto conceptam quæ cor dilatat, ac per hanc dilatationem ſpirituum uberior copia per univerſa membra diſtribuit amplius magis magisque multo, ejusmodi calorem naturalem blandum, humidum (qualis proprietas naturalium omnium acceptiſſima pariter ac utiliſſima eſt) ſpirituoſum, elaſticum, vaporoſum, æqualem, perennem naturalique ideo magis familiarem, eſſe, utiliorem eo calore, qui a fomentis artificialibus paratur, vel qui a linteaminibus calefactis procedit, & eſſe levamen & caloris extincti ſuſcitabulum, atque effluvia volatilia ſana ex virginibus pulchris & junioribus (utpote quæ optime temperatæ atque ſaniores, cum contra vetularum noxia ex habitu corporis, ventriculo & pulmonibus ore exeuntia habeantur, ut eſt apud Apvleivm *L. I. & A.* Gellivm *Noct. Att. L. II. c. XXIII.*) per poros alterius ejusque debilioris & tenerioris in conſtitutionis ſomno maxime, quo tempore corpora laxa admodum ac patula promtius imbibunt ſe inſinuantia & per circulationem allata non modo ad exteriora membra, ſed & ad interiores pertingentia partes, corpus elanguidum & frigidum admodum refocillare poſſe. conf. Sydenham *Op. p. 79.* Aristoteles jam in *Epiſt. de Conſerv. Sanit.* inter præcepta quæ inibi recenſet, optimum eſſe ſcribit, amplecti quæ placet ſpecioſam puellam. Calor enim animalium internus longe a calore externo ignis differt: etenim eſt ille nil niſi influxus humidæ, ſpirituoſæ, vaporoſæ & elaſticæ, motæ ſubſtantiæ; quoniam per calorem ſemper exhalant partes tenuiſſimæ, ſulphureæ, æthereæ. Ca-

lor

lor ejusmodi commodiſſime aperit poros, atque ita fovet facitque ut diffletur materia peccans & digeratur & elaſticitate ſua multa alia commoda præſtat, quæ ab altero non æque facile ſunt expectanda. Edocent hoc varia experimenta per machinam illam papinianam inſtituta. Teſtatur hoc digeſtionis & chyli elaborationis animalium in ventriculo & inteſtinis opus, quo ſane mirandum eſt, illud in paucarum horarum ſpatio penitus poſſe abſolvi & digeri tantam pabuli, carnium, osſium &c. quantitatem, quæ ab animalibus imprimis rapacibus & gulonibus, ut lupis, canibusque &c. quotidie ingeruntur & devorantur, quod non tantum a menſtrui ſolventis activitate, ſed & atque potisſimum calido, ſpirituoſo iſto influenti, eſt adſcribendum. Hinc & nemo hucusque ſimile menſtruum gaſtricum chymica arte producere potuit, quod eundem præſtaret, in omnibus effectum ac ſolutionem, digeſtionem, chyli productionem, ac quidem noſtrum naturale, animale, quoniam non humidum hoc, calidum, vaporoſum, elaſticum & ſpirituoſum, æthereum influens, addere potuerunt, licet equidem quidam de eo gloriati ſint, ſed in vanum gloriati ſunt, atque in vanum de eo ſoliciti fuerunt, elaborationem quoque perfectam hujus pene ex adducta modo ratione deſpero. Quis igitur elumbibus ſenibus & vetulis vitio vertere poſſet, ſi ſenectutis ſuæ levamen & vigoris & vitæ refocillationem juvenculas aut juvenes juſto ſibi matrimonio jungant, quorum calore foveantur, ſanitate conſerventur, animi jucunditate ex illarum forma pulchra & alacritate amœna & accubitu ejusmodi recreentur & oblectentur, motu ſanguinis humorum atque ſpirituum promoto exinde &c. Hunc morem apud Perſas frequentiſſimi fuiſſe uſus fertur atque perhibetur, illos naturali ejusmodi fomento non contentos fuiſſe, ſed puellas myrrha & ſimilibus balſamicis & odoriferis inunxiſſe ad augendam ſcil. fomenti vim. Huc ob aliquam ſimilitudinem trahere liceat quod in ZINCKGRAEFF. *Apophtegmat. German. Part. I. p. 35.* de Rudolpho I. Imperatore R. legitur, eum hectica obnoxium ſæpius ſpecioſas filiasque Procerum amplexibus foviſſe, ut halitum ex illarum ore hauriret infirmumque corpus atque elanguidum recrearet, ſuavibus puellarum ſpiritibus. Alia atque alia adhuc ſuccurrunt hujus rei exempla. Sic in *conſil.* SCHOLZII DE ROSENAV legitur *p. 924.* in dolore & inflammatione ventriculi, ut ægri curent catellum juniorem aut puerum, qui non facile ſudet, apud ſtomachum continere. Atque JOEL. *Lib. IV. Prax. Sect. 2. p. 99.* optimum ſtomachicum contra refrigerationem habet manum calidam aut conjugis ventrem molliorem ventriculo applicatum (ſed quod ſolatium

viduis

viduis & virginibus relictum manet). Pariter RIVERIVS *Pr. med. p. 290.* in articulorum doloribus catellum jubet admovere, quoniam dolores valde demulceret. PETR. BORELLVS *Obſerv. Cent. III. f. 219.* de podagra idem affirmat. Exinde & ab quibusdam eo nomine canis podagræ magnes vocatur. Obſervationes ejusmodi leguntur apud LEV. LEMNIVM *Lib. II. O. N. M. C. XIII.* BORELL. *obſerv. Cent. III. 28.* PET. BAYER *in ſuo Venimec. Lib. III. c. IX. p. 380.* MAYER *de Arthrit. C. IX. p. 161.* TH. BARTHOL. *C. III. hiſt. 66. Ephem. G. N. C. an. 4. obſ. 51.* Hic caninus accubitus porro in aliis morbis probatus eſt, ut in epilepſia, quod vidit CARDANVS, vid. *de var. rer. Lib. VII. c. XXXIII. p. m. 261.* & GRVBE *V. de morbor. tranſplantatione*, Conf. & *Ephem. G. N. C. an. VII. obſ. 11.* in ventriculi ſumma debilitate, vid. VERVLAM. *hiſt. V. & N. p. 413.* ROLFIN. *in epit. affect. Lib. III. c. II. p. m. 191.* AVICEN. *Lib. III. fer. 13.* J. CAES. BARICELL. *in hort. genial. p. m. 33.* SCHROEDER *Pharm. med. chym. Lib. V. Cl. I.* Capivacc: apud CRATON. *Conſil. Lib. VI. conſil. 66.* in colica ac in dentium dolore, vid. BARTHOL. *hiſt. anat. 53. Cap. VI.* In parotididibus RIVERIVS rurſum *de feb. peſtilent. p. m. 144.* canem admoveri juſſit. Alii hoc quoque ut morbum ignotum ſedemque mali in parte quadam interiori cognoſcant & convenientia remedia admoveri poſſint, jubent, ut catelli juniores per unam & alteram ſeptimanam in lecto ægrotantis cum illo cubent, eſcam capiant, & ſalivam lambant, dein ſtrangulant eos, cadaveraque aperiunt, ut inveniant partem ſimili vitio affectam: An hoc calculo reſpondeat, ego equidem jam non determinaverim. Ob argumenti ſimilitudinem adhuc addo, quod cauſa non incommode conjici poſſit, quando quæritur, cur ludi magiſtri utplurimum ſint longævi, quod aſſidue & frequenter cum pueris verſentur: Conf. *Monathliche Unterredungen Ao. XCI.* ſiquidem jam Socrates docuit, frequentem adoleſcentum conſuetudinem retardare ſenectutem. Eoque ſimul ſolvi poſſet quæſtio, an ſanitas etiam ſit communicabilis; Plurimum ſane intereſt cum quibus vixeris, ut ſumuntur à converſantibus mores atque animus & mala & bona ſua proximis tradit, ita ſanitas ſanitatem, ut morbus quidam morbum proximis tradit, & inter ſalubria degenti cuſtodia valetudinis facilis eſt, ut ſæpe initium morbis fuit, ſana ægris miſcere. Jam dudum eſt obſervatum, ſenes qui juvenum frequenti conſuetudine oblectati fuerunt valde fuiſſe per cauſas phyſicas æque ac morales longævos, quod nempe alacritas juvenum alacritatem ſenum provocet & eorum torporem & triſtitiam avertat & corrigat, ut v. gr. de Pythagora, Iſocrate, Gorgia, Orbilio aliisque pluribus Philo-

ſophis, Rhetoribus, Sophiſtis, Grammaticis antiquis, qui in Scholis ſuis diſcipulos juvenculos, bonas artes docuerunt, perhibetur, eosdem ob hanc cauſam centeſimum usque annum & ultra vitam produxiſſe. Legimus L. Clodium Hermippum, centeſimum & decimum quintum annum vivendo attigiſſe, ob puellarum anhelitum, quod in epitaphio indicatum eſt. Vivendum eſſe ſenibus & debilibus cum ſanis & junoribus, habet MARS. FICINVS *Lib. II. C. XII.* & illuſtr. BACO DE VERVLAM. *Cent. X. Hiſt. nat. §. 942.* ſcribit: *obſervatum, ſenes, qui juvenum congreſſui frequenter ſe miſcuerunt, converſatione non interrupta longævos evaſiſſe, cum ſpiritus eorum ex tali conſortio fuerint recreati.* Hanc in rem pulchre CICERO loquitur *de Senect. Adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leniorque ſit eorum ſenectus, qui a juventute coluntur & diliguntur.* Apud alium, Anglum, rem hanc ita declaratam reperio: *Si veteri cereviſiæ recentem, aut vino veteri muſtum admiſcueris, efferveſcentiam in utroque liquore concitabis.* Nimirum novus advena veterem hoſpitem expergefacit. Idem hinc uſu venit, quod in ſenum juvenumque promiſcuo conventu ſæpe contingere videmus: horum enim ardor & alacritas, ipſos ad hilaritatem (nonnunquam etiam ad ſaltus & tripudia) provocant, alioquin forte triſtes torpidosque futuros. Contrario rurſus pueri cum ſenibus in contubernio verſantes & illorum lecto dormientes, halitu ſuo, maciem ſibi accerſunt: Nam Philoſophi unanimi conſenſu profitentur, ſi nimirum in natura reperiatur unum contrarium, debet & dari aliud reliquum. Sagacisſimus RAMAZZINI in *Tr. de morb. artif. cap. XIII.* exemplum puellæ nobilis adduci, ex contubernio & conſuetudine aviæ, tabidæ redditæ, quæ nullis remediis ſaluti reſtitui potuit, niſi ab avia remotione & puellarum conſortio reſtituto. Senes & vetulas, halitum ſpirare inſuavem, fœtidum, acidum ob cruditates, quibus abundant, & partium vitalium impuritatem & corruptionem pravamque totius corporis diſpoſitionem, ex inſtituto docet FR. RANCHINVS *de morb. ſenum Sec. I. c. VIII.* Ex adverſo etiam (ut ad prius redeam) ſub morbis epidemicis, contagioſis peſte &c. animalia domeſtica ut canes & feles cum columbis, non ſolum ex hypocauſto, ſed ex domo ablegandа, cum facile contagium per iſta propagari poſſit, etſi illud animalibus non fuerit noxium, ut variorum ferunt obſervationes, V. BONETTVS *Polyalth. P. I. p. 440.* & FOREST. *Obſ. p. 174.* Hoc ipſum interpretes ex HOMERO colligere volunt, ubi legitur: *ſtrage canum primo* &c. & ex OVID. *Lib. VIII. Metam.* ex illo: *Vim primi ſenſere canes, &c.* Cum & feles alias aſthmaticos lædere credantur, vid. S. SANCTORII

Meth.

Meth. vitand. err. in med. p. 421. illas ex iſtorum hypocauſtis fugent. Has etiam anhelitu nocere, animales ſpiritus inficere, humidum ut vocant radicale abſumere & tabem & maraſmum inducere, docet AVENZOAR *in proem. Lib. I.* vid. & MATTHIOLVS *in 6. Dioſcorid. cap. XXXVI.* qui aliquando magno numero & contubernio felium, quandam familiam aërem inficiente, periiſſe refert. Conf. & PARAEVS *Lib. XX. cap. XXXIV.* quanquam experientia non ubique his reſpondeat. Huc etiam referendæ ſunt obſervationes, quod feles & canes, domos peſtem &c. quandoque importent.

§. XXXI. Supra indicatum eſt apud ægrorum conclavia, halcyonia ad placidum ſomnum procurandum & conſervandum, in quo motus voluntarii libere non exercentur & ſenſus neque ab imaginationibus neque ab alia re moleſte irritantur, eſſe procuranda (cum alioquin in ægrotis aurium ſenſus acutior videatur) aſt quandoque pro ipſa requie comparanda ac ſomno invitando uniſona lenia murmura atque ſuſurri excitandi qui ſpiritus animales alioqui in membra externa ruentes blande & pedetentim ad cerebrum iterum convertunt, lenem prius attentionem in iis excitant atque motu diſcurſivo actuoſos dein ſedant, atque quaſi impediunt ne hinc inde diſtrahantur, ut citius & pacatius ad ſalientium aquarum murmura, venti ramorumque arborum ſuſurros, pluviæ aut imbris impluentis ſub tecto caſum, aquæ ex vaſe in vas transfuſionem horologiorum molles & æquales alliſus, intentam contemplationem rerum longe diſtantium, mollem cantum atque lectionem itemque ad blandam frictionem inductam, ſilentium diutius protractum, atque in tenebris longiorem moram, ſomnum capimus; ægre enim ferimus tinnitum, facile vero murmur lenemque ſtrepitum, quoniam ille acutus ſonus eſt, iſte obtuſus. Ad hujus rei imitationem a quibusdam fontes artificiales, continuo ex alto delapſu, aquam in ſubjectam pelvim deſtillantes, Silanos dictos, vid. C. CELSVS *Lib. III. cap. XIIX.* & LVCRETIVS *Lib. VI. de rerum nat.* in conclavibus fabricandos proponunt, qui Romanis erant uſitatiſſimi, tam ad aërem æſtivum refrigerandum, quam ad aures placandas ſomnumque provocandum. Hinc apud SENECAM *de provid.* e. g. legimus qui *Epiſt.* C. aquarum cubiculum interfluentium mentionem facit ac Mæcenatem, aquarum fragoribus, mentem anxiam avocaſſe refert. Conf. & *lib. de tranquill. animi*, & *Lib. III. nat. q. c. XVII.* Veteribus etiam frequenti uſu moreque poſitum erat, ut ad lenem fluentis rivi foliorumque arborum ſtrepitum in nemoribus caperent ſo-

mnum, quod ex HORATIO rerum humanarum obſervatore curioſo habetur *lib. Ep. Od. 2.*

Labuntur altis interim rupis aquæ,
Quæruntur in ſylvis aves
Fonteſque Lymphis obſtrepunt manantibus
Somnos quod invitet leves.

Immo & ob contrariam quidem rationem & ſtrepitus, tumultus, clangores & fragores, vociferationes in illis inſtituendæ erunt ut pro in aqua ſubmerſis, gravi uteri ſuffocatione correptis, ex vaporibus ſuffocatis, affectibus ſoporoſis, lethargo, apoplexia, catalepſi aliisque affectis. Plurimis non erit inauditum, etiam moribundos vociferationibus & ejulatu adſtantium iterum ad ſe rediiſſe. In hunc modum adducit inſolitum alias remedii genus VILLANOVANVS, vid. *in Brev. L. IV. c. II.* pro diſcutiendo veterno: Jubet enim ut ſus pedibus poſticis ad lectum prope caput ægroti ſuſpendatur & ad vociferationem poſtea irritetur. Quo loco referam (nec plane deeſt ratio) lethargicos omnium optime excitari eo, cui ſe alias addixerant, vel quæ amaverant v. g. clangore tubarum milites, venatores canum latratu, effuſione e ſaccis nummorum in menſam avaros. Conf. HOLLERIVS *L. I. Prax. C. IX. in Schol.* (quale exemplum etiam novi:) poculorum forti alliſione vinoſos &c. ex hoc præternaturali ſopore felicius expergiſci. Animi deliquio correptorum aures clamoribus & præcipue proprii nominis aut alterius rei amatæ gratæ & adſuetæ acclamatione impleri communiſſimum eſt: Idque ideo, quia ſpiritus animales eo jam adſueti ſunt & ad eam maxime partem fluunt uberius, & pori etiam ampliores, cum per hoc organon aurem ſæpius fluxerint; atque fibræ ita ſunt diſpoſitæ, ut facile talem impreſſionem ſæpius factam recipiant ulteriusque deferant. In hanc rem porro notabiles ſunt binæ hiſtoriæ adductæ altera in *Eph. G. N. C. D. ii. Ao. 7. obſ. 17.* de matrona quadam, quæ nunquam feliciter peperit, niſi ſono campanæ excitata. Altera in *Zod. Gall. P. IV. p. 34.* de ſyncope imminente per ſtrepitum tympanorum prohibita. Addo tertiam ex *Eph. G. D. 3. an. 7. obſerv 180.* de Matrona quadam & ejus duabus filiabus, quæ omnes urinam nunquam reddere poterant, niſi audito aquæ ex guturnio in plevim ſtillicidio. Conveniens hic invitat de muſica omnibus grata atque accepta (rariſſima enim ſunt quæ in contrarium afferuntur exempla, ab IMPERIALI *in Muſeo p. m. 199.* de Lipſio ab OLEARIO *in Diſſ. de Vanino* de aliis JOH. GABR. DRECHSLER *in*

Præfat.

Præfat. ad Diſſ. de Cithara Davidica) argumentum, cujus in Medicina utique quoque ſtat laus & commendatio, qua pro variorum morborum curatione & præſervatione, ut ſpirituum maxime & humorum motus (ſicque ob arctiſſimam unionem & animi) blanda vi demulcente excitentur vel ad corporis, circumferentiam vel in cor verſus interiora moveantur, inordinati atque moleſti avertantur, componantur rediganturque, vel languentes ex[illegible]entur, aut & timor & terror avertantur, gaudium vero, ſpes & lætitia procurentur &c. Hac adhuc hodie apud nos quoque quandoque utuntur, ut olim frequentiſſime lætis & triſtis occaſionibus utebantur, ut in delirantibus, phreniticis, maniacis, melancholicis: Hinc illud factum eſt, jam tritum ſermone proverbium: Muſica mentis medicina mœſtis. Notiſſimum eſt, ex tot Scriptorum teſtimoniis, tarantulæ morſui (qui rariſſimus affectus & incolis Apuliæ alias quaſi proprius, etiam in Germania viſus eſt, ut teſtatur clariſſ. WEDELIVS *in Exercit. Sem. & Pathol. Cap. VIII.*) muſicam, motionem corporis & exercitationem & ſaltationem, quæ exinde inducitur venenoſum coagulum ſpirituum & humorum diſſolvendo, mederi. Hoc curationis genus MERSENNVS comprobat, qui, Enthuſiaſtas, Quackeros dictos, utpote melancholicos, muſica reſtitui, evincit. Cantu porro vel ſono, ſtridoreque blando alio ſtatim infantes vagientes atque doloribus forte ventris aut aliis affecti, ſopiti dormitant. Videbis ſimile in adultis ejusmodi & ex muſica, quæ ſomni parens merito habetur: animæ enim quies & remiſſio eſt ex objecti jucundi fruitione. Pithagoræi hinc lectum ingredientes lyra canebant, ut citius dormirent & ſomnia eſſent placidiora, ut refert CICERO *in V. Tuſculan. Q.* & QVINCTILIANVS *Lib. IX. cap. IV.* Videbis imo hinc quosdam, qui muſica harmonia ſuavi capti, in ecſtaſin conjiciuntur. Apud veteres Ebræos, Græcos (ut paulo explicatius loquar) muſicam, vid. ALEX. AB ALEX. *gen. dier. L. XVI. cap. V.* magno in pretio, etiam pro variis morbis curandis fuiſſe conſtat, qui & variis idem uſi ſunt modulis ad alios atque alios affectus excitandos. Etenim ſi tardior ac mollis ea eſt ſpirituum motus, vagos, intempeſtivos & irregulares ferocientes commode colligit, ſedat atque componit ex quo conjectura haud difficilis formanda, per ejusmodi dolores placari: Si fortior eſt atque intenſior & ſaltuoſa, quaſi erigit & excitat languidos & in motus fortiores abripit. Hanc in humores hujus potentiam, vulgari & noto omnibus experimento cognoſces, ſi nimirum, per vitri vino pleni marginem, plectrum aut ſaltem digitum fricando duces, ubi criſpatum & quaſi ebulliens vinum jucundo ſpectaculo

lo conſpicies. Legimus Terpandrum multos ægrotantes ſic ſanaſſe. Podagræ curatæ per muſicam teſtimonium adducit ALDROVANDVS *L. X. de inſect. fol. 621.* N. PECHLINIVS *p. 472. obſervat.* De arthritide vaga curata, teſtatur Epiph. FERDINANDVS *Hiſt. Med. 8.* adeatur & IOH. HEVRNIVS 3. *Method. ad Pr. 28.* De obſtructione urinæ ſolvenda *Eph. N. C. D. I. an. 1. obſ. 134.* De obſtructione alvi ſoluta *D. II. an. 8. obſerv. 17. Eph. N. C.* Sic Jonii & Lesbii per Arionem ab epilepſia, Bœotii per Iſmeniam Thebanum, a malo iſchiadico liberati ſunt: quod & Aulus Gellius affirmat, & Galenus loca dolentia decantare dixit. Theophraſtus per illam ictum aſpidum & viperarum, Aſclepiades dementiam & ſurditatem, Ulyſſes vulnerum cruentationem, Thales Cratenſ. peſtem aliosque morbos ſanaverunt. Cantu vulnus ſanatum eſſe, legi poteſt in HOMER. *Odyſſ. 19. p. 455.* & menſium fluxum repreſſum, vid. SERENII SAMONICI *Hiſt. Æthiop. Lib. IX. cap. XXXIII.* Hydropem ſanatum ex Dio Caſſio, ſagittam pertinaciter infixam extractam apud BENIV. *de Abdit. Rer. Cauſ. cap. XXVI.* (confer. PLIN. *H. N. Lib. XXVIII. cap XI. XII.*) reperies; Sed an veræ hæ omnes hiſtoriæ ſint, videas ipſe. Hanc pro ſoni ſuavitate varia, ſpiritus & humores imo partes ſolidas, dein quoque adeo motus animi varie concitare, apparet; neque ratio deeſt aſſerto, neque vires rationi: muſica enim aërem acute etiam ferit atque undulationem & vibrationem, ut alii clangores in aëre inſtituit, quæ conſequenter & motum vividum varias oſcillationes & harmonicam quaſi agitationem, corporis partibus, ſanguini & ſpiritibus ſpeciatim, producit ac imprimit, varieque pro vario ſono, undulatione, vibrationibus iteratis eousque continuata & communicata illas afficit, nunc ad motum vehementer concitando nunc ad quietem componendo variasque in mente rerum ideas excitando atque ad hilaritatem & lachrymas ſæpe deducendo, uti compertum habemus, mota & pulſa una chorda in uno muſico inſtrumento æqualiter tenſa, in altero altera quoque movetur ac contremiſcit. Eoque magis, dum aures & ſpiritus in nervis acuſticis cerebro valde propinquas, per quas facile & cerebri fibrillas nerveas acute ferit, atque hoc medio animam arcte conjunctam commovet ac pro varietate ſua varios effectus atque affectus excitat, adeoque immediate magis operatur, cum medicamenta mediate & refractis modo viribus agant: Scilicet (ut paulo explicatius de ea agamus) idea materialis ſive concentus aut motus configurativus, in ſenſorio communi, quem muſicæ ſuave melos inducit, mentem delinit corpus erigit evidenter, vimque naturæ medicatricem, quæ in tonico partium robore

re

re potiſſimum conſiſtit, intendit, atque ſic præſentem inordinatum motum, a morbo ejusque cauſis obortum, obliterat quaſi & alterat atque componit, quo ipſo quando in anima immaterialis idea grata, reſpondet, hæc melica modulamine exhilarata, ad naturalem quoque harmoniam, quaſi revocatur, vigorem reſumit, intentione vivida, ideam gratam proſequitur & ita per conſpirationem, ideam materialem, in cerebro, continuat ac ſuſtinet, unde omnes motus in corpore ordine ſecundum naturam inſurgunt cauſasqne morbificas ipſumque morbum ſuperant atque expellunt. Plurimi dein certe intereſt, quo motu quid fiat, e. gr. memorat Exper. BAGLIVIVS *Diſſ. de Tarant.* ſaltatione exorta, ſudore tarantatos ſanari facile, vix ac ne vix quidem ſudoriferis ſimplicibus provocato. Quis eſt, qui neſciat? inconcinnam muſicæ harmoniam trituram ferri &c. ingratam ſenſationem, horripilationem, ſtuporem dentium (nervulis ſcilicet eorum contortis) imo in quibusdam totius corporis interdum concuſſionem &c. inferre, ut & ejusmodi effectus in BARTHOLINI *Epiſt. Cent. IV. p. 523.* legitur de famulo quodam, qui quando cultros acuit, ex ingrato in aere ſtridore, cruentatas gingivas expertus eſt, atque alius ſingularis & jocoſus ex SCALIGERO eſt notus de Vaſcone Equite, qui audito teſtudinis ſono, urinam ſtatim reddere eſt coactus. Alia de aliis exempla ejusmodi habentur, ſic. H. AB HEER. *obſ. 29. p. 253.* de puella quadam nobili refert, quæ quoties campanæ ſonitum audierat, ſtatim animi deliquio correpta eſt. LIBAVIVS *Part. II. ſingul. p. 136.* mentionem cujusdam adducit, qui anſeres clamantes, ut ille apud KECKERMANNVM *Lib. I. ſyſt. phyſ. Cap. VIII.* qui porcorum grunnitum non ferre potuerunt. IOH. SCHMID *Eph. G. N. C. D. I. an. 9 & 10. p. 122.* ſtudioſum adducit, qui ſcopis pavimentum verri non poterat perferre, quia ſuffocationis periculum exinde illi ſtatim imminebat. Legimus, quod Æſculapius multas ſcribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri & melodias quasdam præceperit iis, quibus ob vehementiores motus corporis temperamentum juſto calidius efficeretur. Porro idem in Carolo IX. Gall. R. apparet, uti Hiſtorici Gallici referunt, qui a nulla magis re, quam muſica dolorum ſolamen accepit. Similiter de Melampo fertur, illum virgines cantilenis furore percitas ſanitati reſtituiſſe, vid. OVID. *Metam. Lib. XV. Fab. V. no. 53.* ac PAVSANIAS in *Alt. Plutarch.* & MART. CAPELLA *Lib. IX.* conf. & HOM. *Iliad. Lib. I. p. 471.* A. GELLIVS *N. A. L. IV. cap. XII.* COELIVS AVRELIANVS *Lib. V. Chron. Cap. I.* PLINIVS *H. N. Lib. XXV. cap. II.* PINDAR. *ad 31. J.* aliique. Xenocrates lymphatos modulis carminum a dementia liberavit.

Hinc

Hinc & David Saulum R. rabie versum cithara sopiebat *1. Reg. Cap. XVI.* Accepimus MART. CAPELLA authore plerasque Græcorum civitates instituisse, ut perturbationes animorum & morbi corporum ad lyræ modulos curarentur. Lacedæmonii, Arcadii, Cretenses dorico tono ut bene composito composuerunt animos & corpora exercuerunt. Imo Respublicæ totæ, per musicam regantur institutum est, ut ideo Plato dixit statui moribusque Reipublicæ musicæque arctum intercedere nexum. Plura legere quis potest apud ARISTOTELEM *Lib. VIII. polit. cap. V. VI.* Nam Musica, ut ait Anaxillas Comicus, mores docet, iratos discrepantesque opiniones lenit, ut Achillas & Clinias irati, cithara mansuefacti sunt. Ad posteros item in hanc rem memorabile est, Empedoclem cithara quendam ab homicidio traxisse, Asclepiadem seditiones inter cives exortas, musica sedasse, Damonem immorigeros juvenes ad meliorem frugem bene composito tono reduxisse, Agamemnonem profecturum Trojam de uxoris Clytemnestræ pudicitia dubitantem citharoedum reliquisse, qui sono illam citharæ ad pudicitiam incitaret, & Ægystum non nisi occiso citharoedo ea potiri potuisse. Timotheum Musicum, dum Palladis encomium fidibus decantaret, Alexandrum relicta coena ad arma induenda & arripienda adegisse, mutatis tandem modulis armis exutum rursus discumbere fecisse. Æque Lacedæmonii frequentius civibus contra hostes animum addiderunt, ut etiam notissimum est classicum tubarum tympanorumque clangorem pugnantium in acie animos accendere & alacritatem & promptitudinem excitare fortitudinem etiam timidis addere, fortibus autem illam augere, & mortis metum depellere, ut belle dixit VIRGILIVS *Lib. VI. Æneid. v. 165.* *Aëre ciere viros, martemque accendere cantu.* Aliis in locis aliisque occasionibus musica, homines ad varios corporis motus artuumque gesticulationes, saltationes, &c. concitat. Hoc ipsum sine dubio Poetæ indicare voluerunt; (Tantum enim abest, ut illos meris fabulis lusisse credendum sit, ut potius ficta sub imagine, utplurimum verum comprehendi certis monumentis atque indiciis probari possit,) perhibentes Orpheum bruta, Amphyon saxa & pisces musica allexisse. Quod & alias animalia a musicæ sono afficiantur, plurimi testantur, plurimaque obvia exempla monstrant: equi, tauri, canes, ursi &c. lituorum tibiarumque modulationibus & concentibus exagitantur. Apes emittentes examen tinnitu vasis æneis delectantur & revocantur. Strabo iratos elephantes sono musico placari adducit, cygnos & delphinos cithara & cantu delectari, Epiphanius scribit. Alosam piscem Ælianus & trichidim musica allici & capi

Athe-

Athenæus, Iſiodorus atque Rondeletius, oculatus teſtis, alii de piſcibus aliis variis & cancris perhibent. In VALVASORIS *Topogr. Carn. T. III. Lib. XI.* legitur, in certo quodam rivulo cancros & alio lacu hirudines certo quodam ſono allici. Conf. & *l. c. p. 61. & p. 63.* Ejusmodi de cane quodam notabile exemplum adducit WEINRICH *de monſtris C. III. p. m. 95.* Plura vid. *in Diſſ.* MORHOFF. *de ſcypho vitreo p. c. h. V. fract.* ſuper experimentum N. Petters. Subit adhuc recordatio, quod de Pythagoricis legitur, eos cubitum ituros cantilenis quietum ſomnum ſibi comparaſſe atque mane ſurgentes, iis ſomnum & ſtuporem diverſo modo diverſaque modulatione iterum excuſſiſſe. Hiſpanis referente R. A CASTRO *Med. Polit. p. 276.* in more poſitum eſt, quam primum quis gravius decumbat, muſicos accerſere, ut ægri animum demulceant & exhilarent &c. Mihi apud nos nota fuit fœmina primaria, quæ ad cubiculum ægrotans & de vita timens, muſicos varii generis advocavit. Muſicæ vim cæteris in morbis admirandam digna lectu oratione explicat CASSIODORVS *Lib. I. Var. cap. IV.* Conf. & KIRCHERVS *in Muſorgia* & HAFENREFFER *de cutis affectibus.* Notabile adhuc in hanc rem eſt, quod OLAVS MAGNVS *H. Lib. XVI. cap. XLIX.* refert, apud Septentrionales, illos medicos plurimi æſtimari, qui ad curationem morborum oſcines & coaxantes ranas, afferunt. Non ideo ſtatim quid θεῖον (de quo in multis, in poëſi, phyſica, matheſi, medicina & pene omnibus rebus, Plato, Seneca, Cicero, Ariſtides aliique ex ethnicis, imo multi Chriſtianorum adhuc multa loquuntur ex falſis forte de Deo & animæ origine &c. opinionibus ſeducti) in muſica continetur, de quo Jamblichius commentatus eſt: Nam omnia quæ in hanc cauſam adducuntur, ad conſuetudinem, attentionem, temperamentum, ſpirituum conditionem &c. deducenda ſunt commode. Quanta ſit adhibenda fides illis, qui de carminum vi & morborum haud mediocris auctoritatis viri credunt, viderint alii curioſiores, ſecundum illud Theophraſti: quod in verbis, herbis & lapidibus magna ſit virtus.

§. XXXII. In conſpectum cenſumque jam veniant conclave noſtrum intrantes, qui ſub adſtantium & miniſtrantium aut etiam inviſentium &c. nomine communiter veniunt ſecundum illud HIPPOCRATIS artis medicæ legislatoris, monitum *1. Aph. S. I. Oportet autem medicum ſe ipſum exhibere quæ oportet facientem ſed etiam ægrum & præſentes & externa.* Quemadmodum omnino affirmandum eſt, animo & corpore laborantibus neceſſarios eſſe aliquos, qui non ſolum auxiliatrices manus porrigant, ſed & tædioſi ejusmodi otii diverticula afferant atque conſolatio-

 nibus,

nibus, lepidis sermonibus, adfectu amico atque grato miseros erigant reficiantque (quod amicum consortium Sueci pro optimo præcipue podagræ remedio habent, & exemplo Principis Svantonis comprobant, conf. & OLAVS MAGNVS *H. Lib. XVI. cap. XLIX.*) atque christiana charitas id exigit, ita non possum non nimiam illam imprimis apud nos ægrum salutandi ac visitandi consuetudinem, atque assiduitatem, salutato odiosam non modo sed & nocivam, atro calculo notare, quando turmatim vel amicitiæ, officii, vel consuetudinis specie, vel placendi, vel hypocriseos, vel spectandi saltem causa sæpius & nescio ob quas alias rationes, fœmellæ maxime eæque non raro ineptæ ac imprudentes atque loquaces advolant ac non vocatæ se ægris obtrudunt per horasque non paucas ibi subsistunt. Ægrumque tunc corona spectata circumdatum & multiplicata cinctum serie ac quasi phalange obvallatum spectabis. Blaterantium & quibus otium serendis rumoribus natum est, ut belle CVRTIVS expressit *Lib. VIII. cap. IX.* ibi, murmurantium, divagantium & non raro ludentium &c. universum conclave reboat strepitu, ut intuentibus circa grabatos circumsedentium cohortes, jam non ægrum ac moribundum, sed ludos scenicos spectantis concionis ac non ægrorum cubiculi, sed fori aleatorii præbeant speciem. Tantum certe abest ab officio hoc, ut officio nihil magis possit esse contrarium, immodico ita officio nocere, aut ad minimum molestare. Nemini enim officium suum debet esse damnosum. Multæ profecto eæque graviores rationes physicæ æque ac morales atque adeo theologicæ subsunt, quæ malum hunc morem abrogandum & ægrum ab ejusmodi turba separandum, suadent: Æger tunc non secum esse potest, aut tempus ex arbitrio disponere sed cogitur aliorum jure vivere, quæ necessaria essent & morbo & naturæ, remedia præscripta debito modo & tempore adhibere, necessarium naturæ debitum solvere, &c. negligere, vana aliena ingrata, tædiosa, odiosa, molesta, nocua & perniciosa vel invitus & coactus audire, videre & loqui, quo vires suas perdit (æger), inquietior redditur, morbus resuscitatur exasperaturque (imprimis cum in quamplurimis morbis ut imprimis v. gr. in angina, sputo cruento &c. loquela plane esset interdicenda & sæpius vel respiratio paulo fortior noceat) in requie necessaria impeditur, animo perturbatur, agitatur vel indignatur aut suspicax, meticulosus imo quandoque desperabundus variisque aliis modis inquietus redditur, a piis meditationibus distrahitur, avocatur, & quæ sunt ejusmodi alia. Taceo non solum conclave hominum frequentia calefieri halitibus, sed & mutari & inquinari aerem eumque crassum

ſum reddi, a tam variis ex hac turba hominum adſtantium adſidentiumque & incommodis ſæpe effluviis exhalantibus, qua de re videatur SANCTORIVS *de vitand. error. in med. Lib. XIII. cap. IV. p. 517.* cum pauci dentur ſani, pauciores bona & ſana effluvia reddentes de ſe, pauciſſimi qui cum Alexandro M. balſamum ſpirant, plures hypochondriaci, ſcorbutici, cachectici, phthiſici &c. & qui hircum olent tamque male, ut Thais, Ozoli vid. PAVSANIAS *in Deſcript. Græciæ Lib. X. cap. XXXVIII. p. 895.* vel Lemniæ mulieres vid. ANTIGONVS *in mirabil. enarrat. congerie No. 130. p. 142.* quos vel fœtor oris ac alarum pedumque abominabilis intollerabilisque diſtinguit, quem THEOPHRASTVS *de odoribus, in opuſculis a Daniele Furlano editis p. 195.* acerrimum & viroſiſſimum eſſe exiſtimat, quales homines alias convictui & ſocietati humanæ vix idonei exiſtunt. Ea enim conditionis humanæ indignitas eſt: arbores, plantæ & herbæ producunt frondes, fructus & flores ſuaves & gratos, homo lendes & pediculos. Illæ de ſe fundunt oleum, vinum & balſamum, iſte fluidum ſputum, ſudorem, urinam & ſtercus. Illæ de ſe ſpirant ſuavitatem odoris, hic de ſe reddit abominationem fœtoris. Invehitur jam in hanc malam conſuetudinem malas nunc leges obtrudentem GALEN. *Lib. X. meth. cap. VIII.* & nonniſi gratiſſimos ægris ex viſitantibus aditum conceſſit, alios vero aut nunquam illorum cubiculum ingredi, aut non diu ante oculos illorum verſari permiſit, vid. *Comment. 4. in lib.* HIPPOCR. *6. de morb. vulg.* atque HIPPOCR. notanter *Lib. VI. epid. text. 29.* ſic loquitur: *Illud ſit tibi ſemper curæ, ne tempore æſtivo plurimi lecto ægroti aſſideant, ne illorum frequentia aërem, qui inſpiratur calefaciat & ægrotus multa cogatur loqui, itaque ob id ſitis augeatur & febris.* Ob aliam rationem impediendum in multis morbis eſt, ne advenientes ad lectum ægroti adproquinquent, v. gr. ſi quis febre maligna aut alio morbo decumbit, cui frigidus aër nocumento eſt, & ne quis ex frigido aëre nimis propinque ad lectum accedat, ne malignitas augeatur, quoniam libera tranſpiratio ſtatim inhibetur, quod certiſſimæ obſervationis eſt. Ideo quoque hominum frequentiam prohibent ſpeciatim ROD. A CASTRO *de morb. mal. p. 332. Lib. XI.* N. PISO *L. de M. C. & C. p. 447.* in febre ardente *p. 452.* & præ aliis in hectica GALENVS *l. c.* in tertiana L. FVCHSIVS *de cur. rat. p. 464.* & RIV. *Pr. M. Lib. XVII. p. 308.* in lue hungarica, M. RVLAND. *de lue hung. Cap. VI.* in febribus putridis, continuis, omnibus fere affectibus capitis laborantibus, cephalæa imprimis, qui præ aliis ab inceſſu ſaltem per conclave ambulantium aut ſaltem confabulantium ſermone dolores, auctos ſtatim ſentiunt. FRAMBESARIVS *Can.*

& consil. M. Lib. XI. p. 144. SOLENANDER *S. 11. p. 116.* porro in arthritide idem *l. c. p. 420.* in stupore & paralysi *p. 136.* in respiratione difficili, imminuta, asthmate, peripneumonia. ROD. A CASTRO *de M. M. 11. L. p. 332.* in pulsatione arteriarum dorsi, ut vocat, melancholicis consueta, in cardiaca passione hominum ingressum non admittere pariter COEL. AVREL. *d. m. a. c. 37.* videntur. Vertiginosi quoque ægre ferunt turbam hominum hinc inde ambulantium & moventium. Phrenitici, maniaci, melancholici, delirantes, rarissime ingredientes, nisi amicissimos (nec hos semper) tolerare possunt, quin ex illorum intuitu saltem & magis adhuc locutionibus non raro maximo furore contra illos concitantur aut graviori delirio & contristatione afficiuntur. COEL. AVREL. *de morb. acut. Lib. I. cap. IX.* ad eos per intervalla saltem admittantur, quos metu aut verecundia coluerunt, notanter monet, cum frequentia pariat contemptum. Imprimis grassantibus morbis contagiosis, observatio hæc utilissima est, ne hominum frequentia ex his affectis in alios proferant vitium ac ne admittantur forte contagione jam affecti, atque adeo vitandi sunt illi, qui bene valentes cum illis quomodocunque versati sunt. Specialissime indicandum est, in conclavia mulierum furore uterino percitarum mares minime esse admittendos, ut & vice versa juvenum gonorrhoea &c. affectorum mulieres, ut ad alia non excurram minus confirmata, v. gr. quando autore Lanfranco menstruatas fœminas ad vulneratos non admittendas neque adspicere, eos nec lectum & linteamina illarum manibus tractari permittunt. Quis enim nescit, hæc ex inani illa persuasione oriri, qua falso creditur, sanguinem fœminarum menstruum, deleteriis qualitatibus esse infectum; PARACELSVS *de pestil. tr. l. c. 11. p. m. 351.* sibi aliisque persuasit, infecta venenata exinde nasci, araneas, muscas, crabrones, blattas, termites, acaros, pulices, erucas imo basiliscos. Atque adeo ARNOLDVS DE VILLA NOVA *in brev. pract. T. I. L. III.* in sexum fœmineum injurius est, ut scribere non erubescat, menstruatas, solo halitu atque attactu imo adspectu, arborum folia & gramina perdere, aëremque inficere, adeo ut homines & bruta exinde tanquam pestilentia tacta intereant, ac hocce venenum usque ad sidera penetret. Aeque talia timent alii ab illis, quæ veneris congressum paulo ante exercuerunt ob hircosam sc. fumigationem adhuc durantem, de quo vid. I. CAMERAR. *D. 5. Probl. 2.* Addo tandem ex PLINIO *L. XXVIII. cap. III.* quod vulnera adgraventur illorum introitu, qui serpentis canisve morsu læsi fuerint. Hispani hac in re maxime sunt cauti persuasione maxime hac ast vana forte) ducti, dari interdum homines, oculos malignos habentes

&

& fascinantes, ut in Triballis & Illyriis & in aliis quibusdam Regionibus PLINIO memorante. Conf. & P. DELLA VALLE *Itiner. P. III. p. 218.* Comit. DAVNOY. *hisp. It. p. 216.* Quidam ut & Scythicæ fœminæ Bythiæ dictæ Apollonide & Philarcho referentibus, & in Ponto Thibiorum genus, inveniuntur. Quales homines, quando alios sanos adspiciant (sive homines sive bruta, nec non alias res) causari possent aut morbum, tabescentiam, imo etiam mortem ipsam, aut si ægros aspiciant, nunquam illos ad sanitatem reduci posse, ut ex adductis exemplis declarant COVARUVIAS & imprimis J. A. DE COLMENAR. *Delic. de l'Espagne & du Portugal. Tr. V. p. 889.* quare & lege cautum est apud illos, ut illi, qui ejusmodi oculum, ut ajunt, malignum habent, illum emplastro tegant, quam legem negligentes deferuntur ad judicium, quod vocant inquisitionis. De ejusmodi hominibus & loquitur CICERO & PLVTARCHVS *Lib. V. Sympos. cap. VII.* PLAVTVS *in Autil.* quando dicit: *Exeundum herule tibi foras conspectatrix cum oculis emissitiis.* Ad hanc rem etiam respicit versus ille VIRGILII MARONIS *Eclog. III.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De hac re præterea multa collegit NVRENBERGIVS. Item A. GELLIVS *9. noct. att. C. IV. P. I. VII. c. II.* Affirmat pro certo hoc quoque M. A. SINAPIVS *in Parodox. med. P. II. p. 80.* & asserit se in Lithuania vidisse homines, solo adspectu effluviis aliquibus subtilibus, ex oculis emanantibus lædentes non modo alios homines, sed & integros animalium greges, anserum, gallinarum &c. interficientes ac si fulguris ictu tacti essent. De hoc fascinationis genere propriam experientiam allegat J. H. JVNCKEN *in Med. præs. seculo accom. p. 831.* & seq. præservationem simul & remedia affert. De ista oculorum quorundam malignitate, & an ejusmodi in quibusdam subjectis impuris, scorbuticis & acrioribus humoribus præditis præsertim ira concitatis verendum sit, atque an visus in aërem agat secundum ARISTOTELEM, uti habet *lib. de insomniis cap. II.* hic equidem probationem jam ulterius non adjiciam, dum hic maxime scrupulus restat ac dubitatio: an spiritus animales ad oculos affluentes aliis sint pejores ad alias partes fluentes, & an tales exhalationes per tunicam non modo conjunctivam sed & per scleroticam eamque crassam, densam duramque tanta vi penetrare possent. Verum hoc affirmare necesse habemus, omnes inflammatione & lippitudine fortiori oculorum detentos, si alios adspiciant, quibus imbecilles oculi sunt, ut SENECA loquitur *c. II. de clement.* contagio, effluviis ex ægri oculis exeuntibus quæ

Cartesio annotante copiosiora quidem sunt, quam in ulla alia parte, in corpus & oculos alterius (non excludo deterrima effluvia ex ore &c. terrorem, metum & conturbationem spirituum animalium & humorum, sed multum eos conferre assevero) per poros immissione afficere secundum illud Poetæ:

Dum spectant oculi læsos læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Quare ophthalmiam & lippitudinem morbis contagiosis annumerare non dubitant, GALENVS *l. de diff. febr. C. II.* PLVTARCHVS *5. Symp.* 7. atque hanc sententiam observationibus firmaverunt. BENED. FAVENT. *Prax. T. I. S. 2. c. II.* MERCVRIALIS *prax. Lib. I. c. XXXVIII.* &c. Conf. & RABBI MOYSES 24. *aphorism.* SENECA *Lib. II. de benef.* DIEMERBROCK *observat. & curat. obs. 55.* Nullum enim reperitur in humani corporis fabrica sensus organon, quod tanta spirituum copia scateat & fulgorem de se emittat, ut oculus. Siquidem quinque nervis insignibus ex Ἐγκεφάλῳ proxime egredientibus nimirum opticum, oculorum motorium, oculorum patheticum, paria, ramus gustatorii paris primus innominati seu timidi primaque propago oculis prospiciunt. Si igitur ponamus, quod ejusmodi homines visu nocere possent, non visui qua tali, sed effluviis & particulis acrioribus, tenuibus adscribendus effectus. Nec abs re est malevolorum hominum & invidorum, qui ut plurimum pravos humores possident, consuetudinem & physice medicеque ideo esse suspectam adeoque fugiendam, unde & ejusmodi homines fœdum præferunt faciei colorem, cacheсticum & macrem corporis habitum, qui & in proverbium abiit. *Er siehet aus wie der Neid.* SCHAPERVS *Med. curios. specim.* observavit phthisicum, qui ob superficiem erosam asperæ arteriæ ideoque adeo sensibilem, ut a levissimo aëre offenderetur, & dolorem non levem sentiret, ideo nec aërem in hypocausto perferre poterat, si vel lento, sed proximo ab adstantium transitu aër moveretur, hinc strophioli admotione id avertebat. Ex alia adhuc causa B. BOHNIVS v. *Tr. de Off. Med. cap. IV.* Magnatum ægrotantium conditionem deteriorem habet quam plebejorum, quia multitudini adstantium diversa ut plurimum sentientium contradicere Medicus non facile audet. Aliæ adhuc occasiones subinde eveniunt, ob quas visitantium accessus plane prohibeatur necesse est. v. gr. quando gravior quædam chirurgica operatio: ut herniarum vel calculi sectio & similes administrandæ sunt, tunc Medicus exire jubet singulos, non

ne-

neceſſarios atque adeo cognatos, ægrique amiciſſimos, qui ſermonibus, lamentationibus ac lacrymis aut vultu ſaltem, miſeri animum facile turbare aut flectere poſſent. Quomodo vero ſe ab illis ex viſitatione nimia incommodis expediant, videant, quorum intereſt & non niſi infirmis gratos & amantiſſimos admittant. Aequale propemodum ægris noſtris incommodum affert, quando domeſtici ſingulis quandoque fere momentis ad ægrotum accedunt, & de hujus vel illius ſalutatione & ſciſcitatione ægrum certiorem faciunt (more apud nos admodum communi) tunc cogitur æger reſponſionem ferre ſingulis omnino vicibus, morbique curſum & indolem, accidentia, ſucceſſum, ſecundum omnes partes & circumſtantias enarrare, quomodo dormiverit quid biberit, ederit, quid ſudaverit, quod exſpuerit, & quid amplius egerit &c. Hæc hominum frequentia hicque accurrentium diſcurrentiumque ſtrepitus atque tumultus certis in caſibus, ut in lethargo & caro, & ubi ab ægro ſomnus ſit avertendus, ubique ille ſit excitandus, tolerabilior eſt, imo neceſſarius, ubi ideo convocandi ſunt amici, qui ſemper diſcurrendo ægrum excitant a ſomno &c. In illis, qui ſub adſtantium & miniſtrantium nomine veniunt & in conclave infirmorum admittuntur, requiruntur, ut corporis valor, ita & fidelitas, docilitas, ſedulitas, ſolicitudo, taciturnitas, ſcientia, peritia, prudentia, authoritas, alacritas, patientia & obſequentia, ut ſe ad ægrorum ingenium accommodent blandiſſime ſemper & amabili induſtria tractent, pro ægrotantium beneplacito & arbitrio loquantur & agant, & omnia ſummo ſtudio occultent, atque avertant quod ægris moleſtiam, mœrorem, metum, acerbitatem, indignationem, excandeſcentiam, deſperationem ullo modo afferre poſſit, ut omnia ex præſcripto, ex ratione, menſura, modo, tempore, ordine &c. peragant: Fruſtra enim auxilia præſcribit medicus, præparat pharmacopæus, operatur chirurgus, ſi adſtans illa rite porrigere negligat ægro & conſilia ſalubria reſpuat. Eligendi quoque ad hoc officium, qui ægris grati ſunt, familiares, & in quos plenam fiduciam poſuerunt, non iracundi, non moleſti, non deſides &c. Ad qualia miniſteria, ægros ſcilicet cibandos, contrectandos &c. fœminæ viris aptiores cenſentur, ut & in proverbio etiam dicitur, ægrum gemere & graviter affligi, ubi mulier non adſit. Adhæc & alias neceſſitates ſequior ſexus nobis in adjutorium datus eſt ut HELMONTIVS loquitur *v. Oper. p. 345.* Cum omnino, ut modo dictum, plurimum referat, quales adſtantes & miniſtrantes ſint apud ægros, optandum omnino eſſet, ut tales ubique eſſent, quales ab HIPPOCRATE *lib. de dec. ornatu* deſcribuntur; ſed utique

que hodie dolendum eſt, quod hæc negotia mulierculis ut plurimum ineptis committantur, quæ non agunt, quæ eſſent agenda, & quæ ſui muneris eſſent, ſed aliena & quibus ægrotis male conſulitur, tractant.

§. XXXIII. Plura ſunt medicorum quoque officia perſonalia magis atque in ægrotantium conclavibus ab iis obſervanda. Ejusmodi ſunt (ut ex multis quædam ſaltem dicam) ut conſultationes ſuas non in conclavi & audientibus ægrotis, ſed in alio ſeparato vel angulo atque ſemotis arbitris & auditoribus inſtituant, quoniam rationes eæque graviores & multæ ſubſunt, tam ex parte medicorum ipſorum, quam ægrorum & adſtantium: Liberius ſc. librantur ſingula a ſingulis atque proferuntur ſententiæ, liberiusque errores prius comiſſi forte corriguntur &c. Quo & cavetur ne æger & adſtantes controverſias de morbi ſtatu, gradu, phœnomenis, circumſtantiis ac indicationibus & contraindicationibus, indicatis & id genus audiant, totam artem & medicos ſuſpectos habeant, cum controverſia in qualicunque exercitatione, juſtam ignorantiæ vel ad minimum incertitudinis ſuſpicionem arguat, ſicut concordia juſtam magnamque cognitionis ſpem demonſtrat. Hocque ſimul præcavetur, ne forte notam periculoſi futuri eventus ex ipſis deprehendat æger, aut infelicem mentionem audiat, moriaturque deſperatus, qui forte adhuc poſſet ſalvari &c. Unde etiam factum eſt, quod ſcio, in quibusdam urbibus lege publica cautum eſſe, ne conſultationes medicæ publice habeantur, ad quod ipſum L. SEPTALIVS *in animadv. L. I. T. XII.* ſedulo adhortatur medicos. Imprimis cum ejusmodi non raro falſa licet inculpando intorquendoque indecenter mordicus defendant, dicta & facta alterius traducant acerbius quam Serapion Hippocratem tanquam novi Aeſculapii canino (ut ajunt) dente rodant atque ſarcasmis acutiſſimis aggrediantur, æmulatione, ambitione vel ſola invidia (quæ atque odium præjudicia reddunt majora, ac adeo occœcant ut etiam vix invicem ſe intelligant) ducti (unde & medicorum invidia ac diſcordia in proverbium ceſſit, jurene, an injuria judicet æquus Judex) &c. Quod tamen vitium, ratio non permittit, civilitas abhorret, chriſtiani mores prohibent; aſt non mirum cuiquam videatur: Ut enim multorum litteratorum ita & medicorum eruditio eſt in verbis, ſententias aliorum ex perpetuo contradicendi ſtudio intelligere nolunt. Hic dictum illud AGRIPPAE ſuccurrit, qui quod medicina Marti ſit adſcripta, medicos ob id diſcordantiſſimos invidentiſſimosque aſſerit. Imo dantur caſus, ubi medicus ſi ægrum non accedat, melius eſt: inveniuntur enim ejusmodi ingenii homines, qui ex timidis ſunt, licet leviter de-

cum-

cumbant, qui cum vident medicos, ægerrimos ſe eſſe credunt. Pariter ejusmodi eſt, ut medicus ægrum accedens, ſecundum ipſius Hippocratis ſuaſum prope ægrum, eo in loco, qui pro ratione morbi commodiſſimus eſt, accedat, ita tamen, ne æger quid ſuſpicionis gignat atque non a capite ſeu tergo ægroti, ſed adverſus eundem atque ex adverſo vultus ejus & aliquamdiu ſedeat & aſſideat ipſi, cum ex illius vultu, habitu, decubitu, ſimilibusque in oculos incurrentibus, multum notitiæ hauriri & obtutu & mora aliquali deprehendi poſſit, quod fugitivis quæſtionibus ediſcere non ſemper datum eſt atque ut commode de cura inſtituenda cogitare poſſit: ſecundum enim ARISTOTELEM *VII. Phyſ. II.* anima ſedendo ſapientior fit & prudentior ac intellectio aſſimilatur quieti & ſtatui magis quam motui; unde olim quoque ſedere tenebantur conſultantes & judicantes. Periti medici quoque eſt, ut Celſus egregie monet, non protinus ſtatim, quando ad ægroti lectum accedat, extemplo manus & pulſum tangere, ſed exacto demum pauxillo temporis ſpatio, & poſteaquam hilari vultu, comitate & ſermone leni ſolicitudinem ægroti levaverit, cum Medici acceſſus ac conſpectus facile etiam quandoque alterationem ac turbationem in pulſu cauſari poſſit. Porro caveant ſibi, quando commorantur apud ægrotos, ad illorum grabatos, ne proverbio iſto alias ſatis noto fidem faciant, quo dicitur, medicum, quem medicinam alias mutam ex VIRGILIO *Aeneid. 12.* vocabant, garrulum, eſſe ægroto alium morbum, de quo exhiberi poſſent exempla, niſi eſſent odioſa. Ejusmodi medicos garrulos & in ſermone prodigos præpoſterisque ſermonibus circumforaneis & præſtigiatoribus magis dignis abundantes quibus ſibi modo ſatisfaciunt, notanter reprehendit atque caſtigat, ACCURSIUS *Cod. de Med. L.* ſequentibus: *Loquaciſſimi ſunt & ita doctiſſimi vulgi ſententia habentur; re vero & opere ſunt ineptiſſimi & artem inter omnes ſumme honorandam & a ſummo Deo hominibus conceſſam dedecorant.* Noſter ipſe HIPPOCRATES *de dec. ornatu* breviloquentiæ Medicum meminiſſe juſſit. Caveant quoque medici, ne alienum afferant odorem, moſchi, ambræ (vel quod hodie frequentius) tabaci, ſpiritus vini: ille fœminis hyſtericis nocivus, hic ægris tantum non omnibus inviſus, infenſus eſt atque moleſtus. Sed ne aquilas volare aut delphinos natare, me velle docere videar, & iliadem poſt Homerum ſcribere, ea conſulto miſſa facio & remitto B. L. ad Clariſſ. D. BOHNIUM (prætereo alios) *in Offic. Med. dupl.* Interim audiamus adhuc GALENUM loquentem *de morb. vulg. C. IV. cl. 3. p. 355.* *Et figuram corporis totius introeundo atque ſedendo Medicus obſervet, neque humilem præ-*

se ferat, ut contemptum mereatur, neque fastu quodam aut superbia turgentem; quidam enim extenti ac patentes introeunt, ac sedent nonnulli adstricti & compressi, alii vero proni atque abjecti &c. Abjectos itaque, & qui contemtum mereantur, eos diceret Galenus, nonnullos qui ut panem saltem lucrentur turpeque lucellum comparent sibi & benevolentiam indigno aucupio a vulgo captent ægrotantium & muliercularum & servitutis nomen (quod tamen professore & cultore artis hujus liberalis & nobilissimæ plane indignum, indecens ac ignobile est) ac boni medici mereantur, atque ut a plebejis prædicentur, intempestive humiles se præbent eousque degenerant, ut etiam munere famulitio fungantur & servilem operam præstent, citra necessitatem, non sine tamen notabili illorum artisque dedecore v. gr. apud ægrotum per totam noctem vigilent, vomiturientibus & venæ sectionem admittentibus vas teneant, ad sedile ægros ducant atque alia ejusmodi servitia lecticariorum, servorum, coquorum, unguentariorum, muliercularum famulantium præstent. In hanc rem quoque sic locutus est ille nempe GALENUS *in VI. epid. com. 5. text. 13. Quam proportionem Architectus habet erga ædificatores, murarios, lignariosque fabros & alios, quibus imperat, artifices, eandem & Medicus erga suos ministros (ut enim imperare convenit Imperantibus, neutiquam ministerio uti, ita Architecti est non ligna ascia asciare, non configere trabes, clavis trabalibus, non muros struere, non crustare calce trullæ ope, non vestire tectorio.* Et rursus, *Medici ad ægrotantes introitus quoscunque, ipsis gratos faciant. Siquidem nonnulli ægrotantes a sæpius visentibus affici se molestia opinantur, alii contra crebrose invisi valde lætantur. Quidam autem Medici sunt, qui eo usque insaniunt, ut etiam in dormientium conclave strepentes pedibus, aut vociferantes introitum faciant, ob quæ expergefacti ægroti & illis irascuntur, & valde se læsos esse conqueruntur. Hæc igitur omnia providere solertem medicum decet, ut neque omni tempore accedat, neque cum multo strepitu & elata voce, aut incessu aut aspectu, aut aliquo prorsus hujusmodi indecoro. Sermones inter præcipua sunt & isti cum ægrotantibus a medicis recte aut non recte habiti: Quidam enim sermones summe fatui sunt &c.* Possent quædam etiam monita adjici ad ægrotos de officiis eorum erga medicos accedentes, hic observandis; sed ne diutius quam attinet inhæreamus, illa saltem indicanda potius quam longius recensenda ea esse, censemus.

§. XXXIV. Sed ad finem properat hæc dissertatio, quare de aliis vel forte minus hic necessariis, vel minus exploratis aliis, cuique libuerit cogitare & opinari permittimus, cum & de plurimorum certitudine nunquam fuerim sollicitus v. g. quando pro iis, qui de visu imminuto

con-

conqueruntur, herbam & flores calcatrippæ, tempore balſamico circa feſtum nimirum Sti Johannis collectos, in hypocauſto ſertis formatis affigunt, ut inſpiciant ea atque oculi exinde confortentur, aut quando in morbo pediculari virgam coryli cum pinguedine urſi vel erinacei inungunt, & in angulum cubiculi ponunt, de quo vid. I. ANGLICI *prax. p. 871. L. I. Vel*, quod multi affirmant, R. A CASTRO *de M. M. L. II. p. 325.* & CRATO *L. V. f. 267.* GREMS *arb. ruin. p. 236.* & ægerrime poſſum adduci ut temere credam, pyra licet hæc copioſa & vehementia ſatis effluvia de ſe ſpargant, ut & illud de quo tamen teſtatur Sim. Pauli, egregius ſane vir fideque dignus vid. QVADRIP. *Botan. p. m. 82.* de malis, (unde & pyra & mala, jumenta ægre portare poſſe PLINIVS dixit *Lib. XXIII. c. VII.*) ea & cydonia mala ſi eſſent in cubiculo poſita parturientium, muliebria non dilatari & partum retardari & impediri, & quæ ſunt alia.

§. XXXV. Romani olim inter alia ſuperſtitioſa in lectis auguria ceperunt, ut ex PLAVTO colligere eſt *in Cur. Act. I. S. I.* & fulcra lectorum in Mercurii imaginem effícta habuerunt, quæ & ideo Hermines vocarunt, ad conciliandum ſomnum, cum Mercurium ſomni præſidem putarent, unde & in conviviis ultimum poculum Mercurii poculum nominabant, vid. STVCK. *Ant. Cont. p. 628.* NICOL. *de Stat. Mercur. p. 27.* ALMELOV. *amœn. Theolog. Philolog. p. 208.* Priusquam enim ad lectum ſe reciperent, Mercurio libabant, vid. PETRVS MOL. *noc. p. 115.* SAVBERT. *de ſacrif. c. III. p. 48.* Dolendum quod & inter Chriſtianos adhuc ejusmodi illis plane indigna, ſuperſtitioſa non modo magica, utplurimumque ridicula ſed & damnata plane inveniantur, quæ ab ignara plebe maxime & vetulis circa conclavia ægrorum & grabatos & in illis affigenda, imponenda ſubſternendaque imaginibus & characteribus ſignanda ſigillis, ſuffitibus & odoribus fumiganda, tam ut morbi curentur, quam ne dæmon, ne ſtrix ne nyx noceant, innumero numero ab hac gente ingenti, utplurimum quædam non tam malo propoſito, quam ignorantiæ obducta caligine, facile tamen vincibilis, circumferuntur. Hæc & ſimilia in hunc usque diem adhuc nobis a priſcis illis temporibus relicta ſunt in quibus quidam Medici & Phyſici recta ratione & fidis experimentis medicamentorum vires explorare neglexerunt & magicas artes, eas nimirum, quæ circa viles nugas, præſtigia, incantationes erant occupatæ, medicinæ junxerunt, ex quo infelici connubio ſuperſtitio difficillime ad hunc usque diem tollenda, & quæ hominum animos firmiſſime tenet, irrepſit, & multa remedia ſuperſtitioſa, inepta

& ridicula hiſtrionum, rudibus, levibus & credulis obtulit. Nec intacti ejusmodi ſuperſtitione fuerunt, qui ultra plebeja ingenia ſapiunt vel potius ſapere volunt, qui tales curas probant & approbant, quorum agmen ducunt Alexander Aphrodiſæus, Galenus, Theophraſtus, Fluddius Fernelius, Gaffarellus, Joh. Lud. de la Cerda, Joh. Branus, Camiſius Luſitanus, Galeattus Martius, Henr. Cornel. Agrippa. Tales enim curæ, ut ego quidem opinor, ſæpius impietatem, ſæpiſſime ſuperſtitionem involvunt, cum nondum videre liceat, qua ratione, variis ineptiis, imaginibus, characteribus, ceremoniis, verbis, (quæcunque ſunt quantitates per ſe inefficaces) & morbis eorumque cauſis intercedere proportiones, attactus & operationes poſſint ubicunque enim non datur contactus corporum ſive immediatus ſive mediatus mediantibus ſcilicet effluviis ibi etiam nulla operatio naturalis. Interim certum eſt, multos per ſuperſtitionem eſſe curatos. Effectus, quos ut certiſſimos allegant, fortuiti tantum ſunt & non iis, ſed phantaſiæ & affectibus ægrotantium, nec non tempori, loco aliisque circumſtantiis accidentalibus aliisque forte abominandis prorſusque damnandis cauſis adſcribendi potius ſunt; Aſt abſit ut illa illorumque exempla amplius ſubjiciamus, ne ſomnia Oreſtis narremus, eoque magis cum optandum foret, ut plane deleri poſſet memoria, vel uſus ſaltem omnium illicitorum ejusmodi. Nam prohibuit Deus hujusmodi magicas ſuperſtitiones, characteres & conſultationes *Levit. cap. XIIX. XIX. & XX. & Deuteron. cap. XIIX.* Legitur ejusmodi exemplum Dei Juſtiſſimi gravis iræ in Ochoſiam quod adiiſſet beelzebubum, idolum accaronenſe & ex eo quæſiviſſet, num ex morbo ſuo convaleſcere poſſet, & quod ideo mortuus ſit. *Lib. Regum IV. Cap. I.* Pia in hanc rem D. AVGVSTINI meditatio eſt *in Pſ. XXXIV.* inquiens; *Multi in morbis conſtituti quærunt auxilium a dæmonibus, per arreptitios dæmones conſulunt, ſortilegos quærunt &c. Quid hoc aliud quam inviſibiles hoſtes noſtros adire, qui animam noſtram expugnant, & nobis perſuadent, non eſſe nobis in Deo ſalutem?* Accuſandi tamen ii ſimilem in modum penitus non ſunt, qui ejusmodi, quæ vero res ſunt indifferentes, quædam interdum admittunt, non ut aliquid operentur per ſe, ſed ut iisdem ægros bono dolo fallant, ut avidius recipiatur medicina & animus patientis erigatur, excitetur, firmetur, ut confidat, ſperet, gaudeat liberalius, quod maximum in medicina eſt momentum, quoniam maxima eſt phantaſiæ & animæ potentia in ſpiritus & corpora, ut perite explicat ROGER. BACO *de ſecr. oper. a & nat.* Ad peſſimos circa hanc materiam mores & conſuetudines pertinet, quando difficulter morientibus aut

morti

morti vicinis, subito & violenter pulvinar subtrahunt, ut citius moriantur, faciliorque mors, quam εὐθανασίαν vocant (qui scopus alias æque ac ille mortem imminentem retardandi legitimo usu in medicina alicujus momenti est) procuretur, iis reclinato capite respiratione impedita & inducta: Sic enim ulteriori in cerebro sanguinis stasi impeditoque refluxu ad cor, motus ejus languidus jam, tollitur penitus: quæ sane actio physica (moribundus enim suffocatus angitur magis atque eo difficiliori morte moritur) æque ac moraliter mala ab homicidioque non multum abhorrens merito censetur, qua de re pluribus egit VALENTINI *in Novel. medico legal. p. 1195. seq.* Conveniens hinc apud SENECAM *in Excerpt. Controv. Lib. III. Controv. 9.* lectio est: *Etiam ubi remedium est mori scelus est occidere.* Huic nec multum absimilis est hic pessimus mos, de quo WILH. PISO *Hist. N. & med. Brasil. Lib. I.* de Brasiliensibus scribit: *Ægrotos remediis frustra adhibitis nihil ultra tentant, nec tamen relinquunt, sed unanimi consensu tanquam de ejus salute desperantes clavis ligneis ferociter interimunt, gratificantes tamen illis & illi sibi, quod mascule interire ipsis contingat, omnibusque miseriis eripiantur. Hoc enim lætabundi in ipso mortis articulo quasi de euthanasia gloriantur.*

§. XXXVI. Tandem ex hac mala mansione egressis, qui ægrotabant vel qui reconvalescunt & sani, sanis, aut mortuis exportatis, conclavia lecti, vestes imprimis pelliceæ, culcitræ, linteamenta, stramina reliquaque supellex, rite iterum purgentur, lavando aqua vel aceto, fumigando v. gr. vitriolo, sulphure, myrrha & similibus aceto solutis & candenti lateri conspersis, calce viva, frigida extincta &c. in ipsis conclavibus ignes accendendo luculentos, quo efficacissimo auxilio morbi semina penitus extinguuntur. Et magis eo corriges, si ea concrementur, atque adeo in nonnullis Italiæ locis integras domos cum tota supellectili Magistratus jussu, combustas fuisse accepimus. Quare pessima consuetudine, sordes ablutæ, detrita vestimenta & similia, quibus usi sunt morbis maxime contagiosis laborantes, in publicas vias projiciuntur. Imprimis in hunc usum alias laudantur v. gr. juniperi lignum & baccæ, herba rorismarini, ligna abietum & similia resinosa & balsamica, cornua igni injecta &c. Aperiantur omnes fenestræ, januæ apertæque per aliquod tempus serventur, ut effluvia hucusque ex corporibus ægrotantium egressa & forte hinc inde hærentia vel circumvolitantia foras pellantur: & ut minus sentiantur cadaveraque eo citius infrigescant; non vero ut archeus sic dictus iterum eo citius faciliusque ad auram tanquam ad matrem suam perveniat (unde spectra deinceps deducuntur vel ut ignarum

vulgus somniat, anima, per aërem, viam suam facilius inveniat ad Cœlum.) Imo e re erit, si conclavis parietes pro re nata abraderentur, novaque calce inducerentur, ne aliis dein noxam quoque inferant. Quod in peste, dysenteria, lue venerea, scabie, phthisi & morbis reliquis contagiosis, (de hac, phthisi nempe speciatim conf. MASSARIAS *Prax. L. II. cap. VII.* ARISTOT. *problem. X. sect. 7.*) hoc sedulo observandum est, unde etiam L. RIVER. *Prax. med. Lib. VII. cap. VII.* monet, quod cubicula consanguineorum phthisicorum etiam ingredi, non tutum sit, firmatque exemplis in *obs. cent. I. obs. 35. & 99. cent. 4. obs. 92.* Sic SCHENCKIVS *in observ. Lib. II. obs. 132.* refert de Medico sputum phthisici olfaciente & facto exinde phthisico. Tanto hoc magis necessarium, quanto certius est, contagium ad trabes, parietes, mensas, tabulata, sediles, linteamina, vestes, imo esculenta & potulenta atque adeo ad utensilia ex metallis confecta ut & monetas vid. RANCHIN. *de purgat. rer. infer. S. IV.* P. ZACHIAS *Tit. III. Quæst. IV. §. 29.* SEBITZ *Diss. de Morb. contag. §. 75.* sicque per universum cubiculum transire inibique diu non ad menses tantum multos, sed etiam annos, hærere atque delitescere ut Fracastorius, Forestus, Alexander Benedictus, Trincavellus aliique testantur hocque jam olim de Judæorum lepra notum fuit, eam in muris, parietibusque diu hæsisse. Conf. & FR. VALLESIVS *de Phil. sacr. Cap. XIX.* TH. BARTHOL. *de Morb. bibl. No. VIII.* Quare & in hanc rem maxime memorabile est, Deum hanc aëris, hominum, conclavium, ædificiorum, vestium, lectorum a lepra, fluxionibus seminis, aliisque repurgationem ab omni contagio, putredine, puerperio, cadaverum immunditie & contactu serio præcepisse ut *Levit. XI. v. 24. XIII. v. 34. 45. 52. 54. seq. 57. seq. Cap. XIV. v. 2. 9. 45. seq. Cap. XXI. v. 1. 11. Cap. XXII. v. 4. seq.* legere licet. Ultimo loco adhuc monendum duco, quod aliqui ægrotantium v. gr. affectibus soporosis, apoplexia, lipothymia, epilepsia, catarrho suffocativo, hysterica passione affecti, per plures etiam quandoque dies tanquam mortui jaceant atque pro iis habeantur, ut multæ observationes apud Autores hinc inde prostant, ut nempe ejusmodi per aliquot temporis spatium in lecto cubiculoque calido relinquantur non vero maturius justo, in frigidam cameram exportentur, nedum sepeliantur, sed ad quartum usque diem in temperato loco retineantur.

XV.



XV.
DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE MORBORVM PER MANVVM ATTRECTATVM CVRATIONE.

PROOEMIVM.

QUoniam rerum naturalium cauſas, cognitione noſtra vix, ac ne vix quidem aſſequi poſſumus, niſi obſervationes, & experimenta prius monſtraverint viam, ac quaſi prætulerint facem, intelligentes Medici, ſibi, ſuæque arti, ægrotisque ſuis optime conſulunt, qui artem ſuam ſalutarem, medicinam, per alias latiſſime fuſam ſcientias, ratione pariter, ac experientia, veris ſuis veluti principiis ſuffulciunt. Etenim evenit ſæpiſſime, quod cum effectibus ſuis plerumque cauſas metiri, & æſtimare velint, ut in illis reddendis, ſi præſertim rationibus genuinis nec ſatis inſtructi ſint, graviſſime errent, propterea quod iſti ex alio plane fonte, non raro atque ipſis viſum eſt, promanare ſoleant; quemadmodum e contrario ratio ſine experientia fallit non ſatis cautos, quia & facile poſſunt dari cauſæ, quæ rebus penitius expenſis longiſſime ab effectibus abeſſe ſolent; quare qui ambo conjungunt, felicius procedunt, atque ideo præcipue illi laudandi, qui vires remediorum non tam ſpecificis, & imaginariis interdum facultatibus quam mechanicis, & ex ſua natura petitis, ſuarum particularum affectionibus metiuntur, & pro ratione, proque varietate cauſarum morborum effectricium, aliarumque circumſtantiarum, in hunc cenſum venientium, varias quoque curandi rationes, & modum inſtituunt, atque ſecundum recta artis præcepta medicinam exercent; iſti vero vituperandi ſunt, qui vel hoc, alteroque fulcro, vel utrisque ſimul poſthabitis, aut vanas fallaciæque plenas, aut ſuperſtitioſas morborum curationes ſuſceperunt, eoque peſſimo medio, malam ſuſpicionem arti adeo ſalutari, atque nobiliſſimæ contraxerunt, in quem cenſum præcipue veniunt ii, qui etiam periculoſiſſimorum, & contumaciſſimorum morborum ſanationem absque ullis in auxilium

xilium vocatis remediis tentant, & de perfectis iis maxime gloriantur, ſed vel verbis, obſcuro murmure prolatis, vel characteribus, hinc inde aut adſcriptis aut appenſis, aut amuletis applicatis, aut incantamentis, ſignisque variis, manibus pedibusque efformatis, & in transplantationibus, aliisque ſimilibus magicis, magnam vim, ac efficaciam ponunt. Nemo autem curationem morborum per manuum attrectatum aut vanam, ac inutilem, aut ſuperſtitioſam eſſe credat, aut diſſertationem præſentem plus nominis, quam operis habere credat, cum ejusdem efficaciam ratione, & experientia eſſe fundatam in ſequentibus paragraphis libera manu, hanc chartam pulſando, ibimus ſtabilitum. Quam brevem parcaque manu ac nuda absque elegantiarum annulis tactam illam quidem tractationem ideo non inanem, prorſus, & ſupervacaneam cognoſcendis commodis, iisque tuto, ac jucunde conferendis operam quandam impendere arbitramur. Quamvis non manu (ut ajunt) fictam eam B. L. reperiet; nam breviter, & plane magis, ad hanc rem propoſitam, quam prolixe, ac ornate ſcribere voluimus, cui pollice, favoris quondam ſacrario habito ut faveat tam rogamus quam pollicemur nobis.

§. I. MAnus, pars ea admodum nobilis ac admiranda formoſa, atque amica, extremorum humani corporis una ex carpo, & metacarpo & digitis compoſita atque diviſa diverſisque articulationibus ad omnem motus diverſitatem aptiſſimis elegantique ordine locatis conflata unguibusque munita atque ad firmiorem apprehenſionem majoremque tutelam datis atque ne laboribus lædantur, organon hominis utiliſſimum, laborioſiſſimum, expeditiſſimum atque agiliſſimum comparandis omnibus laboribus, actionibus, & muniis, quæ humana induſtria excogitavit, & injunxit, inſtituendis, ac obeundis aptiſſimum ac neceſſarium eſt & cujus ope ſingulis momentis indigemus quodque ad ſingulas motionis ſpecies, ſingulaque tempora ac loca admodum ſe accommodare & fingere novit. Taceamus quod ipſis etiam animi pathematibus & quibusvis fere illius conceptibus cerebri miniſterio excitatis, obſequantur ut ferme omnibus, quæ agimus variis geſticulationum modis continuo agitentur, qua de re WILLISIVS *in Anat. Cerebri Cap. XXIII.* ſic loquitur: *Nihil fere cogitamus, quin una manus, huc illuc jactentur, dumque lingua hæſitat, aut vox faucibus hæret, dextra quaſi geſtu ſuo celerius animi ſenſa depromere ſatagemus exeritur.* In ejusmodi exercitatione atque per manus loquela, apud Romanos quondam Pantomimi erant (de quibus FERRARIVS, CALLIMACHVS aliique mira recenſent) & apud Turcas hodie muti,

muti, quos vocant exercitatiſſimi atque celebratiſſimi ſunt. Unde & ARISTOT. *vid. Lib. IV. de P. A. n. cap. X.* & GALEN. *de Uſu Part. Lib. I. cap. X. XV. ſeq. it. Lib. II.* inſtrumentum inſtrumentorum dicta fuit, qui ſimul fuſe explicavit, cur mobiles manus noſtræ, cur binæ æquales, cur carne & cute tectæ, multifidæ, tot inprimis digitis iisque inæqualibus inſtructæ ſint, cur pollex eo quo conſpicitur loco, cæteris appoſitus, digiti in ſummitatibus molles, tribus ita figuratis, oſſibus unguibusque rotundis armati eſſe debeant, Anaxagoras Philoſophus quod manus ϭοφίας αἰτία cauſa ſapientiæ ſit, aſſeruit. Profecto ſi propius rem aliqua ſaltim æſtimatione perpendamus ſapientiſſimi Auctoris noſtri ac Parentis Dei, perfectiſſimas manus, rerum omnium effectrices, mirari ac venerari ſtatim jubemur, easque compendium operum ejus habere, nulli dubitamus. Hæc forte perpendens CHRIST. DONATUS ex conformatione nempe hujus membri corporis humani, potiſſimum Dei exiſtentiam demonſtrare annifus eſt hocque eodem jure propemodum ac IOH. CHRIST. STURMIUS ex oculi, IOH. ANDR. SCHMIDIUS ex auris, GEORG. ALB. HAMBERGERUS ex cordis ſtructura ut & GUIL. FEVERLEIN ex hominum loquela, peculiaribus diſſertationibus in lucem emiſſis evincere contra, atheos, voluerunt. An eorum argumenta pro convincendis plane ejusmodi nefariis hominibus ſufficere poſſint, equidem determinare in me non recipiam, quoniam hoc non hujus loci neque mei officii eſt. Etenim homo qui creatura omnium nobiliſſima ac perfectiſſima alias habetur, certe brutis ipſis in multis a natura miſerior, nihil ſciens aliud, natura ſponte quam flere, vix mammam nutricis apprehendere & ſugere potens, natus nudus, mutus, rudis, imbecillis atque rerum ſuarum ſuapte natura ignarus atque ad artificia humana ineptus atque inermis, inops, alienæque opis egens variaque infirmitate preſſus, etiam in provectiore ætate ad ratiocinia formanda minus aptus nec quicquam ſine doctrina ſibi ſuccurrere poteſt, facultate tantummodo conceſſa, per quam non modo ea omnia ſibi acquirere poterat, ad quæ natura ea ducebat, ſed etiam limites ipſi a natura conſtitutos eo felicius transgredi liceret, cum cætera animalia, bruta, mox ab ortu velleribus atque pilis, villis, pennis, ſquamis, corticibus, teſtis loricataque cute tanquam veſtitu donata naturam tanquam magiſtram ac ducem ſequuntur, quæ affectus phantaſiam ac motus corporis ſui, ad vitæ modum directos ingerit inſtinctumque ſuum ſentiunt vel ſuo robore vel calliditate ac velocitate ſibi quaſi proſpiciunt, neceſſitates quærunt ſuas, & domicilia atque contra metum ac vim ſuis ſe armis tueri & defendere norunt,

runt, unguibus & morſu leones & urſi, cornibus tauri, ungulis equi, cutis ſtimulis echinus, apri dentibus ac apes & veſpæ aculeis, aves roſtro, cancri chelis utuntur atque depellunt periculum. Alia quibus arma natura negavit, aſtutia & volubilitate pedum ſibi conſulunt. Et ſiquid etiam eſt quod natura dat, non dilucidum non expreſſum ſatis eſt, ſummatim atque obſcure quædam novit natura, reliquias habet, integrum amiſit atque adeo (quod adhuc magis mirandum) bruta ſine medico, ſola natura monſtrante remedia morborum eligunt juvantiaque appetunt atque quæ ſalutaria ipſis ſunt norunt, nocentia vero reſpuunt: Lupi ex nimia voracitate ægrotantes, tenellis tritici, locuſtis & gramine ſe purgant; Cervi percuſſi a phalangio, (quod eſt aranei genus) cancros edendo ſibi medentur; Ciconia origano, muſtela ruta ſe munit, dimicatura contra mures, anguis fœniculi ſucco, urſi laborantes formicas lambunt, palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri foliis, alvi faſtidium purgant, piſces quoque ſi ægrotant apio viridi recreantur, PLINIO prodente *Lib. VIII. cap. XXVII. Lib. XX. cap. II.* & AGRIPPA *Lib. I. cap. XV. Occult. Philoſ.* Cervi & renovant ſenectutem ſuam comeſtione ſerpentum. Quam miſeriam humanam HIPPOCRATES *in Epiſt. ad Damag.* ſequentibus verbis haud inepte deploravit: *Homo dum educatur inutilis eſt & alienum auxilium implorat dum creſcit inſipiens protervus, pædagogo indigens dum in vigore eſt, audax dum decreſcit, miſerabilis ubi labores ſuos imprudenter recolit ac jactat.* Quam miſera itaque hominis conditio eſſet, cum omnibus indigeat, niſi ſapientiſſima Divina Mens in fragilitatis, & inopiæ ſubſidium, rectam rationem per quam omnis cognitionis fontem ad quam per naturam adſpirare licet, in ipſius habet poteſtate manusque rerum omnium officioſiſſimas operatrices tutatricesque dediſſet, quibus illa quidem omnia utilia, & neceſſaria eligat, diſcernat, diſponat, dirigat, his præparet, efficiat, ac contra irruentes injurias defendat. Hoc enim utiliſſimo inſtrumento, præ omnibus aliis animalibus homo præditus eſt, tanquam quadam prærogativa inſigni & ſi quædam eorum ut e. gr. ſimiæ eo ſunt quaque ex parte inſtructa; tamen non æque ac ille illud in quosvis uſus dirigere norunt. Unde cautum olim apud Indos teſte STRABONE *Lib. XV. Geogr.* erat, ut morte pœnas lueret, qui artifici manum ademiſſet. Noſtrum nam forum ſpectantibus nobis, non omnes illas manuales operationes, quæ in medicina, & chirurgia ad vitæ, ſalutisque uſum comparatæ occurrunt, commemorare, & concelebrare certum ac conſtitutum eſt, ſed illas tantum manuum applicationes explicandas, apud animum decrevimus, quæ per impoſitionem,

&

& contrectationem factam perficiuntur. Loquuntur de ea Theologi, loquuntur quoque Jure Consulti, nec Philosophi de ea silent, sed singuli de manuum impositione, ejusque significatione atque effectibus varia tradunt. Jure idcirco meritoque Medici quoque habent, per quæ manuum impositionem, ejusque commoda, & efficaciam extollant. Deastris gentiles olim manum quoque consecrabant, imo singulis digitorum singulares deos, deasque præesse, superstitiose credebant. Apud Ægyptios VOSSIO teste *de Physiol. Christ. & Theol. Gentil.* pollex pollentiæ encomio ornatus Veneri, index Marti, medius Saturno, annularis Soli, auricularis Mercurio erant sacrati; Omnes Minervæ, alii gentilium consecratos esse volebant, quia vel manu hastam vibrans, penetrabile monstrat acumen, vel quod iisdem omne genus laboris, & industriæ exerceatur. Potiori jure totam manum cum digitis sibi Æsculapius vindicat. Certe in medicina, arte nostra maxime salutari, manus, instrumentum perquam salutare habentur, per quod vel sola manuum impositione, aut attrectatu, aut percussione quadam, qua fibrillæ papillares nerveæ in cutem terminatæ, & spiritus in iisdem animales commoventur, secundam tuemur valetudinem, vel adversam depulsis morborum seminibus, atque principiis corrigimus, & reparamus, conversumque succorum vitalium in orbem itum, reditumque, motis aversis, ac eliminatis, qui illum conturbabant causis, instauramus, prout inter veteres pariter, ac recentiores abunde constat.

§. II. Scilicet ut manum huic tractationi admoveamus, modo indigitandum est, quod pars hæc corporis vitalis, vitalitate quadam & singulari exquisitoque tactu gaudens, effectibusque singulis, quæ ab ea sine intermissione procedunt, calore, transpiratione & blando motu singulari multifarias operationes, atque effectus, eosque quidem faciles, utilissimos, & maxime salutares etiam quæ ad artem nostram salutarem, medicinam spectant, perficere possit, atque remedia egregia, eaque potentissima, ac domestica, ac cuivis propria, atque connata, facileque ideo parabilia facillimaque encheiresi applicanda, pauperibus æque ac locupletibus communia, & libera omni tempore, omni loco, omni ferme occasione, omnibus, omnis ætatis, sexus, temperamenti omnisque conditionis hominibus, cita, tuta, ac jucunda, pro lubituque accommodanda, simulque moderanda, afferre.

§. III. Operantur nimirum (ut explicatius paulo hac de re loquamur) sic nudæ manus impositæ, blandeque plus minusque prementes,

& contrectantes sive propriæ sive alterius, suaque beneficia & auxilia conferunt, vel impositione, ac attactu saltem, vel attrectatione, palpatione, digitorum modulatione, ac titillatione, aut pressione, atque compressione paulo fortiori, aut percussione quadam, qua fibrillæ papillares nerveæ, in cutem terminatæ, & spiritus in iisdem animales commoventur atque fomentatione, sive amico naturalique calore, & copiosissimis effluviis temperatis, & salubribus naturæ humanæ admodum congruis, familiaribus, atque assuetis, optimis, tenuibus, humidis (volæ manus magis sudant) & calidis facile se in poros alterius insinuantibus, humidis, aëreis, & spirituosis elasticis, quæ dein in alterius corpore, non modo ad exteriora membra, sed & ad interiores partes per circulationem allata, & pertingentia, similem, blandum, temperatumque motum suscitare possunt. Simulque ex eo ulterior, certiorque argumentatio valet; hunc naturalem calorem, hæc vitalia effluvia extus intusque poros partium expandere, hærentes, ac lentos humores expansiva sua virtute dividere, crassiores, subtilisare, dura, rigida & resistentia, flexilia reddere, influxum humorum, & spirituum animalium invitare, transpirationem insensibilem augere, effrenatos motus componere &c. Hæ naturales manuum per impositionem factæ salutares operationes certæ, constitutæque modo nobis sint, quæque suasemet veritate tuentur, & per afferenda hanc in rem exempla clare patebunt. Hinc illa ut minus certa, & evidentia digitoque potius monstrando, ab instituto abeunt, quæ de manuum impositionis supernaturalibus effectibus, aut peculiari per eam sanandi divino miraculosoque dono circumferuntur; quare cum nemine hominum, manus de his conserere volumus sed ea aliorum judicio potius & explicationi deferimus, ut v. g. de dono, cælitusque in sanctitatis præmium concesso quorundam Angliæ, Galliæ, & Hispaniæ Regum, vid. FORCATVL. *de Gall. Imp. & philos. Polydor. Virgilius*. VALDESI *de Dign. Regum Hisp. ex Beutero* juxta expellendi dæmones virtutem sanandi per miraculum strumas atque Herculeum morbum, ut Regibus quondam Hungariæ eodem modo curandi regium morbum, CAMERARIO *V. Cent. 3. Medit. historic. Cap. XLII.* PICCARTO *Dec. I. Observ. histor. polit. Cap. VII.* & HAPPELIO memorantibus *Relat. Curios. P. I. p. 19.* habetur. Alii referunt Cheruscorum Duces balbutiem, hoc medio ac remedio corexisse atque Flaminiam, Romanam gentem, cœcitatem curasse. MICH. MEDINA *Lib. de Recta in Deum Fide*, citante FIENO, memorat se Salmanticæ puerum quendam novisse, qui sanandi donum se habere, credebat, quique multos homines solo attactu gravissimis morbis liberabat. De

VALEN-

VALENTINI GREATRAKII Nobilis Hiberni variorum morborum febrium omnis generis, cœcitatis, surditatis, epilepsiæ, paralysis, hydropum, podagræ & similium omnem medelam detrectantium curationibus prodigiosis per manuum attactum liber *Ao. MDCLXVI.* anglico idiomate conscriptus, cujus titulo addita est viri hujus imago, hocque elogio ornata: *Valentin. Greatrakes Esq. of Afane in y. contry of Waterford the Kingdom of Irland famous for curing several discases aud distemperes bythe stroak of his handonly.* Doloribus pertinacibus frictiones iteratas adhibebat, easque ad corporis extrema ducebat. Mira sane ac stupenda, quæque propemodum fidem excedunt, de isto viro cœteroquin ingenuo, pio, ab omni fuco aut fallacia alieno quique dotes illas pro dono Dei habebat singularique temperamento adscribebat, medicata manu instructo narrantur; sed hæc saltem innuentes lubenter acquiescimus, neque ulterius explicamus, authoritatique Collegii Medici Londinensis, Illustrique & omnis memoriæ Clarissimo Boyleo, Viro alias in eruendis rebus naturalibus sicut diligenti, ita acri, interpretem se præbenti non litem facere audemus, sed in medio rem omnino relinquimus. Similia exempla OTTO TACHENIUS in *Dissert. Epist. Ao. MDCLXXVI.* de monacho quodam Franciscano Bagnone, & ANT. BENIVENIUS *de Abdit. Rer. Caus. Cap. XLV.* de Dominico Pisciensi itidem monacho recensent. Recensent autem itidem bini laudati Autores multa prodigiosa, quæ hi duo monachi per manuum impositionem seu attactum in pertinacissimis, atque desperatis morbis perfecerunt. De alio quodam viro Ripis in Cimbria hoc dono prædito commemorat mira PECHLINUS *in Observat. Physico-Med. Lib. III. Obs. XXXII. p. 490. seq.* Quorumque Clarissimorum Virorum fidem æque suspectam reddere nolumus, aut existimare eosdem confusis digitis non manu (ut locutio proverbialis habetur) rem porrigisse. Interim si nobis liberum sit, hac de re aliquid adferere, aut affirmandi quid necessitatem nobis occasio imponeret, cum experientia fida nobis nondum probaverit, & impressionis, & superstitionis, aut imaginationis, & persuasionis magnæ, sive insignis excitatæ fiduciæ illius, ac spei, quam de remedio aliquo, ac amico atque accepto accepit patiens, ad promovendam & penitus alterandam auxilii efficaciam vi, (quæ sane in multis maxima est) aut ægrotantium, vel sollicitudine, vel spe agitatorum, credulitati (atque quorum spiritus animales languidi sunt, animusque demissus, in quos efficacius vis illa insolens dominatur) potius quam calidis effluviis balsamicis, medicatis & salutaribus ex manibus Regum exhalantibus, aut

aliis modis adſcribere mallemus, cui etiam alioquin amuletorum, & plurimorum ſimilium efficaciam Medici rationales, quos morbos cum recta ratione curare decet, adſcribunt, atque conſiderantes quantum valeat phantaſia ac imaginatio, imaginationis quoque hinc remedia laudant, atque commendant. Sicuti enim fortis imaginatio ægri ex unionis animæ cum corpore, lege ac vi, humorum motum vitioſum alioquin ſine medicamentis quandoque corrigit atque emendat, in illis præſertim, in quibus promptus ſpirituum animalium, ad animæ imperium influxus ipſorumque medicamentorum conſuetos effectus immutat atque naturales excretiones moderatur; ita & ſimili forte modo per fortiorem humorum motum mediante illo contactu ſtrumas tollere poteſt, æque ac perſpectum eſt, in gravidis, fœtus quandoque partes ſolidas mire ſic immutari ipſique nævos imprimi. De ſingulari ſeorſim beneficio Galliæ Regum α) ſtrumas ſanare PETRVS DE CRESCENTIIS Medicus Gallus ſcribit: multoties reges vidiſſe pro more tangere ſtrumoſos, ſed qui inde ſanatus fuerit vidiſſe neminem. Quæ qualia ſint intelligentibus ſatis conſtat, credulitatem, fiduciam atque vividam imaginationem, rebus nihili & ridiculis, pulveribus v. gr. inertibus, nudis ſchedulis, devoratis appenſisque abſurdiſſimis efficaciam largiri. Conf. LANGIVS *de An. Commot. Vi. Med. §. LII. ſeq.* Certius autem erraverit, qui forte vanæ vulgi perſuaſioni crederet, hanc virtutem ſanandi ſeptimo filio matris, quæ filiam antea non peperit ingenitam eſſe ſi præſertim ſua ſaliva ſtrumas una humectet. Alii peculiari ſolum doti vel myſterio numeri ſeptenarii adſcribunt, ut cum AGRIPPA *Lib. II. Cap. III. Occultæ Philoſ.* MIZALDVS *in Memorab. Cent. III. No. VI.* perhibet licetque WILLISIVS *in Anat. Cerebri Cap. XX.* tales effectus miraculoſos, incaſſum adhibitis antea aliis remediis, ſe ipſum ſpectaſſe confiteatur. Antiqua etiam & vulgaris eſt traditio, quod ſi bufo, talpa, aut etiam rana tamdiu in manu teneatur, donec moriatur, illam manum, ea efficacia imbui, tactu has aliasque excreſcentias abigendi. In hanc cauſam, huncque effectum refertur, quod de Comitibus Habsburgicis ac Archiducibus ſingulis Auſtriæ vid. FELIC. FABRI *Hiſt. Suec. Lib. I. c. XV.* CRVS. *de Judici.* & LIMNAEVS habetur, quod ſi balbutientibus, vel impeditioris linguæ hominibus, oſculum figerent, expeditam loquelam impertire poſſent. His ſimile eſt quod SVETONIVS de Veſpaſiano ſequentibus ſcribit: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro*

tri-

α) Qui in hac ſolennitate, ſtrumoſos tangentes, hoc eloquio atque voto utuntur: Rex te tangit, Deus te ſanet.

tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratum a Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset, vim ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per easdem curationes celebrem etiam fuisse Illustrem Bullionorum in Gallia familiam, ex SCAEVOLAE SAMMERTHANAE *Elog. Lib. V. p. 142. seq.* comparet, quæ, (uti perhibetur) quasi occulta quadam vi, non modo varios corporis morbos sanavit, sed & adeo luxata atque fracta, nervosque & artus contusos, vel quovis modo e sede sua emotos, reposuit, atque restituit. Quale donum præcipue de Henrico III. Magni, cognomine insignito multis literarum monumentis, nominatus modo scriptor deprædicat. Ejusmodi, est, quod osculis lepra sanata sit. De similibus STRABO de Parianis maribus prodit, eos serpentum morsibus remedio esse, si eos continuo attigerint. PLINIVS scripsit *Lib. XXVIII. c. III.* quod quorundam hominum tota corpora prosint, ut & de quibusdam familiis quæ erant terrori serpentibus & tactu levabant percussos, de Psyllis, Marsis ac Ophiogenibus (si credere fas est) tradidit. De his & STRABO *Lib. XIII. T. III. p. 880.* ita scribit: *Mares eorum (Ophiogenum) medicari ajunt iis, qui a vipera morsi sunt continenter tangendo, tanquam incantatores solent, ac primum in se transferre livorem deinde inflammationem etiam dolorem sedare.* Hisce simile quid, de Pirrho Epirotarum Rege, Achillis filio trahendum, qui (ut traditiones ferunt) pollicis dextri pedis (qui mortuo eo comburi non potuit) contactu melancholiam & febres fugavit. Huc quoque forte pertinere videtur, Poëtarum fabula de Circe, Solis filia, & ob magicam artem, famosissima fœmina, quæ nocere hominibus, & prodesse tangendo potuit ut & CARRICHTER ac CONDRONCHIVS malevolorum hominum genus adducunt, quod manuum attactu nocet. Apud Circassios aniculas, varios corporis morbos, solo tactu, sanare refert TAVERNIER *Itiner. T. I. Lib. III. cap. XII.* Idem de Brasilianis PISO *Hist. Nat. & Med. Lib. II. cap. V.* atque de veteribus Ægyptiis ALPINVS *de Med. Ægypt. Lib. III. cap. XVIII. seq.* scripserunt. Ejusmodi admiranda certe in hominibus quandoque visa sunt ut & de Samsone legitur in sacris literis, quod in capillitio mirabilem contineret virtutem, qua adversis quibuslibet resistere audebat. Alia tam vetera quam recentiora exempla, quæ afferuntur, jam taceamus, & potius modo, vere divinas manus Salvatoris nostri Domini Jesu Christi & dona divina discipulorum suorum, Apostolorum, qui sub novi testamenti tempore, uti in Sacra Scriptura

Marc.

Marc. l. v. 41. c. V, 23. VI, 5. 32. seq. VIII, 23. & 25. XVI, 18. Luc. IV, 40. XIII, 13. XIV, 4. XXII, 51. Matth. VIII, 3. 15. IX, 29. legimus per manuum impositionem, contactum, aut apprehensionem morbos sanaverunt, pie veneramur & reverenter commemoramus atque deprædicamus; nec aliorum Sanctorum ejusmodi curationes quas per fidem forte miraculosam coelitus concessam perfecerunt ut Antonii, Hilarionis, Apollonii Macarii, Protogenis, Augustini vid. POSSIDIVS *in vita August. Cap. XXIX.* dubias reddamus.

§. IV. Quibus indicatis ex Physiologia modo præsupponimus (longiori enim tractatione ex Anatomicorum theatro Physiologorumque cathedra petita brevitatis studio supersedeamus) quæ ad propositum nostrum magis faciunt, volas manuum præcipue præditas esse cute ordinario tenui, plana, rara, molli ac sensili, porisque patulis, atque apertis, carne calida & humida eaque sat copiosa in monticulos aut pulvillos sparsim evecta, vasisque omnis generis copiosis; nervorum speciatim extremitatibus, nullibi juxta digitorum apices, tam coacervatis; Unde præ multis aliis humani corporis partibus facilius, frequentius, & copiosius sudant ac admodum vegeto atque exquisito sensu gaudent. Tactu, res apicibus, in medio indice tanquam judice & regula internoscendorum quæ in tactum cadunt, collocata (hincque & excellentiore sensu præ reliquis digitis præditus ob arctiorem scilicet quatuor nervorum, quia plexu cervicis eo deducuntur) facile exploramus atque pulsus cordis, atque arteriarum motumque sanguinis, & humorum tam progressivum quam maxime vero intestinum in his percipere, & cognoscere possumus. Apud Medicos in confesso est, febres continuas, ardentes, lentasque hecticas, in quibus motus sanguinis progresſivus circularis magis imminutus, & intestinus motus, cujus præsertim effectus calor animalis est, præternaturaliter auctus, secus ac in aliis febribus observatur, ob remissiora symptomata, in principio præcipue difficiles admodum cognitu esse, hincque ægros pariter, ac ipsos Medicos fallere: Etenim in his pulsus naturali aliquantum celerior & mediocris, in volis tantum manuum præcipue observabilis, atque primum non adeo acris, paulo post mordacitas, & ariditas quædam percipitur a tangentibus ibi, & arteriæ calidiores partibus vicinis deprehenduntur.

§. V. His brevissime præmisſis atque præsuppositis, fiet, ut porrigendo manum haud inani conjectura affirmemus juxta compresſionem plus minusue vehementem quam manus simul inferunt, calorem hinc naturalem tenuem, blandum, æqualem, perennem, humidum, vaporosum,

rosum, spirituosum, æthereum, elasticum, salinum, sulphureum, adeoque activum, & per poros exteriores ad interiores quoque partes pertingentem, naturalique ideo magis familiarem esse, eoque calore utiliorem, qui a fomentis artificialibus paratur, vel qui a linteaminibus & pannis calefactis, & mediante igne ad fornacem comparatur, adeoque huncce calorem mediantibus impositis manibus efficacissime, ac utilissime fovere partes, vel proprii, vel alterius corporis, perfrigeratione ac ab acri gelu tactas, in quibus, ut nemo jam ambiguum habet, juvandis, fovendis, blanda & temperatissima saltem fomentatione opus est, ut pororum & tubulorum in membris frigore tactis servetur æqualitas, donec humores intus impediti & coagulati rursus in circulum naturalem redire queant: nam si calidiora nimis mox applicantur, coagulati humores impetuosius resolvuntur, relictis fibris flaccidis ac pene emortuis, interiora versus nimis violento modo moventur, ex quo corrumpi, gangrænaque, imo cito sphacelo affici possunt. Videtur nobis propter aliquam similitudinem juxta ac probationem & illustrationem subjici posse canis lambitum, qui quam utilis sit, non quispiam facile ignoraverit, præsertim in pedum infirmitate atque debilitate, ex ingenti forte dolore, quod & luculento exemplo declarant *Acta Anglorum Philosophica.*

§. VI. Etenim quoniam, ut ante interque manus sunt, (ut ajunt) universa naturæ opera, calore, utpote actione valida ætheris in intestino & vorticoso motu, in partibus sulphureis consistente administrantur; unde & laudatissimum naturæ organon, jam dudum is vocatus est, ita & in corpore nostro vitali insignem caloris usum quotidie deprehendimus: calor sane vitæ & sanitati amicus est, amicissimus vero consimilis vitalis. Hoc mediante pori mixtorum penetrantur, ac commodissime expanduntur, ut per solidarum, nutrimentum apponatur, atque liquores illi roscidi vitales blando fotu humido & calido, vaporoso, spirituoso, elastico, æthereo, atque perenni influente suo, non tantum dissolvuntur, crassiores subtiliores redduntur, inutiles secernuntur & excernuntur, & a congelatione, ad quam alias valde proclives sunt, tutissime vindicantur, sed etiam undæ illorum excitantur, & perpetuo æquali jugique itu & reditu, in debito ordine conservantur, atque adeo duræ, & resistentes solidæ partes flexiles exinde evadunt, quemadmodum digestionem, fermentationem, omnemque solutionem, admoto calore egregie juvari, & animalia, insecta &c. quæ licet per aliquot menses frigore adstrictæ & tanquam mortuæ jacuerint, accedente quocunque tepore, reviviscere cernimus, unde & nullum animal sine calore est, quamvis non

ſemper ſenſibili. Quid itaque convenientius & optatius debilibus elanguidis, elumbibusque, ex longis & pertinacibus morbis convaleſcentibus, frigidis, & ſenibus, eſſe poteſt, quam ſi manus amicæ ſuis corporibus iterum iterumque applicentur, & exinde levamen, juvamen, vigorem ac refocillationem, atque caloris imminuti & pene extincti ſuſcitabulum adipiſcantur.

§. VII. Quin imo per impoſitionem & contactum manuum aſſiduum atque frequentem, eumque, quo ſubinde tota attingunt & contrectantur corpora, recte valentium & juvenum præcipue (homines enim in pueritia & juventute adhuc conſtituti, ſaniores omnino habentur) ſanitas aliis quoque communicari poteſt. Si enim morbi per contactum atque effluvia morbifera intemperata, corrupta, atque maligna certiſſime propagantur; evidens jam apparet ratio, quod & ſanitas per blanda, temperata atque ſana effluvia, per calorem animalem continuo exhalantia, perque ſalubrem contactum, proximis efficacius & certius eadem imprimentem & invehentem, ingeri inſtaurarique queat: Contrariorum enim contraria ratio eſt; Valet & hic præcipue illud adagium: Ex ſanitate ſanitas: Atque adeo ſola converſatio, ſolusque convictus tam morbos communicat, quam ſalubritatem conciliat, cujus utriusque rei documenta & exempla a Socrate, (qui frequentem adoleſcentum conſuetudinem retardare ſenectutem, qui per ſe morbus eſt, perhibet;) Pythagora, Isocrate, Gorgia, Orbilio, aliisque pluribus Philoſophis atque Sophiſtis, item Apvleio *Lib. I.* Avl. Gellio *Noct. Att. Lib. II. c. XXIII.* nec non poſt eos J. W. Zinckgrafio *Apophthegm. p. 35.* J. V. Beverwick *Schatz der Geſundheit p. 754.* a Mars. Ficino *vid. Lib. II. c. XII* Bacone de Vervlam. *v. Cent. X. Hiſt. Nat. §. 942. p. 955. & Hiſtor. Vitæ & M. p. 554.* Ramazzino *v. Tr. de Morb. Artif. cap. XIII.* Franc. Ranchino *de Morb. Senum S. I. c. VIII.* ipſoque denique Galeno *Method. VII.* aliisque longius jam non adducendis, petantur.

§. VIII. Phyſica docet ineſſe etiam moderato calori magnam vim mixti poros intime penetrandi, & expanſiva ſua virtute partium compagem diſſolvendi, quod in chymica arte clariſſime videmus, fermentationem nimirum, omnemque ſolutionem, calore egregie juvari, quod vel in vulgus in fermentatione muſti aut farinæ, pro panificio, aut frumentorum ad præparationem ſpiritus vini, notum eſt, quod nempe hæ digeſtionis ſpecies leni etiam calore intendantur. Docet quoque & ulterius confirmat, Phyſiologia medica, influum calorem animalem humidum,

dum, ſpirituoſum, æthereum, elaſticum, ſalino-ſulphureum, concretorum poros ſubeuntem, eosque aperientem, in negotio adeo abſtruſo digeſtionis & chylificationis in ventriculo & inteſtinis, omnium aliorum inſtrumentorum ſolventium, efficaciſſimum eſſe, quo omnino admirari ſubit, non ſolum carnium, ſed & in lupis canibusque, oſſium devoratorum magnam quantitatem, intra paucarum horarum ſpatium penitus ſolvi, digerique. Demonſtrat idem ad oculum Phyſica experimentalis, quando per machinam Papinianam dictam multifaria concreta, atque adeo duriſſima oſſa emolliuntur, ſolvuntur & mediante potiſſimum calore juxta incluſum liquidum, in liquamen chyloſum vertuntur. Phyſiologia pariter docet ventriculo vicina, & adjacentia etiam viſcera vitali ſuo calore, quo gaudent, ut hepar, lien, aliæque partes calidæ, omentum, portio coli inteſtini, varie flexi & convoluti, quæ ventriculum quoque attingit, calorem vividum ſubminiſtrare, digeſtionemque alimentorum adjuvare. Haud dubitanter exinde inferre licet, aſſiduam manuum impoſitionem, præcipue bene carnoſarum in regione ventriculi, motui ventriculi & inteſtinorum toti œconomiæ animali adeo proficuo, commodum juvamen, ad ferre ac in chylificatione læſa, anorexia, dyſpepſia, bradypepſia cruditatibusque ventriculi variis collectis, validum & gratum ſtomachicum externum, emplaſtris de cruſta panis &c. & ſcutis ſtomachalibus alias, uſitatis, longeque anteferendum, atque haud contemnendum remedium eſſe, & optimam correctionem. Similiter ab ea in aliis ventriculi & inteſtinorum morbis & doloribus, ut nauſea, ructibus moleſtis, cardialgia, colica, aliisque doloribus moleſtiſſimis ventriculi & inteſtinorum, in flatibus, ipſaque tympanite aptiſſimum remedium exſpectandum. J. N. PECHLINVS *Obſervat. Phyſ. Med. Lib. III. Obſ. XXX. p. 475.* teſtatur, & refert ſe noſſe aliquem, qui tumore ventriculi flatulento ſumme dolorifico vexatus, felicem ſemper manus impoſitionem expertus eſt, & aliis ideo magno quoque emolumento commendare ſolitus eſt, atque ab hujus quidem manu, dum ventriculo admovebatur, emanans in ſuperficie cutis ſerum, qua manus ſphæra ſeſe explicavit, doloris cauſam fugamque opportune ſignificavit. Vel in vulgus notum eſt, quando ii qui ex curſu velociori, aut flatulentis aſſumtis alimentis, lacticiniis, nimiis in ſiniſtro latere dolorem pungitivum ſentiunt, quem ordinarie lieni, quamvis non adeo appoſite, adſcribunt, manum ſuper hanc regionem explicant, molliterque premunt, & aliquandiu ibi continent, quod protinus levamen ſibi acquirant. Nec non in vomitu, hypercatharſi, ſingulisque ventris fluxioni-

 bus,

bus, diarrhæa, dysenteria, ipsa cholera & iliaca passione adjutorio hoc modo manus esse possunt. Item egregium æque juvamen promittere licet in affectu illo satis frequenti, a paucissimis tamen descriptio, cardialgico splenetico, barbare mirachiali, aut mirachia dicto, plethoricis & sanguineis præsertim familiari, morsibus & tensionibus in ventriculi regione, & anxietatibus angustiisque, duritie item & abdominis & inflatulentia, nausea quandoque, imo vomitibus subsequentibus se exerente, tandemque in tabidum hecticum statum desinente, a congestione sanguinis circa vasa splenico stomachica, & humoribus acutis & pungitivis secessis oriundo, quatenus nempe per hoc remedii genus partes foventur, pori aperiuntur, fibræ laxantur, transpiratio insensibilis procuratur, dolores mitigantur, influxus spirituum animalium, & sanguinis promovetur, stasesque auferuntur. Conf. JOEL *Prax. Lib. IV. Sect. II. p. 99.* Simile propemodum remedium est, quod commendatum apud SCHOLZIVM A ROSENAV legitur *in Consil. Med. p. 924.* Hinc & multi pro chylificatione juvanda optimo etiam consilio catulos abdomini imponere assolent.

§. IX. Ab impositione tali manuum in hanc ventris regionem alia quoque viscera & partes internæ variis morbis non modo inflatione, sed & obstructione ad scirrhescentiam tandem prona, inflammatione, singultu &c. laborantia, ut hepar, ac lien præcipue, & post hæc diaphragma quoque & mesenterium pancreasque sibi medelam, & adjutorium æque promittere possunt. Huc forte trahenda ea sanatio est quam Pyrrhus Achillis filius, Epirotarum Rex, de quo PLVTARCHVS *in hujus vita*, & PLINIVS *Lib. VII. c. II. & XXVIII. c. IV.* videndi: ut ferunt, digitorum dextri pedis vel saltem halli attactu lienosis præstitit. vid. PACICHELLIVS *in Hierolíturg. c. VIII.* Quoniam & hæc abdominis viscera cum suis contentis, adjacentibusque vasis sanguiferis, vena portæ præsertim mali hypochondriaci, partim partem constituunt affectam, partim suppeditant fomitem, manuum applicatio, & pressio hoc præcavere, & curare egregie poterit. Notus Vir quidam literatus est, hoc malo atque adeo melancholica hypochondriaca detentus, qui quoties paroxysmo ejusmodi corripitur, eum valida hac manuum pressione avertere atque auferre assolet. Affinis huic affectui hysterica passio est, affine quoque ipsi hoc remedium erit utroque pollice, quod dicitur, commendandum. Imo in ipso scorbuto, universali illo malo, quod secundum nostram quidem opinionem a vitio quoque horum viscerum, & exinde proveniente excrementorum copia ab emunctoriis depurationi

oni

oni ſanguinis inſervientibus obſtructis derivandum eſt, contrectatio talis per manus totius abdominis & laterum diuturna, facile validumque remedium non ſine cauſa habenda eſt.

§. X. Ut chylificationem ſic facilitat hoc remedii genus, ita & quæ hanc ſequitur functionem animalem, nutritionem nimirum, quæ cum vita pari paſſu ambulat, adjuvat, quod lymphaticum ſuccum utilem ac aptum, qui generato animali vitam, perfectionem, conſervationem atque integritatem præſtat, accerſit & actuat, parteſque nutriendas diſponit, ut eædem in juſta quantitate, qualitate, atque mutua agendi habitudine ſerventur. Quid itaque membris nutritione imminuta, & forte etiam depravata laborantibus, paralyſi, hemiplegia affectis, atque hinc marceſcentibus, tabeque conſumptis, rachitide vitiatis, utilius afferri poteſt, quam ſi nativo ejusmodi calore foventur? cum noſtro coincidit illud a Damaſceno paralyticis propoſitum, ut nempe puerum carnoſum aut puellam ſibi habeant accubantem.

§. XI. Doloribus ſingulæ corporis humani partes ſubjectæ ſunt, ſingulæ quoque manibus ſic applicatis ſubjici, & ſolatium mulcedinem, atque levamen exinde accipere poſſunt. Ad hanc rem notatu dignum eſt, dolores partes excruciantes manus ipſas monſtrare, forteque ad hoc remedii genus applicandum admonere, unde adagium illud natum: Ubi dolor, ibi manus: Fit enim a naturali hominum conſuetudine, ut ei corporis parti, quæ dolet, frequenter manus admoveant: Equidem ad hoc dictum etiam refert animum advertere, quod ſæpe noxia & periculoſa ſit frequens illa dolentium partium per manus, præſertim digitos, contrectatio, frictio, & irritatio, quoniam humorum affluxus ad has partes, intumeſcentia, major pruritus, imo inflammatio ex facili, ordinario exinde concitantur. Præcipue vulnera & ulcera, parteſque ſpongioſæ & glanduloſæ, & admodum ſenſiles, dolentes vix, ac ne vix quidem ejusmodi frequentem contrectationem ferunt, quibus ideo cum cura ab ea abſtinendum eſt; unde etiam quædam ulcerum ſpecies, noli me tangere, audit, potiusque valent ea dicteria: manum de tabula, atque: ſuſtine & abſtine: At alia utique res eſt, atque exceptionem patitur, explicationemque requirit crebrius digitis contrectare, & ſic irritare partes dolentes, alia rurſus blanda manuum impoſitione, easdem fovere atque mulcere; tantum enim abeſt, ut malum ejusmodi fomentum augeat, ut potius leniat, atque corrigat. Ad dolores certe leniendos æqualis per manus preſſio contrario niſu, & calidum humidum vaporoſum, quod continuo ex manibus præcipue earum volis per tran-

ſpirationem inſenſibilem effluit, admodum proficuum eſt, quoniam nimiam fibrarum hanc præternaturalem expanſionem ac rigiditatem exinde inductam, in priſtinum & meliorem ſtatum modumque reducit; demulcet, atque compeſcit ſimulque moderatum ſpirituum animalium influxum, in nervos ac membranas, procurat. Certius ſecuriusque ideo hoc remedii genus applicandum etiam paulo fortius premendo nimirum, illis partibus dolentibus erit, quæ oſſa ſubjecta habent, quæque profundius latent, cujus rei plurima exempla eſſe poſſunt, cephalalgiæ, earumque variæ ſpecies, a quavis etiam cauſa exortæ ſint, hemicrania &c. In harum cenſu non omittimus inter omiſſos affectus ab ARNOLDO BOOTIO relatam *v. Obſerv. de Affect. Omiſ. Cap. IV.* futurarum capitis diſceſſionem Hibernis admodum familiarem, quæ immanem dolorem affert, adverſus quam nullum præſentius auxilium, quam a manu comprimente excogitari poteſt, ut etiam ſua experientia comprobat aliquoties jam laudatus IOH. NIC. PECHLINVS *in Obſerv. Phyſ. Med. Lib. III. obſ. XXX. p. 475.* Inter hæc porro memorandæ, odontalgia (de cujus curatione de ſe ipſo Cardanus ſingularia recenſet) otalgia, ophthalmia, ut & dolores pleuritici, ſive illi a vero, ſive ſpurio morbo laterali procedant. Memorandum inter exempla hujus rei, quod apud Sinapium legitur: Hæc de motu, inquit, meditanti occurrit mihi memoria Abbatis certi, quo cum mihi ante paucos annos non parva interceſſit familiaritas & conſuetudo: Prædictus nempe Abbas ſæpius conquerebatur ſe puncturis laterum inprimis ſiniſtri divexari, quas ipſe non alio remedio ſe diſcutere, mihi narrabat, quam iterata, pugnoque inflicta forti percuſſione, tandemque longa frictione loci dolentis. Suadebam autem eidem Abbati, qui ſæpius etiam podagricis fatigabatur doloribus, ut fuſtibus adventantem exciperet podagram, ſed ipſe negabat conſequentiam circa remedii paritatem. Addenda & ſequens obſervatio a GEORGIO BAGLIVIO, maximæ inter medicos exiſtimationis viro, in eleganti *de fibra matrice tract. Spec. Lib. I. p. 283.* relata; de vetula dira aſthmate cum tuſſi continua laborante, quæ quoties manibus fortiter verticem capitis comprimebat, toties ceſſabant ſtatim, pro tempore, quo durabat compreſſio & aſthma & tuſſis catarrhoſa; ſtatim vero ac manus auferebat iidem morbi denuo redibant & ſi pluries in die eædem ſuccedebant autumatque hac preſſione roborari pericranium & ſucceſſive duram matrem ejusque originem, quo addito robore & tono duræ matris melius dirigerentur liquidorum motus in partibus inferioribus ſicque hæc mala ceſſarent, ſimulque cerata roborantia capiti applicanda in variis ejusmodi

modi morbis commendat. Doloribus item, quos flatus per inteſtina oberrantes creant, nec non de nephriticis idem ſentiendum. Similiter in iis, a calculo veſicæ graviſſimis procedentibus tormentis, diuque trahentibus, & quibusdam intervallis ſæpius recurrentibus in colis blanda contrectatione, remedium miſeri patientes quærunt, & ſæpiſſime inveniunt; is præcipue, qui colis glandem contorquet dolor, ſpeciatim vix ab alio remedio, quam aſſiduo manuum tactu, preſſione, & extenſione, molli demulcetur. Atque in aliis, aliarumque partium, artuum, articulorumque doloribus & arthriticis vagis fixisque, catarrhalibus, rheumaticis & iſchiaticis hoc commendandum auxilium venit; Hæc enim medica manuum continua impoſitio æque feliciter fotu ſuo naturali, & conſimili humorem dolores inferentem diſcuſſoria vi digerere, atque abſumere poteſt, ac catelli membris ſic affectis appoſiti, quam appoſitionem tamen horum animalium multis nominibus laudant experti. *Acta Philoſ. Angl. A. MDCLXVI. Menſe Majo No. VI.* mentionem faciunt fabri cujusdam ferrarii, qui non ſolum medica quaſi ſua manu vomitum demulſa ventriculi regione, ventremque laxam concitavit, ſed & arthritidem ſuſtulit, doloresque aliorum membrorum compeſcuit.

§. XII. Si itaque dolores ſedat manuum impoſitio, preſſio & per eam facta fomentatio, haud obſcure quoque hinc inferendum eſt, quod ſpaſmis manuum præcipue, & pedum doloris quandam ſpeciem inferentibus, medeatur eadem. De his enim conſtat, quod alia fomenta egregia contra hæc atque ſimilia mala remedio ſint v. g. practici tanquam infallibile remedium proponunt, atque præcipiunt, ut partes ſpaſmo affectæ pannis calefactis & foveantur, & leniter fricentur, aut ut in animalis cujusdam modo mactati, ac adhuc calidi ventrem trudantur, & tamdiu ibi detineantur, donec calor nativus mactatæ beſtiæ, penitus evaneſcat, ſiquidem ſunt, qui perhibent, fuiſſe Principes qui triginta & quadraginta mulorum impendio, ſic mortis diſcrimen depulerint. V. BARTH. MARANTA *in Meth. cogn. ſimpl. Lib. III. cap. XI.* & COLLENVTIVS *Hiſt. Neapol. Lib. V.* de Ladislao Rege ſic curato. Vel modo detracta & calente adhuc pelle agnina, vervecina, leporina &c. involvantur, vel columbæ, aut gallinæ ſemi - mortuæ tranſciſſæ imponantur. Hic commemorare licet, quod ALEX. TRALLIANVS *Lib. VI. cap. XIII.* & BARICELLVS *Hort. Genial. p. 137.* teſtantur, ſingultum contrectatione, tenſione & compreſſione digitorum ſedari.

§. XIII. Certum namque eſt, quod & humores lenti pertinaces alicubi in corpore hærentes, ſituque peccantes, moleſtiamque creantes

in

in hydrope, anafarca, œdemate potenter fatis difcutiantur, dividantur, atque promoveantur, fi nempe presfione præcipue fortiori, auctaque, atque asfidua manus, & digiti iteratis attactibus, atque tractibus fic operentur. Etenim hoc medio, ac remedio ifti furfum, deorfumque, atque de loco ad locum, & a nobilioribus membris ad ignobiliora tandem ipfa corporis extrema cum exoptato effectu derivantur. Certe, fæpe pro defperatis habiti morbi fanati fuerunt fola leni compreffione vaforum, quæ impedit, ne vafa nimis debilia diftendantur nimium, a fluidis contentis. Quoniam vaforum capacitas non a folo liquido diftendente fed ab exceffu hujus fuper vaforum refiftentiam, pendet: Sed quo magis fibræ extenduntur eo etiam magis debilitantur, hinc patet, quod omne illud, quod diftractionem fibrarum impedit, caufam debilitantem tollat. Nota nobis fœmina in vicino quodam oppido eft, quæ omni afleveratione affirmat, quod catarrhos, pandiculationes moleftas, quibus perfæpe in fcapulis maxime fe exerentibus vexari folet, fola, & fucceffiva manuum impofitione, & preffione a fcapulis ad brachia, & fi per dorfi tractum defcendant per humeros crura, furasque feliciter deturbare, evocareque poffet. Imo fi iidem ipfique impacti humores ac tumores alibi exinde jam facti, ut funt tubercula, ftrumæ colli, mammarum &c. talpa five tumor ille, qui fub puerorum capitis cute tanquam fub telluris cortice ferpere folet, ut & ex motu, contritu, aut contactu rei fervidæ, in cute excitatæ veficulæ, illique minores tumores, quos papularum titulo comprehendit GALENVS *Lib. III. de Symp. Cauf. Cap. II.* impofitæ, foventes prementesque manus impenfe conferunt. Pariter in paronychia, parotide, levamen haud vile hoc remedium afferre poteft. Imo fi humores alicubi impacti ad fcirrhefcentiam tendunt, iterato manuum attactu, & preffione, medelam acquirunt. Sique tales tumores obftinati funt, & maturationem detrectant, quam tamen intendunt medentes, diutius admotæ manus puris generationem apprime facilitant & provocant, pofthabitis omnibus emplaftris digeftivis. Legatur hic in teftimonium haud rejiciendum, ea dolentium tumorum cura, cujus mentionem facit BARTHOLINVS *in Act. Haffn. Vol. V. Obferv. 126.* quod nimirum virum quendam viderit, qui quoscunque exteriores corporis dolentes tumores pungnis vehementioribus partibus dolentibus, & tumentibus adactis domare, & abigere fcivit, ut quafi fuftibus tractati molles fiant magis, quam ullis emplaftris. Modus evellendi verrucas, artificibus quibusdam familiaris eft, quo manuum tractatione eas tam diu emolliunt & terunt usque dum penitus evellantur. Similiter tu-

morem

morem aneurismaticum loco ligaturarum nuda saltem manus atque digitorum applicatione & pressione abigere conati sunt alii atque horum ope non solum talis tumoris augmentum inhibitum TVLPIVS *Lib. IV. Observ. XVII.* penitus autem sublatum fuisse DOLAEVS *V. Encycl. Chir. Rat. Lib. V. cap. XII.* asserunt. Forte etiam ulcera sanorum hominum manus imposita mitibus, temperatis, balsamicis suis praecipue effluviis sanare, ac pressione inhaerens depascensque pus exprimere valebunt; Inde etiam hariolari licet, palpitationem cordis a stimulatione & irritatione ortam ad quas praeternaturales commotiones, tumores circa mediastinum, & pericardium aut serum congelatum circa cor in hypochondriacis, melancholicis praesertim inveniendum, occasionem, & causam praebere solent, manuum supra pectus, & scrobiculum cordis assiduam impositionem sedare posse, quoniam in hunc finem sacculi, & cataplasmata a practicis nec sine ullo prorsus quandoque effectu admoveri solent.

§. XIV. Facilius, certiusque hinc ecchymomata, sive sugillationes & vibices ex contusione, compressione, vulneratione factae, si manus imponantur, diutiusque ibi serventur, corriguntur: nam sanguis circa cutem in tenuibus venis contusis effusus facile sic discutitur. Hanc manuum impositionem, & detentionem ordinario Praeses commendare solet iis, qui venae sectionem admiserunt, & ex vulnere inflicto tali ecchymomate notati, & dolore, & spasmo quodam vexati sunt, brevi enim temporis spatio & spasmus minuitur, & dolor sedatur, livorque abigitur.

§. XV. Longius hanc rem perpendentes si procedere velimus, & ulterius quaedam commemorare, quae subinde ad manus veniunt, opinio haud falleret, multo plures morbi per manuum impositionem posse curari; In praesens modo pro cujusvis placito expendendum proponamus, quanta & qualia subinde mala, a transpiratione insensibili per poros cutis, eveniant, inter quae primaria & frequentissima, generisque hominum inimicissima, febres omnis generis sunt; Aptissimum vero remedium est, hanc necessariam, & maxime proficuam excretionem, revocare, augere, & promovere manuum impositio, & undique applicatio, atque per eam restitutam ac intensam adeo, multa adeoque perniciosissima mala aut praecavere, & avertere, aut facta jam ac inducta depellere, atque curare. Non plane adhuc hic silendus est manuum & digitorum, quem simul res & occasio offert, usus, quem praest nt, in vasis majoribus sanguiferis utut arteriae illa sint, corporis sauciatis; quid enim

Ccc cc notius

notius eſt, vel ſolius interdum digiti admotione, & compreſſione vulnus occludi, & conſtrictione ſic actuali oſtiola transmittentium vaſorum ſanguiferorum obturari parietesque vaſorum adduci, atque hæmorrhagia ſiſti, ex tempore quaſi & efficaciſſime poſſe; Commemorandus ſimul is uſus eſt, qui in reducendis herniis habetur. Ad hæc ad manus quoque venit, quod vulgo quoque non ignotum eſt, uvulæ prolapſum, quem vocant i. e. ejusdem intumeſcentiam, & relaxationem per manum in collo contrectatione, & ſurſum ductione in priſtinum, ſanumque ſtatum reſtitui. Hoc quoque qui neſciant opinamur pauciſſimos eſſe, iis, quibus ob avidiſſime deglutitum cibum, aut potum affatim hauſtum, ac de quibus vulgo dicitur: *Es wære ihnen etwas in die unrechte Kehle gekommen*, & occluſam inde gulam, ſuffocatio imminet, dorſi percuſſionem iteratam per manus prodeſſe. Perinde periculoſius tuſſientibus, atque phtiſicis, infarctu pulmonum laborantibus, iisque, qui hinc pituitam tenacem e pectore difficulter excernunt, hanc dorſi percuſſionem apprime conducere, ulterior argumentatio valet. Sic C. CELSVS *de Med. Lib. III. cap. XXII.* præcipit ut in phthiſi thorax leniter manu pertractetur. Quam proficuæ puerperis ad felicem partum obtinendum tales manuum contrectationes eſſe ſolent, legendum ſiſtamus, quod TH. BARTHOLINVS ſcripſit *Cent. VI. Hiſtor. Anatom. 83.* Novi in Gallia puerperas, quæ feliciter etiam, vivos fœtus enituntur compreſſione externa, manuum propriarum, qua blande ad exitum propellunt embrionem, & ita ſine aliarum mulierum auxilio, brevi ipſæ negotium ſuſceptum conficiunt. Hæc apud GODRONCHIVM *Lib. III. de morb. veneſ. Cap. V.* lectio eſt, impotentiam virilem, in juvene quodam, manus veneficæ interioribus femorum attactu, eſſe ſolutam. Plura forte poſſemus circa hanc ipſam rem in medium afferre, ſi diutius huic contemplationi inhærere volupe eſſet, ſed ulterius hunc penum inſtruendi animum curatius advertentibus relinquamus, ac ſedulo commendamus, ſatisque habeamus eſſe hic aliqua, eſſe ſaltem primaria hujus rei momenta & documenta: Quare & non ſeorſim tangamus percuſſionis ope manuum, impetum quo dislocationem maxillæ inferioris reſtituere, frontis contuſione, alaparum & colaphorum inflictione, dentium dolorem, febres aliosque morbos abigere, fœtum mortuum ex utero expellere atque alibi humores exagitare &c. ſatagunt, qua de re PAVLLINI *in Flagello ſalutis Sect. IV. Cap. VI. & Cap. I.* TH. BARTHOLINVS *Cent. VI. Hiſtor. 83.* G. FRANCKENAV *in Diſſ. de Alap. & Colaph. Ephem. G. N. C. D. III. A. II. obſ. 202.* HAPPELIVS *in Relat. Curioſ. P. I. p. 20.* legendi ſunt.

§. XVI.

§. XVI. Hucusque emolumenta quædam attulimus, quæ manus vivi, valentisque hominis conciliare poterunt; nunc novissimum id modo superesse videtur, ut summam manum huic tractationi addituri, brevi manu tradamus, quæ de mortui manus aut digitorum saltem attactus conferat. Nimirum non modo pervulgata opinio est, sed & experientia haud simplici vice comprobavit, omnis generis in summa cute excrescentias sarcomata, hordeola, nævos maternos, verrucas, scrophulas, clavos digitorum, manuum & pedum, atque adeo strumas solo attactu aut confrictu mortui manus, auferri. Siquidem ex. gr. in *Actis Philos. A. MDCLXVI. Mense Majo* legitur strumas maximas periculosas, per duos tresve annos molestissimas, manus tandem hominis mortui applicatione fuisse curatos alia exempla BLANCKART. *in Collect. phys. med. P. I.p.556.* Idem de brachio Ludovici IX. Galliæ Regis, qui in Cataloniæ quodam oppido, Pobleto dicto, monstratur FORCATVL. *de Gall. Imper. & philosoph.* refert; ut & hæmorrhoidum ac de herniis, schirrhis & similibus WEDELIVS *in Physiolog. Med. p. 189. seq.* refert, se nosse quendam, ab excrescentia palpebrarum ingentis magnitudinis phthisicæ defunctæ manus applicatione & affrictu solo fuisse curatum. Ut plura jam alia testimonia taceamus. Præsertim persuasione quadam ducti, manum morbo aliquo chronico & emaciante maxime omnium phthisi demortui, pro hocce scopo eligunt. Qualis equidem effectus si respondet successus, non tam tactui, aut effluviis, quæ intestino & circulari fluidorum corporis humani cessantibus motibus & corpore emortuo & frigido paucissima vixque sufficientia esse possunt, aut frigori, quod infert mortua manus & per hoc illatam spasmodicam contractionem, alias glaciei frustum præferendum esset, aut magnetismo aliquo aut sali mumiali resolutione sanguinis & coacta Archei expulsione, in extremis partibus effuso, quam fiduciæ, phantasiæ aut imaginationis potius viribus, quæ sane permagnæ sunt & magis adhuc exhorrescentiæ, quam exinde concipiunt contacti, me quidem judice tribuendus esset. Quo magis enim teneriores, delicatuli, creduli, ad imaginandum faciles, timidi, aut quo magis horrent manum mortuam attacti, eo promptior est speratus effectus, nec nos ratio fugit, animam quæ sensu aut dissensu, motum spirituum animalium & humorum moderatur & determinat, eorum affluxum ad partem obsessam atque affectam inhibere, ut eadem alimento necessario destituatur, viis & vasculis, quibus alimentum defertur, tono fortiori acquisito, valida constrictione compresſis, hincque exarescant ac sensim separentur imminuantur & decidant, Neque hinc in ista aversatione anima-

lium ſpirituum retractio, quod vulgo perhibent, hic in cauſa eſt, ſed potius moleſta ſenſatio atque hinc oriunda indignatio: illas enim non tam retrahi quam validiori motu influere ſpaſmodi affectus, vomitus & ſimilia accidentia teſtantur. Atque opinamur illud qui neſciat facile neminem eſſe, ac in ſemetipſo quemvis id exploratum habere, oblatis alioquin alimentis valde gratis & ſuavioribus urgente ſic fame a præſentia & conſpectu illorum ſalivam moveri, adeo ut copioſior in buccam confluat, quin & interdum ex ore longius & velut cum impetu quodam proſiliat; e contrario vero quando cibi ingrati aut minus ſapidi aut ſola ſatietate tædioſi diu etiam in ore & quam maxime maſticando convolvuntur, deficere tamen ſalivæ confluxum, ut vel propterea deglutiri facile non poſſint, ſed & vel in faucibus hæreant. Tales effectus & alibi videmus, quando e. g. ferrum ignitum, ex improviſo præcipue affertur graviores etiam hæmorrhagiæ, ex terrore, aut exhorreſcentia exinde concepta, extemplo compeſcuntur, atque ſiſtuntur, etiamſi ferrum corpus non attingat, quatenus effrenes humorum motus ad partem affectam prohibentur. Longe plures in aliis effectus toto die experimur, qui de animæ in corpus imperio, deque vitioſorum motuum ſine medicamentis correctione, de naturalium corporis excretionum determinatione, & moderatione, de medicamentorum, effectuumque immutatione, de nævorum fœtui impreſſione &c. clare teſtantur. Quidam hoc quoque edocent ſalacitatem nimiam, & vix compeſcibilem ſatyriaſin, immo etiam priapiſmum per huncce attactum compeſci. Nota nobis obſervatio eſt de viro quodam, qui cum ſarcocele affectum ſe videret, contactu manus mortuæ illam tollere curavit, quod quidem ita ſucceſſit, ut hernioſus tumor evaneſceret; ſed ei frigiditas, & ſterilitas quorundam antea liberorum patri, ſucceſſit. Sed manum de tabula.



XVI.



XVI.
DISSERTATIO MEDICA
DE
LIGATVRIS DOLORIFICIS.

PROOEMIVM.

Vix ferendæ, ſed juſta indignatione caſtigandæ, optimo jure meritoque iſtæ in medicos & chirurgos criminationes, quibus non modo ignara atque inepta ples ad judicandum tamen præceps, ſed & alii iniqui atque malevoli noſtrorum quidam hominum cenſores frivole atque inepte ſatis in bonos invehuntur, (ſiquidem ſi ullus artifex judicio hominum expoſitus eſt, certe medici & chirurgi ſunt) quod ſalutarem artem, medicinam, non modo incertam illiberalem illam, reſarcitoriam &c. ſed & harum artium ſalutarium cultores, audaces, temerarios, elatos atque Thraſones, appellitent. Sannæ vero eæ omnium ſunt graviſſimæ quibus eos impetunt contemtumque adducere tentant, ſceleſti cavillatores, quod propter chirurgicos ſaltem quosdam cruciatus (operationes enim chirurgicæ, ſi non omnes at certe pleræque non peraguntur ſine comite dolore) ipſo morbo graviores viſos quique præ iis omnis carnificum ſupellex ſæpe doloris faciat minus, quos infelicibus patientibus magno inſtrumentorum apparatu comparato, quorumque necdum ſatietas, vinciendo, ligando, ſtringendo, rodendo, pungendo, terebrando, ſerrando, conſuendo, ſecando, amputando, inflictis vulneribus vulnera nova addendo (a quo ipſe jam Hippocrates non abhorruit) eaque dilatando ac ampliando atque urendo quandoque inferre habent neceſſe, aſperas facetias evomant; Siquidem non modo remedia hæc inventa carnificum eſſe, latronibus magis quam ægrotantibus applicanda, magna audacia aſſerunt, ſed & medicis ſuadentibus atque injungentibus ac chirurgis operantibus curioſaque licentia graſſantibus quaſi nihil aliud quam vulnera aut verbera peterent atque ex ſuppliciis ancipitem lucrarentur ſalutem barbaricaque miſericordia uterentur ac lanionum ideo tortorum atque adeo carnificum

cum titulum, ignominiæ maculam crudelitatisque notam pessime imponunt atque inurunt, ideoque vatiniano prorsus odio eosdem prosequuntur. Haud enim scio, an quid indignius de nostris hominibus qui omnibus divitibus non modo, sed & egenis & elogio etiam Senecæ scceleratis citra moralem quæ obstare posset rationem, ex æquo sua dispensant bona & operas promptas atque paratas (non loquor de tonsoribus, balneatoribus, circumforaneis, seplasiariis & hujus fæcis aliis pluribus, qui artem nonnisi in tormentum generis humani exercere videntur) effutiri potuerit; inter quos præcipue medium digitum (ut ajunt) monstremus, Henr. Cornel. Agrippæ, homini supra modum maledico ac nimia culpandaque licentia famoso, quam sibi audacter sumsit, in omnes propemodum, artes & scientias aut disciplinas laudabiles colentes atque exercentes, qui sarcastice medicinam homicidiorum artem nuncupat. Ideo etiam non admodum collaudandus severus ille censor Marcus Cato, qui hanc quoque ob rationem lege caveret, ne Medicus Græcus aut Arabs Ægyptiusque Romam (cujus incolæ molli elatiorique animo contacti corruptique erant, qui nihil quicquam barbaris acceptum ferre voluerant) intraret, quoniam a sævitia & crudelitate, quam vocabat, medentium abhorreret, qui morbos urendo ac secando ad sanitatem perducere conabantur, atque vulnerarios ideo atque adeo carnifices vocavit nec graviora esse carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta eorum dixit, filiumque ut ab universis sibi caveret, monuit. Hinc & PRUDENTIUS scribit:

Horretis omnes hasce carnificum manus,
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sævit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.

Ad quod occasionem dedisse Archagatum videtur, qui primus fuit Romæ medicus circa annum DXXXV. post urbem R. conditam, qui simul fuit chirurgus; sed quia in ægrotos crudelem se gessit vocatus est carnifex ut POLYDORUS VIRGILIUS *de Invent. rer. Lib. II. cap. XX. p. 63.* habet. Nec tolerandum PRIMEROSII, qui *de error. vulg.* scripsit *Lib. I. cap. XVII.* effatum, quo artem medicam esse quidem eam, omnium præstantissimam non tamen liberalem dixit, quo etiam non abludit CARDANUS *de Libris propr. p. 77.* servilem eam esse affirmans, laboribus ple-

nam

nam ingenuoque homine indignam. Scribenti hoc mihi in mentem incidit querela (alioquin ſat judicioſa) quam de chirurgis Indi duxerunt & his verbis conceptam legi *dans les Memoires* DE MONS. LE COMTE *p. 306. On vous traite en Europe avec le fer, icy on nous martirisire avec le feu; la mode aparement n'en changera pas parceque les medicins ne sentent pas le mal, qu'ils nous font, & qui ne sont pas moins bien payés, pour nous tourmenter, que pour nous querir.* At hortatur nos ac monet medicinæ Parens HIPPOCRATES noſter, *vid. Sect. I. Aphor.* extremis morbis extrema remedia tanquam optima admovere. Certe ſic dementia eſt, putare damna, quæ ſunt remedia. Nam quamvis ad tria illa attendere jubeatur medicus miſeriæ humanæ contemplator, quæ Aſclepiades, Pruſienſis medicorum eloquentiſſimus docente GALENO *Meth. Lib. XIV. cap. XV.* commendavit, nempe ut cito tuto & jucunde (i. e. ſine dolore, ſine moleſtia inſigni, omnia vitando quæcunque vel animum perturbent, vel ſenſus ejus offendant, potius exhilarent atque delectent) curet: etiam quivis bonus & prudens principia morbi nullo impetu, vel ſola abſtinentia corrigat, ſubducat ex quotidiana conſuetudine quædam, magis noxia etiam comminiſcatur inſtrumenta ad vulnerandum requiſita, quæ minus ſunt formidabilia &c. eſt tamen inquam interdum, ubi neceſſitas, legis expers, ab hac regula deflectere jubet, & ut de vita & ſanitate proximi laborantis conſulat, atque magnis morbis magnis remediis obviam iturus nihilque intentatum relicturus, utilitatem potius quam delicias ſpectando, ægrum tractet aliquando durius, atque adeo ab ipſa remediorum crudelitate in morbis crudelibus quandoque ſolamen ſperet, vel ad gaudia ſalutis excruciet. (ut Caſſiodorus loquitur.) Secundum enim illud dictum: crudelem medicum horridiore medela ejulatus ac vociferationes etiam ægri planiſſime ſusque deque habentem intemperans æger facit. Et quid aliud ſibi volunt veſicatoria, frictiones fortiores atque ſimilia, quam ut oborto novo dolore illoque acuto priſtinus dolor ſpaſmodicus nervos infeſtans a natura non amplius advertatur. Et quid de aliis dicamus: ut de dentium evulſione quam violentam inter tormentorum genera relata fuiſſe, teſtantur B. Blaſius & S. Apollonia poſſent &c. Inter illa quoque dolorifica & ægris ſæpe moleſta at felici effectu atque eventu comprobata atque a veteribus multis, inter quos Eraſiſtratus eſt anteſignanus paſſim collaudata atque commendata remedia ſunt quoque ligaturæ dolorificæ, non veſana certe remedia, & de quibus dici illud poteſt: perfer & obtura, dolor hic tibi proderit olim. quæ pro exercitio diſputatorio nobis argumentum ſelegimus, quod ut

æquis

æquis A. L. oculis intuearis, enixe contendimus. His vero conatibus Deus T.O. M. exoptatum eventum largiatur, & faxit, ut cedant in nominis sui gloriam, Nobilissimæ Artis Medicæ incrementum plurimorumque ægrotantium desideratam salutem.

§. I. Equidem ligaturarum usus hisce temporibus multum evanuit, & quod ab illis multi expectant non faciunt. Nostri vero census ligaturæ sunt, quæ variis corporis humani partibus, artubus, brachiis, cruribus, pedibus, manibus, digitis fortius stringendo applicantur, ut etiam dolores afferant, ac ut per illam ipsam fortiorem strictu-ram & dolorem, quem efficiunt, varia commoda atque salutares effectus simul concilient. Hæ sive latæ sive minus tales & contortæ rotundæque magis sint ex linteamine, panno, corio, filis sericis, laneis, cannabinis, inter se contortis conficiuntur, quæ dein sub nomine fasciarum, ligamentorum, funiculorum, cingulorum veniunt, & ita partibus corporis exterioribus, artubus, brachiis, manibus, digitis, femoribus atque coxis & pedibus applicantur, ut forti manu arcte constringantur, atque undique membrum cingant, ac sensibilissime afficiant, ut ultra injectam ligaturam nullibi arteriarum pulsus percipiatur, moxque elapso pauco quodam temporis spatio relaxentur, sæpiusque sic per vices repetentur, ut partes non modo intumescant paululum, sed etiam rubescant notabilius & dolore quodam afficiantur.

§. II. Applicantur hæ ligaturæ & partibus in unitate solutis & integris, prout necessitas exigit, quando nimirum quod præter naturam neque decenti naturalique modo & loco se habet movendum & removendum venit, unde varii formantur scopi, varii spectantur effectus atque præcipue, ut attrahant, sedent, excitent, stimulent, derivent, divertant, revellant, (venia igitur sit horum nominum, nam non prorsus inania illa sunt) atque cohibeant, intercipiant. Licet enim eadem, eo quo veteribus placuit modo, stante humorum circulatione Guil. Harvæi diligentia patefacta, non fiant, juvant tamen ea dum partem affectam ab irruentis impetu concitatiori ejusque quadantenus collectione vindicant, & ab opprimentis, turgentis ac furibundi gravamine liberant, nec non lympham commovent, poros cutis reserant, calefaciunt, dissipant, discutiunt humores atque excernunt & auferunt, cutem rarefaciunt, poros & glandulas subcutaneas aperiunt, torpidum sanguinem fluxiliorem reddunt, atque majorem affluxum excitant. Ad tales effectus certius producendos hoc remediorum genus per ipsum re-

rum

rum usum commendatum validum est, quam quod maxime & omnibus requisitis gaudens, quæ in hoc genere desiderari possunt, atque simul euporiston & domesticum, facile & sine sumtibus & impensis parabile exiguoque apparatu comparandum, sineque magna arte ac opere perficiendum. Mon modo hinc utilissimum, sed & sæpius maxime necessarium est, quodque celeriter juvat, sique ad repellendos morbos omnes insufficiens solum sit, suum tamen ubique addit symbolum haud contemnendum, aliisque internis assumtis auxiliatrices quasi manus porrigit.

§. III. Hi singuli effectus ex strictura, attritu & pressione subsequente, ex dolore & ardore clare fluunt, quando enim per ligaturas fortiter applicatas ut alibi per ustiones ferro candenti, frictiones, cucurbitulas simplices & scarificatas, dropaces, sinapismos, urticationes vesicantia & similia stimulum quendam notabilem inferentia partium subjectarum tota compages & in ea cutis musculi omnesque contenti canales, vasa sanguifera, nervi omniaque reliqua organa secretoria & excretoria, glandulæ earumque ductus excretorii valide sic premuntur, omnes canales angustantur, qua angustatione materia inibi contenta & forte morbifica efficaciter exprimitur, simulque in vicinis undique partibus sanguis atque humores ad canales subinde angustiores adacti, atque vi quadam compulsi, expressione ibi adhuc majori facta horum motus a liquidis in solida & a solidis in liquida mutua actione & reactione, magis acceleratur, compages illorum dividitur, discontinuatur, subtilior & fluidior redditur, atque sic etiam quod hæret liquidi aut crassioris lenti, inertis aut difficilius movetur in canaliculis quibusvis subtilissimis, poris, vasculis, fibris, glandulis, dimovetur, abripitur, derivatur, secedit & foras excernitur. Ea enim quæ moventur magis adhuc quæ sic conteruntur, attenuantur. Hæc ut expeditius instituantur, adjuvat tonus atque elater partium maxime solidarum, qui hoc modo strictior, auctior & validior redditur, allectis spiritibus animalibus sensum motumque præstantibus, qui eas animant ac excitant, quæ operatio in aliqua parte facta, longe lateque deinceps extenditur: Ea enim partium totius humani corporis atque præcipue motus fluidorum sanguinisque circuli, ut & ipsarum solidarum quas fibræ carneæ, membranaceæ nervosæ componunt in partibus consensio est, ut si una earum afficitur, tenditur, stimulatur, vellicatur, aut motus acceleratur, in aliis quoque subinde partibus motus quoque auctior contingat, & in universa sanguinis & humorum massa, motus & circuitus quoque intensior fiat, ut vel a manuum saltem fortiori frictione id evenire

nire comperimus, & sic quivis in seipso sentiet, pedibus, quæ extremæ corporis partes sunt, calidis servatis totum corpus incalescere. Ex hac sane consensione, multi & varii peregrini & mirandi sæpe effectus proficiscuntur. Hæc & alia efficacius adhuc dolor exinde excitatus efficit. Hinc orgasmum notabilem mox patitur universa sanguinis massa, cor vehementius atque frequentius ad sui contractionem adigitur, & si augentur & ingravescunt præter modum, multis pessimis symptomatibus, magnis fluxionibus & uberiorum humorum, ad imbecilles partes affluxu, inflammatione, gangræna ipsoque sphacelo corripitur atque corrumpitur corpus atque adeo furore, insania & deliriis ipsa mens, illis vigentibus, perturbatis spiritibus animalibus occupatur. Continuatis insuper longius his tormentis per influxus nimios spiritus tandem exhauriuntur & pereunt, unde sensus obtunditur sæpissime & partibus inducitur torpor. Hinc veteres ut Avicenna aliique vim attractivam iisdem adscripserunt; Recentiores vero Medici hanc rem affirmantes causam ejusdem scite per modum, modo digito quasi indicatum, afferunt atque explicant perspicue, rosionem nimirum vellicationem & irritationem & tristem illum dolorificum sensum, partem aliquam acerbe afficientem, ad eam humores copiosius movere & pellere spiritus animales, quæ ab illorum occursu dilatata & tensa copiosius subinde sanguinem admittit in se, sic admissus vero uberior & subinde irruens tandem fibrarum tonus laxatur nimis ac debilis redditur, ut adhuc plus, quam antea, jam recipiat, & continuante dolore non omne remittatur, ex quo impedito refluxu tumor subnascitur, stagnans sic sanguis atque incuneatus quasi & congrumatus parti dolenti diutius affluentis affluxu motuque impresso actuatur, & ad fermentationem quasi quandam adducitur, a quo intestino motu fibrosæ partes, sensim distenduntur, & ab acrimonia conjuncta eroduntur, unde dolor magis magisque augetur. Hi universales corporis vitalis animalisque tortores frequentius sane atque communius acerbiusque aliis malis, singulis animalis partibus violentiam inferunt, præcipue magis sensibilioribus membranis & nervis proxime motricibus fibris, muscularibus nec minus tendinibus & ligamentis, & dein etiam vasis humores continentibus, per quas sensiles partes moleste affectas accidit, ut non raro dolentibus quibusdam partibus condoleant aliæ non solum vicinæ & proxime adjacentes, sed & interdum longius remotæ.

§. IV. Ubi dolores affligunt vehementiores, immanes & continui a natura illi alienissimi tristes & graves sensus omnibusque sensibus ex-

ter-

ternis communes, affectus atque morbos comitantes & subsequentes potissimum omnes, quique adeo molesti sunt, ut miseri præter hos omnia mortem etiam non raro perpeti malint, nihilque ideo magis ac hujus levamen ac sublationem exposcunt, ac rogant, horumque remediis nihil gratius habent, atque qui spasmodicis suis contractionibus causas morbificas aliaque symptomata detinent, incuneant & adgravant, sublationemque eorum impediunt; maxime si eas quæ amplissimo in corpore humano munere persunguntur nobiliores nimirum & interiores partes & ad vitalitatem maxime necessarias, cerebrum, nervos, cor, diaphragma afficiunt, ac torquent, res est periculi plena: Siquidem ad vires prosternendas mortemque inferendam validissimi illi sunt, concurrentibus præsertim gravioribus symptomatibus aliis, vigiliis nempe, extremorum infrigidationibus, animi deliquiis, deliriis &c. Ibi non modo admodum utiles, sed & maxime necessariæ ligaturæ dolorificæ censentur, atque ubi abstrusissimæ intus causæ morbificæ hærent apprime conducunt: Sic v. gr. in illo difficillimo cognitu casu quem G. H. Velschivs August *Episegm. L. IV.* proposuit de fœmina quadam primaria intolerabili ventris cruciatu per intervalla exacerbari solito, diu afflicta, cujus nec causam satis assequi poterant, exercitatissimi Medici, in consilium vocati & medicamenta sive interna sive externa doloris vehementiam nedum mitigabant, atque conjecturando tandem ille eam in bilem conjecit, tumore vias obstruente aut comprimente diutius in vesicula retentam ipsaque mora acriorem & malignam redditam, ingentes illos cruciatus genuisse, si quando copiosior per intervalla in intestina effunderetur, allevamento ligaturæ dolorificæ, externis partibus applicatæ forte fuissent. Rursum ubi iidem ignobiliores partes & exteriores & a principibus partibus longius remotas, ut artus, brachia, crura, pedes & tibias infestant salutares interdum esse possunt, quoniam hoc medio, atque remedio, licet satis ingrato, noxii humores procul etiam depelluntur atque exonerantur. Porro exinde haud incongrue concluditur, ubi materia peccans acris mordensque dolores inferens, intimius se insinuavit & profundius hæret, ideoque admodum pertinaces sunt, atque ad quos medicamenta validissima etiam sæpe tam alte vix penetrare & vel leniendo vel discutiendo auxilium ferre nequeunt, quales præcipue cephalalgia, ophthalmia, odontalgia, otalgia, cardialgia dolores ostocopi dicti, ischiadici, podagri, alii ex aliis fluxionibus & congestionibus oriundi, fixi vagique atque acuti & gravativi, & quorum longinquitas abscessus intus procreat, per subortos exterius dolores quandoque adjutorio itidem esse valent, quatenus ad extra evoca-

tur, atque exturbatur, quod intus hærebat, rodebat atque vario modo molestabat, ut perspectum est, frictiones fortiores, rubefacientia & cæsiones extremorum, artuium, cum urticis, ambustiones per Sinensium moxam (cui artemisiæ nostratis lanuginem, parem effectum edere *in Ephem. N. Curios. Dec. II. An. IV. Obs. I. p. 1.* notatum legitur) aliasque res combustibiles ut & sinapismos, phœnigmos, vesicatoria, in ejusmodi casibus, admodum utilia esse partibus etiam non dolentibus applicata; Verbo non modo in immanibus doloribus sed & in quibusvis symptomatibus urgentibus compescendis, primum propemodum locum sibi vendicant, vincula ejusmodi dolorosa, quoniam revulsionem quasi efficiunt.

§. V. Perpendentibus quanta & qualia mala hæc sint, (dolores) quæque alia longe plura eaque gravissima post se trahunt, quæ in hunc censum veniunt, quamque impense enixeque hi miseri patientes, a medentibus soleant illorum allevamentum atque remedium, omnibus etiam posthabitis aliis symptomatibus iisque periculosioribus, efflagitare, ligaturarum dolorificarum usus egregius in his atque aliis morbis amplioribus alioquin verbis edisserendis & recensendis paucis hic saltem collatis, extemplo constabit & experti credent prospere solvi dolorem, dolore, tristi hac sensatione (ut alias quandoque etiam lætabili ut gaudio & risu, uti per multa constat exempla,) propemodum omnem eumque habitualem & pertinacem sive etiam ille sit ardens, pulsans, lancinans, tensivus, gravativus, mixtusque, sive etiam illum per essentiam sive per consensum nomines diversorumque horum diversam causam alleges, juxta Hippocratis *Aphorismum 46. Sect. II.* Duobus doloribus nec eadem parte obortis simul vehementior minorem obscurat aufertque. Spiritibus enim animalibus & sanguine dum in alia parte irritatio accedit, retractis veluti & aliorsum derivato, animi sensu plusque commoto, doloris remissio contingit, uti aliquem speratum effectum acceptum referunt, habita causæ ratione applicatis vesicatoriis, fonticulis, setaceis, frictionibus asperioribus & fortioribus, flagellationibus, urticationibus, rubefacientibus, pectinationibus, cucurbitulis, de quibus ut rei nostræ intersit, modo audiantur Hippocrates *in Epid.* dicens: *Qui cucurbitulam affixit, cum in coxa dolorum haberet, huic in crus deorsum venit & melius habuit;* & Vallesius hæc commendans sequentibus verbis: *Nullum in magno dolore remedium magis præsentaneum & ut a parte affecta in aliam ignobiliorem materia abscedat, sæpe causa est, ut hic evenit.* Vitus Ridlinus *in Lin. Med. III. M. Dec. A. MDCXCV.* refert; quendam empiricum se dolorem dentium cuidam certo amico sublaturum promisisse, modo

modo in alio loco, dolorem quendam ferre velit, cui conditioni cum annuisset dentibus laborans medicastrum istum ano allium indidisse, unde tantus in illis partibus dolor subortus, ut de dentibus amplius ne verbo quidem æger, de dolore hoc vero multis ejulatibus conquestus fuerit. Verum etiam inficiari minime possumus, quod minor dolor interdum majorem abigat: quoniam in nervi ejusdem partis dolentis, diversa propagine, novus excitatur, licet exilis dolor, ut novimus ab errhinis paulo fortioribus, extemplo sedatam fuisse odontalgiam. Perpendentibus amplius harum efficacia clarius constabit, stimulantia qualia maxime dolorificæ ligaturæ sunt, in distans quoque operari licet nihil eorum substantiæ intra humores communicetur, sive remotissimarum etiam partium materiam peccantem tam solidis quam liquidis partibus valide agitatis, iis quidem sic affectis in his fortiter nitentibus & his ipsis compressis, vim rursus majorem solidis inferentibus, ad stimulorum emissaria derivari, quæ res per multifaria experimenta atque exempla ulterius adhuc & explicatius præter ea quæ §. *III.* adducta sunt, posset comprobari, si diutius huic inhærere volupe esset. Moneamus hic ad causam utilitatis, quod monet Galenus *II. de Nat. hum.* ejusmodi quæ dolores inferunt, remedia applicanda esse, in iis locis, quæ longissime distant ab iis, qui dolore premuntur, quia dolores attrahunt velut humores ad locum læsum. In talibus affectibus, doloribus gravioribus stipatis & in periculum vitæ conjicientibus, ligaturarum dolorificarum, usus eo magis commendandus venit, in quibus interdum narcoticis utendum temere non est, neque venæ sectionem, alioquin liberiorem sanguinis circulationem apprime promoventem & acres pertinaces dolores sopientem atque topicorum applicationem, dissuadentibus contraindicationibus & obstaculis quibusdam interpositis satis tutam esse censetur. Quod de doloribus dictum est, id etiam de inflammationibus, quas iidem ordinario comitantur, varias corporis internas maxime ac eas quidem nobiles partes occupantibus, ubi nimirum aucto attritu partium sanguinis in suo per arteriarum minima vascula, in venas socias, transitus est impeditus atque affluentis continuo reliqui sanguinis appulsu & agitatione commoti, dicendum & affirmandum æque convenit: Dissipant enim sic ligaturæ hæ & sanguinis motum localem potenter promovendo partem affectam liberant. Conf. Lossius *in Disp. de Inflam.* §. *102.*

§. VI. Hoc in numero habenda pariter alia vitia longe plura ipsorum spirituum animalium atque nervorum, quales sunt stupor, convulsio, singultus, paralysis, paresis passio hysterica, & epilepsia, nervorum

rigor, ſpaſmus ſive nervorum diſtenſio ſive ea levis ſit a flatibus potiſſimum oriunda, ſpaſmus flatulentus ideo dicta, perbrevis licet, ſæpius tamen recurrens, ſive etiam gravior, diuturnior & pertinacior, quæ membrum ſic contrahit, ut reduci ad priſtinum ſtatum vix poſſit, nervis muſculisque verſus ſuam originem præter voluntatem convulſis idque cum vehementiſſimo dolore, qui vires ſubinde patientis atterit atque conſumit. Hæc ubi etiam partes remotas miſerrimum in modum vexant atque contorquent peſſimeque ſic vitiant ligaturæ dolorificæ artubus femoribus & pedibus ac ubi primum ſentitur malum injectæ ulteriores convulſiones ſupprimunt, componunt atque avertunt apprime motum irregularem nimirum ſpirituum animalium intercipiendo: Nam per irritationem ab extra factam, vehementiorem, prior determinatio excutitur & ataxia ſpirituum corrigitur, qualem effectum etiam videmus a veſicatoriis, delirantibus v. gr. applicatis. Apud Lindenium occurrit juvenis quidam, ex carie, in pollice, epilepticus, qui ſola ligatura pedis arctiſſima paroxyſmum impediebat, quandocunque volebat & in tempore adhibebat. Similes propemodum caſus proponunt de curatis nimirum convulſionibus & epilepſia a manibus & tibiis exortis GALENVS *Lib. III. Loc. affect. Cap. VII.* & HAGENDORN. *Hiſtor. Med. & phyſ. p. 13.* Porro in illis graviſſimis malis, quibus correpti homines aſpectu quamvis ſani atque valentes inflicta veluti plaga percuſſi repente concidunt & ſine ſenſu, ſine motu ac mente veluti cum ſtertore ſpiritum trahunt, nimirum in affectibus ſoporoſis, lethargo, caro, comate nec non catalepſi, atque ipſo attonito morbo & nervorum reſolutione ut & vertigine rotatoria atque iis, in quibus mens patitur & errat, in deliriis eadem cum fructu applicantur, iisque ægri commodiſſime excitantur, quovis modo juvantur & ad meliorem ſtatum reducuntur, per dolorem nimirum ſic excitatum, in quem finem etiam puncturæ infliguntur. Talem enim triſtem ſenſum non modo ſed & omnia alia quæ animum contriſtant in ſenſu exſtincto revocando, plurimum prodeſſe, AVICENNA ſcripſit *Lib. III. Tr. Fen. IV. Cap. I.* Nec non quoniam movent & excitant ſpiritus atque humores non modo in ſuffocatione uterina, ſed & in lipothymia & ſyncope opem admodum opportunam conferre valent. In paralyſi & ubi ſenſus deficit, membris ſic vitiatis, ut rurſus vigorentur ipſis potius inducantur, alternis & ſæpius repetitis vicibus tamdiu repetantur, usque dum calor, motus & ſenſus redeant, immo dolor quidam ſentiatur tonusque debitus reſtituatur. His addendum delirium triſte, ſeu melancholia atque inferendum, ligaturas dolorificas,

inter-

interceptionem & revulsionem humorum efficientes, auxilio haud contemnendo esse. Ob eandem rationem, in phrenitide paraphrenitide & mania, nonnihil juvamenti promittunt. Hinc etiam fluit, quod strangulatis, quacunque etiam causa tales facti fuerint, efficaciter subvenire in pedibus præsertim applicatæ poterint. A fumo v. gr. carbonum, cespitum pituminoforum in cubiculo ante clauso, pene suffocatis, qualia exempla legas licet apud LANGIVM *in Epist.* PLATERVM *Lib. I. Observ. f. 16.* IACCHINVM *in Lib. IX.* RHAS. *Com. 41.* AMAT. LVSIT. *Cap. VII. Cur. 33.* PANAROL. *Obs. Med. Pent. I. Obs. 19.* SCHENCK. *Obs. Lib. II. Obs. 19.* aliosque. A vapore musti & cerevisiæ recentis in cellis. Vid. W. HAEFERVM *H. M. Lib. I. de Capit. Affect.* I. A. SCHMITZ *Med. Prax. p. 204.* BORELL. *Cap. II. obs. 4.* ZACVTVM LVSIT. *de Princip. Med. Hist. Lib. I. obs. 10. f. 10.* a fumo ex domorum incendiis vid. BORELLVS *l. c.* ZWINGER. *Theatr. V. H. p. 510.* a fumo fornacis vid. HILDAN. *Cap. IV. Obs. II.* In metalli fodinis vid. MATTHES. SAREPT. *Cap. XII.* LIBAVIVS *Vol. I. rer. singul. Tr. I. de Nat. Metal.* G. AGRICOLA *de Rer. Metal. Lib. VI. p. m. 172.* HORSTIVS *P. II. Obs. 28.* MARCELLVS DONATVS *Lib. II. H. M. Cap. VI.* SOLENAND. *Consil. Med. VI. Sect. V.* CAMERAR. *Op. Subcis. Cap. I. c. XXVII.* a flore calcis vid. TVLPIVS *Obs. Lib. III. cap. XLI.* a pulvere a vento impetuosius impulso vid. PLATERVS *Obs. Lib. I. p. 185. & 172.* De vaporibus, ex cloacis subterraneis, diutius occlusis, cryptis, sentinis & puteis exhalantibus vid. PANAROL. *Pent. I. Obs. 19.* SENNERT. *Prax. Lib. II. P. III. Cap. III.* HOCHSTETER. *Dec. III. Obs. 8.* A rebus putrescentibus vid. ORIBASIVS *Lib. V. cap. II.* P. ZACHIAS *Lib. V. tit. 2. qu. II. & Tem. III. Caus. 19. & 44.* Si enim concussionibus & frictionibus uti assolent reficere hos in aërem liberum & puriorem & temperatiorem deportatos, possunt, multo citius & efficacius ligaturis dolorificis id præstabunt. Pariter laqueo suffocatis & adhuc calentibus & aqua submersis & tanquam mortui jacentibus applicatis ligaturis fortioribus subindeque repetitis potenter succurrere opem laturi poterunt. Confirmat hoc SACHSII experientia quam in *Ampelogr. Lib. II. cap. III.* allegat hos pronos in terra extensos & plantis pedum baculo fortiter percussos revivixisse. Idem de fulmine tactis vel attonitis, si scilicet spirituum influxus notabiliter cessans deprehendatur, dicendum & laudandum venit. Per se intelligitur, quod in his læsarum partium habenda sit ratio, nempe v. gr. non conveniunt in iis applicatæ, quæ fervore & impetu fulminis ambustæ & læsæ sunt. In longe pluribus morbis iis denique præcipue, in quibus spiritus animales laborant

rant aut afficiuntur, in morbis venenatis malignis, morbo hungarico, variolis, petechiis & fimilibus & in quibus alias veficatoria, frictiones, fonticuli commendantur, ligaturæ dolorificæ locum quoque inveniunt, eum præfertim in finem, ut aura & materia maligna & venenofa potenter revellatur, . . .

§. VII. Magis adhuc propemodum neceffariæ funt, ubi in mora periculum maximum pofitum eft, in fanguinis præternaturali effluxu, quem hæmorrhagiam vocant, eoque enormi, partibus fauciatis applicatæ ligaturæ dolorificæ, aliterque, dirigunt, aut intercipiunt atque avertunt fimulque vulneris parietes ad fe invicem adducunt vafaque majora etiam fi illa arteriæ fint quæ, fanguinem transmittunt, coarctant Conf. IOB A MEKERN *p. 163. feq.* TH BARTHOL. In aneurifmate adhuc recenti potius & ubi applicari commode poffunt, (nam in collo v. gr. ut per fe patet locum non invenirem) per actam & dolorificam ligaturam, quam expulfivam vocat MARQVE *Chirurg. Traitée des bandages C. XVI.* & defcriptam atque delineatam dedit, miraculi inftar patentem hiantemque arteriam apprime conftrictam atque periculum vitæ exemptum expertus eft & AVREL. SEVERINVS qui itidem in arteria præfecta omne verendum, vinculis in promptu fuftulit, vid. *Chirurg. Effic. Part. II. Angiol.* iisque pariter felici cum fucceffu Morellum ufum fuiffe, *Zodicus Gallic. Med. An. I. Obferv. III. menf. Jan.* teftatur. Ipfo nimirum tumori applicantur & quibus verfus truncum ita afcenditur, ut paulatim laxiores fiant ligaturæ, ut fcilicet arteriæ pars fuperior comprimatur, ne ulterius dilatari rumpique queat, fanguinisque impetus a corde propulfus compefcatur. . . Exinde haud obfcure aut non dubitanter inferendum, eas etiam in varicibus, quos aliqui aneurifma venarum vocant, apprime quadrare. Quemadmodum enim in levioribus cafibus & ad paucum tantum temporis fpatium folius digiti admotione vel argenteæ monetæ impofitione vulnera, occludi & hæmorrhagiæ inhiberi, a chirurgis folent, ita in gravioribus ligaturæ fortius & ad doloris etiam usque perceptionem conftrictæ commodiusque diutius paulo fic relictæ omnium neceffariæ erunt, ne cum fanguine, pretiofiffimo vitæ thefauro, fimul ipfa vita pereat. Pariter fi citra læfionem externe factam, cruor charus nofter vitalis magno impetu ex quacunque corporis parte effertur periculumque fubeft ne hominem exinanitione exanimet, itidem immoderatus hic fanguinis effluxus & intempeftivus, tempeftivis certius omnium his remediis externis ligatis fortiter, brachiis, cruribus, atque coxis pedibusque reprimitur. His fi non fifti poteft certe magna fan-

ſanguinis intemperies junctis ſimul internis medicamentis huic appropriatis corrigenda. Sic in vulgus notiſſimum eſt, narium hæmorrhagias, forti narium compreſſione, ex tempore ſiſti. Aliquoties easdem enormes, aliis remediis non ſufficientibus, ligaturis per ligamenta, ex panni extremitatibus abſciſſa, mediantibus quibus, tibialia alias commoda ſtrictura firmari ſolent, intercilia arctius ligata & adſtricta ex tempore & feliciter compeſcuit Præſes. Imo expetientia docet, ſi digitus ſaltem manus, filamento arctius ligetur, aut ſaltem vehementius incurvetur minimus (digitus) hæmorrhagiam ſiſti. De quali etiam effectu RONDELETIVS *Method. Curand. morb. Cap. LXIII. p. 281.* CRATO *in Epiſtol. & Conſil. Lib. V. Conſ. 7.* H. G. FABRIC. HILD. *Obſ. Cent. II. Obſ. 15.* teſtantur. Jam HIPPOCRATES *Lib. II. Sect. V. de Morb. Mul.* hoc remedii genus atque poſt eum GALENVS vid. *Lib. ad Glauc. Cap. XIV.* ut & AETIVS *de Re. Med. Lib. XIV. cap. XXV.* & AVICENNA vid. *Cap. de Ligaturis*, nec non PAVLVS AEGINETA *Lib. III. cap. LXIII.* ZACVTVS LVSITANVS *Prax. Hiſt. Lib. III. cap. II.* FONSECA *Tom. I. Conſult. 55.* propoſuerunt & laudibus multis extulerunt. Chryſippus Cnidius memorante GALENO *de Venæ Sect.* homini cuidam ſanguinem ſpuenti tales applicavit, quod conſultius duxit, quam ſi ſanguis, e vena miſſus fuiſſet: Statim quoque apparet ratio, nam ſanguinis motum verſus pulmones certiſſime prohibent. Siquidem effectus ratio horum auxiliorum ac rerum in his caſibus conſiſtit propemodum omnis, quod ex toto corpore venientem per venas ſanguinem per venam cavam ad cor ejusque ventriculum dextrum, per aliquod temporis momentum, detineat atque impediat, ne tam cito ad ſuum hoc punctum revertere poſſit, per quam remoram mora conceditur, ne ſanguis rurſus, per arterias, concitato motu, ad partes perveniat. Notanda hic præſertim ac memoratu digna obſervatio eſt, quæ apud WILLISIVM *in Pharmac. Rat. Part. I. Sect. III. cap. II.* invenitur de hæmorrhagia, minime ſanguinis copiæ aut æſtui præternaturali & furibundo, ſed ſpaſmodicæ cuidam ac intervallatæ arteriarum contractioni adſcripta, quam venæ ſectiones repetitæ ac multa aſſumta medicamenta aliaque in uſum ducta remedia, deteriorem reddiderunt, adeo ut res deſperata videretur, in meliorem vero ſtatum & ſaluberrimum ligaturæ tales, tandem applicatæ, adhibitis ſimul interne paucis doſibus pulveris cujusdam abſorbentis ac antiſpaſmodici, per Dei gratiam, perduxerunt. Ea, præ aliis in his læſionibus ſimul habenda ratio eſt, ut ſenſim ſanguinis effrenus effluxus per ligaturas injectas cohibeatur, ne ſubſequens inflammatio major reddatur puriſque copioſior generatio alia-

que difficilia ſymptomata magnum negotium deinceps pariant; neque nimis cito ligatura ſolvatur, ne exortum malum recrudeſcat. In effreno pariter menſium & lochiorum fluxu, id multipli experientia, hodie eſt ſtabilitum, comprobatum atque commendatum, ut nimirum laquei ſupra genua, femora & cubitos injiciantur fortiusque & ſæpius iisdem conſtringantur. His itaque poſitis atque evictis, non eſt, cur de harum utilitate dubitemus aut obloquentes Aſclepiadem citante Scribonio Largo, vid. AVGENII FERRERII *Caſtigationes Cap. XXVII.* & ALEX. BENETTVM *in Theatr. Tabid. Exercit. 26.* audiamus. Rurſum, quod forte miraberis, in contrariis his morbis non raro ſimilem effectum edunt, ligaturæ dolorificæ, ut in obſtructionibus menſium & lochiorum ſuppreſſione, cruribus & ſuris utpote inferioribus partibus injunctæ, quorum naturalem effluxum, ut frictiones, ſcarificationes, balnea, ita & ligaturæ ejusmodi juvant, cutem enim rarefaciunt, poros & glandulas ſubcutaneas aperiunt, torpidum ſanguinem fluxiliorem reddunt atque majorem effluxum excitant, ſicque menſes commode invitant atque reſtituunt.

§. VIII. Proficuæ præterea admodum ſunt ligaturæ dolorificæ in tumoribus præcipue pedum œdematoſis, utpote mollibus, laxioribus juſto & indolentibus aut avertendis aut curandis, quoniam ſtagnans ſituque peccans ſerum vapeſcens atque ſpiſſeſcens varioque ſic modo in corruptelam abiens, namque & hic vitium capiunt, ni moveantur aquæ vitales microcoſmicæ, circulum debitum vitalem moratur aut penitus ſiſtit, & elater & tonus partium fibrarum nimirum motricium muſculoſarum & cutaneorum ſtaminum labefactatur debilitatur & deſtruitur, laxatur nimis & extenditur, atque ipſi animales ſpiritus circulandis concitandis & promovendis fluidis humoribus dicati non amplius præſtant illud, quod debent præſtare & ſecundum veterum locutionem expultrix facultas læditur, unde ſingulæ partes & fluidæ & ſolidæ vitali motu privantur & ſic cachecticus & hydropicus ſtatus inducitur, atque quaſi enervatio (ut ita loquamur) quædam accidit, adeo, ut, etſi poſtea ab imbibito humore liberentur ad naturalem ſtatum difficile & ſero tamen aut nunquam, non raro redeant. Neceſſarium hoc remediorum genus eo magis adhuc eſt, quia hæ extremæ & infimæ corporis humani partes omnium remotiſſimæ ſunt a fonte centroque, corde, humorum vitalium, caloris & vitæ, ut motus major & efficacior ibi procuretur, unde etiam provida Parens Natura in moræ jugis & interruptæ circulationis compenſationem, ne ſtagnatio tam facile fieret, pedibus motum crebrio-

briorem ambulando, ut brachiis & manibus laborando, optimo confilio injunxit atque præcepit: impulfu certe & exercitatione majori & validiore maxime opus habent, ut furfum verfusque fuum centrum, per eas fanguis moveatur, motu hoc ipfis naturæ legibus repugnante, quippe omne grave fponte fua tendit fuoque motu deorfum unde ex fubfiftenteque aut lentius moto fanguine, ferum ordinarie, e vafis, per poros exit atque a grumo fecedit, quod, ex fua natura, lentior atque minus ad movendum aptus & frigidus fic dictus humor eft, fique falfus afper & acris fimul aut deinceps talis ftagnatione evadit, intimius findendo poros fixiorem fibi parat fedem & quantitate & qualitate, in commune vitium fic laborantibus, atque fi intemperatum adhuc magis redditum eft, facile rumpit vafa. Hinc & toto die videmus, quod homines fedentariam aut mollem vitam agentes & præcipue fœminæ atque ætate confiftente vel appetente fenili, conftituti, temperamentique humidi & frigidi aut habitu corporis fucculento præditi, obefi, plethorici, potui largiori aquæ, vini, cerevifiæ, fpiritus vini indulgentes, lectica portatili aut curru utentes, neque ambulando, pedes exercentes, ex pedibus & eorum tumoribus œdematofis, arthritide, podagra, inflammationibus & tandem exulcerationibus, aliisque corruptionibus ad gangrænam facile abeuntibus, nifi provideque præcaveantur, quæ mala præcipue Lipfiæ familiaria funt, laborant; fecus ejusmodi vitia iis, qui fæpius obambulant curfuque quotidiano frequenter pedes exercent accidunt, ligaturæ vero dolorificæ, ut externa remedia, impellunt, movent & promovent furfum, ab inferioribus ad fuperiora verfus, adacta, utpote qui feri ad fuperiora refluxus admodum difficilis eft, ut internis dein purgantibus & diureticis maxime per excretoria fua organa, ex corpore commode profcribi poffint, fimulque elaterem fibrarum juvant & reftituunt, & fibris notabiliter fic conftrictis fpiritus animales fibras nerveas animant, ut promptius expediantur fubfiftentes particulæ lentiores. Redditur fic tonus deficiens & vis conftrictiva ceffans hactenus diftenfioni & laxitati velificans, quo & occafio nafcitur & ftimulus tumorem imminuendo & ftafin, non modo ulcera imminentia fed & ipfam gangrænam, quæ preffo quafi pede, ex facili fuccedit, avertendi; Qua de re prognofticon Hippocratis *VI. Aph. VIII.* veriffimum manet, quod aqua inter cutem laborantibus, exorta in corpore ulcera, non facile fanentur; Nec dubium eft, quin & particulæ vifcidæ & craffæ fituque jam corruptæ, valide refolvantur & dividantur atque ad amotionem præparentur. Attamen id fcire licet, convenire has ligaturas applicatas in hydrope atque

tumoribus pedum œdematoſis, in principio magis ac malo nondum adeo confirmato inveteratoque ac materia adhuc molli mobilique exiſtente nondum viſcida adeo gelatinoſaque facta aut etiam acri atque corrupta. Hæc ſi minus juvent nihil proficient aut valebunt alia remedia applicari ſolita, etiam optima: Quoniam circa nocturnum tempus hi tumores ſeroſi augmentum capere ordinario aſſolent, & tunc fibrarum motricium vis, elater ac tonus remiſſior, languidior & laxior factus eſt, conſultius ducendum venit, ut circa hoc tempus hæ ligaturæ expulſivæ, in uſum trahantur, nam motus hac ſpecie repetita, ſæpius partium fibræ roborantur ſimul atque firmantur. Nemini ideo ſcrupulus moveatur, ac ſi per ligaturas hoc modo huncque in finem applicatas, perperam repulſio humorum ſeroſorum & excrementorum in corpus & in abdomen fieret, atque ſatius conſultiusque eſſe, eundem in pedibus relinquere: certe namque comparet aſſerti noſtri veritas, experientia juxta ac ratione fundata: Præter illam enim quam firmam eſſe omnino quivis peritus annuet dogmaticus, & intelligentem Medicum non fugiunt hæ rationes quædam, fieri nimirum criticum in morem œdematoſos pedum tumores, ſive tendere deorſum & quodvis fluidum in corpore ſubſiſtens & vitalem motum exuens, perdere ſuum uſum, ſanitati & vitæ nocumentum & periculum inferre adeoque eſſe omni debito modo ejusdem motum & expulſionem procurandam, auferendo quietem, corrigendo ſtaſin impediendamque ulteriorem corruptionem, aliudque eſſe repellere indecenter, aliud conformiter & naturæ legibus adæquate, partique affectæ materiæ contentæ fluidæ, quietæ convenienter atque deinceps per interna his juncta & ſubſequentia medicamenta utilia & apta, provocare foras excretionem. Providi enim Medici circa hanc etiam rem HIPPOCRATIS monitum curæ cordique habeant inquientis *Lib. de Medico Cap. III. t. 9.* Quæ vero offeruntur, omnia conſiderare oportet, ut conferant, maxime ſi ægrotæ parti adhibebuntur, talia autem ſunt ligamenta & medicamenta. Utrorumque enim uſus opportunus, itemque negligentia magnam differentiam habet; Hac de re, experientia propria haud ſimplici vice convicti, ligaturas debite ſic adhibitas aliis remediis externis, alias ſatis validis adeoque non contemnendis, ſurfuribus & arena, calidis balneis laconicis, æſtuariis & ſudatoriis vaporoſis, fotibus, ſuffitibus longe anteferendas eſſe. Si fidos adhuc hujus rei teſtes, Autores deſideres, modo exhibeamus, inter multos quosdam, qui ſunto, ex veteribus quidem Græcis atque Latinis GALENVS *Lib. II. de Art. cur. ad Glauc. Cap. II.* qui ſequentem in modum ſcribit: *Si vero in-*

aliquo

aliquo ex membris externis tale fuerit œdema, incipiendo ligaturam in imis partibus finire oportet, in altioribus ejectionem & compressionem & universam distributionem faciendo velut in fracturis. Curationis enim intentio aut indicatio in ejusmodi affectibus mixta est, una quidem, ut earum substantiæ aliquid dissolvatur, alia vero ut aliquid congregetur ac restringatur. Sequentia addit: *Ego in diuturno œdemate, ubi prius partem oleo illinissem, deinde spongiam ex lixivio apposuissem, atque vehementius strixissem, affectum perfecte curatum vidi, ad discutiendum & incidendum: id quod in omnibus fere diuturnis affectibus probatum haberi non ignoramus.* Succedant alii; ut AETIVS qui *Tetrabibl. III. Serm. II. Cap. XXXI. p. m. 589.* de hydropis cura latius tractans, sequentia quoque profert: Amplius autem ventrem tum intestina ligamentis adstringant, itidemque omnem cutis coërceant tumorem: Juxta hunc præsertim CELSI egregia & nitida scripta evolvenda, in quibus *Lib. III. cap. XXI. de Re Med. p. m. 165.* legitur: *si id morbi genus est, quo in partem multa aqua contrahitur, oportet malagma habere impositum, quod digerat, idque ipsum superimposito triplici panno, fascia, non nimium tamen vehementer adstringere, quod a Tharria profectum servatum esse a pluribus video.* Ex recentioribus, qui hujus rei testimonia afferunt, notissimi sunt, & primo quidem loco nominandus omni fide dignus PETR. FORESTVS, qui *Observ. XXXVI. Lib. XIX. p. m. 255.* de monacho quodam Franciscano refert, quod, cum crus ejus sinistrum œdematosum neque fomentis neque linimentis, in totum detumesceret, sola deligatione fortiori per ligaturas præter omnium exspectationem, ex asse, curatus fuerit. FELIX dein PLATERVS adducendus, vid. *ejusd. Tom. III. Prax. p. 273.* ubi & primo quidem loco ita scribit: *Fasciis vincire & stringere locum ubi œdema enascitur, admodum ipsius incrementum prohibet,* & secundo *p. 304. ubi in intumescentia pedum diffusa, alia ab ea, quam tumorem œdematosum vocavit, molliori a seroso, crudoque succo prognata, nominatim in hydrope curanda occupatur.* Topica quod attinet, addit, ejusmodi humiditates, unde pedes intumescunt, etiam ab initio, repellendæ erunt &c. Inprimis autem, pergit, fasciæ hic aliquid singulare efficient, intumescentiamque hanc continebunt, tandemque ne amplius redeat, prohibebunt, si in dies fascia longa, palmum lata, ab imo pedis incipiendo, & ad genua usque procedendo, pedes stricte, mane, dum nondum adeo, atque interdiu fieri solet, intumuerunt, obvolvantur, sicque donec iterum decumbant, vel etiam dies noctesque retineantur, quod & ocrea molli, arcte per suturas in longum pedi adstricta, aliisve artubus præstari possit. Atque SENNERTVS, qui *Prax. Lib. III. p. 6. s. 2. Cap. III. p. 743.* cruribus tumidis

& inflatis hydropicis, commendat, ut ſpongia appropriato decocto vel lixivio, vel aqua maceretur, iterumque exſiccetur, & fortiter cum faſciis circa crura ligetur, donec paululum detumeant.

§. IX. Sine dubio etiam in aliis tumoribus hydropicis & œdematoſis atque partibus anaſarca tumefactis & abdomini, ſcroto cum euphoria ſineque periculi metu injici poſſent ligaturæ easque longe præferendas eſſe exiſtimandum ſcarificationibus, quas tamen efficaces & tutas pronunciant HIPP. *L. de Itern. Affect. Cap. XXIV. T. 25.* & NICOL. MASSA *Ep. XXI. p. 112. b.* In gangliis item, nec non ſcrophulis & ſtrumis naſcentibus abigendis, haud ſupervacaneus ligaturarum dolorificarum erit uſus, quoniam ſola & ſæpius repetita compreſſione & attactu fortiori per manus aut digitos facto, aut mediante fruſto impoſito plumbi, aut paulo fortiori frictione & ſimplici ſalivæ ilinitione, hi præternaturales tumores, ſubinde auferuntur. Haud dubitanter hic inferimus, quod & in catarrhis gravioribus & pertinacioribus in rheumatiſmis, locum quoque inveniant, quoniam potenter revellunt aliorſumque dirigunt, aut intercipiunt atque avertunt. Per popularem obſervationem conſtat, ad diverſionem materiæ catarrhoſæ potiſſimum fluentis, in duobus manus digitis, admodum fortes ligaturas, facere. Plinius ſcribit catarrhos omnes per fortiſſimam ope ligamentorum conſtrictionem pollicis pedis a capite poſſe averti. Hinc & influore albo mulierum, in ſuperioribus partibus inſtitutæ, revellere queunt: Conducibilia hæc auxilia admodum ſunt, quando materia peccans, arthritica, ſcabioſa, purpuracea ex exterioribus corporis partibus, ad interiora convertitur atque viſceribus labem certiſſime nocituram & peſſima & periculoſa ſymptomata imprimit ac infert. Datur enim converſio multiplex, in natura humana atque per varia media, a partibus internis, ad externa, ac vice verſa, ab externis ad interna, uti ſæpiſſime, malo quidem ſæpiſſime omine, poſt hæmorrhagias, diarrhœas aut purgantia aſſumta in corporis habitu, efflorefcentiæ cutaneæ, evaneſunt &c.

§. X. Aeque merum ſerum laudabile, interdum a venæ ſectione, quando ſunt vaſa lymphatica læſa, per longum temporis intervallum e vulnere aut alio modo ruptis horum vaſorum ſubtilibus membranulis, manat, aut dilatatis illis, præter modum hæret atque lymphæ circulus varie turbatur, quibus in caſibus indicationi ſatisfacient, juxta exſtillantis ſeri, per ſiccantia adjecta remedia, exſiccationem, ligaturæ etiam fortius conſtrictæ, licet ſine dolore haud applicari poſſint.

§. XI.

§. XI. Sequitur jam ut harum usum, pro atrophia vel aridura partium laborantibus ac marcescentibus atque paralyticis membris, pro eo ac par est, laudemus & commendemus. Per eas nimirum, præsertim si a superioribus partibus, ad inferiores versus adiguntur, humor nutritius propter calorem, qui exinde augetur, partes nutriendas dilatantem porosque aperientem atque humores & ipsos animales spiritus, ad accessum invitantem propterque dolorem, cujus vi natura parti laboranti & pressæ quandoque succurrere studet sanguinemque & cum eo particulas alibiles & nutritias eo i. e. ad exteriora prolicit & mittit veluti auxiliares copias, & quasi attrahit. Tonus enim, robur, debita partium strictura, vis motrix & elastica atque expandens expandendosque succos in partium poros adigens & quasi incuneans, requisita ad nutritionem & ad soliditatem partium conciliandam, necessaria sunt. Testimonium hujus rei si requiras, tibi inter multa Joh. Jessenii vel unicum sufficere poterit, qui in *Instit. Chir. p. 45.* scribit: quod dextro crure ex atrophia laborante, in sinistro, a manu ad axillam progressu facto, ligaturas fortiores compressorias, induxerit, atque in integrum has partes corruptas restituerit. In hanc rem notabile est, flagellis & ferulis ad bonam habitudinem, macilentis inducendam, veteres usos fuisse, quibus graciles partes ad modicam usque intumescentiam & incalescentiam flagellabant, referente Galeno *Meth. XXIV. Cap. XVI.*

§. XII. Ut nutritionem imminutam sic & quæ exinde procedunt mala juvant ac emendant, ita etiam depravatæ & in forma vitiatæ & auctæ præter naturam prospiciunt, corrigunt & exstirpant ligaturæ dolorificæ; scilicet loquimur hic de rhachitide, excrescentiis variis in variis partibus, fronte, naso, manibus, pedibusque &c. fixis & pendulis acrochordonibus, verrucis, myrmeciis, clavis imo quandoque mariscis & ficubus, ateromatibus, steatomatibus, strumis, scrofulis, polypis narium (si nempe in exterioribus radices fixas egerint) cornubus, quorum unum dimidii pedis longitudine pollicisque crassitie exstirpatum esse, Cabrolius refert. *Obs. Anat. XI.* quorum radices infixæ firmiter, funiculis ex serico filo aut cannabino vel pilis equinis, pro ratione exstirpandorum confectis fortissime stringuntur constrictæque sic diu relinquuntur, usque dum denegata & inhibita nutritione marcescant & decidant.

§. XIII. Sed plures alii morbi occurrunt, in quibus ligaturæ dolorificæ optime utiliter se gerunt, ex quibus jam indicabimus dyspnœam, asthma illudque præsertim convulsivum atque in ipso paroxysmo con-

constitutum, incubum, catarrhum suffocativum, ventris fluxiones, ut vomitus eosque cruentos, atque choleram, dysenteriam (in qua ad partes superiores injectas validas ligaturas commendat HERMANN CONRINGIVS *in Disp. de dysenteria §. 48.*) diarrhœam, colicam passionem, ventriculi inflammationem, qui pessimi affectus hi, artubus brachiis supra genu & femoribus circa inguen pedibusque ligaturis dolorificis applicatis, quidem mitigari possunt, revulsionis scopo indicato ac observato: In his morborum generibus hæc auxilia apud ABVBETER, RHAZES *ad Mansor. de Re Medic. Lib. IX. cap. LXII.* & ORIBASIVM *de Morb. Cur. Lib. III. cap. XI.* WILLISIVM *in Pharm. Rat. Cap. III. p. 41.* commendata leges. Eundem in finem furiosorum pedes fortissime ligantur. Ebriis qui his propemodum similes sunt (unde Seneca convenienter ebrietatem furorem voluntarium nominat) & revellendi & excitandi causa cum fructu applicantur. In ipso malo hypochondriaco & melancholia inde dicta, eas MATH. MARTINI *de morb. mesent. abstr.* suadet *p. 282.* Febres intermittentes curari, oborto per ligaturam, gravi dolore, in minimo dextræ manus digito, legitur apud ROS. LENTILIVM *in Miscel. Med. Pract. P. I. p. 240. seq.* Pro cataracta oculorum avertenda, hoc remedium practicorum plures commendant. Ut non leviter in fœminis gravidis, abortus terrere solet: ita ligaturæ fortiores partium superiorum ob interceptionem fluxionis, ad uterum, non parum, in eo quoque prodesse possunt.

§. XIV. Quando in his paragraphis ligaturas quidem dolorificas nuncupavimus & commendavimus, animus atque intentio nostra non alia esse potuit, quam ut & in his rebus ut ubique atque in omnibus aliis sit modus habendus, ne ex salutari alias remedio carnificina fiat, Siculis tormentis accensenda. Quare etiam chirurgi, talia applicantes caveant, nec crudeles se gerant; HENR. AB HEERS vid. *Ejusd. Observ. Med. 13.* aliquando id vidit, ac exinde tanto terrore horroreque tactus fuit, ut per totam suam vitam ligaturarum harum usum, abominationi habuerit: nimirum offendebat aliquando adolescentem quendam, ex philtro, ut credebatur, incoercibili sanguinis per nares, aures, os, genitalia & alvum effusione, correptum, a chirurgis causam hæmorrhagiæ non magis quam modum ligaturas applicandi, intelligentibus, in brachiis, cruribus, digitis manuum & pedum validissime ligaturis constrictum adeoque equuleo quasi contortum, ut ejulatus miserandum in modum ederet, lachrymasque confestim effunderet, summeque precibus contenderet, ut ipsi sine tortura mori, permitterent. Neque diutius sic con-


strictæ

ſtrictæ in partibus relinquantur, ſed iterum ſubinde relaxentur & per vices repetantur, ne vaſis & nervis præter modum coarctatis circulatione humorum libera prohibita, multæ moleſtiæ, imo peſſima ſymptomata inferantur, inquietudo, virium debilitas atque adeo animi deliquium, vigiliæ involuntariæ, inflammatio, exulceratio, febris, partis marceſcentia, vaſorum ſciſſio, gangræna ipſeque ſphacelus. Hujus rei exempla ſi petis, legas ea licet apud HAGENDORN. *Hiſt. Med. & phyſ. Cent. III. Hiſtor. XXXVI. p. 329.* Addo, quod ſanguinem ligaturis ſic ſiſtendo facile coagulari contingeret, & ſic illis ſolutis non ſine periculo ad cor redire.

§. XV. Alia quoque adhuc monenda eſſent v. gr. quod utilius & efficacius ligaturæ dolorificæ afferantur, poſt totius corporis evacuationem aliaque debito modo præparationem atque univerſalium ſic dictorum, ut & alterantium cuivis morbo convenientium medicamentorum exhibitionem atque ut ea pro re nata ulterius continuentur, & quod generalia quædam adhuc circa exhibendi modum obſervanda ſint. Sic videndum quorſum concitatior humorum impetus feratur; ſi enim ſurſum magis vergant, inferiora, ſi deorſum ruant vehementius, ſuperiora, fortius & ſæpius conſtringantur; Quod ſi æquo, corporis humani hoſtes, morbi ingruant marte, ambobus quoque æqualiter proſpicere conveniet. Convenientius tamen eſt vitioſorum humorum colluviem verſus inferiora & ignobiliores magis, quam ſuperiores & nobiliores partes, revulſionis hoc ſtimulo incitare. Senſim quoque hac conſtrictione procedatur, ut ſi modo morbi inducias patiantur, ut primum quidem minimum poſtea magis ligaturæ conſtringantur. Sed hæc hac vice ſatis eſſe poſſunt.

S. D. G.





XVII.
DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA DE VINCVLIS CHIRVRGICIS.

PROOEMIVM.

DVrum horridumque illud dictum cuivis forte posset videri, quod apud SIRACID. *cap. XXXVIII. vers. 15.* legitur, *quicunque coram Eo peccat, qui creavit ipsum, incidet in manus medentis.* Peccatum certe per mortem nunciosque ejus morbos punitur, qui homines undique variis modis molestant, contristant, conturbant, angunt, affligunt atque contorquent, quorumque sæpe ea conditio ac indoles est, ut eorum remedia plurima, non modo molesta, acerba & nauseosa, sed etiam abominanda horrendaque sint, quod inprimis iis miseris accidit, qui ejusmodi morbis conflictantur, de quibus dicitur, quod eos non medicamenta sanent, ac quibus ipsa natura opem suam ferre vix possit, a solo medico jubente ac moderante & chirurgo operante, ea propter auxilium exspectant. Quique voluntatem habent se adjuvandi & patiendi, omne tormentum alioquin miserrimum est, eum animum moriendi projecerit, non habere, vivendi, ut SENECA loquitur *Epist. LXXVIII.* Quod in luxationibus, fracturis & coalescentiis potissimum patet, atque quibus pro extremis malis sanandis, extrema adhibere remedia jubemur, quosque, tanquam contumacissimos corporis hostes, chirurgi armata manu, ferro igneque atque vinculis, laqueis, ligaturis, compedibus &c. auxilii tamen & salutis causa, adgrediuntur, atque adeo in carceres medicos mittunt, sive æstuariis & sudatoriis vaporosis includunt, ut intuentes harum rerum ignari, dubitarent, num perpetratorum facinorum pœnas, an decumbentium solamina dicerent. In medicina enim πολυμηχανία necessaria est, ut ubicunque nocivi aliquid oritur, illic parata præsidia sint, ut ad intentionem suadentis & injungentis aut operantis respondeant. Neque ubique commendata jucunditate certe res absolvitur

vitur omnis, ſed duro nodo, durus quærendus eſt cuneus; neque cita ope, æque ſuccurri poteſt laborantibus, ſed modo tuto id fiat, gratioſus alias medicus faciem ſuam quandoque mutare, pro rei exigentia cogitur, atque talia afferre auxilia, quæ minus ſunt ad palatum ægrorum. Salus omni quærenda tali malo. Sic enim cum nihil omiſerit, quod ad verum curandi inſtitutum pertinet, ſi ſucceſſum cura non habeat optatum, facile excuſabitur. Quadrat huc quod apud CVRTIVM. *Lib. IV. cap. III. Al. M. Hiſt.* legitur, *Efficacior omni arte imminens neceſſitas, non uſitata modo præſidia, ſed quædam etiam interdum nova admovet.* Cujusmodi quædam auxiliorum genera, illorumque verum uſum dextramque applicationem atque convenientem modum ejus, obſervandaque circa eadem, hac brevi levique quidem diſſertatione, demonſtrare placet.

§. I. ANtiqua, utilia ac efficacia atque facile parabilia fereque domeſtica quæque velut Naturæ manuductione applicationem ſui invitant auxiliorum genera remedia chirurgica juxta terebrationes, punctiones, uſtiones &c. quoque vincula ſunt, ea ſcilicet inſtrumenta ſatis modo nota, quibus varie adornatis atque conſtructis, aut totum corpus, aut hæc vel illa membra, aut artus atque articuli, ut & venæ, arteriæ, immo etiam nervi (de quibus ſpeciatim SCRIBONIVS *No.* 255. legendus) nec non quæ iisdem præter naturam adveniunt, vario modo pro vario ſcopo, vinciuntur, cinguntur & conſtringuntur. Sub hoc nomine vero faſciæ, lora & cingula, ligamenta, laquei & ferulæ præſertim, &, quæ ex his componuntur, inſtrumenta & machinæ veniunt. Non ſolum utilia admodum atque efficacia, ſed etiam ſæpe maxime neceſſaria hæc auxiliorum genera ſunt, atque ſine quibus, vix tuto ac certius medelam ægris afferre poſſumus idque exſequi exterius, quod interius faciunt medicamenta. Conveniunt etiam, ſi requiſita debita reſpicias, omnibus atque omnis ætatis, ſexusque hominibus, ſingulisque propemodum corporis humani membris, & ſi rationem illorum rite habeas, cum ſperato fructu ubique applicantur: neque minus eorum uſus, hac conditione obſervata, tutiſſimus eſt. Omni æque tempore denique & loco commode adhiberi poſſunt. Ad hæc juvant celeriter, auxiliumque præſentaneum afferunt, cum in certis quibusdam caſibus, e. gr. in hæmorrhagiis enormibus, in ſequentibus ulterius videndis, ubi periculum in mora verendum eſt, alia remedia, quæ alias quoque adhiberi in eundem finem ſolent, lentius operentur, quique

tamen lenta remedia segnesque medicos & cunctatores, non expetunt.

§. II. Vſus finesque, in quos afferuntur & applicantur, in ſtatu pariter ſecundo ac adverſo varii ſunt, atque partim ipſæ medentur per ſe applicatæ, partim medentibus, aliisque remediis allatis inſerviunt ejusmodi deligationes, ſiquidem ut corpus ejusque membra, aut ſana, in debita ac juſta conformatione juſtoque tono conſerventur aliove modo ſejuncta ſuaque ſede mota, reſtituantur aut læſa, affecta, aut fracta, luxata involvantur, ligentur, colligantur, contineantur, vulnerum labia adducentur & conjungentur, contracta diducantur, perverſa & diſtorta dirigantur, ut ea, quæ præter naturam excreſcunt aut coaleſcunt per ea auferantur & a ſe invicem ſegregentur & quæ pertracta ſunt extendantur & in ſitum naturalem reſtituantur ac repoſita in quiete retineantur, utiliſſime adhibentur. Præter hos ſcopos alii, horum inſtrumentorum generum, notantur, ut nimirum involvant, contegant, foveant atque calefaciant ac aërem frigidum arceant eoque motum fluidorum ac ſpirituum animalium impellentium naturalem, promoveant, defendant, conſtringant, attrahant, inhibeant, revellant, impediant, intercipiant, derivent, expellant, firment tonum atque juvent elaterem partium atque fibrarum, divertant, ſanguinis impetum remorentur, atque humores influentes repellantur, aut qui influxerunt, exprimantur ſimulque prohibeant, ne vaſa nimias humiditates excernant ac ne, humidi ut flatulenti tumores, in corpus adigantur &c. Nec non alii ipſis abſcribendi veniunt effectus, ſiquidem & ex parte, lentas hærentesque alicubi partes peccantes ac ſubſiſtentes diſtribuunt, dividunt atque incidunt, per motum & conſtrictionem ſic factam & ſæpius repetitam: ea enim quæ moventur, magis adhuc quæ conteruntur attenuari apta ſunt, in ſuperque ex parte evacuant, etiamſi per inſenſibilem tranſpirationem. Pariter, non deneganda iis, ferocientium ſpirituum animalium ataxiam componendi virtus, in quorum quidem curatione aliqua eaque primaria propemodum intentio eſt, relaxare nervos & fibras, verum etiam contractio ſpirituum, ut minus prælientur, optimo remedio eſt. Hoc igitur ulteriori æſtimatione, ſi perpendimus, nobis haud obſcure conſtabit, per hæc media atque remedia, temperatam juſtam atque ordinatam actionem quoque animalium ſpirituum ſervari ac promoveri, quoniam quicquid eorum contentionem immoderatam aut nimiam ſedat, actionem ſecundum naturam eamque magis duraturam quoque eorum adjuvat. De ſingulis jam plura quædam & potiora quidem in medium explicatius proferantur.

§. III.

§. III. Fasciæ, quæ lintea longa lataque sunt, primo statim adhibentur nobis omnibus recens natis, quibus totum corpus ac artus nostri concinne involvuntur, ut forma connata eorum nitide & inconcussa nobis servetur, ut si forsan in membris vitium quoddam appareat vel figuræ vel situs, vel quantitatis, corrigatur seu, ut quod disparatum aut extendendum dividatur & extendatur, quod comprimendum comprimatur, aut quod distortum & male figuratum reducatur & emendetur. Adultis arctius oppressæ fulciendo blandeque comprimendo vasa sicque nimiam eorum dilatationem impediendo justum solidorum, robur conciliant atque conservant. Alii deinceps scopo artificibus inserviunt, ex linteamentis albi coloris, ut quod ex vulneribus effluit, facilius discerni possit, vetustioribus ac usu jam attritis & mollioribus, utpote ad hunc usum magis accomodatis, sat validis tamen adhuc, ne extensæ dilacerentur, ut plurimum longis atque plus minusve latis, secundum filorum rectitudinem scissis, atque sine suturis & fimbriis ac limbis nodisque ne per harum inæqualitatem parti affectæ atque dolenti, molestiam quandam & pressionem applicatæ inferant, paratæ; siquidem chirurgi in statu præternaturali seu morboso, partibus nimirum læsis, aut fractis, prolapsis, luxatisque aut discessis, ut v. gr. in suturarum capitis discessione, ab Ar. Bootio inter affectus omissos, *vid. Observat. c. IV.* relata, atque a Jac. Fontano, *vid. Pract. Lib. I. cap. III.* ac Sennerto, *vid. Prax. Lib. I. cap. XXI.* observata, his præsertim opitulantur, ut nempe easdem involvant tegant ac contineant vulnerum labia & ossa discessa ad se invicem adducantur, defendantur, foveantur, aut reliquus apparatus aut materia chirurgica, emplastra, plumaceoli, quæque varia occasione superimponi solent, turundæ, splenia &c. debito in loco, cui sunt applicatæ contineantur atque firmentur. Necessaria hæc auxiliorum genera, maxime in vulneribus, fracturis atque luxationibus procidentiis præ aliis sunt, atque quibus mediantibus solis a repositione ac coaptatione in integrum restitutionis sanationis & conservationis omne punctum ponitur. Inter omnes enim genuinos Medicos convenit, hæc beneficia sanationis & consolidationis naturæ circulanti soli accepta ferenda esse, & reliqua remedia vix aliud efficere, quam quod obstacula consolidationem impedientia removeant. Inter quæ aër liberior admissus primum propemodum locum obtinet, qui non modo omnia vulnera præsertim nervorum & tendinum, ac ossa denudata, ut notissimum est, depravat ac corrumpit, sed & horrida & periculosa sæpe symptomata infert; inter quæ modo nomina-

 bo

bo atrocem convulſionem, quam exinde aliquando notavit PRAESES. Imo conſultius agunt ii, qui plurimis in caſibus, præſertim primis diebus a remediis externis aliis, emplaſtris & unguentis vulgaribus, in hunc uſum adhiberi ſolitis, potius abſtinent, maxime oleis infuſis, pinguibus, axungiis, emplaſticis, adſtringentibus, acido auſteris, quæ ægrotis ejusmodi ut plurimum fraudi ſunt, ſæpiusque periculi, imo non raro mortis cauſa evadunt, quæ modo poros cutis occludunt, atque obturant, ſicque multa inſequentia mala inferunt: ſiquidem ubique tenendum id eſt, quod, quo tranſpiratio ſumme ubique neceſſaria pariter ac utiliſſima, in omni læſa vel affecta parte, maxime in aliqua a corde tanquam fonte caloris, remota, aut minori ſanguinis quantitate perfuſa, nec non in omnibus inflammationibus & eryſipelatibus, de quibus funeſta quædam exempla occurrunt, libera, eo felicius curatio ſuccedat, atque quo magis hæc impedita, eo magis quoque ſanatio impediatur. Igitur ut plurimum in his caſibus, loco optimi & non raro ſufficientis remedii eſt, membris fractis vulneratisque v. gr. ubi nimirum non adeo inſignia vulnera, vel ea ſecundum longitudinem membri, vel ſecundum fibrarum protenſarum dictum inflicta, & ubi nulla alia ſymptomata præſto ſunt, ſi faſciæ ſpiritu ſaltem vini camphorato, aut cum aqua calcis vivæ aut ſcordii decocto herbarumque, quæ vulnerariæ vocantur, parato, obſervato moderato calore, imbuantur, læſæque parti bene applicentur, iisque, ut decet, deligatio fiat. Tractu demum temporis ſequentibusque deligationibus ſæpius emplaſtra tutius adducuntur. Sic ſola concinna faſcia ex linteo confecta ac circumvoluta cum emplaſtro deinceps carminante Sylvii ſæpiſſime hernias puerorum curatas vidit MVYS. *vid. Prax. Chir. Rat. Dec. IV. obſ. III. p. 14.* Laneas faſcias partibus inflammatis propria eſſe dixit IESSENIVS A IESSEN *in Inſtitut. Chirurg. f. 42. Sect. II. Cap. I.* quibus nulla opus eſt adſtrictione. Si fortiores deſiderantur ex cannabi & membrana ſeu corio conficiuntur, quæ fractis naſi cartilaginibus ſpeciatim ſunt accommodatæ neque Hippocrati jam ignotæ. Adeo inſuper neceſſarius apparatus faſciarum ligaturarumque eſt, ut vix læſionem in corpore atque operationem chirurgicam mihi nomines, in quibus non afferendus erit. Harum vero differentia ex variarum partium, variarumque earum læſionum conditionibus deſumuntur, adornantur, varioque modo convolvuntur, atque exinde appellationes ſuas mutuantur, ut compreſſoriæ, circulares, aſciales ſeu repentes, continentes, expellentes, dividentes, reflexæ, feneſtratæ, ſtellatæ, unientes, atque incarnativæ

ſeu

ſeu agglutivæ item capitales, cataphractæ, mammillares, ſcapulares, fundæ, genuales &c. audiant. Quibus vero per ſeries recenſendis ſuperſedere facile poſſumus, præſertim cum neglectis adeo multis ſuperfluis, atque vanis ac irritis, paucioribus undequaque tamen aptis, idoneis & fidis, contenti poſſent eſſe chirurgi, niſi præter neceſſitatem has quoque multiplicarent. Exemplo modo ſint ad vaſorum vulneratorum ac diſciſſorum ligaturæ, quæ poſt GALENVM atque CELSVM, a PARAEO, FALLOPIO, FABRITIO HILDANO & hodiernis, quibusdam prolixe ſunt deſcriptæ, quarum plurimæ difficiles valde reddunt operationes, adeoque a GOVRMELINO jam dum *Chirurg. Lib. II. p. 125.* a FIENO *Tr. II. cap. VIII.* & ex parte ab HILDANO *de Gangry & Sphacel. Cap. XIX.* dejiciuntur, quaſi promptius deſcribantur forſan quam perficiantur. Quotuplices quæſo ſunt capitis faſciationes ad pompam futilem tantum multo opere adformatæ? Atque hodie adhuc indies nimia curioſitate aut ſcrupuloſitate ducti, novas, pro capite, pro digito medio, pro auriculari, pro pollice, pro manu, pro pede, colligandis, pro herniis &c. excogitant, vix chirurgum, vix circumforaneum hodie invenies, qui non peculiarem, atque a ſe inventam ac novam faſciam venditet; ita & hoc hominum genus, magno & ſpecioſo conatu, magna at inutilia diſpendia fecit. De faſciis prolixe ſatis agit GALENVS *Lib. de Faſciis* qui hac de re cognoſcendus eſt, qui & ſex potiſſimum earum quatenus ad chirurgiam pertinent conſtituit, a materia ſcilicet, figura, longitudine, latitudine, ſtructura & his, quibus conſtat, partibus. Scilicet quod figuram in ſpecie attinet, quædam longæ & æqualiter latæ ſunt, quædam conglomeratæ, cujusmodi ſunt eæ, quibus fracta membra deligari ſolent; aliæ ſciſſæ, uno quidem linteo conſtantes ſed eo, vel extremis partibus ſciſſo, quibus mammis vinciendis adhibent, vel mediis, in hernia uſitatis: Aliæ aſſutu, quæ ex multis quaſi habenis conſutis efformantur, in varia capita deſinentes, quales capitis vulneribus applicant, &c. Ex his pluribus quidem ſuperadditis fulcra ad continendum adhibenda, parantur.

§. IV. Affinia ejusmodi inſtrumentorum generi, faſciis minus his lata, ex panno laneo, lineo aut goſſypio, ſegmentis membranæ confecta ligamenta ſunt, lippis (ut ajunt) atque tonſoribus nota, affinis propemodum & conſimilis harum quoque non modo commendatio, ſed & cenſura, ſiquidem multa otioſa inutilia ſuperſtitioſa atque ridicula figmenta occurrunt, quæ ab ignaris & ſimplicis ingenii ejusmodi ordinis homuncionibus pertinaciſſime circa earum conficiendi modum, figuras, colo-

res

res &c. obſervantur: Tanta circa non entia intelligentia eſt! Quis quæſo chirurgorum facile hodie adhuc ligaturam, pro venæ ſectione inſtituenda, aut filum pro ſetaceo excitando, non niſi alio, quam rubro colore tinctum adhiberet. Quam multi non religioni ſibi ducunt hæmorrhagias, tincta alio colore, quam rubro, ligatura compeſcere? Vix majorem attentionem alia merentur, quæ circa ejusmodi proferuntur, v. gr. quando ligaturam rubram ſericam, quæ per bufonem vivum prius ducta eſt, pro hæmorrhagia ſiſtenda, aliis præferunt, otioſa illa perſuaſione ducti, ac ſi archeus in furore conſtitutus, ſanguinem præter naturam & cum impetu ejiciens, qui omne commercium cum horrida hac beſtiola reformidat, ab hoc conatu irregulari deſiſteret, inque ſe ipſum quaſi contraheretur, reminiſcentia & horrore ab hoc animali ejusque effluviis facto. Quidam aliam rationem, aſt æque ficulneam quærunt, in ſpirituum animalium refrigeratione hincque adſtrictione, quoniam bufo umbra & frigore delectatur, unde etiam in hunc ipſum finem lapidem, ex bufonum capite exemptum, commendant, eumque pro abortu præcavendo collo, appendunt. Ejusmodi farinæ quoque eſt, quando naturalis magiæ Scriptores, magnis laudibus, cingulum ex exuviis anguium confectum, nudumque corpus mediante eo vinciendum ad conſervandam ſanitatem, vitamque prolongandam extollunt, ex illo, quod angues renovare juventutem ſuam, depoſitis exuviis, credunt. Similiter dubitare licet, an firmiori fundamento nitatur ea perſuaſio, qua a ſuperſtitioſis obſtetricibus perhibetur, parturientem mulierem, non niſi ligatura aut cingulo ex corio humano confecto, juvari, reddique utero compreſſo partum facilem atque felicem. Quibus enim vires imaginationis perſpectæ ſunt, facile pervident, effectum hunc multum accedente imaginatione promoveri, dum conſtrictio, in illa animi averſione a corio humano efficacior redditur. Hanc etiam (ligaturam) præ aliis valere in ſcrophularum extinctione contendunt. Admodum infida hæc ſunt, cum exiſtimare liceat, per paucis hæcce adeo abominabilia eſſe, ut notabiles exinde ejusmodi effectus poſſent ſperari, ut taceamus, horrorem & abominationem & inde natam alterationem, in corpore, ſanguinis & ſpirituum animalium affectionem, per quam exſpectatus effectus quandoque producitur, noxam quoque quandam eamque non levem, non raro contrahere poſſe, quanquam paſſim alibi videmus vim imaginationis & exhorreſcentiæ potenter ſatis quandoque ſe exerere, quamquam etiam objecta ſenſus admodum offendentia, animales ſpiritus retrocedere quaſi cogunt, ut in fugam verſi extremas præſertim cor-

poris

poris partes intactas, ad tempus relinquant, quando v. gr. ex conspectu alterius sanguine manante, aut extravasato, tortura, strangulatione, quidam animi deliquium patiuntur, aut acida edentem aut potantem videntes, dentium mox stupiditatem experiuntur, quando alios in diuturnos gyros actos, aut rotarum agitationem diu adspiciunt, vertigine corripiuntur. Sic multi visis tantum pilulis aut vomitoriis aut aliis objectis ingratis, aut saltem reminiscentia ejusmodi facta, non modo caput collumque inhorrescere sentiunt, sed & alvum dejiciunt, aut ructant ac vomunt. Tali fundamento, id est, lubrico vel nullo fundatur ea persuasio, quam PLINII forte autoritas induxit, qua creditur, destillationes, quas vulgo vocant a capite per ligaturas dolorificas omnium optime, per lorum, ex pelle canina dissectum & artubus obvolutum, arceri. Ejusmodi fere etiam est, quando chirurgi ferulis & asseribus e ligno betulæ & quercus singularem virtutem, sanguinis effluxum enormem sistentem, audacter nimis tribuunt. Hæc & alia passim obvia vulgo quidem admissa sunt, sed a prudentioribus derisa est ejusmodi hominum vanitas, quare ab his & similibus aliis nugis animum calamumque retrahamus, & verum potius usum ligaturarum quoque memoremus.

§. V. Ligaturarum in statu hominum sano aliquis etiam ac in morboso præ aliis ejusmodi instrumentorum generibus frequentior amplior-que ac pro vario adstrictionis gradu diversus usus est, atque pro leviori partium vasorum &c. quibus naturaliter talis vis inest, qua nituntur proprium angustare canalem, nimis laxatorum & distentorum firmitate, pro majori constrictione, vellicatione imprimis excitatione, spiraculorum cutis reseratione ac humorum in extremitate corporis diffusorum dissipatione, evaporatione ac discussione, item inhibitione, sedatione, revulsione, derivatione & repulsione aut circa membrum affectum vel partem vicinam aut etiam appositam, pro re nata ex necessitate adhibentur. Ea non raro earum necessitas adeo urgens est, ut horum ipsorum instrumentorum applicationem injungat, ubi nimirum certis in casibus contra indicantia alia dissuadent, v. gr. Sistamus ex enormi hæmorrhagia adeo debilitatum, ut revulsionis causa venam secare, majoremque per eam sanguinis copiam effundere suspectum ac temerarium admodum sit, aut per refrigerantia incrassantia &c. humoribus remoram injicere periculosum, cum facile exinde nutans ac pene exstincta vitæ flammula penitus perire possit. Tunc autem longe securius ligaturæ injiciuntur per manum chirurgi dirigendæ ac moderandæ, nunc intendendæ, nunc remittendæ. Ejusmodi casum WILLISIVS *in Pharm. Rat.*

Ggg gg *Part.*

Part. I. Sect. III. cap. II. indicavit, de hæmorrhagia, cujus caufam non copiam fanguinis aut æftum præternaturalem & furibundum, fed fpasmodicam quandam & intervallatam arteriarum contractionem habuit atque accufavit. Hanc hæmorrhagiam repetita fanguinis miffione ac multa propinata interna medicamenta aliaque in ufum ducta, deteriorem ac maxime verendam reddiderunt, ægrumque in fummum vitæ periculum conjecerunt; quem vero tandem vincula chirurgica tempeftive adhibita feliciter ex eo eripuerunt, atque junctis tantum interne paucis dofibus pulveris cujusdam abforbentis ac antifpafmodici, fineque ulla recidiva infequente, priftinæ fanitati perexoptatæ, benedicente Deo reftituerunt. Eæ vel mites funt, quæ in venas faltem agunt maxime; quoniam minus firmas tunicas habent & pleræque magis verfus in fuperficiem corporis locatæ funt vel fortiores venas pariter atque arterias anguftantes atque adeo dolorificæ, quæ undique arctius fortiusque membrum conftringunt, ut ultra ligaturam nullibi arteriarum pulfus percipiatur; tunc vero in fano membro probanda prius deligatio quam in ægro periculum faciendum Conf. HOLLERIVS *de Mat. chirurg. Lib. III. cap. I.* In genere hoc tenendum: ut non adeo validis in gracilibus corporibus, in obefis arctioribus quidem utantur.

§. VI. Mitiores omnium ac laxiores ligaturæ faltem per fafcias pro fomentatione & inhibitione ac defenfione, tegendo partes circumvolvuntur. Pedes tunc præ aliis his tegantur e re eft, fiquidem aliis hæ extremæ partes, natura frigidiores habentur, & aëri frigidiori magis expofitæ funt ac folo, fundo aut faxis, tegulis, cæmento ac terræ frigidæ femper proximæ eamque contingentes, adeoque fomento magis egent, atque calore debito vitali, quem commode eædem confervant, atque conciliant, obtegendo & defendendo eas; atque dum arcent frigus, quod poros cutis conftipat atque corrugat, & ad centrum ad peripheriam fpiritus ac humores avertit, ficque repellit, fufpendit atque impedit, motum fluidorum ac fpirituum impellentem naturalem, exfufcitant ac promovent, ficque per confequens tranfpirationem infenfibilem utiliffimam procurant, quo lentus ftagnansque humor fimul movetur atque depellitur. Rurfum tumentes partes præfertim pedes œdematofi & ulcera antiqua atque aliæ ejusmodi labes, in quibus balfamus naturalis humorum laudabilium deficit, & vegeto elatere folidæ partes a diftenfione per ftagnans fituque peccans ferum, deftituuntur hydropicorum, cachecticorum atque fcorbuticorum, apprime & ex neceffitate fafciis probe teguntur & obvolvuntur, utiliffimeque foventur ac defenduntur

ab

ab aëre ambiente, qui vulnera ulceraque corrumpit, putredinemque facile inducit &c. Mediocres (ligaturæ) undique quidem & membrum cingunt & comprimunt, ita tamen, ut ultra ligaturam pulsare arteriam sinant; neque adeo notabilem ruborem & tumorem multo minus ullum doloris sensum efficiunt. Hæ ibi & alibi præsertim pro scopo præservatorio aut in casibus levioribus & quietis gratia ut &, ut vena secanda pateat &c. ab ipsis chirurgis applicari solent. Fortiores paulo, plus minusque dolorificæ, in grandioribus vero locum inveniunt, imo requiruntur & reliquos supra modo indicatos effectus, ut revulsiones &c. producunt.

§. VII. Applicantur autem ligaturæ primum eæque quidem fortes, tanquam admodum necessaria remedia, brachiis, digitis, pedibus, ut modo indicatum, in hæmorrhagiis sive integris partibus, atque in iis præcipue quarum causa non in copia sanguinis aut fervore sed spasmodica quadam & intervallata arteriarum contractione hæreat, quod a WILLISIO observatum legimus *in Pharm. Rat. P. II. Sect. III. cap. II.* sive in unitate solutis, ut hæmorrhagiis narium enormibus, hæmoptysi vulneribus majoribus & periculosioribus, vasis majoribus præsertim arteriis conscissis, ut nimirum omnem fluentium impetum cohibeant atque refrenent, ut vulnerum labia vasorumque patentia orificia comprimant obicemque ponant, sanguinis enormem effluxum avertant, ut derivent atque ad alias partes revellant. Sic vel in vulgus notum remedium est, illudque familiare ipsi, in fluxu præternaturali & magno narium, digiti minimi in dextra manu si ex dextro nare quidem fluat sanguis, vel in sinistra, si ex sinistro, serico rubro arctior sc. ligatura, RONDELET. *v. method. med. morb. Cap. LXIII. p. 281.* & GVIL. FABRICIVS HILDANVS *vid. Observat. Cent. II. obs. XV.* in hoc casu ipsos testiculos vincire jubent CHRYSIPPVS CNIDIVS *ut ex Erasistrato memorat* GALENVS *de V. S.* homini cuidam sanguinem spuenti membra vinculis circumdedit, quod ille consultius duxit, quam si sanguis e vena missus fuisset. Si ex faucibus interioribusque partibus sanguis processit & metus major est & cura major adhibenda A. COR. CELSVS *Lib. IV. de Med. Cap. IV. p. m. 204.* Consilium quoque affert suum quando ita loquitur: Licet Asclepiades ligaturas adeo non prodesse ut etiam inimicas esse proposuerit, tamen id sæpe commode respondere experimenta testantur. Neque tamen pluribus locis deligari necesse est; sed sat est infra inguina & super talos, summosque humeros, etiam brachia. Hæmoptyicos juvare cingulum pectus constringens sua experientia confirmat DIMERBROECK *Observ.*

& Curat. med. p. 70. obſ. 56. Ea autem in illis ſimul habenda ratio eſt, ut ſenſim eædem præſertim inhibeantur, ne inflammatio copioſior, puris generatio aliaque mala, magnum negotium pariant. Neque nimis cito ligatura eſt ſolvenda ne exortum malum recrudeſcat. Fortius etiam ſtringantur neceſſe eſt, in nimio atque rebelli menſium lochiorumque fluxu ſupra genua & cubitos. Pro quo ſcopo præſertim admodum eas laudavere HIPPOCR. *Lib. II. Sect. V. de morb. mulier.* GALENVS *Lib. ad Glauconem Cap. XIV.* AETIVS *de remed. Lib. XIV. cap. XXIV.* PAVLVS AEGINETTA *Lib. III. cap. LXIII.* AVICENNA *cap. de Ligat.* ZACVTVS *Luſit. Prax. Hiſt. Lib. III. cap. II.* FONSECA *Tom. I. Conſult. LV.* Quorum autoritas longe anteferenda aliis ſecus opinantibus, vid. AVGENII FERRERII *Caſtigat. Cap. XXVII.* ALEX. BENNETI *Theat. Tabid. Exercit. XXVI.* Similiter tales in congeſtionibus humorum, eorumque molimibus, nec non ipſis rheumatiſmis, malo iſchiadico ut & hypercatharſi, aliisque alvi fluxionibus præternaturalibus & pro avertendis iis ac intercipiendis aliterque dirigendis, in partibus extremis aut oppoſitis, injectis reliquis remediis, ut frictionibus cucurbitulis ſiccis, balneis atque lotionibus & ejusmodi, quæ impetum humorum intro confluentium ad alias partes divertunt, atque revellunt. Si non præferendæ certe tamen æquiparendæ ſunt. Sic Practici in inflammationibus atque in ſpecie quidem, angina ac pleuritide primis in principio vincula dolorifica artubus injicere, frequenter imperant inſenſibilemque revulſionem certe exſpectant. Conf. & LEONH. BOTALLVS *de Curat. per ſangu. miſſ. p. 287.*

§. VIII. Dein adhibentur, ut plurimum tamen mediocres, pro deligandis membris vario modo læſis prolapſis & ſitu peccantibus, partibus ambuſtis, vulneratis, exulceratis & apoſtematibus fœdis, fractis atque luxatis, ac diſtortis oſſibus, obſervato rite deligandi modo, ut nimirum ſi v. gr. inflammatio quædam ſupervenerit, luxationem jam repoſitam, deligatio laxior ſit, ſimul ac vero remiſerit ea, alia eaque fortior inſtitui poteſt, atque firmior adhuc, ceſſante penitus inflammatione, cum emplaſtro aut inunctione facta, ſequatur. Deligationis, ad quam una aut plures faſciæ adhibentur, initium fiat in latere, per quod os procidit, ibidemque etiam faſcia firmius conſtringatur inter adſcenſum deſcenſumque faſciarum. Cœterum ſcilicet in tali negotio, faſciationis nimirum ita procedendum venit, ut in luxatione v. gr. altera faſcia eaque breviori quidem vel ſicca, vel liquoribus adſtringentibus & roborantibus, ſpirituoſis balſamicis v. gr. vino auſtero, tepido, phlegmate

vitrio-

vitrioli, decocto salviæ roris marini aliarumque herbarum, radicum, & seminum aromaticorum, oleo myrti rosarum florum sambuci, spiritu vini simplici & camphorato madefacta, aut iterum contorta & expressa; circa ipsam luxationem ter convoluta, ad sanam membri partem quinquies vel sexies circuitus asciales fiant, & dein altera fascia unius capitis & priori duplo longa luxationi, sed in contrariam plagam bis vel ter circumducatur; ex quo quater vel quinquies versus inferiora flectatur, mox iterum per totam ligaturam & sursum ad finem usque prioris redeat; tertia modo addatur, duorum capitum tertia sui parte, circa luxationem stringatur, breviorique capite adscendat, altero vero descendat, quod item per totum membrum superius prodeat, ibique bene firmetur. Atque de reliquo membris, convenientibus oleis & balsamis unguentis inunctis, emplastrisque impositis ita deligatio fiat, ne membrum affectum ac læsum totum undique tegatur, sed spatium latitudinis pollicis, inmembri latere intercedat, nec inæqualitas premat ac dolores afferat, ut locus transpirationi ac tumori liber quidam concedatur ac ut emplastrum facilius detrahi possit &c. Commodæ & congruæ deligationis tibi signum primum erit, si patiens bene eam ferre possit, si levis & mollior saltem tumor sequenti die, in membri læsi extremitatibus, conspiciatur. Supponimus quoque ut membrum luxatum, aut ossa distorta legitime extendantur, neve in extensionibus fractorum ossium, ægri præter necessitatem torqueantur, & recte in sedem pristinam reponantur] Addimus quoque, ut aliis accidentibus bene simul prospiciatur, ut tumori, inflammationi forte supervenienti &c. In aliis læsionibus atque rupturis aliarum solidarum partium, ut in prolapsu uteri & herniis fasciæ, ligamenta & cingula primum adducuntur, & ita accommodantur, ut totam partem v. gr. scrotum amplectantur atque sustineant.

§. IX. Alia occasione ac ratione hisque finibus firmandi promovendi revellendi atque derivandi educendique maxime, commode potimur, si serum in partibus aliis stagnat, aut ad eas copiosius congeritur, seu potius in iisdem continetur in corruptelam pronum, ut partes comprimantur, moveantur, & educatur illud, derivetur & revellatur aut repellatur, aut etiam ulterior influxus atque congestio seri avertatur & prohibeatur, ut reliquum partibus incumbens ejus, vel a venis ac lymphaticis vasis resorbeatur vel per emunctoria solennia eliminetur, per glandulas præcipue motas & vellicatas, quod comprimendo partes potissimum fortius quidem applicatæ fasciæ & ligamenta efficiunt, ut in scroto, uteri exterioribus ac ipso abdomine aliisque partibus tumefactis &

anafarca ut & afcite laborantibus atque flaccidis pendulisque manentibus partibus. Certe, ex debilitate vifcerum natus hydrops omnium optime fafciis laxata ftringentibus juxta victum ficcum, roborantia medicamina interna, corporis excercitiis curatur utpote quæ caufam primam refpiciunt, cum ea purgantibus faltem tentata infida fit, quoniam poft paucos dies tumor iterum redit. Pedibus hinc œdematofis, quo frequentius hi tumores occurrunt, eo utilius etiam his hoc remedii genus applicatur. Applicatur autem idem utiliffime, circa nocturnum præfertim tempus, quo augmentum perpetuo ejusmodi tumores ferofi capiunt, quare tunc, ut roborentur firmenturque fic partium fibræ, apprime convenit. In hydrocephalo recens nati infantis, has ligaturas expulfivas ideo dictas præeunte RIVERIO *Obferv. 6.* magni ufus quondam fuiffe fineque ullis aliis remediis optatum effectum præftitiffe memini. Conveniunt in hoc morborum genere (hydrope) magis in principio mali atque mobili & nondum confirmato aut inveterato. Nec eft cur adeo timeas cum vulgo, magnopere, repulfionem nocituram feri, loco peccantis, ex pedibus tanquam partibus externis atque extremis, ad internas, & nobiliores æque ac per interna remedia, purgantia, diuretica, fudorifera educendum, cum potius reputandum fit, ferum ftagnans quod vitalem exuit motum, adeoque & fuum perdidit ufum, noxam proxime & certiffime inferens, omni modo, movendum effe & evacuandum: fi enim repulfio decenter modo fiat, & conformiter atque fecundum leges naturæ, non fubita mutatione ac habita ratione affectæ partis, materiæ contentæ, fluidæ & ftagnantis, internorumque quoque medicamentorum præmittendorum ac jungendorum, univerfalium, evacuantium, alterantiumque non poteft effe nociva, fecundum falutare monitum HIPPOCRATIS quod habet *Lib. de Medico Cap. III.* in genere de his tractantis: *Quæ vero afferuntur omnia confiderare oportet ut conferant, maxime fi ægrotæ parti adhibebuntur: Talia autem funt ligamenta & medicamenta: Utrorumque enim ufus opportunus itemque negligentia magnam differentiam habet.* Præter fæpius probatam experientiam, fi teftimonia hujus rei defideres, funto tibi primum GALENI *Lib. II. de art. cur. ad Glauc. cap. II.* qui fequentem ibi in modum fcribit: *Si vero in aliquo ex membris extremis tale fuerit œdema, incipiendo ligaturam in imis partibus finire oportet, in altioribus ejectionem & compreffionem & univerfam diftributionem faciendo velut in fracturis.* Curationis enim intentio aut indicatio in ejusmodi affectibus mixta eft, una quidem, ut earum fubftantiæ aliquid diffolvatur, alia vero ut aliquid congregetur ac reftringatur. Sequentia

quentia addit: *Ego in diuturno œdemate, ubi prius partem oleo illinissem, deinde spongiam ex lixivio apposuissem, atque vehementius strixissem, affectum perfecte curatum vidi, ad discutiendum & incidendum:* id quod in omnibus fere diuturnis affectibus probatum haberi, non ignoramus. Succedant alii ex Græcis Latinisque quidem; Ex illis AETIVS sufficere potest, qui *Tetrabibl. III. serm. II. c. XXXI. p. m. 589.* de hydropis cura latius tractans, sequentia quoque profert: Amplius autem tum ventrem tum intestina ligamentis adstringant, itidemque omnem cutis coercent tumorem: Fiant autem ligationes ab extremis partibus incipiendo, & ad supernas procedendo. Ex his præsertim CELSI egregia & nitida scripta evolvenda, in quibus *Lib. III. cap. XXI. de Med. p. m. 165.* legitur, *Si id morbi genus est, quo in partem multa aqua contrahitur, oportet malagma habere impositum quod digerat, idque ipsum superimposito triplici panno, fascia, non nimium tamen vehementer adstringere, quod a Tharria profectum servatum esse a pluribus video.* Nec desunt ex recentioribus, qui hujus rei testimonia afferunt, ex quibus notissimi sunt, & primo quidem loco nominandus omni fide dignus PET. FORESTVS, qui *Observat. XXXVI. Lib. XIX. p. m. 255.* de monacho quodam Franciscano refert, quod cum crus ejus sinistrum œdematosum neque fomentis neque linimentis in totum detumesceret, sola deligatione fortiori per ligaturas præter omnium exspectationem ex asse curatus fuerit. Succedat F. PLATERVS, qui *Prax. Tom. III. p. 273.* scribit: *Fasciis vincire & stringere locum, ubi œdema enascitur, admodum ipsius incrementum prohibet,* atque Idem *p. 304. l. c.* repetit, dicens: *Ubi in intumescentia pedum diffusa, alia ab ea, quam tumorem œdematosum vocavit, molliori a seroso crudoque succo prognata, nominatim in hydrope curanda, occupatur. Topica quod attinet,* inquit porro, *ejusmodi humiditates, unde pedes intumescunt, etiam ab initio repellendæ erunt &c. Inprimis autem,* pergit, *Fasciæ hic aliquid singulare efficient, intumescentiamque hanc continebunt, tandemque ne amplius redeat, prohibebunt, si indies fascia longa palmam lata ab imo pedis incipiendo, & ad genua usque procedendo, pedes stricte mane, dum nondum adeo, atque interdiu fieri solet, intumuerunt, obvolvantur, sicque donec iterum decumbant, vel etiam dies noctesque retineantur, quod & ocrea molli, arcte per suturas in longum pedi adstricta aliisque artibus præstari possit.* Atque *in Observ. Lib. III. p. 654.* exemplum curati sic œdematosi cruris indicat. Referatur etiam DAN. SENNERTI testimonium, qui *Prax. Lib. III. P. VI. Sect. II. Cap. III. p. 743.* cruribus hydropicorum tumidis & inflatis commendat, ut spongia convenienti decocto vel lixivio, vel aqua imbuatur, iterum-

que

que exſiccetur & fortiter cum faſciis circa crura ligetur, donec detumeant. Hæ quidem cauſæ ſunt, cur in ejusmodi malis, hanc faſciarum applicationem aliis topicis, quæ alias adhiberi ſolent, ut furfuribus & arena fotibus & balneis laconicis & carceribus medicis, calidis & vaporoſis &c. æquiparemus ſi non longe anteferamus. Similiter ſi a venæ ſectione lymphaticum vas tactum læſumque ſit, ut laudabilis ille roſcidus humor effluat, quique effluxus, per longum ſæpe temporis intervallum, continuo durat, ligaturæ maxime neceſſariæ ſunt, adeoque nunquam omittendæ, qualem læſionem & lymphæ effuſionem, per plures ſeptimanas durantem obſervaſſe & juxta ſiccantia adſperſa remedia ligaturis adhibitis, ſanatam effluxumque lymphæ inhibitum vidiſſe, nobis contigit. Quando dilatatis vaſis, ſerum alicubi, ut in cruribus præcipue ſtagnat, vel minus motum hæret, accedente inprimis ſcorbutica labe, toties eroſa cute, ſubnaſcuntur ulcera illaque mali moris atque rebellia, vincula ejusmodi circumducta partes conſtringentia impediendo, ne in vaſis dilatatis hæreant liquida ſitu peccantia, apprime proficua ſunt. PLATERVS alium faſciandi modum, in eryſipelate œdematoſorum crurum, cum ulcere proponit. *Obſerv. Lib. II. p. 501.* qui ſequens eſt; curandum, ut faſcia oblonga ex panno linteo, palmam lato, paretur, inſuendo petias pedis diſtantis ſpatio, ſic plicando, ut ſine rugis ſe cruri accommodet, eaque a pede incipiendo, ſurſumque per crus ad genu usque involvendo crura, matutino tempore obvolvat æger totoque die relinquat, ſic enim, ne inter deambulandum, crura intumeſcant, cavebitur. Quam faſciam, ſi in lixivio interdum coquatur, beneque expreſſa applicetur, validius tunc ſic operaturam affirmat. Cœterum ſecundum Hippocratem de Fracturis, aptandarum faſciarum, duæ ſunt indicationes a parte affecta, altera ab ipſa affectione deſumtæ: Nimirum quoad primum crus ex. gr. exporrectum deligandum, brachium vero inflexum & pectori adactum, ne muſculorum figura turbetur. Quoad alterum in ulcere cavo, ſinuoſo multam ſaniem eructante, deligationis & conſtrictionis a ſinus fundo ducendum initium & in ejus orificio deſinendum, ut contenta ſanies & ulceris labia nimium disjuncta adigantur.

§. X. Dum vellicant fortiores, ita ut pars rubedine quadam inducatur & pruritu quodam afficiatur, ſæpius relaxatæ & repetitæ ligaturæ, nullum dubium eſt, quin & ad nutritionem partium facere poſſint, quia plus ſpirituum animalium & ſanguinis ad partes quaſi retrahunt atque nutritias laudabiles, aptas & neceſſarias huicque functioni deſtinatas partes, in exteriora validius alliciunt, inutilem vero & excrementitium

humo-

humorem in musculis & carne hærentem simul digerunt, dissipant, partesque nutrimentum accepturas, attritu frictuque suo, quem efficiunt apprime disponunt, & præparant, simulque debitum tonum & robur sive legitimam partium nutriendarum stricturam, motricem & elasticam illam vim, utpote requisita admodum necessaria, ad hanc utilissimam pariter ac præcipuam animalem functionem, efficiunt, sicque omnia fere assimilationis adjumenta, frictionum atque flagellis & ferulis percussionum, quas veteres ad bonam corporis habitudinem conciliandam frequentissime adhibuerunt, teste GALENO *Method. XXIV. cap. XVI.* ad instar, quæ alias ad hunc scopum convenientissime faciunt, præstant. Nec deest experientia, siquidem, ut expertis notum est, partibus emaciatis, ut paralyticis, si tales afferuntur, quod eas repleant atque impingueant. Testimonium hujus rei præbet JOH. JESSENIVS *in Instit. Chir. p. 45.* qui, dextro crure ex atrophia tabido, sinistrum crus ad inguen usque ductis, a pede circumvolutionibus constrictoriis, dextro item brachio sic vitiato, sinistrum a manu, ad axillam progressu facto, utilissime affecit atque sic restituit. Rursum nutritionem partis alicujus nimium & præter naturam auctam fortius adhuc constrictæ diuque relictæ ligaturæ compescunt atque avertunt. Huc referam quod testatur F. PLATERVS *in Observ. Med. Lib. III. p. 651.* fasciationes quoque compressorias in crure uno triplo majori altero restituendo juxta alia multum profecisse. Chirurgi ideo his sæpius opus habent, ubi præcipue callus ex fracturis sanatis præter modum excrevit, quam præternaturalem excrescentiam ligaturæ paulo arctius constrictæ, addito emplastro emolliente ac discutiente aut lamina plumbea super ligata reprimunt & impediunt commode.

§. XI. In spasmis præcipue artuum, brachiorum, pedum, manuum, digitorum, spiritus animales a conflictu revocant & in quietem componunt atque priorem & determinationem excutiunt, per irritationem nimirum ad extra factam vehementiorem simulque impediunt, ne spasmi adscendant ad superiores partes speciatim in cerebrum, ligaturæ fortiores, qualem effectum videmus etiam in aliis, ut vesicatoriis, in deliriis. Quam intentionem felicius obtinendam experimentum apud BAC. DE VERVLAM *Hist. Natural. Cent. X. §. 968. p. m. 960.* laudatum habetur, per vincula ex dentibus equinis & cochleis marinis efformatum, institutum, quibus tamen haud multum præ aliis vinculis tribuendum esse potius censemus. Practici pro hoc scopo exuvias anguis, anguillæ aut etiam ex humano corio desumtum, lorum eligunt. Imo ipsæ con-

vulſiones alibi in corpore obortæ, ligaturis fortioribus, in extremis corporis etiam applicatis componuntur, ut vel in vulgus notum eſt, atque perſpectum, per ligaturas lato & commodo vinculo fortes easque repetitas hypochondriorum, artuum atque pedum & circa genua ſuffocatione hyſterica detentas fœminas, excitari: Multum præſertim, ad ſublevandum dirum hunc affectum, confert imi ventris compreſſio, cingulo ex corio moſcovitico confecto in puerperis maxime hoc malo correptis, juxta enim compreſſionem hujus corii odor fragrans tum hyſtericis quam hypochondriacis admodum eſt amicus. Conf. & Joh. Bapt. Montanvs *de Affect. Mulier. Conſ. IV.* A. Corn. Celsvs *Lib. IV. Cap. II. p. m. 188.* in curationibus morborum qui naſcuntur a capite etiam modum id devinciendi meminit. In ipſa epilepſia & maxime imminente paroxyſmo eædem non ſine cauſa ſuadentur. Huc referatur obſervatio, quam memorat Joh. Conr. Dieterichivs *in Jatreo Hippocrat. p. 851.* quod regnante Carolo IV. Imp. R. in ſuperiori Germania, maniaca paſſio ſaltatoria, quam choream Sti Viti appellant, multos homines epidemice velut invaſerit, ut ſaltarent nimirum tam viri quam fœminæ, ita ut caderent in terram ſpumarentque inde ſurgentes, quaſi mentis impotes, tam diu gyros agerent donec deficerent vires, & quod unica medicina fuerit ſi fortiſſime ligaturis funium ope manus pedesque conſtringerentur. Pariter in melancholia hypochondriaca, diverſis in partibus applicatæ revulſionis cauſa, haud inutiles eſſe poſſunt. Oribasivs, Aetivs, Avicenna ligaturis iisque arctioribus utebantur, ad ſomnum conciliandum, eam præſertim ob cauſam, quod his ſolutis caput ipſum repleatur. Conf. Saxonia *Prælect. Pract. P. I. cap. XXVI.* Neceſſariæ æque ac utiles ſunt in motu voluntario abolito, vitiis ſenſuum externorum, in ſtupore, apoplexia, paralyſi, atque omnibus morbis ſoporoſis dictis, quoniam ſat valide excitant, fortiſſime conſtrictæ, ſæpiusque repetitæ. Hinc etiam in ſyncope opem admodum opportunam conferre valent, Exinde porro fluit, quod ſuffocatis, aqua ſubmerſis, attonitis & tanquam mortui jacentibus in pedibus & brachiis, fortiſſimis quidem his applicatis efficaciter ſuccurrere poſſint. A Plinio hauſtum habemus, catarrhos omnes a capite arcere conſtrictiones pollicis pedis.

§. XII. Inter hæc mala quoque frequentiſſimi acerbi & pertinaces, ſive a violenta diſtenſione ſive roſione membranarum dolores oriundi, capitis & abdominis ſunt, atque inter hos quidem dolor colicus, frequentiſſime etiam, vel a vulgo ad eos ſedandos & caput & ventres faſciis latis

tis & cum euphoria vinciuntur. Quanto autem ea colicæ ſpecies, quæ convulſiva vocatur, immanior, tanto neceſſaria ac utilis earum applicatio eſt. Dubito vero, an non ſit commentum, quod multi tamen multa aſſeveratione affirmant, inteſtina exſiccata, aut lorum ex pelle lupi ſciſſum, abdomini applicatum leniterque ſaltem conſtrictum optime curare colicum dolorem, quod affirmare propemodum BACO DE VERVLAM. videtur; vid. *Hiſt. Natural. Cent. X. p. m. 961.* exinde quod lupus animal ſit maxime vorax, quodque valide devorata digerat, atque quod fieri poſſit, ut partes ejus ab eo deſumtæ corroborent animales ſpiritus; quæ vero allata ratio nobis & forte pauciſſimis vix ſufficere poteſt. Aeque in aliis abdominis doloribus, qui a diarrhœis, dyſenteriis & paſſionibus iliacis & hypochondriacis ipſisque melancholicis atque cardialgicis, nec non vomitibus ſymptomaticis, hypercatharſi, item qui a flatibus inteſtina vehementer inflantibus, ut tumeant, (flatus enim potenter ventri circumjectæ ligaturæ educunt) & umbilici regionem potiſſimum occupantibus proficiſcuntur, hoc remedii genus ſedulo commendare licet. Etenim juxta ipſum caput nulla corporis regio ſpaſmorum atque dolorum proventu fertilior eſt, quam abdomen ejusque inibi contenta viſcera, illic enim, ut in inteſtinis maxime tenuibus ac in meſenterio fomes atque materia nidulatur, ſpasmodicarum contractionum uberrima, ita his deligatio & adſtrictio per faſcias & pro auferendis aut curandis & pro avertendis & præcavendis iis atque aliis peſſimis accidentibus, admodum opportuna eſt. Hoc Belgæ præ aliis ſibi quam commendatiſſimum habent, quare familiare illis cingulum latum eſt, quo abdomen ejusque viſcera convenienter continent, quam continentiam ad digeſtionem alimentorum, egeſtionem excrementorum, flatuum ejectionem juvandas, ruptiones, hernias &c. præcavendas, nec ſine cauſa atque ratione facere ſibi perſuadent, unde etiam illud cingulum *die Hollandiſche Geſundheit* vocant. Ad hæc mala avertenda tali cingulo, equites, pugiles, ſaltatores, cantatores, tubicines, bajuli, ruſtici mercenarii &c. maxime opus habent. Alii etiam varium in uſum, eadem adhibent. Siquidem v. gr. ne aſſumtum catharcticum vomitu rejiciant tam abdomen quam corporis extrema ligant atque conſtringant. Scythicæ bellicoſiſſimæ illi genti, fami minuendæ inſerviebant AVLO GELLIO *in Noct. Attic. Lib. XVI. c. XVI.* memorante. In ſingultu pariter atque aliis ejusmodi abdominis vitiis non contemnendum illud quidem eſt, ſi nimirum fortius venter conſtringitur, quod remedii genus, in hiſce caſibus, veteres quoque inſigniter collaudaverunt. Sic in inflammatione ventriculi ut & renum &c. ligatu-

ræ partium extremarum revulſionis quidem cauſa, apprime utiles eſſe poſſunt. Sicque HOLLERIVS *Lib. I. de Morb. intern. Comment. in Cap. XVII.* & SOLENANDER *Sect. II. Conſil. Med. Conſ. VII.* optimum, in cruditate, ventriculum arctius ligare cenſent, quo flatus impediantur & digeſtio rectius celebretur. Omnes pariter ventris fluxiones, in brachiis ſupra genua & pedibus ligaturis fortioribus applicatis revulſione, quam præſtant, commode mitigantur. Pro eodem ſcopo phreniticis pedes fortiſſime ligantur. Providæ fœminæ in infantibus pro urina facilius reddenda, regionem veſicæ faſciis, leviter comprimere ſciunt, adultis, quos obſtructio talis infeſtat, ſimilem in modum hanc compreſſionem quoque tentare ſuadendum venit. Porro, ut ad prius pauliſper redeamus, ophthalmiam, odontalgiam, otalgiam, brachiis fortiter conſtrictis ſæpiusque iteratæ ad inſtar frictionum majorum, rubefacientium & veſicatoriorum feliciter auferunt. GALENVS *V. Method. med. ad Glaucon. Lib. I. cap. XVI.* pro revulſione juxta alia huc facientia remedia, ut clyſmata acria, infernarum partium frictiones capitis dolorem, ligaturis etiam fortioribus, curandum proponit. In dolore podagrico hoc utile conſilium in *Conſil. Medicinal. ſuis Sect. V. p. 436.* modo laudatus REINERVS SOLENANDER addidit, ut toto decurſu morbi (podagræ) temporis, pedum juncturæ, intercepta quaſi humorum in eas defluxus, via muniantur, ne ab agitato levibus medicamentis humore, nec vehementer tracto, aliquis in imbecilles artus irrepat. Hoc aliqua ex parte optime fieri autumat, ſi crura, ſupra genua, ligamento lato ac longo obvolvantur, præcipitque ſimul, ut prius imbuatur poſca, quæ ex aquæ in exciſæ quercus trunco ſtagnantibus partibus V. & VI. & una aceti acris, compoſita ſit. Obfirmabit (pergit) magis vias faſciationis iſtius uſus, ſi in prædicta iſta aqua prius quercinus muſcus, cortex item quercus interior, galla, macer Græcorum aut ſimilia quædam incocta fuerint, vel poſcæ iſtius loco pars faſciæ defenſivo dicto emplaſtro, ex bolo armeniæ, ſanguine draconis, thure pauco, albuminibus ovorum & aceto compoſito, cui parum unguenti Comitiſſæ dicti aut tantillum adſtringentis alicujus olei, quale omphacinum roſaceum eſt, addi poteſt, ne ſine unguedine illico ſiccatum & duriuſculum factum, dolores inducat, quo non modo fluxus non tam intercipi quam dolore allici humor poſſit. Hic in mentem incidit obſervatio HIER. CAPIVACC. ad ulteriorem experientiam perducenda, ligaturam infra genu applicatam podagram excitare, qua propter L. SCHVLT. a ROSENAV in *Conſil. Med.* podagra obnoxiis ſuadet, ne caligas infra genu ligent. Vbi etiam alibi in corpore humano dolores

res

res excruciant, fasciæ & ligaturæ fortiter & frequenter applicatæ apprime valent, immo præ aliis remediis in iis vehementioribus & continuis doloribus, qui interiores & nobiliores aut ad vitalitatem maxime necessarias partes afficiunt atque multa & pessima urgentia symptomata, vigilias diuturnas, animi deliquium, delirium &c. inferunt in exterioribus valida manu constrictæ, admodum necessariæ sunt. Quoniam enim doloris essentia secundum Craanii sententiam *vid. Tr. de Hom. C. 116. p. 636.* in eo versatur, quod objecti partes in tenera & exigua admodum sensilia corporis humani filamenta nervea tanta vehementia agant, ut illa præter modum tendantur, ut adeo ruptionis quandoque incurrant periculum, proclive erit intelligere, quod hæc instrumenta convenienter & ipsis partibus dolentibus atque longius ab iis remotis applicata, vinciendo & plus minusve constringendo fibrarum sensilium, nimiam extensionem reprimendo, nervos comprimendo & spirituum animalium irritatorum ferociam demulcendo & componendo & aliorsum revocando ob consensum qui singulis intercedit, dolores leniant ac sopiant potenter. Etenim si interiores extremitates nervorum non commoventur, objectum licet præsens nullam efficit sensationem, unde fit, ut firma ligatura facta in medio brachii manuque puncta nullus sentiatur dolor, quia commotio nervorum punctorum coercetur per ligaturam, ut non possit pertingere ad extremitates nervorum, quæ in cerebro sunt. Eundem in finem & vesicatoria, parti non dolenti applicantur: quatenus non tam materiam peccantem quam spirituum animalium impetum, a parte dolente avertunt. Atque adeo acria alia varii generis anodynis accensentur, ut spiritus salis in gangræna, radix pyrethri, caryophylli oleaeorum destillata, in dentium dolore, quæ pariter, dum fibras ab extra irritant, ac convellunt simulque eas firmant, ut harum renitentia, objecti dolorifici ac spirituum super & impetum. Facit huc Hippocratis *Aphorismus 46. Sect. II.* Duobus doloribus nec eadem parte obortis simul vehementior minorem obscurat. Chirurgi hinc operantes quoque, ante v. gr. membrorum sphacelo corruptorum amputationem, in præparatione attendunt, ut compressione nervorum ac vasorum magnorum arteriosorum sanæ partis per ligaturas sat fortes, quas tornando adigunt, stuporem quendam ipsi parti inducant.

§. XIII. In pluribus aliis affectibus aliisque partibus alioque fini æque fasciarum & per eas ligaturarum applicatio necessaria est: modo adhuc nominetur rhachitis, in qua ut spinæ dorsi aliisque ossibus sic af-

fectis in artubus &c. adeo laxis, ligaturis artificiosis, mediantibus fasciis latioribus interpositis, simul, prout visum fuerit, ferulis commodis, auxilium quoque feratur, non tantum pro calore & fotu partium majori, verum etiam ut membrorum inprimis dislocatio & distorsio inhibeatur, eaque quantum fieri potest, in naturali semper situ & rectitudine conserventur, eaque promoveatur magis. Hujus fasciationis modus & instrumentorum delineatio videatur apud GLISSON. *Tract. de Rhachit. p. m. 364.* aliosque chirurgicos Scriptores. Sequatur hic aneurisma, cui tumori & non in recenti & leviori modo malo, sed & graviori atque in illo, in quo clausa arteria est, ligaturam applicare convenit mediantibus fasciis & spleniis. Fascia, qua hæc ligatura adornari solet expulsiva vocatur, ac apud MARQVE *Chirurgie Traité des band. chap. XVI.* descripta atque delineata reperitur. Hac felici cum successu MORELLVM usum fuisse, legere licet in *Zodiaco Gallico - Med. Anno I. obs. III. M. Jan.* De eodem Autore habetur, quod solis fasciis & spleniis aneurismata recentia curaverit. Pariter NIC. TVLPIVS *Obs. Med. Lib. IV. cap. XVI.* refert, quod aneurisma sola pressione sanatum fuerit, nempe imposito emplastro adstringente & super imposita lamina plumbea, atque arctiore vinculo, unde expulso e tumore sanguine, & constricto convenienter vulneris hiatu, felix arteriæ coalitus secutus est. Convenientem his ligandi modum eum esse censemus, ut ligatura versus truncum ita adscendatur, ut paulatim laxior fiat, quo arteriæ pars superior comprimitur, ne ulterius dilatari ac rumpi queat, sanguinisque impetus, qui a corde processit, reprimitur. Per se autem jam intelligitur, quod nobis hic non sermo sit, de ejusmodi partibus sic affectis, in quibus commode applicari ligaturæ tales fortiores vix queunt, v. gr. in collo, thorace atque abdomine &c. quoniam, ut statim ratio patet, aëris transitus intercipitur & circulatio sanguinis multum turbatur aliæque molestiæ inferuntur. Circa hunc ligandi modum hic quoque hoc præsertim monendum habemus, quod e re quoque sit, ut huic duriora, laminam, plumbeam, aut nummum quendam æneum aut argenteum subjiciant ac his arment, vel-ut LE CLERC vid. *Chirurg. Complete p. 188.* potius autumat, frustulum chartæ masticatæ substituatur. CLAVDINVS brachiale ferreum admovere præ aliis suadet, cujus descriptionem apud eundem l. c. invenies. In aneurismate pariter venarum, qua notione quidam varices designant, æque magnum imo majorem effectum edere, fasciationes & ligaturæ, possunt. Haud multum absimilem affectum, simili modo, curatum descripsit F. PLATERVS *in Observ. Lib. II. p. 542.* Illud qui nesciat

opina-

opinamur facile esse neminem, ganglion ligatura forti subdita moneta aut plumbi frusto diutiusque paulo relicta, abigi. Amplissimus sane harum usus est, facile ulterius videndus, si prolixiores esse vellemus. Plurimæ atque adeo propemodum omnes operationes chirurgicæ fasciationes & ligaturas easque paulo arctiores requirunt, quibus quidem per series recensendis supersedeamus: Inter eas saltem adhuc nominentur usitatissimæ & fere quotidianæ venæ sectiones atque in abscessibus & fistulis, dissecta parte, pro puris remotione atque excretione per ligaturam successiva a fonte ad aperturam pressio, juxtaque amputationes membrorum sphacelatorum: Nimirum hæc vinculorum constrictio a chirurgis peragitur antequam ejusmodi operationes instituant, hanc quidem, ubi angustæ præsertim sunt venæ & in altum demersæ, multaque carne & adipe obductæ, & tensa ac squalida est cutis; Illam, postquam enim chirurgus cutem musculos & carnem fortiter, sanas partes versus retraxerit, vinculo valido, quod stupefactivum vocant, duplicato, etiam circumvolutione & firmitudine comparata, ne relaxatio hujus facile fieri possit, cutem constringit, ut juxta enormium hæmorrhagiarum, quæ presso pede discissionem vasorum majorum insequi solent, aversionem, præclusis sic atque compressis vasorum ostiis in exstirpatione, quam intendit, atrox præsertim sensu, spiritibus animalibus aliquo modo interceptis, obscurato, præcaveatur dolor. Atque quamvis primum ejusmodi constrictio cum vinculo facto non sine gravi dolore peragatur, attamen omnes cruciatus postmodum ita leniuntur atque sedantur, ut vix ullus doloris sensus percipiatur. *Conf. Ephemerid. Nat. Curios. D. II. An. VIII. obs. 211.* Hæc ligatura ordinario in parte sana atque supra partem abscindendam duos circiter digitos transversos sic injicitur, ne ea carne secta decidat, atque ut etiam sursum sic abducti cum cute musculi firmiter contineantur, qui mox ab operatione peracta vinculisque solutis deorsum iterum devoluti absciſſorum ossium extrema contegunt. Extraordinarie magis chirurgorum quidam secundum Gvid. de Cavliaco vid. *Tr. VI. doctr. I. cap. VIII.* partem emortuam adeoque abscindendam hac mediante coarctant, ita ut in spatio intermedio sectio postmodum fiat. Quando ascíticis per paraceutesin aquosam colluviem educunt, nisi statim his vinculis circumductis pendulum abdomen, rite stringant, mox sæpe syncope eaque non raro lethalis supervenit, vel postea ea iterum, in laxas pendulasque partes ruit atque cito dirus hydrops renascitur. Ut gravidæ (ut ad alia iterum transeamus) fasciis aut ligamentis sat latis abdomen vincire solent, tam ad uteri gravitatem sublevan-

levandam, ad ingreſſum matris liberiorem ſervandum & ad fœtum detinendum, quam præcocem & nimiam fœtus depulſionem & prolapſum uteri præcavendum, ad rupturam abdominis avertendam; ita & iisdem utuntur, ut partus conſtringendo fibras carneas muſculorum ſicque robore addito, qua conſtrictione operatio hæc dependet, facilitetur parturientis niſus ſimul adjuto, in quo facilitando fœtum deorſum leniter & ſenſim pellere omnino convenit. Aſt proſpiciant bene hæ bonæ fœminæ, ne ligaturam ſtrictiorem abdomini inducant, quod expertus de aliqua monet PRAESES, quoniam fœtui admodum nocere poſſunt: nam hac intemperanter adhibita vaſa ſanguifera in fœtu adeo coarctantur, ut partim debitum nutrimentum illi ſubtrahatur, partim ſpatium illi ad ulteriorem accretionem denegetur, ex quo facile deinceps abortus contingit Teſtimonium & aſſenſum quoque huic rei GALENVS, vid. *Com. ad* .*65*. HIPPOCR. *Aph. XXIV.* & *Lib. III. de Naturæ facult. Cap. XII.* perhibent. Atque adeo in difficili partu, quando debitos puerperio labores crudelis Lucina negaret, jamque vel per aliquot dies irritis conatibus matrem fœtumque defatigaſſet, ut tenui filo amborum ſalus vitaque penderet, hoc auxilii genus utiliter producitur. A partu deinceps excuſſo nimirum fœtu, liberatis abdominis vaſis & viſceribus tanta preſſione utiliter admodum circumductis faſciis, pendulæ & flaccidæ fulciuntur partes, ſæpe enim tanto cum impetu verſus hæc loca derivatur omnis ſanguis ut deficiat debita preſſio & in cerebri & cerebelli vaſis & lethali ſyncope puerpera, perit. Rurſum totus venter & inteſtina, magno fœtus onere ſubito levata, fulcimento egent, ne nimia expanſione flatus, inteſtinis moleſtiam creent. Neque minus congruum eſt, ut poſt legitimam fœtus & ſecundinarum excluſionem, pro variis beneficiis aliis conciliandis, faſciis aut ligaturis abdomen ad bonam tolerantiam circumdetur; etenim circumvoluta ſat firmiter faſciis ipſarum alvo, dolores qui poſt partum ordinario inſequi ſolent, præcaventur juxta atque imminuuntur, ſanguis huc usque retentus & excernendus expellitur, flatus hypochondriorum rejiciuntur ne in inanitum uterum irruant, prohibentur, uteri præfocatio impeditur, nec non venter antea dilatatus ac tumidus deprimitur & in priſtinum ſtatum paulatim contrahitur.

§. XIV. Ut varietas faſciarum & ligaturarum pro affectuum affectarumque partium varietate, earum texturæ & conſiſtentiæ ac ſitus figuræque atque ſubjectorum, ætatis & ſecundum corporis habitum adendenda, ita circa utendi applicandique modum quædam, quæ omiſſa

forte

forte fuerint, adhuc notanda veniunt hortante HIPPOCR. qui *Lib. de Medico Sect. I.* ita loquitur: *Quæ vero admoventur, omnia quidem ut conferant, attendendum, potissimumque si ad laborantem partum diutius adhærescere debeant cujusmodi sunt vincula, medicamenta & ad ulcus adhibita lintea & cataplasmata, quæ diutissime in affectis partibus commorantur.* Ipsæ fasciæ atque ligamenta sint munda, ne ulcera reddant deteriora, sordida, putrida vel excrescentiæ fungosæ procreentur, quam munditiem ipse jam HIPPOCR. admodum commendatam reddidit, ac ut aspectu sint jucunda; quemadmodum elegantiam in omnibus artis operibus attendendam sedulo ita & hic præcepit, sintque levia, mollia, sat longa ac lata pro partis affectæ latitudine, longitudine, crassitie. Vulgo quinque digitorum transversalium latas fascias, pro femore, quatuor pro crure, trium pro brachio, & unius pro digito, deligandis habent, quo simul hoc observetur, ut fascia aliquid de sana parte utrinque contegat, alias & labia vulneris diduceret, & dolorem inferret &c. Sintque etiam sat crassa & firma, ne sub operationibus forte rumpantur, nodus in illis mollis sit non magnus, ne molestia ægris creetur &c. Sit quoque ea ratione temperata deligatio, ut neque dolorem præter intentionem creet, neque universum sanguinem a sano membro reprimat, sed strictura ejusmodi fasciarum ad bonam laborantis tolerantiam fiat. Quare HIPPOCRATES *de Morb. Mulier. l. v. 32.* Ligaturis revulsionis gratia inductis lanam succidam, artificio utili jubet substerni, ut vinculum nimirum arcte quidem adstringat, verum dolor ex constrictione caveatur, iis præcipue quibus ad sanguinis fluxum, utuntur compescendum, vinculum sine dolore aptari debet. Conf. MARTIANVS *Nat. p. 278.* Applicantur frequentius ac ordinario ligaturæ siccæ, quandoque etiam pro casuum & circumstantiarum conditione, congrue madidæ aut etiam, quod sæpius laudatur, vaporibus inficiuntur, aut decoctis aut calidis aut frigidis convenientibus & liquoribus imbuuntur, manibusque rursus exprimuntur, sicque denuo applicantur. Quandoque una fascia deligationi sufficit, quandoque plures ut afferantur, expedit. Ordinario quidem & speciatim, si pro anasarca laborantibus corporis partibus, adhibentur, ab inferioribus ad superiora adiguntur, ut seri ad superiora refluxus juvetur, atque pro hoc aliisque scopis constringantur, iterumque relaxentur, sæpeque hæ motus species per vices repetantur. Contrario modo in ariduris partium procedere suadet HOLLERIVS *Lib. III. de Mater. Chir. Cap. I.* ut femur v. gr. marcescens ab inguine ad genu constringatur ligatura, ut major sanguinis quantitas adduci & pars nutriri possit.

Jungantur quoque si e re esse videatur, interna, & præmittantur universalia dicta quæ primas regiones ab impuritatibus liberant; reliquamque sanguinis dyscrasiam repurgant, ut laxantia, clysmata suppositoria, diuretica, atque ea quæ ordinarias excretiones omnes, in congruo successu conservant, alterantia, acrimoniam humorum corrigentia & acidum invertentia & præcipitantia, temperantia, diaphoretica temperata roborantia, nervina & analeptica resolventia, incidentia, antiscorbutica dicta, motum sanguinis & humorum justo auctum, refrenantia, atque utrumque sanguinis motum conservantia, noxia consolidationi spicula salina pungentia, educentia, consolidationem & calli generationem juvantia, ut decocta lignorum, corticum atque radicum, herbarum, seminum, satis jam nota atque descripta, nitrosa, cinnabarina, &c. habita nimirum læsionum & temperamentorum, subjectorum ratione. Externa quoque alia non negligantur, ut v. gr. in viciniam affecti loci balnea particularia fomenta cataplasmata, linimenta, atque vinosa, camphorata, crocata & similia afferenda atque applicanda. Nec non alia chirurgica auxilia, ut venæ sectio, ut nimirum molesta & suspecta sanguinis quantitas tempestive ventiletur scarificatio & cucurbitularum sine ea applicatio, efficaces frictiones, pro re nata omittantur, neque diætæ debitum regimen ubique negligatur, ut, affecta pars moderata eaque repetita commotione exerceatur & aëris liberioris, frigidioris, confœdati, impuri atque acris, accessio præcipue in vulneribus, quæ hinc in diversis regionibus, diverso modo curantur, arceatur, & victus & vivendi modus conducat &c.

§. XV. In deligationibus fractorum luxatorumque membrorum præsertim incauti chirurgi interdum peccare solent, quod fortius nimis ligaturas intendant atque constringant, diutiusque partes sic constrictas relinquant, ex quo sanguifera vasa & nervos præter modum coarctant, nihil sanguinis in partem affectam vel influere, neque illum, qui jam in parte illa influxit, effluere sinunt, aut liberam per partem circulationem prohibent insuperque debitam discussionem, roborationem, absterfionem mundificationem & consolidationem impediunt & confundunt atque sic non modo molestiæ inquietudines virium debilitas, imo animi deliquium, quod WILLISIUS vidit v. *Pharmac. Rat. Part. II. Sect. III. cap. II. p. 213.* dolores vix ferendi, calores, vigiliæ involuntariæ, motus imbecillitates, humorum affluxus & stagnatio, atque intumescentia, relaxatio, exulceratio, partis atrophia, sed etiam quandoque vasorum scissio, inflammatio (licet etiam filum, quo vasa læsa atque hiantia quandoque

doque loco ligaturæ circumjiciuntur fit cera obductum) corruptio & gangræna, ipse sphacelus, vel ad minimum horum periculum inducuntur, spiritibus animalibus aliorsum coactis. Talis observatio *in Epher. G. N. Cur. A. II. p. 347.* apud BLANCARTVM (ut multo plures non nominemus) *in Collect. Med. phys. P. I. obs. XLI. p. 519.* occurrit. PH. HOECHST. *Observ. Med. Dec. V. p. 623.* vinculum arctius constrictum febri continuæ tandemque morti in plethorico quodam ansam dedisse scribit. Moderatæ auxilium, immoderatæ necem afferre possunt. Hanc arctiorem constrictionem veteres jam, ut HIPPOCRAT. *Lib. de Fract.* GALENVS *Meth. Med. Lib. VI.* P. AEGINETA *Lib. VI.* aliique eorum plures detestati sunt. Hoc confirmat alibi GALENVS, qui Alexandriæ cum esset, narrat, non longe ab urbe rusticum quendam in manus digitorum uno ictum, ejus radicem ad palmam validissimo vinculo deligatam, totumque digitum (sine dubio inflammatum) post abscindendum; amico, medico præbuisse: Illum autem nihil tale tentasse, sed rusticum fasciis relaxatis sanum evasisse. Quando igitur de dolore quodam insigni, non tam in loco fracturæ, quam juxta illum, aut ardore sub fasciis sensibili & molesto, aut saltem pruritu notabili, patiens conqueritur, atque in membro læso aliæ notabiliores mutationes atque præternaturalis tumor maxime lividus præter modum durus & calidus, sique præsertim vesiculæ in illo apparent, ex templo deligatio solvatur, quoniam hæc indicia fortiorem nimis & arctiorem deligationem fuisse manifeste se produnt. Pars deinde affecta fovenda cum decocto rosarum modice calente & si simul adest dolor is mitigandus oleis convenientibus ut oleo rosarum mastichino chamom: & similibus monente L. MERCATO *Instit. de art. Ing. Cap. XV.* Cœterum ordinario magis in constringendo sensim progrediantur, ut primo quidem minimum postea magis constringant chirurgi, verum etiam postea laxior fiat deligatio, ut sanguinis & laudabilis materiæ, ex qua callus fieri solet, liberior concedatur ad partem affectam, affluxus. HIPPOCRAT. *Lib. II. de Morb. Mul.* ligaturis revulsionis gratia inductis, lanam succidam substerni commode, jubet, ut hoc vinculum arcte quidem adstringat, verum dolor nimius ex constrictione caveatur. Idem laudatissimus AVTOR inter alia optime præcipit *Lib. de Fract. Sect. VI. ut circa manus & pedis juncturam deligationes laxiores sint, & ut indies in fracturis aut læsionibus paulo firmius constringantur vincula, ac ad eas expresso fiat;* sic enim sanies ad extremam utramque membri affecti partem exprimitur. Item in ulceribus, apostematibus & fistulis observare e re erit, ut fasciæ versus orificium paululum la-

xiores circumducantur, versus fundum autem strictiores quodammodo sint, ut pus e cavitate sua melius exprimatur. Neque tamen deligationes laxiores justo sint, negligenter applicatæ, præcipue partibus mollioribus, ne copiosius humores irruant & in læsa parte cui sufficiens deficit tonus, molesta & suspecta intumescentia oriatur quod exinde apparet, si nullus plane incommodus sensus observatur; in quo timidi nimis chirurgi iterum peccant, qua de re aliud atque aliud exemplum notum habemus, quo effectus speratus vix succedit, imposita abscedere facile possunt, imo non raro ut in luxationibus atque fracturis ossa semel coaptata in suo loco non retinent, & coalescentiam impediunt, quandoque autem majorem humorum affluxum atque effluxum, ut in vulnerationibus præcipue magnopere verendum concitant, aut præbent occasionem. Medium igitur ii, qui & hic tenent, tutius procedent, atque bene observata insuper cujusvis partis textura & consistentia atque habito respectu ad partes valde sensiles, nervosas, tendinosas & copiosis vasculis refertas, curationem ex voto obtinebunt, simulque artificiosa & bene instituta deligatio artificem commendabit.

§. XVI. At vero aliud quoque in aliis casibus observandum; siquidem scire licet, deligationes per fascias & ligaturas fortes in vulnerum fracturarum & luxationum tractatione, incautos chirurgos non modo præter necessitatem sed & cum magno sæpe incommodo, imo summo periculo, repetere, quoniam non modo curationem, hac nimia assiduitate, impediunt, vulnerum labia ex parte coalita iterum deducunt atque disjungunt, ossa fracta aut luxata effringunt ac dimovent, sed & gravia symptomata, ut acerbiores dolores, hæmorrhagias imo quandoque convulsiones, concitant. Quid noxius esse potest quam aneurisma apertum sæpius manibus sic contrectare? quid insulsius hernias repositas ac deligatas sæpius justo solvere? Juxta hæc perspectum est, frequentem aëris externi admissionem notabiliter, sauciatis nocere. Quare consultius est, ut res ipsa & necessitas postulant, ut per plures dies, duos, tres, quandoque quatuor, imo non raro VI. VII. VIII. ejusmodi læsiones & præsertim inter eas quoque luxationes & fracturæ relinquantur, & neque inspiciantur, neque deligentur, aliaque ratione tractentur, nisi singularis quædam circumstantia & symptoma quoddam urgens aliud suadeat, si v. gr. pruritus partis intolerabilis vexat, aut si præsertim inflammatio & exulceratio magna eam occupat; attamen in vulneribus & ulceribus ut plurimum expedit, ut singulis diebus deligationes renoventur. PETR. BEYRUS *Lib. XXII. cap. IX.* vult ut ligaturæ fracturarum

omni

omni tertia die solvantur & aqua tepida fomententur donec locus rubeat & tumescat. In singulis, morbi tempora hic quoque discrimen quoddam injiciunt, sic convalescente ægro, per longum temporis spatium deligatio indissoluta sinenda est. Vix tamen cum iisdem negligentius & parum caute procedentibus nos facimus, qui deligationem per XV. & XX. dies non revident. Hyemali (ut ad propositum redeamus) præsertim tempore hoc, quod jam indicavimus, bene observandum est, quia frigidius aër partibus sic læsis admodum inimicus est. Aestuante vero æstate exceptionem quandam hæc regula patitur, cum calidus nimirum aër, qualis ardente præsertim Sirio existit, ulcera & vulnera putrida reddat & vermium generationem acceleret. Aeque in viris præcipue robustis diutius, in fœminis præsertim sensibilioris naturæ citius solvi possunt ligata. Totum pariter describere tempus, per quod fasciationes continuare congruum & necessarium erit, vix licet, quoniam id pro partium læsarum varia magnitudine aut pravitate, nec non, pro subjectorum illorumque ætate, humorumque indole, regionum & climatum, pro anni temporum diversitate, majori item ac minori ligamentorum v. gr. tensione, luxatione veteri & recenti variant, secundum quæ accidentia enim articulorum quasi robur, modo celerius, modo tardius, in integrum restituitur. Attamen intra XXX. XL. L. dies ut plurimum fractæ partis v. gr. sanatio perficitur, ex quo deligatio demenda venit omnis, explorato a chirurgo dextre callo genito eoque integro, patienteque de euphoria & motu membri libero & non impedito sibi constante. HIPPOCRATES ossa cubiti XXX. diebus coalescere scripsit. Insuper etiam consideret, ne laborantibus præter necessitatem molestus videatur, an in levioribus casibus, sola manus repositio, luxatæ partis perficere possit, an instrumentis in gravioribus læsionibus utendum sit. Cœterum quanta in fasciis & ligamentis parandis, in vulnerum deligationibus aliisque læsionibus juvandis & restituendis, diligentia & circumspectio adhibenda, & quanti hæc facienda sint, multis monumentis, duo isti magni Medicinæ statores HIPPOCRATES atque GALENVS tradiderunt. vid. *Libr. de Offic. Med. & lb. & Libr. de Fasciis.*

§. XVII. Lora & cingula coriacea præsertim adhibentur, ut constringatur & coarctetur abdomen & ejus viscera. Hæc pariter ac fasciæ parturientibus sæpius applicantur, ut partus facilitetur, neque sine ratione: nam presso constrictoque sic abdomine uterus per consequens premitur, & hoc compresso, fœtus jam exitum quærens urgetur, ut fa-

 cilius

cilius citiusque ex hoc ergastulo facilitetur exitus. Circa horum vero electionem nullum discrimen cum vulgo, etiamsi TH. BARTHOLINO *Cap III. Hist. 87. & in Anatom. reform. Lib. I. cap. II. p. 15.* atque VNZERO *Lib. de Nephrit. p. 141.* narrantibus superstitiose, inter lora ex corio humano (quædam etiam vetulæ hic sexus disparitatis rationem diligentissime habent) aut ex corio cervi in ipso coitu transfossi, quod tamen ut singulare aliquid commendat JOEL *in Prax. Lib. VIII. cap. V.* interque ea ex vitulino confecta faciendum. Sic & JOH. LIBAVLTIVS ex PETRI HISPANI *Synops. Remed. paratu facilium Cap. XXI. p. 100.* contra epilepsiam cingulum de corio lupi gestatum, valere, refert. In amputatione membrorum sphacelatorum administratione & ad felicem successum obtinendum & quidem in præparatione ejusdem pro tractu valido & æquabili partis abscindendæ cum ligaturis lora quoque necessaria sunt. De loro urinario ad materiam chirurgicam quoque pertinente palmi longitudine e corio rubro turcico tenuissime secto atque humectato deinde circumvoluto tabellulaque imposita rotundo facto, quod P. CASTELLVS adhibuit, videantur cui volupe est, *Notæ* RHODII *ad Scrib. Num. CLXXX. p. 267.* Aliud quidem lorum apud veteres occurrit, quodque ipsis frequentissimi usus fuit, vomitorium dictum, ad pharmacevtica remedia pertinens, de quo idem l. c. videndus; fuit autem corrigia a coriariis nautea herba, sub qua bryoniam albam plurimi intelligunt, tractata, quæ in os demissa tetro sapore, vomitum ciebat. Sed hoc lorum non est hujus loci, neque alicui hodie arrideret, licet etiam illud multis nominibus collaudet ROLFING in *Consil. Med. p. 276.*

§. XIIX. Laquei, funes sive funiculi, & fila eaque multiplicata complicataque atque habenæ chirurgorum ex lino, lana, stupa, cannabe, serico contortæ & modo crassiores & robustiores, modo tenuiores habentur, ac subinde trochlea quadam ad connivendum & ad adstringendum instructi, prout intentio chirurgi, eosdem requirit. In veteri ævo, laquei usitatissimi erant, magnaque eorum copia erat parata, & quibus varia imposita erant nomina. Sic apud veteres Scriptores laquei textorii, nautici, pastorales, herculei, lupi, sandalini, epangyloti, hyperbati, simplices, duplices inveniuntur, hodie vero paucioribus possunt esse contenti. Horum usus & injiciendi ratio varia quoque est, siquidem hæc illaqueatio, deligationis vicem, non raro explet. Præsertim autem in gravioribus operationibus v. gr. in herniarum sectione, ad peritonæi constrictionem, in arteriotomia & varicum sectione, ad arterias arcte vinciendas, in cataractæ depositione, in amputatione

mem-

membrorum sphacelatorum, fistulæ spiritalis incisione, strumarum exstirpatione, trepanatione, mammarum cancrosarum ablatione, aut calculi ex vesica urinaria sectione, iis opus habent chirurgi, ut tam partes amputandas, quam patientium corpus, in scamno, aut mensa, aut lectulo & situ debito convenienter collocatum atque affixum firmatumque durante operatione, melius & certius, contineri possit, ne chirurgus in ipsa operatione turbetur & impediatur, atque a recto tramite inter secandum facile declinet. Dein adferuntur habenæ & laquei linteis aut fasciis circumpositis ad fracta atque luxata quædam membra, robustiora inprimis, quandoque extendenda, quæ extensio retrorsum in diversa distrahitur, (ubi nimirum & præsertim musculi ossi luxato implantati hoc versus suum principium retrahunt,) semper nimirum rectam lineam atque musculorum tractum observando. Observetur etiam & consideretur patientis ætas & subjectorum plus minusve robustorum constitutio, luxatio aut etiam fractura recens vel inveterata, ossium & musculorum qualitas & adhuc magis quantitas, ratione cujus extensio major aut minor esse debet, ossium majorum aut minorum, utpote majore aut minore musculorum robore, pollentium, ratione. Insuper luxatæ partes extendantur antequam inflammatio, febris &c. accidant, remollitæ prius humidis & modice calidis, adipe humano anserino oleo chamomel. simil. aut fotæ decocto sem. lini, radicis altheæ, fol. malvæ &c. Extendatur quoque membrum aliquanto longius, ne omnia in reducendo se invicem tangant, atque repositionem impediant. Indicium sufficientis extensionis factæ habetur, si luxatum os suo acetabulo e diametro opponatur, ac si membrum sic extensum aliquantum longius sano videatur, atque si inter extrema, quædam fovea, in luxationis loco, nulla amplius inæqualitas, appareat. Quandoque etiam ad luxata quædam reponenda & suo loco continenda adhibentur. In fracturis eo usque etiam extensio peragatur, donec fossula quædam inter ossium fractorum extremitates appareat, ac eas aliquantisper ab invicem distare videatur: talis enim extensio efficiet atque avertet, ne postea in earum coaptatione forte se tangant, & quædam ab iisdem eminentiæ atterentur. Locum quoque inveniunt applicati, in artuum amputatione, ne sanguis copiosius in operatione perdatur, nec non ad fasciationes & ferulas in fracturis &c. retinendas adhibentur. Porro laqueis & funiculis ex serico & cannabino filo vel pilis equinis, pro ratione exstirpandorum confectis, firmiter constringuntur, unguentis & fomentis emollientibus simul adhibitis, constrictæque sic relinquuntur, tumores nonnulli præter-

ternaturales, excrescentiæ pendulæ, nec non dolentes, ut & firmiter affixæ, & strumæ quæ radicem habent tenuiorem verrucæ extantes polypi e cavitatibus prominentes, cornua, quorum unum dimidii pedis longitudine pollicisque crassitie exstirpasse CABROLIVS refert *Observ. Anat. II.* qua constrictione singulis diebus sensimque arctius ligando atque radices magis constringendo (quidam funiculos, arsenico adhuc inficiunt) nimirum his tuberculis nutrimentum aufertur atque inducitur tabes, ut marcescant ac tandem decidant. Hæ ligaturæ sectioni strumarum & scrophularum &c. præferendæ sunt; quia magis tutæ. Præter propriam cuivis experientiam glandulæ lachrymalis acrochordon intra triduum sic curatum a WEDELIO vid. *Disp. de Verrucis p. 24.* & a FABRICIO HILD. vid. *Cent. VI. Obs. 79.* aliudque hoc genus apud CHALMETVM vid. *Ench. Chir. cap. XIII. p. 70.* & *Ephem. I. N. Curios. D. I. An. II. p. 381* eodem modo sublatum leges. Referatur hic similis propemodum has excrescentias evellendi modus a GALENO *Lib. XIV. M. M. cap. XVII. t. 13. 14. 15.* indicatus, qui fit per pennam galli veteris, vel aquilæ potius, cujus circulo circumposito, undiqueque ex cute, stricto invertendo & deorsum impellendo &c. ut pluribus ibi legi potest. Pari modo, tumores cystici & tunicati, quales sunt: ateroma, meliceris, steatoma, post concisionem tunicæ, funiculo constringuntur & denuo extrahuntur. Non solum vetulæ, sed experientissimi medici, strumas, filo sanguine muris bene imbuto, duplici vel triplici, circuitu collo alligato, ut cutem undique stricte tangat, curatas unice asserunt, qualis assertio etiam legitur in *Actis Phys. Med. Acad. Nat. Curios. Vol. II. p. 450. seq. Observ. XXIX.* sequentibus conceptis verbis: *Serio asseveravit vir gravis, strumas quascunque a partu difficili etiam ortas, solis tantum hæreditariis exceptis, certissime tolli posse, si filum triplicatum collo recens mortui maris, in mare, fœminæ in fœmina, circumligetur & per nycthemerum illinc relinquatur; dein autem strumosi collo circumdetur & per horas XXIV. ibi gestatum eadem qua applicatum hora desumatur, denuoque mortui collo applicetur & cum illo sepeliatur.* Rursum laquei loco ligamentorum ex panno confectorum injiciuntur, & ligaturæ iisdem formantur, in artuum extremis, revulsionis causa, ut nimirum sanguis, ex naribus, utero, hæmorrhoidalibus vasis &c. copiosius effluens versus extrema repellatur. Singularem modum funiculorum applicandi, Nobili cuidam, suadet P. FORESTVS in *Obs. & Cur. Med. Lib. XVI. Obs. XVII. p. 584.* pro pollutione, nocturna pertinaci curanda, ut refertur apud LEONELLVM, scilicet: Cubitum ituro præcepit funiculum sive chordulam ad collum ligaret, sinatque eam ad collum

lum virgæ deſcendere, cumque ea virgam quoque non multum ſtringendo ligaret, ut quando in ſomno membrum erigeretur, propter ligaturam funiculo factam, dolorem virgæ incurreret & ſic excitaretur, ut ſemen in ſomno non rejiceret teſtaturque, quod hoc medio feliciter curatus fuerit. Qui plura de laqueis his legere vult, adeat ORIBASIVM hac de re agentem.

§. XIX. Illi quoque funiculi huc trahantur, qui pro excitando ſetaceo, a chirurgis afferuntur. Quondam hujus operationis inſtrumentum, a ſetis equinis, unde etiam nomen derivatur, inter ſe certa crasſitie, artificioſe complicatis, petebant. Deinde laneum aut lineum filum cera traductum ſubſtituebant; quoniam vero obſervabant in poſtero ævo, hunc majorem dolorem ſæpiusque inflammationem concitare, ſericum ſaltem filum admittebant, qui mollius cutem cum ſubjacentibus partibus tangit ac afficit: Confectum ſic ſetaceum per cutem partis eamque craſſam & duplicatam, & quæ a ſubjectis partibus carnoſis elevari, attractione moderata poteſt, priusque oleo quodam, ut eo melius tranſeat, minoremque dolorem excitet, ſuppuratioque ſubſequutura juvetur, acu ancipiti per manum chirurgi trajicitur & collo aut alio loco circumplicatur, & quotidie & etiam bis dimovetur, & levi attritu trahitur, ut nempe per hoc ulcuſculum artificioſum materia morbifica inprimis ſeroſa, ſive in capite, oculis, naribus, aliisque vicinis locis collecta, ſituque peccans, atque moleſtiam his partibus nobilioribus creans, ſive a toto corpore per fluxionem, quod ajunt, promota evacuetur. Hodie ut plurimum atque conſultius per transverſum quandoque ſecundum longitudinem obſervato nimirum fibrarum ductu, ut cum recta ibi ferantur, evacuatio hinc promtior ſuccedat, ſetaceum infligunt. Alii per modum obliquum, ſecundum GLANDORPIVM vid. Ejus *Gazophyl. Polyp. Cap. XX. p. 13.* procedunt. Partes corporis viventis animalis cutaneæ, quæ huic operationi ſubjici ſolent, variæ ſunt; Frequentiſſime autem apud nos ſetacea excitantur in occipite & nucha, pro pertinaci atque rebelli capitis dolore, hemicrania, apoplexia & epilepſia, mania avertenda & curanda, hydrocephalo, catarrhis gravioribus, vertigine &c. curandis, ſurditate emendanda &c. Omnium frequentius affectibus oculorum contumacioribus & gravioribus ſuadentur, in ophthalmia, lippitudine, viſus imbecillitate, ipſa ſuffuſione & cataracta, guttaque ſerena, imo ſtrabiſmo ex nimia & præternaturali humiditate lentoreque ac copia humorum, de quo ZACVTVS LVS. *Prax. Admir. Lib. I. Obſ. 61. p. 15.* exemplum habet. In ulcere narium maligno

 juve-

juvenis quidam Lipſienſis PRAESIDIS ſuaſu, ex ſetaceo nuchæ applicato, auxilium haud comtemnendum reportavit. In furore uterino atque cutaneis affectibus vitiligine, impetigine & pſora tineaque, egregio auxilio, ſetacea fuiſſe, aliunde idem perſpexit. At apud Autores aliis quoque locis atque pro aliis affectibus curandis, inflicta ſetacea, nec ſine ſubſequente effectu invenies: ita in affectibus gravioribus capitis, in commiſſura coronali, cauteria & ſetacea potius, plurimi ſuadent. Auriculæ lobum cum euphoria ſic fuiſſe transfixum, legitur apud SCVLTETVM in *Arm. Chir. Tab. XXXIV. p. 41.* & ap. GVID. de CAVLIACO *Tr. VII. Doct. I. cap. III. fol. 119.* ſub mento, pro curanda gutta roſacea aliisque faciei vitiis, idem invenies. Cognovit PRAESES in Helvetia eximium Medicinæ Practicum, pariter ac artis chirurgicæ peritiſſimum, qui pro pectoris vitiis, præſertim aſtmate, orthopnœa, tuſſi, inveterata imo ipſa phthiſi, ut & ventriculi hepatisque morbis, in regione harum partium, pectoris, nimirum, hepatis & ventriculi ſetacea applicabat, omnique laude commendabat. Pariter LVD. MERCATVS *Lib. I. de Morb. intern. Cap. XVII. & Lib. II. de Morb. Mul. Cap. IV.* in melancholia hypochondriaca, in lienis hepatisque regione, ſetaceum applicatum laudat, quem in hac operatione imitatur MATTH. MARTINI *Tr. de Affect. Hypoch.* Sub alis & inguine inciſum pro peſte & venerea lue curanda commendat SEVERINVS *Pyrotechn. Chir. Lib. II. P. I. c. 46.* A. SPIGELIVS, ut teſtatur GLANDORPIVS l. c. ſcetaceum pro ſanando malo iſchiatico pertinaciſſimo, uſu comprobavit. Pro hydrope ac aquoſa hernia curanda, ſcrotum hoc juvaminum genere & operatione exulceravit modo adductus, GVIDO de CAVLIACO *l. c.* Vel alii umbilicum quoque ſic transjiciunt. Ex obſervationibus & exemplis affectuum modo indicatis haud obſcure ſtatim colligitur, ſetacea derivandi avertendi & revellendi, attrahendi alliciendique intercipiendi & ſenſim evacuandi indicationes explere, majoremque & præſentiorem præ fonticulis, cauteriis, veſicatoriis opem præſtare.

§. XX. Aliqualem etiam locum in hoc cenſu hinc inveniunt ferulæ, ad deligationis partes pertinentes, quæ ex corticibus arborum & aſſerulis tenuioribus lævigatis aut membrana, ſive corio indurato aut charta multiplicata, denſa ac craſſa & conglutinata, vel etiam, ex ferri albi plumbique lamellis parantur, & totum, ambiendo ac complectendo, ut plurimum membrum, compedum aut manicarum pedicarumque ad inſtar ſive una ſive plures applicantur, faſciisque & laqueis firmantur, ut membra, brachia, &c. imprimis fracta atque luxata ſuis apicibus juncta, aut exten-

extenſa, repoſita & deligata, bene compoſita & quieta, ac inconcuſſa maneant, aut in decenti figura conſerventur, atque articulationes ſtabilientur firmenturve: Faſciæ enim ac ligaturæ ad oſſa fracta præſertim, ut & luxata in loco debito retinenda non ſufficiunt atque nimis ſunt debiles. Parantur etiam longitudine, latitudine diverſæ, diverſaque figura, recta aut curva, pro locorum quibus applicari debent, conditione. Ne vero ob duritiem & inflexibilitatem ſuam læſo membro moleſtiam pariant, ſplenia ſunt ſubſternenda, ſimulque obſervando, ut hæc unius circiter digiti transverſi ſpacio, ab invicem ſint remota, & ſecundum membri longitudinem imponantur, quæ deinceps tenui & molli quadam faſcia mediante, retinentur, illæ autem vel ſolæ vel emplaſtro quodam glutinatorio intus obducta, his apte congruant & aliquot vinculis bene alligantur. Illæ non pondere moleſtæ ſint, earumque talis compreſſio faſciis rite impediatur, ſint quoque læves æquales & planæ & craſſiſſimæ qua parte fracturam tegunt, non ad oſſa in articulis naturaliter prominentia, imponantur &c. Cautionis quoque ulterioris cauſa addamus, quod JOB. a MECKERN *Obſer. Chir. Cap. LXVIII. p. 467.* exemplo quodam declarat, a ferulis nimium brevibus os fractum, nullo plane interveniente callo, coaleſcere iterum potuiſſe. Addimus quod HIPPOC. vid. *Lib. de Fract.* GALENVS vid. *M. Med. Lib. VI.* P. AEGINETA *Lib. VI. cap. C.* aliique veterum monuerunt, ne fractis membris ferulæ ante ſeptimum aut undecimum diem applicentur, quoniam eo tempore humorum affluxus, dolor, inflammatio atque ejusmodi ſymptomata alia ſunt vehementiora, namque magnis tumoribus, ulceribus, inflammationibus & doloribus ferulas & omnes adſtrictiones non adhibendas eſſe, provide hortatur HOLLERIVS *de Mat. Chir. Lib. III. cap. I.* Aſt ſi modo debita requiſita adſint, nihil obſtat, quo minus interpoſitis nimirum ſpleniis, applicentur. Circumſpectionem cœterum & obſervanda circa easdem primum & magna cum cura, indicavit HIPPOCRAT. *Lib. de Offic. Med. text. 9.* Hic occaſio ſe offert indicandi, a practicis admodum laudari, in ſpaſmis artuum, brachiorum, pedum, manuum, cortices dulc-amari, membris affectis circum vinctos. Aliqua forte etiam mentio facienda eſſet, ſi ulterius evagari volupe eſſet, ocrearum fibulatarum, quæ pedibus rhachitide laborantium adaptantur, quales a PARAEO, SCVLTETO, VERDVCCIO aliisque deſcribuntur.

§. XXI. Denique his inſtrumentis iisque compoſitis etiam accenſeri poſſunt ab artificibus conſtructa bracheria & ſubligacula pro her-

 niis,

niis, ubi nimirum inteſtina & epiploon ad inguen aut ſcrotum prolabuntur, & prolapſu uteri, ut & ani, juvandis, firmandis & detinendis prolapſis & deſcenſis partibus. Harum variæ habentur figuræ & conficiuntur, aut ex ferro & chalybe aut etiam ex cingulis loriceis cum ſemiglobulis ligneis. Horum figuræ & icones poſſunt variæ apud SCVLTETVM in *Arm. Chir.* videri, ut & apud NICOL de QVIN *de Hern.* RORNHVYSEN, apud FABR. HILD. item, PARAEVM aliosque Autores. Commoda ſatis & uſitata ſunt illa ſubligacula, quæ apud DOLAEVM in *Encyclop. Chir. Lib. VI. cap. II.* inveniuntur. Similia confecit quondam mechanicus ille Lugdunenſis notiſſimus & probatiſſimus JOH. MVSCHENBROECK, a quo etiam & curioſum illud ad incontinentiam urinæ alias immedicabilem, feliciter adhibendum bracherium; & quod NVCKIVS *in Exper. Chir.* deſcribit, confectum haberi potuit. Hujus quoque genus quoddam a cive quodam Francofurtenſi paratum habetur, & a celeberrimo VALENTINI collaudatum. vid. *Ej. Diſſ. de Nova her-cura*, & in *Chirurg.* D. JVNCKENII *p. 188.* delineatum &c. Supponimus iterum, ut ante horum cingulorum applicationem, locis affectis, traumatica & convenientia cerata, emplaſtra, unguenta, balſama, olea & ſimilia v. gr. ceratum ex pice navali cum emplaſtro diaſulph. Rulandi, aut ſimile ex gummatibus, emplaſtrum de pelle arietis, unguentum Comitiſſæ, balſamus ſulphuris, terebint. & hypericat. oleum ovorum lavend. mirabile a ZWELFERO adeo laudatum in *Pharmac. Reg. p. 216.* ad promovendam conſolidationem adhibeantur; nec interna negligantur, ut decocta vulneraria, atque ea remedia, quæ ſpecifica dicuntur, ut herniaria, perfoliata, gallæ folliculique foliorum ulmi, ut & confectæ eſſentiæ, tincturæ & extracta, ſpiritus ſalis. &c.

§. XXII. Ob aliqualem ſimilitudinem huc etiam referamus alia ejusmodi inſtrumenta compoſita, quæque non adeo æque omnibus nota ſunt, attamen in aliqualem uſum ſubinde a noſtris quoque chirurgis ducta: Talia ſunt torcular, ad conſtringenda vaſa ſanguinea, in amputandis membris proficuum, cujus mentionem facit A MVYS *Prax. Chir. Rat. D. V. p. 62.* quamque deſcripſit atque delineavit NVCCKIVS *in Exp. & Operat. Chir. p. 99.* & *Fig. IX.* Nimirum per hujus applicationem id efficitur, ut non tantum ipſa diſſectorum vaſorum oſtia doloroſa, ſed & truncos remotiores ſub cute carneque latitantes, conſtringant. Quanquam fatendum eſt, vix hoc remedium totam, quam intendunt chirurgi,

gi, absolvi curam; attamen interea ad supprimendum sanguinis laudabilis præternaturalem effluxum sufficere potest, usque dum artifex alia, quæ sibi elegit, remedia afferre & ex voto applicare possit. Secundo hic loco nominandum aliud instrumentum, torques dictum, quod itidem NVCKIVS *l. c. p. 86. Fig. VI.* exhibet, atque depingit, ad collum incurvatum juvandum, quando e. gr. musculi caput flectentes speciatim mastoides musculus relaxatus aut convulsione aut paralysi vitiatus, ab antagonista retrahitur, atque extenditur & contractione sua caput versus alterum latus sic contorquetur & contrahitur ut collum incurvatum experiatur patiens, quod atque caput pristino iterum statui, per hoc instrumentum restituendum, satagunt, artifices. Ex hoc enim instrumento non neglectis linimentis illitis convenientibus emollientibus & fibras nimium tensas relaxantibus v. gr. oleo violarum, lumbricorum vulpin. axungia humana, unguent. alth. ol. chamomillæ anethi. ol. amygdal. dulc. singulis diebus ter quaterque ad quadrantis circiter horæ spatium patiens suspenditur, quo juvaminis genere tamdiu continuatur, donec capite colloque erecto, incedere iterum patiens possit. Mediantibus fasciis latis similem quoque artificialem corporis suspensionem parant, pro rhachitide affectis, quod instrumentum pendulum ita formant, ut pectus sub axillis complectatur, caputque sub mento, alia fascia circumdetur, manusque binis ansis excipiat, quo ita corpus sustentatur, usque dum in decentem restituatur formam, cujusque optatum effectum vidit IOH. DOLAEVS vid. *Lib. VI. de Morb. Infant. Cap. XIII. de Rhachit. Angl. p. 446.* Postremo tandem addamus historiam, quam ex FABRITIO IOH. de BEVERWYK *im Schatz der Ungesundheit p. 516.* recenset de adolescente quodam, qui ex nimis frequenti sternutatione cœcus factus, ex usu purgantium vero & applicatione cucurbitularum atque præcipue cinguli ferrei, quo collum constringebatur, sanitati restitutus fuit.





XVIII.
DISSERTATIO MEDICA
DE
SOLVENDO BONO CORPORIS HABITV
SECVNDVM
HIPPOCRATEM APHOR. III. LIB. I.
ET
A. C. CELSVM MED. LIB. II. CAP. II.

B. C. D.

PROOEMIVM.

ITa res humanæ ſunt comparatæ, levibus deciduis foliis ſimiles, parum conſtantes, ſpecie tamen ſua fucum ſæpe faciunt & incautos fruſtrantur ac decipiunt, vanisque imaginibus deludunt. Sors incerta atque volubilis vagatur ac errat, variat mutatque vices, nil præterquam incertum fluxumque elargitur & poſſidentibus interdum bona ſua eripit, prorſusque omnia commoda aufert, partitos æqualiter ordines quosvis perturbat, ſummum quandoque in imum vertit, atque quando felicitatis obvenit magnitudo ac cumulus, de ſtabilitate mox eſt verendum atque ſine fato nulla ſors eſt. Imponit certe nobis nimia felicitas, qua tandem corrumpimur & blandiente nimis fortuna occœcamur ac impedimur, ne ea media arripiamus, per quæ his commodis quæ fortuna largitur bene uti poſſimus; rurſus ſe a nobis avertit, quando negligimus oblata ejusdem dona rite collocare, tandemque attollimur in faſtigia, donec per abrupta tracti præcipitamur: quare felici nihil magis arduum, quam finem felicitati & terminum ponere, imo adverſis rebus corrigi, quam regulam Scythæ quondam Alexandro Magno propoſuerunt, dicentes: Fortunam reverenter habe. Plerumque florentiſſima, auguſtiſſima Regna tunc cecidere quando in ſummum faſtigium felicitatis evecta ſunt atque Reſpublicæ, cum per longum temporis ſpatium quietæ ſunt, vix multum diuque optata pace frui poſſunt, quin

quin negligantur dissolvanturque leges, langueat justitia, civium excrescant dissoluti mores, libido Imperantium dominetur tandemque nascantur seditiones, tumultus ipsaque aperta bella, quæ totas, cladibus, ruinis, incendiis conturbant, corrumpunt, evertunt atque consumunt. Pelagus, nunquam non movetur, nunquam est tranquillum, si etiam cum vel ipsa malacia perniciosa est, vel tempestas horrenda instat, quam prænuntiat ipsa tranquillitas. Quanto major homo & altiori in loco positus, tanto difficilius illam in præcipiti stantem gloriosam fortunam custodire valet. Quæ emicant ante tempus omniumque superant spem & vota, elegantissima & excelsa ingenia, haud solent esse diuturna, indicio, citius in illis lympham & totam massam sanguineam purificari & partes spirituosas, in varios labores impendi ac dissipari, ut postea reliquæ partes fluidæ crassiores & ad motum minus dispositæ evadant ac quasi in vappam degenerent. Deflorescunt priusquam ad maturitatem perveniant, tanto citius, quanto acriora atque nobiliora fuerint. Ad hoc, si etiam, in ea persistant, summus ARISTOTELES scripsit: *Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit.* Universa natura sibi relicta ubique effati illius Philosophi, ne quid nimis, perpetim observantissima, tam in macrocosmo, quam microcosmo, amat medium, modumque tenere, ac certos fines respicere, nullumque facile extremorum, sive in excessu sive in defectu, admittit, quod etiam ubique, qui tenent atque observant sedulo, beati multis modis ac rationibus jure meritoque censentur. Hoc certe ad omnia & omnes pertinet, ut non recondita quadam ratione cernitur. Sic fortitudini non permittitur, nimis audere, nea nimio ausu, in temeritatem, degeneret. Ipsæ *Sacræ Litteræ* hortantur ac præcipiunt, *Eccles. VI. Noli esse justus multum; neque plus sapias quam necesse est.* Ergone multa justitia eximiaque sapientia prohibetur? nimietas & excessus vetatur. Quare & perbene quondam HIPPOCRATES, optimus rerum in tota Medicina gerendarum Magister, perspiciens in summa bona corporis valetudine, a rebus maxime prosperis ac jucundis metuendam adversam esse, *Sect. II. Aph. 51.* dixit: *omne nimium naturæ est inimicum*, cujus rationem addidit aliam GALENVS *in Comment. ad h. l.* quoniam destruit symmetriam, (in qua tamen conservanda totius medicinæ ratio ac cardo ponitur) atque moderationem dissoluitque animalis concinnam compagem. Apprime & eleganter in hanc rem nostrumque propositum gravissimus sapientum M. AN. SENECA *Epist. XXXVI.* scribit: *Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere, alias in aliud irritat: hos in patientiam, alios in luxuriam,*

hos

hos inflat, illos mollit, & totos resolvit. Iccirco alibi conquestus his verbis: *Nihil felicitati meæ deest, nisi moderatio ejus.* Nec aliud nec minori elegantia innuit VELLEIUS PATERCULUS *Hist. Lib. I. cap. XVII.* sequentibus: *Natura quod summo studio petitum est adscendit in summum, difficilisque in perfecto mora est, naturaliter quod procedere non potest, recedit.* Non inelegans dictum illud PLINII *Hist. Nat.* hic quoque invenit locum: *Perniciosissimum in omni quidem vita, quod nimium, præcipue tamen corpori, minuique quod gravat quolibet modo utilius. Omnibus in rebus grave molestum est, quod immodicum est. Quid luce jucundius? Quid radio solis acceptius, attamen ubi supra modum sese oculis obtulerit gravis molestaque occurrit.* Lubet enim in præsenti, penes humanum corpus occurrens quoddam nimium ceu naturæ inimicum adeoque ubi evexia, ad summum bonitatis apicem, devenerit perpetuandæ, illi, minus conveniens, percensere, simulque ad monitum Prudentum, esse tempore pacis, de bello cogitandum, præcavere ne graviori lapsu, in præceps periculum & interitum ruat servanda studiose sanitas integra totusque homo, diu salvus ac sospes permaneat modumque exponere atque media ac remedia indicare quibus hoc fine potiri commode possimus. Quem conatum Deus T. O. M. in sui Sanctissimi Nominis Gloriam & proximi commodum benignissime velit dirigere, est, quod humillime precamur.

§. I. VAria sunt Medicorum officia, variaque ideo illis sunt capienda consilia, variæque intentiones ac scopi formandi, & in ipsum actum deducendi, qui artis salutaris ope feliciter remorari cupiunt ingruentia mortalium fata; siquidem non solum morbos jam factos variis remediis adhibitis curent ac abigant, sed & provideant ante ac prospiciant, ut præcaveant eos atque avertant, ac homines sanos sospitesque conservent. Tum providi Medici, quos ratio ducit agentes, omnia accurata mentis indagine ordinant, disponunt, prospiciunt, avertunt, moderantur, naturam morborum medicatricem sedulo scrutantur ubique manus commodant illi atque servant servanda, quæ utilia sunt, quæ vero nocent adeoque abigenda, tollunt atque interdum necesse habent, salutis hominum causa, exuberantem ac ad apparentiam perfectissimum, felicissimum eorum statum alterare, quam alterationem instituendam non levissimum unum ex officiis Medici sanitatis humanæ curatoris GALENUS dixit *in Operibus Tit. VI. Lib. IV. Text. 15.* HIPPOCRATES jam idem indicavit, quando *Lib. I. de flatibus Cap. VI.* præfatus est: *Medicina est additio eorum quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ excedunt, qui istud*

optime facit, is optimus Medicus existimandus est, quique plurimum est ab eo præstando, is plurimum in arte medica deficere censetur. Imo cum multi morborum salutares, atque morborum quoque remedia sint, quandoque ipsos morbos, febres, variolas, scabiem, podagram, diarrhoeas, imo dysenterias, febres &c. eundem in finem inducere, congruum esse, non pauci censent, modo de felici & exoptato successu (nec sine sontica causa) conquerentes, quare inter desiderata practica hanc rem reponunt, licet SENECA vere dixerit: abominandum remedii genus esse, sanitatem debere morbo. Idem (HIPPOCRATES) præcipit *Lib. II. Epid.* quando prudentis medici esse asserit, aliquando febres accendere, paralysin aliosque frigidos dictos affectus, & convulsiones &c. sanantes. *II Aph. 26. & IV. Aph. 57.* Conf. & GALENVS *in Comment. Aphor.* qui & alibi tabem artificialem inducere præcipit cui A. C. CELSVS adstipulatus, quando sic ratiocinatur: *Circumspecti est hominis & novare interdum & augere morbum & febres accendere, quia curationem ubi id, quod est non recipit, potest recipere id quod futurum est.* Quos duces secuti inprimis sunt CARDANVS, I. D. MAIOR *de Febre Artificiali* JOH. H. SLEVOGT *in Prolus. Inaug. de Natura morbor. per morb. curatrice*, MOEBIVS *in Disputat. de Natura & usu Clyster. Salubr.* quoque FR. BACO BARO DE VERVLAM. *Hist. Vitæ & Mort. p. 522.* Hoc quoque remediorum genus cum nostro præsenti argumento apte quadrat: Certe plenum corporis habitum cum viscerum mole, febres, inflammationes &c. admodum extenuare atque minuere assolent. Olim quidem Medici sedulo ac commode prospiciebant, ne homines in morbos laberentur & diaeteticam hinc eundem maxime in finem tractabant; hodie vero communia ac quotidiana fere eorum officia, in curatione morborum saltem consistunt, prophylactice propemodum negligitur, de moderando exuberante corporum habitu paucissimi cogitant, cum tamen omnino de eo cogitare cogitataque apto consentaneoque modo perficere deberent; satis autem intelligentes sciunt, multifaria mala sæpe ex optimo ad apparentiam hominum corporis statu pronasci, quare secundum salutifera veterum monita ad eum solvendum extenuandumque mature præsidia instruunt planeque adornant.

§. II. Equidem non nemini paradoxum importunumque aut ænigmati simile dictum fortassis nos proponere videatur, de nihilo notabiliter & raro conquerentes ac qua faciem humorum laudabilium intus latentium sanguinisque vitæ thesauri copiosi & quoad consistentiam boni, naturæ robur præstantis copiam, monstrantem, qua totum corpus singulaque

membra illaque componentes partes validas, carnem, tendines ossa, torosum & habitius corpus sustentantia, vasa, tam arteriosa quam venosa, ipsosque nervos optime constitutos habentes, imo armosos, robustos; eos qui bene appetunt, bene ingerunt bene digerunt & bene egerunt, bene quoque nutriuntur atque augentur, nativa pinguedine & pulpositate emicante; statum humidi & calidi, alibili, edocente, eos qui animo contento atque tranquillo, ac hilari, jucundisque moribus (qui secundum Galenum temperamenta sequuntur) gaudere videntur, atque adeo eos qui minuta etiam ac recondita sanitatis indicia monstrant, ut dentes plures eosdemque firmos, ungues digitorum lineasque volarum rubidas, hypochondriorum conditiones illas tres ut sunt, secundum GALENVM *de Hemor. C. X.* indolentia, mollities, æqualitas &c. verbo eos, sanitatem omnibus numeris absolutam (ut quidem videtur) sistentes, inquam, ægrescere, aut lubrico, ancipiti, ac fallaci adeoque verendo gradu atque fastigio esse collocatos sicque ex bonis tanquam causis malos effectus produci. Ast extra dubitationis aleam positum esse omnino ducendum est: bonum ejusmodi corporis habitum, illum non perfecte quidem sanum atque valentem quali, secundum HERODOTVM Aegyptios præditos fuerunt, quos sanissimos esse scripsit, veluti ad Polycleti regulam atque statuam efformatum, vix reperibilem cum nulla perfecta detur sanitas atque nunquam nos aliter quam morbose sani simus (siquidem inter innummeros homines vix duo reperiuntur, qui eandem plane corporis constitutionem habent; sed alii aliis actiones suas perfectius edunt) sed diversa speciatim plenitudine superfluum atque pene prægravatum aliquid monstri alere, seu in infantibus seu in adultis occurrat atque valde lubricum, instabilem, suspectum esse mali morbidique speciem præcipuique periculi plenam induere: est enim improportionatus, humoribus, vasis spiritibus adeoque illud idem, quod est vitæ fundamentum mox ejus destructivum evadit. Ratio enim sanitatis in proportione consistit, sicuti omne nimium in vitio ponitur: omnia vero mediocria utilia sunt & in suo modo perfecta. Miratur hoc SENECA quando in *Hercule furente* ita scribit: *Improvisa est adeo vis lethi ut magnam admirationem pariat, quomodo esse possit quod corpus aliquod recte se habens ad omnes vitæ functiones brevissimo tempore funditus corruat.* Latet certe anguis in herba, neque iidem ita statim sani sospitesque & optimæ valetudinis sunt, qui tales videntur. Præsto sunt sæpissime semina ac principia morborum facile dein a causa procatarctica excitanda; adsunt ad turbationem mixtionis in sanguine dispositiones, non nisi excitamentum leve

ex-

exſpectantes. Et pomum ſuave rubet quod intra vermem alit, & corpus animale ſæpe præ ſe fert in facie florem conſtantem, nihilominus putrilago conſumtis pulmonibus, vel alia labes, obſeſſis viſceribus, aut ſcorbutus, latitant. De duobus inteſtinis potiſſimum nobiſcum natis vitæ noſtræ hoſtibus, calore nativo ut veteres loquuntur, & ſanguine res agitur, cujus principia mixtionem conſtituentia, nullo firmo nexu gaudent, ſed facile a ſe invicem decedunt atque in quo morborum ſemina latent, a quo indeque periclitatur homo intus & extra, adeo ut mirum videatur, quod hæc maſſa, ex adeo variis multis partibus conflata & in qua tam multi & diverſi motus peraguntur, per paucos ſaltem dies ſuperſtes eſſe poſſit, idque eo magis, quod mille accidentia dentur, eaque interdum leviſſima, quæ hanc artificioſiſſimam compagem deſtruere atque omnes motus de repente, inhibere valeant. Hincque pro vero accipimus, in ſtudio ſanitatis hoc quidem intuitu, etiam modum eſſe habendum: etenim & facile morbifica cauſa ſupervenit quæ ſanitatem extremam extreme lædit. Monet hoc optime acutiſſimus AVR. COR. CELSVS *Lib. II. cap. II.* hortatur ac ſuadet ſequentibus verbis: *Ante adverſam valetudinem quædam notæ oriuntur, quarum omnium commune eſt, aliter ſe corpus habere atque conſuevit, neque in pejus tantum ſed etiam in melius. Ergo ſi plenior aliquis & coloratior factus eſt, ſua bona magis ſuſpecta habere debet, quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur.* Quod haud dubie ab ipſo HIPPOCRATE hauſit, qui *Aphoriſmo III. Lib. I.* hoc literis mandatum reliquit; *Habitus exercitatorum & bene habita Athletarum valetudo ſeu evexia ad ſummum diſtenſionis usque progreſſa, ubi ad bonitatis & plenitudinis extremum pervenerit periculoſa & lubrica, quia natura atque etiam optimum non poteſt in eodem ſtatu permanere neque otioſa quieſcere & proficere: Quandoquidem vero non quieſcit neque jam poteſt in melius progredi reliquum eſt ut in deterius labatur, his igitur de cauſis pleniorem illius corporis habitum haud cunctanter laxare atque ſolvere expedit, quo corpus alterius nutricationis ceu convenientis, moderatæ adeoque melioris initium ſumat.* In alio quoque loco, *in Epiſt.* hæc leguntur: *Quemadmodum optimus corporis habitus affectionum periculum denunciat, ſic magnus rerum ſucceſſus lubricus eſt.* Nec aliter ſentiunt ac ſcribunt AVICENNA *Fen. VII. Tract. IV. Cap. V.* & GALENVS *Lib. III. de Differ. Morbor. Cap. IX.* & *Lib. de bono habit.* FERNELIVS *Lib. I. de Morb. Cauſis p. 139.* PLINIVS *Lib. XXI. cap. I.* ſic ſcribit: *Quæ ſpectatiſſime florent celerrime marceſcunt.* quibus TSCHIRNHAVSENIVM accenſemus *in Med. Corp.* Hac de re quoque ſcripſit graphice

REIESIVS *Camp. Elys. Quæst. juc. qu. 78. No. 6. 9. & Quæst. 88. No. 1. 2.* Nimirum secundum veterum sententiam, nativus calor in pleno tali homine quasi suffocatur, pulsu ac impulsu solidarum partium decrescente, quemadmodum flamma lucernæ a multo oleo opprimitur & extinguitur, atque non secus ac ædificia interdum mole propria ruinam proxime minantur, quando in summum fastigium evecta, molem suam splendentem atque superbam diutius sustinere, non possunt. Sic per longam in mari malaciam annona corrumpitur corporaque navigantium languore dejiciuntur atque amplissima Regna vastaque corpora non diu pacata consistere possunt, nam quando ab externis injuriis libera sunt, bellum intestinum in ipsis concitant eoque majori atque graviori lapsu corruunt: Apprime in hanc rem TACITVS *Hist.* 2. scripsit: Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est, atque *An. I.* de Tiberio I. R. refert, quod sæpius hanc dictionem pronunciaverit: Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus; tanto se magis in lubrico constitutum experietur. Belle hinc SENECA dixit *Cap. XIV.* de vita beata: *mole, quod laborat sua esse non potest bonum*, & alibi, *quicquid ad summum pervenit, ad exitum properat.* Ignis quo clarior fulsit eo citius extinguitur, & iterum ita fato placuit nullius rei eodem semper loco stare fortunam, vel ut QVINCTILIANVS expressit:

In se magna ruunt lætis tunc numina rebus
Crescendi posuere modum.

Similem in modum æque egregie loquitur PLVTARCHVS *V. Compos. p. 682. multi certe sibi bono habito esse corpore videntur seque ipsos melius quam exspectavissent advectos vident ac calamitatem suam pro bona valetudine ducunt ignorantes ejusmodi constitutionem apparentem esse dolosam.* De cujus specie dici queat illud SOPHOCLIS: *Pulchritudo speciosa sed improba & vitiis quasi purulenta.* Hanc ipsam rem accurate quoque tetigit LIVIVS, dicens: *Prævalida quidem corpora ab externis causis tuta videri: suis tamen ipsi viribus onerari.* Huc quoque trahendum, quod habet Q. CVRTIVS R. *Hist. Alex. M. Lib. VIII.* Inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est, rursus *Lib. X. cap. I. Res secundæ valent commutare naturam & raro quisquam erga bona sua satis cautus est.* De talibus robustis & sanis valet quoque illud JOBI *Cap. XXI. v. 23. Hic moritur in robore perfectionis suæ.* Videmus passim juniores homines præmature ad nimium corporis robur & augmentum pervenientes, facile & cito etiam vita privari. Quid? quod Natura in singulis suis Regnis id monere superfluumque

umque demere videatur. Sic v. gr. annuatim videmus: vites rorem superfluum ſtillare, ut ad alia non longius excurramus.

§ III. Etenim plethora eaque moderata ſeu ſanguinis boni abundantia ſed absque omni violentiori motu in venis contenta, equidem ex ſe nunquam eſt morbus, ideo Helmontius credidit eam male inter morbos recenſeri; ſed plethoricus homo dicitur, non qui jam ægrotat, ſed qui in tali ſtatu plenitudinis eſt conſtitutus, ut ſi ulterius augeatur & plus juſto exagitetur humorum copia, a ſuperveniente quadam cauſa ex rerum non naturalium maxime vitio, eaque interdum exiguo ut calore aëris, pathematibus animi validioribus &c. plus rareſcant atque in orgaſmum deducantur humores, functiones lædantur; adeoque talis plethoricus homo poteſt quidem eſſe ſanus, ſed in magno ſanitatis & vitæ diſcrimine atque periculo poſitus atque ſumma hæc ſanitas in periculoſiſſimos morbos poteſt mutari. Ubi enim ſuperfluitas ibi damnum, ubi vero congrua, humorum, ibi morbus locum, non invenit; cum ratio ſanitatis in proportione conſiſtat. Nam, ut explicatius hac de re loquamur, tunc modo manet perfectiſſimum æquilibrium, ſanitatis firmiſſime ſtabilimentum, quando quotidie tantum reſtituitur corpori quantum erat deperditum, ut Sanctorius demonſtravit quod tunc perfectiſſime valeret homo quando quotidie poſt integras ſingulas digeſtiones & excretiones ad ſolitum pondus rediret; Verum, homines juſta & neceſſaria ſæpe ſæpius declinant & in ſuperflua vetita, periculoſa & noxia cœco impetu ruunt. Exinde magna ſuccorum ex bono chylo copia etiam temperatiſſimorum atque optimorum (ſique magis vel minus prave diſpoſiti illi ſint, ſive tenues ſimulac craſſi, qui maxime plethoram efficiunt, mitiores etiam ſive acriores) vaſa ſenſim ſenſimque laxa facile cedentia dilatantur atque nimis complentur, infarciuntur. Quibus, preſſione illorum in minima vaſcula ac fibras atque muſculorum interſtitia appenſosque propaginibus arteriarum extremis ſacculos membranaceos in cuneatis, urgentibus a tergo venientibus undis, a præcedentibus tamen retropulſis quaſi & retardatis, ſimulque denuo rarefactis (quæ rarefactio in actum deducit plethoram velut cauſam prædiſponentem) ambitus corporis paulatim intumeſcit præter modum atque extenditur, ut nullum amplius augmentum admittat, qua extenſione per conſequens pori premuntur atque coarctantur ſicque tranſpiratio excernendorum ſufflaminatur. Dein, quo crasſiores ſunt homines & quo magis nutriuntur & augentur, eo videtur ſanguinis actio & reactio remisſior eoque chyli in ſanguinem transmutatio tardior indeque alimenti chyloſi major

 abun-

abundantia: hinc phlegmatici & sanguinei crassiores & corpulentiores fere existunt; illi tamen magis, quam hi. Qui sanguinis pleonasmus qui summæ sanitatis effectus est, humanam naturam, (quæ ex solidorum constitutione & influentibus operationum animalium integritatem præstantibus, æstimatur quæque eam describunt) reddit oppressam, (sive alterutro eorum sive ambobus deficientibus, aut conturbatis minusque recte constitutis,) dum fibras motrices cordis & vasorum sanguiferorum musculorumque undique omnes, admodum vi quaqua versum nitentis in latera sanguinis, distendit: Sanguis enim, qui in contractione fibrarum carnearum tanquam causa, sine qua non, peragi potest, considerandus, eas quidem blande tangere tendereque atque solicitare; sed non præter modum distendere debet. His dein distentis, aliæ vicinæ partes etiam nervi, arterias ubique comitantes &c. premuntur; siquidem ipsi quoque spiritus animales eo confluxi a majori sanguinis ejusmodi resistentia, nimium dilatari possunt tandemque opprimi qua dilatatione solida æque comprimuntur, liquidaque alia expanduntur atque exagitantur. Sicque ille, illorum elaterem, vigorem atque robur, tonum ac systolen sua resistentia, qua debitum æquilibrium & symmetriam, concinnam illam harmoniam & quidem temperiei, organisationis & unitatis (contra morbus est ametria) in rebus naturalibus ubique observandum, quod totam sanitatem & vitam conservat, tollit, debilitat, impedit atque dejicit, quo enim major potentia virium est in impellente, & minor in resistente, eo celerior fit motus; ubi vero major mobilis resistentia est, eo plus virium moventi detrahitur & tardior fit impulsus. Itaque sicut major molis quantitas majorem gignit resistentiam, ita major sanguinis quantitas activitati cordis atque arteriarum elateri plus quam minor resistit. Quoniam sic vires hoc onere obruuntur omnis plethora sive is corporis status, in quo multum laudabilis chyli & sanguinis conficitur, simulque horum attenuatio, consumtio & perspiratio impediuntur, (ad vasa hoc intuitu simul etiam est ad vires); nimirum ut ex dictis patet, non possunt nimis distendi vasa, quin & nimia sit sanguinis quantitas, nunquam vires obruit quin nimia sit, tumque etiam nimis vasa distendit & plethora est ad vasa. Est denique certus quidam plenitudinis gradus, ultra quem illæsa qualitate sanguinis augeri nequeat quantitas. Hi omnes motores minus deinceps idonei sunt debite se contrahendi, expedite prompteque liquores vitales per universos corporis canales movendi propellendique, adeoque nimium distentæ venæ ægre sese contrahere possunt, & sanguinem ulterius urgere, unde sanguis tandem

dem ſtagnat atque in concretionem abit, eoque magis; a ſtagnante autem ſic ſanguine, æque diſtenſio & fibrarum nervearum preſſio unde vehementes ſpaſmi, per quos pariter vaſa comprimuntur, ut libero ſanguinis circuitu præpedito, illo impetuoſe ad alias partes urgeatur, unde vaſorum nimiæ diſtenſiones & apertiones fiunt. Porro horum vero impedito motu (nam is tantummodo ſanguis, qui circulatur vitæ & ſanitatis fons eſt) inutilium foraſque ejiciendarum partium ſecretio & excretio tardior redditur, quæ retentæ ſub mora magis magisque corrumpuntur. Hincque decreſcente ſanguinis atque humorum impulſu, conveniens & apta tenuitas ac fluiditas lentore mox hinc accedente quoque decreſcit, quo craſſiores ſpiſſioresque humores facti hincque facile concreſcentes (eaque magis quo fortior & robuſtior homo eſt) per minora vaſcula ægerrime hinc tranſeuntes, viſcerum meatus, qui ubique patentes ſint neceſſe eſt, obſtruuntur comprimunturque, unde clauſis emunctoriorum tubulis impurum, in ſanguine æque detinetur. Atque minore ſolidorum impulſu ſanguis ut in tenuiſſimas partes non diſcerpitur, ita & in excrementitias pituitoſas, ſeroſas nempe & ſalino-ſulphureas minus ac par eſt, per calorem reſoluitur ſed potius ingens ſanguinis & humorum in vaſculoſo ſyſtemate magis magisque accumulatio fit, quo qualitas quoque vitiata atque cacochymia quævis preſſo inſequitur pede: ſanguinem enim nunquam ſola qualitate, ſine omni abundantiæ concurſu, peccare videtur, ſiquidem obeſi tales obſtaſin & torporem humorum ſub ſpecie craſſitudinis ſæpiſſime condunt cachexiam, hydropem, malum hypochondriacum, adeoque ſuſpecta debent habere ſua bona. Qua de re ſic HIPPOCRATES loquitur: *Sanguis cum abundat valetudinem vitiat, quia bilis acida & amara & pituita imo ſanies naſcitur.* Adjiciamus hanc cenſuram huc facientem a GREGOR. HORSTIO *Cent. Problem. medic. Dec. IX. Quæſt. V p.* 277. prolatam: *Quo formoſior eſt corporis conſtitutio, eo citius excrementitiæ ſuperfluidates colliguntur, propterea quod* (teſte MERCATO *Lib. II. de Morb. Mul. Cap. VI.*) *in temperatioribus partibus laudabilius requiratur alimentum, unde per accidens cruditatum copia colligitur, relictis videlicet ſanguinis portionibus impuris, quas deformiores in alimentum quoque commutare queunt.* Per hunc ſtatum ſanguinis & ſeri magis oleoſum hancque ſuccorum abundantiam, lentorem ac corruptionem denique inductam, ſtimulo ſuo ſtricturas noxias varias inferentes hancque fibrarum vaſorumque omnium extenſionem reſiſtentia gravatorum vi contrahendi prærepta ac renitente ſanguine per plenum & fartum humoribus imperviumque corpus ægrius adhuc propulſo,

ſo, adeoque naturæ oneri certo tandem nocituro, collato, tenerorum carotidum præſertim & vaſorum pulmonalium meatus obſtruuntur, ipſaque aggeſtione & tardiori hinc promotione tenduntur, vellicantur, tandemque rumpuntur, etiamſi circulatorius motus in aliis vaſis non augeatur, vel poſito hoc, inflammationes aliaque mala acuta inſurgunt. Quapropter Natura divina illa morborum medicatrix, providiſſimo conſilio ſanguinem quantitate peccantem cum ſaluberrimo ſucceſſu atque eventu, per varias vias, ſæpiſſime excludit eoque talia verenda utiliſſime avertit. Sique hi præcipites caſus non contingant, tamen obſervatione conſtat, quod plethorici raro ſenium attingant, ſed in conſiſtenti ætate adhuc conſtituti, (ſi debita remedia non, præſertim venæ ſectiones mature adhibeant,) aut hydrope aut hectica præcipue pereunt. Quibus conſideratis fit palam nimiam ſuccorum abundantiam quoniam nimirum iidem non poſſunt commode in circulo ſuo moveri atque a natura regi & ſubigi præ omnibus aliis (ſi venena & animi pathemata exceperis) perniciem interitumque corpori minari adeoque hoc intuitu hic ſtatus non poteſt eſſe optimus, qui eſt periculoſus. Quid? quod ipſorum ſpirituum quoque animalium maxime activorum, qui motum ſenſumque atque actiones tantum non omnes ſanas ac integras edunt præſtantque (& maxime ideo neceſſarii, utiles ac laudabiles ſunt, adeo ut dubitandum eſſet, an illi augeri præter naturam poſſent, quoniam eo aptiores nos ad actiones noſtras obeundas redderent) copiam minus compoſitam unionem non adeo intimam durationi corporum, obeſſe videatur; quoniam tunc fit illorum inæqualis, inordinatus & ſubſultorius & per conſequens diſſolvens atque deſtruens motus, atterunt ii & inter ſe ipſos atteruntur, quod manifeſte v. gr. in gonorrhœa, a ſemine copioſo atque ſpirituoſo nimis, & convulſionibus, ubi inſigni impetu influunt ſpiritus parteſque admodum corrumpunt ac lædunt, videmus; inæqualitas enim eſt diſſolutionis mater: Hinc ſpirituum refrenationem atque compoſitionem ne deprædatorii, ut Autores hanc rem, exprimunt, evadant, facere ad longævitatem, ignis exemplo declarat, & edocet Illuſtris Baro BACO DE VERULAM. *in Hiſt. Vitæ & Mortis p. 566.* Hanc quoque rationem alii allegant quod hypochondriaci & melancholici, quia nimirum ſpiritus animales in iis magis quaſi ſunt ligati, vitam ſuam moleſtam ac miſeram, longe diuque protrahant. Amplius dicendum eſt, quod varia accidentia per externas pariter ac internas occaſiones nocumentum & perniciem facilius poſſint addere v. gr. graves animi affectus tantum non propemodum omnes præſertim ira, metus, anxietates, ſolli-

citudines

citudines & terror atque adeo effusum gaudium ac repentino cum risu longius durante corpora quæ plurimum sanguinis alunt sicuti facile ac extemplo adoriri; ita & facile conturbare imo subito corruere solent, quoniam is accumulatur & vi quadam & impetu ad quædam corporis loca propulsus, vasorum membranarumque rupturas, easque utplurimum funestas, aut ad minimum stases profundas ex facili producit. Quantum commodum itaque iis exinde redit, qui occasiones & objecta vitant quæ suscitant ac movent hos intus nidificantes affectus, in effusionem pronos. Sic transpirationis cohibitiones repentinæ atque refrigerationes etiam acre mordaxque frigus pariter ac calor exagitans plethoricis inimicissimus est. Sed & alia adhuc referantur, de quibus ulterior cogitatio subit: Hic plethoricus status multo plures certe quam alius, ægritudinum ac mortis casus habet, atque morbis variis concipiendis, non modo pronior est, sed & eos periculosiores atque graviores, impetuosiores laboriosioresque, acutas præcipue febres, ut & hecticas inflammationes, variolas nec non commotiones convulsivas torminosas, singultuosas, deliras, hæmorrhagias & similes reddit, difficilioremque efficit curationem, sic impedimento injecto evacuationeque salutari forte aliqua frustrata. Tuncque turbantur omnium citissime & gravissime in motu, gradu, vigore, constantia, promptitudine agendi atque fatiscunt celeriter & enormiter vires. Hoc confirmat Aeginetta *Lib. I. de Remed. Cap. XXXII.* his verbis: *Pessimum est in morbis ventrem repletis, at ventris repletio quandoque sursum evacuat id quod redundat quandoque deorsum.* Sique præpostere forte medicamenta adhibita fuerint, ut calidiora exagitantia, repellentia, constringentia, figentia, opiata, stupefacientia &c. noxam inductam augent. In ipsis morbis hi patientes impatientes maxime sunt increduli, immorigeri, contumaces, nullum regimen servantes, in momento convalescere volunt, singula medicamenta præscripta, quia non sunt ad eorum palatum respuunt monitaque salutaria susque deque habent, medicis æque ac adstantibus imponunt &c. Sic facilius tales homines in morbos incidunt, gravius ægrotant, ægrius tristiusque curantur. Accedit, quod homines morbis non adsueti firmi vigentesque quales hi ipsi sunt, citius e vivis turbato quasi mortalitatis ordine, eripiantur. Quandoque semel in fonticum maxime acutum quendam morbum (ut febres ardentes &c.) incidunt vel diu cum eodem conflictantur neque ita prompte restituuntur, cura æquivoca, incerta, inconstante alienaque parumque notabili successu conspicua obtingente, ac ii qui morbis subinde sunt adsuefacti adeo ut sæpe mirum videatur, quod homines,

qui ab ineunte fere ætate teneriores ac ſenſibiliores (cum ſenſibilitas gravitatem vitiorum ſive ab intra ſive ab extra corpori inſultantium augeat) imbecilles atque morbidi fuerunt & de vita ſua diu protrahenda maxime dubitabant, licet ad plenam ſanitatem non redeant, tamen ad magnam ſenectutem perveniant præ illis, qui firmo corpore integraque ſemper valetudine gaudent ad ſpem diu vivendi atque vegeti, vel Neſtoris ætatem ſuperandi ſe excitant atque adeo vehementiſſimos ſæpe morbos qui eos adgrediuntur, facilius ferant itemque facile feliciterque ſuperent citiusque convaleſcant, ut fortunatis alioquin adverſa omnium ſenſibiliſſima ſunt vixque ferenda: Conſuetudo enim adſcititia natura atque peſſimus etiam tyrannus, ut alibi, etiam ægrotandi attendenda venit, utpote quæ non tantum in pejus ſed in melius mutatio, non prorſus periculo vacat, quoniam natura nondum ejusmodi, exercitamenta habuit, talem extraordinarium effectum producendi ac quidem hæ circumſtantiæ requirunt. Conſueta enim omnia magis ſunt ſimilia adeoque facilius feruntur & aguntur quam inconſuetæ. Quo magis vero inſueta quælibet, eo læſiones ab eorum uſu præſentiores. Sic toleratio dolorum ex calculo, podagra &c. per aſſuetudinem eos reddit leviores, plerique morbi chronici, tuſſes, phthiſes quædam paralyſeos ſpecies, lunatici, in principio maxime periculoſi exiſtunt, tractu denuo temporis facilius ſuperantur. Sic Ioh. de Beverwick advertit *in der Steinprufung p. 83.* quod ii qui ſæpe calculos excernunt demum ſine ullo aut exiguo dolore afficiantur. Sicuti & tribulationes non adſuetis animum adeo conturbant ut difficillime iterum componi placarique queat. Eſt hæc occulta adhuc atque in uſum nondum translata quædam curandi ratio, ex aſſuetudine nimirum rei per ſe noxiæ petita, ut patet maxime in iis quibus venena familiaria reddita ſunt, ut Mithridati R. & Turcis opium, ac puellæ illi apud Galenum *Lib. III. de nat. ſimpl.* napellus, ut & ex parte in curatione morborum quorundam per adverſa admodum remedia nauſeoſa alias male olentia difficillime ferenda, ut paſſionis hyſtericæ, epilepſiæ, peſtis, hæmorrhagiæ &c. per aſam fœtidam, fumum ſulphuris, pennarum accenſarum, ſtercora animalium & ſimilia fœtida applicata. Hoc inde ſeorſim inferendum etiam quod quando morbi epidemici & contagioſi, ipſa peſtis &c. regnant quibus hoc corporis habitu gaudentes valde obnoxii ſunt (ex eo potiſſimum quoniam talis ſanguis in corruptionem putredinemque pronus eſt & inſenſibilis tranſpiratio aliæque utiles & neceſſariæ ſecretiones & excretiones læſæ ac impeditæ,) graviorem atque periculoſiorem noxam eorum

rum ſuccis concepta miasmata inferant. Verum enim vero & hoc animadvertendum eſt, quod tales levatis aut ſuperatis potioribus periculis atque dein convaleſcentes facile iterum & vires corporis æque ac animum recipiant. Id ſilentio denuo dimittendum non eſt, quod, uti & in aliis ſecundis rebus, homines effrenati ſibique præſidentes eſſe ſolent, parum proſpicientes, rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunæ; ita & quidam bonitate naturæ ac valetudine ſua optima, nimis fulti atque confiſi ita vivant, immemores humanæ ſortis, ac ſtolide incerta pro certis habentes, falſa pro veris, quaſi nunquam morituri ſint, aut ad minimum, hodiernum hominum vitæ longæ terminum, qui eſt ſecundum Helmontium centum & viginti annorum, feliciter pervenire poſſint: exemplis longævorum, Pollionis, Romuli, Argauthonii, Maſiniſſæ, Gorgiæ Siculi, Perpennæ, Marci Corvini, Metelli, Johannis de Temporibus &c. nimis freti, ſicque nec morbos nec mortem nec Deum ipſum quicquam in ipſos poſſe, arbitrentur. Quo vitio atque negligentia bona ſua inæſtimabilia non æſtimant parumque caute agunt, variosque errores committunt, memores forte, quod graviſſimi etiam errores alicubi impune ſæpe ferantur, quibus periculum incurrunt ſpeque ſua atque fiducia fruſtrata uno atque inexſpectato caſu ſæpe viam præcludentibus fatis. Tam male humani generis theſauros condunt ſtolidi quos utilem in modum ſtudioſe collocare debent. De his valet hoc: quod mors oriatur ex abſtinentia animæ a curis corporis ſui, & quod ipſi in ſuum exitium inſurgant ſuoque fiant vitio miſeriores, ac ſi non ſatis eos natura miſeros feciſſet; ſiquidem & plurimi hominum, corpore ſuo, abutentes ſua culpa ſe perdunt. In hæc prolata ulterius apte quadrat SENECAE eloquium: *Non accepimus brevem vitam, ſed facimus, nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus.* Hi ſane denuo vere, intelligunt ſua bona, quando ea amiſerunt. Horum quidam hæ fiducia, quam de ſe ipſis conceperunt, nimis elati, totam artem ſalutarem medicam laude digniſſimam ea propter exſibilant vilipenduntque ſibique certiſſime perſuadent, quod ob hoc naturæ beneficium, medicina quadam neutiquam indigeant; ſique medicum admittere cogantur, eorum tamen legibus ſe ſuperiores credunt, horum proin præceptis ſe ſubtrahunt & naturæ vim inferunt. Quinimo quidam eorum animo tam elato ſe oſtendant, ut cum ægrotent graviter, tamen pudeat medicum accerſere, quod ignavum ac forti viro pudendum exiſtiment ægrotare: agunt ergo ut volunt; patiuntur ut nolunt & moriuntur ut debent, ut cum B. Bohnio loquar. Aſt himetipſi tandem certiſſimo ſuo damno hunc ſupinum errorem accuſare

cusare habent necesse atque carendo discunt quam cara sint bona. Alii e contrario longævitatis cupidissimi & tria hæc in omni morbo gravia, metum mortis, ipsa morte graviorem, dolorem corporis & intermissionem voluptatum perhorrescentes, nimis meticulosi atque solliciti, quales utplurimum phlegmatici sunt & melancholici, qui, quæ metuenda minime sunt, faciunt esse horrifica, ad conservandam felicem suam conditionem infinita medicamentorum cupiditate trahuntur atque præter ordinarias curas sic dictas vernales, autumnales per aliquot menses usque sæpe protractas, singulis hebdomadibus, pillulas polychrestas, purgantes, singulis diebus singulisque eorum partibus, mane in jentaculo, circa meridiem in prandio, circa vesperam, somni tempore singulisque interdum horis pharmaca confortantia, panaceas, elixiria vitæ, cordialia, visceralia, ex auro etiam argento atque lapidibus pretiosis petita devorant, præsertim si ægrotare sibi saltem imaginantur, aut etiam alias de hoc vel illo morbo conquerentes aut vident aut modo audiunt. Quæ vero evexiam adeo non stabiliunt, ut quoque dejiciant. In hanc rem alibi dictum est:

Ense cadunt multi, plures medicamine stulti;

vel dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Hi certe rationem, causas modumque generationis sanitatis, quidque vita sit atque unde & quomodo vivamus & quomodo ea conservanda, ignorant, perpetuum faciunt negotium naturæ, eam instaurando labefactant, atque nimia hac corporis sui cura, naturæ ordinem temere turbant, eoque morbos invitos blandis irritamentis ultro invitant: Etenim sanitatis perpetuatio a rebus non naturalibus medicis dictis, aëre cibo & potu, somno & vigiliis, motu & quiete, pathematibus animi, vestitu &c. potissimum tanquam causis dependet. Verum ut in secunda valetudine morbos futuros avertere tentant, adversæ præsidia consumunt, & dum valetudinem variis auxiliis sustentare volunt, sibi morbos excitant, eoque violento modo violentam velut mortem sibi inferunt. De his dici potest, quod ad mortem perveniant, quia crediderunt, quod ad eam jam pervenissent: Hinc tot v. gr. ex assumtis diureticis fortioribus, orti calculi tot ex assumtis crebrius sudoriferis hecticæ, tot ex calidis stomachicis, scirrhi, hydropes &c. Sciant hi, quod in regimine sanitatis non competat aliquid medicinale non nisi forsan ad præservandum vix vero ad conservandum: nam sicuti de proprietate cibi est conservare ita de medicinæ est alterare. Hac alteratione etiam sæpe alia ex parte lædere possunt: nam præter hoc quod pharmaca quæ internecioni aliqua ex parte resistere queant,

ant; vel pauciſſima ſint & adhuc quoque incerta eaque propemodum omnia noſtro corpori quodammodo adverſantur, quoniam iis utimur utplurimum ut corpus a ſtatu præternaturali ad naturalem reducamus: ſiquidem & nulla eorum adeo apte ac proportionate præparare artifices poſſunt, quæ ad nobiliſſimum, ut ajunt, vitæ balſamum atque ſanguinem præcipue humoresque ſingulos coæquant: Quando itaque ea ſi aut præpoſtere, non juſto tempore aut diutius aut ſæpius exhibentur ex ſalutaribus cauſis tandem morbificæ fieri ſolent & ſuas alienas nimirum a corporis natura qualitates imprimunt, ita ut profeciſſent quandoque, ſi nunquam exhibita fuiſſent. Ita ſane cum medicaminibus ſicuti rebus non naturalibus, ut & aliis fere omnibus comparatum eſt, ut commodum pariter ac noxam afferant; non tam per ſe, quam vitio potius utentium, qui res quasque optimas ſæpius in perniciem convertunt. Ad hoc nemo exacte noſcere poteſt, quonam in ſtatu corpus tum ſe habeat, quando medicamina veniunt propinanda atque quando operari incipiunt: Is enim cujuslibet individui etiam ſani, omni fere tempore inſigniter mutatur, tum ratione particularum, quæ vi ſanguinis iterum iterumque commoti, in tranſpiratione exhalant, quam earum, quæ ex alimentis atque aëre diverſis in locum illarum iterum ſuccedunt, quin & ſolidarum partium diſpoſitio ſubinde atque ſæpius talem immutationem experiuntur. Quam plena ſint erroris & incertitudinis, ea medicamina, quæ tales, de ſua ſanitate conſervanda, nimis ſolliciti, affatim ingerunt, curatius æſtimantibus, conſtat: Libemus inter ea ſaltem ſtomachica, dicta, quæ ante omnia iidem promiſcue in quotidianum uſum trahunt, perſuaſi, ac ſi omnes morbi, ex ventriculo proficiſcerentur: Verum enim vero, digeſtio nunc a ventriculi & inteſtinorum motu, nunc a viis per quas menſtruum ventriculi adfertur, nunc a mucilagine ventriculi, vel ſaliva, nunc a ſola ciborum qualitate &c. potiſſimum pendet. Quantum idcirco, & quomodo menſtruum digeſtivum in ſtatu ſecundum naturam conſiſtat, aut ab eo recedat, num per alias peregrinas particulas admixtas, an per propriarum differentiam; quo medio cauſæ, vias illas vel anguſtantes vel dilatantes, aliave ratione eas turbantes ac pervertentes; atque ſpecialis depravatio ſalivæ ſe habeant, quomodo & in qua recrementa, alimenta menſtruo inadæquata degenerent; adeoque quomodo appropriata remedia exploranda ſint digeſtionem juvantia aut reſtituentia; ea omnia aliave, inquam bene cognita eſſe hac in re omnino neceſſe eſt. Quo indicio modo ſe prodit, quid a vulgaribus ſic dictis ſtomachicis ſibi promittere poſſint. Si & ejus-

modi homines in fonticum morbum incidant, remedia concinne licet adhibita, nihil efficiunt, quia natura iisdem eft adfueta, quare ferme perpetuo remediis opus habere, imo in dies ea augere videntur, qui perpetuo & indefinenter iis utuntur, quæ etiam tunc non raro obfunt. Certe hi licentiofe nimis medicinæ imperant, medicina vero non amplius morbo. Idem dicendum, de diæta, quam ad numerum compofitum, ftrictiorem (ut fummum jus facile in fummam injuriam tranfit) fcrupulofius aut potius fuperftitiofe obfervant, contra CELSI monitum *Lib. I. c. I. Sanus homo & qui bene valet & fuæ fpontis eft, nullis obligare fe legibus debet*, quoniam accurate & rigorofe motus determinantes, tantum abeft ut ideo fani fint magis, ut magis fæpe numero valetudinarii qui & ab erroribus aliis facile lædentur. Minus enim cavemus ei m maxime cavemus. De his certe valet illud vulgare proverbium: mifere illos vivere, qui medice vivunt. Si denuo hi, qui adeo folliciti funt & fcrupulofi, paulo graviores morborum infultus patiantur, adeo evadunt meticulofi, ut poftea etiam ad novas ægritudines eo promtiores reddantur. Metus & dubitatio Naturæ legibus inevitabilibus contraria majus propemodum malum & periculofius fæpe, quam ipfe morbus. Felices iccirco terque quaterque felices, quibus in corpore etiam infirmo & morbido animus placatus & integer ineft, præ aliis, quibus in corpore vegeto & fano animus infirmus maleque moratus. Ex his jam aliisque in fequentibus forte fuperaddendis, perfpicitur varia accidentia communibus quafi adiutoriis, in corruptionem internecionemque ejusmodi habitus confpirare. Adeoque cum vino effe comparandum fanguinem, propemodum exiftimandum eft: quo id dulcius, mitius, oleo & fpiritu plenius & ad ebullitionem atque ad effervefcentiam pronius, palatoque gratius atque acceptius, eo difficilius confervandum, atque minus durabile corruptionique pejori atque majori, acefcentiæ effe fubjectum. Quare in transcurfu quafi monendo, WILLISIVS non vana quidem prorfus ratione autumat, in tuenda & recuperanda hominum fanitate & Medici & Oenopolæ parile propemodum effe officium: fanguinem reliquosque humores perinde ac vina in æquali temperie æqualique fermentationis motu fervare, fic nimiam e vafis aliquam partem deplere atque fervorem attemperantibus demulcere, acidum invertere, v. *Tract. de Ferment.* Unde & apte ANTIPHANES protulit:

Est nostra vino vita quam simillima:
Acescit, & cum reliqua prava portio.

Conf. & JOH. SOPHR. KOZACK. *Tr. de Hæmorrh. Lib. II. cap. I. p. 365.* Etenim ambo pari modo moventur: recens vinum prius limpidum, mox crassescit, & quæ prius in eo continebantur, occulta, ex se separat, vel per orificium vasis superius expulsa, vel ad fundum præcipitata factoque sic secessu, in partes plane differentes tenuibusque effluviis sine fœtore ingrato exhalantibus atque liquoris sub finem residui diaphaneitate & tenuitate procuratis. Ex his prolatis simul jam innotescit, habitus diversos corporis magnas habere opportunitates vel difficultates curandi.

§. IV. Juxta vasorum ab exuperante sanguine & humoribus plenitudinem carnea enormis compages, caliditatem & humiditatem sanguinisque multitudinem ac membrorum interiorum & exteriorum ostendens bonitatem, utpote quæ in subjectis ejusmodi multum bonumque sanguinem, (tam quoad consistentiam quam motum) alentibus ac turgidulis pansisque facile concipitur atque luxuriat, & propter compactam nimis ac solidam musculorum substantiam, multo insuper sanguine infarctam motui se exerendo, impedimentum injicit. Quippe fibris carneis corrugare se nitentibus vix ullum in laterales partes concedendi spatium datur, unde spiritus animales ægre influunt, atque functiones quas præstare debent, summa cum difficultate perficiunt omnes, inter quas motus & respiratio præ aliis se manifestat gravata atque impedita. In quibus caro musculorum externorum ita luxuriat, ita & ordinario ea, vasorum internorum nimium fere simul augetur, unde crassities tunicarum, ex qua, cavitatis vasorum imminutio & pororum compressio: hinc in multitudine succorum præsens quoddam periculum; quin etiam viscera in quanto excedunt, ut lien & hepar, quales observationes plurimi Autorum addiderunt. Tametsi hæc crassitudo ex carnis abundantia, si moderata saltem adest, membrorum interiorum & exteriorum bonitatem similiter & restaurationem eorundem indicans, ut & ea ex ossium magnitudine non adeo culpanda, quatenus cum robore virium adhuc conjuncta est. Præcipue autem, quæ ipsa morbus est, nimia, quæ membranosis potissimum adnascitur partibus pinguedo, seu oleosus semisaponarius succus lente stillans, (cujus & hinc ut & carnis generatio ultimus nutritionis actus est) ex abundantia succi nutritii & chylosi generata, sanguine temperato blandius & parcius chylum transmutante col-

collecta, in membrana tanquam frigidiore partium textura, adiposa, cellulosa ac non solum sub cute (adiposo) hoc panniculo ejusque sacculis (quos jam ante Malpighium Molinettus novit) omnem corporis artuumque occupante ambitum atque non modo in abdomine & maxime hypogastrio, tanquam sede quasi primæva pinguedinis, nec non in singulis externis corporis partibus, sed & internis nec cerebro quidem excepto, fibrosis carneis fasciculis undique intertexta nocumento est, ut & in mesenterio, præcipue in thoracis cavitate, ubi pulmonibus expandendis obstaculo est; Hinc obesorum communissima illaque maxime verenda, asthma & incubus, symptomata sunt. Hinc est, quod in Medicina Forensi obesi, a chordæ & equulei tormento absolvantur. De visceribus pinguedine nimia obsessis variæ prostant Autorum observationes. KERCKRINGIVS *in Spicil. anat. p. 134.* Cor, ob immodicam circa illud collectam, in motu suo impeditum fuisse, de pulmonibus idem SCHOLZIVS & BARTHOLINVS *in M. N. C. D. I. A. Observ. 101.* testantur. Pericardium adipe ita obsessum fuisse constrictioneque sua debitam cordi expansionem denegasse, ut repentina mors subsequuta fuerit, apud Bonettum legitur. Sic in colo, intestino, adeps multus & inæqualiter distributus meantia excrementa moratur; præ omnibus vero internis partibus omentum pinguedinis mole gravatur. Hæc alias pinguedo si moderato modo se habet ad speciem integritatemque corporis facit, inania replendo interstitia, mollitie & oleaginositate sua, lubricando movenda, etiam cor atque ad motum promte reddendo, cavereque, ne eadem obrigescant, spicula acrium salium refrenando ac involvendo: Hinc sine dubio ob pinguedinis defectum, senes tales defluxionibus, catarrhis, rheumatismis adeo obnoxii sunt, atque ut plerumque incurabiles illi. Eadem porro apta & utilis est ad separandum singulare quoddam oleum, illudque sensim in sanguinem inferendum, ut consistentiam & necessariam dulcedinem sanguis adsequatur; Nec non corpori ulterius inservit primordia bilem constituentia, largiendo, injurias externas arcendo, promptuarium Naturæ, (qualia plura ut medullam in ossibus &c. & alibi in corpore humano sapientissimus rerum Conditor, Deus, constituit) in casu necessitatis ut tempore famis atque in morbis quibusdam, (ut nimirum tunc proprio alimento, alieno denegato, nutriantur atque sustententur) (siquidem & hoc de muribus alpinis constat, qui ideo omento triplici & quandoque quadruplici donati sunt, ut observavit PERRAVLT *Essays phys. T. III. cap. VI.*) præbendo, quatenus nimirum hujus sacculi, in quibus colligitur forte constringuntur, reddant asservatum,

vatum, atque vicinis venis tradant. Singularis hic nobis occurrit observatio, quæ in *vita Jac. Usserii Hiberniæ Primatis* a Ricl. Parro Anglo, descripta legitur: Nimirum in hoc demortuo, crassa quædam membrana adipe obtecta, pro continuato omento habita, visa est, quæ super totum stomachum se extendebat, superius peritonæo annexa, paulo infra diaphragma; quam quidem membranam, haud parum ad facillimam, qua gavisus est ventriculi digestionem, contulisse, creditum est. Siquidem & id quoque de se perhibuisse, dicitur, se nunquam, ne in magna quidem commotione, ullam palpitationem cordis persentiscere potuisse. Ast immoderata coacervataque nimis non modo æque ac nimia carnositas, ornatum corporis, sed etiam usum (qui ambo sunt naturæ & medicinæ scopi) nostræque limites sanitatis vitiat atque molestiam detrimentumque affert, superfluiditatibus indigestis ac putredine humidiori collectis, atque in morbos proclives homines reddit, si nimirum iis oleosæ hæ particulæ tenacius canalibus inhærent, ac omnia spatia plena sunt, atque musculorum stamina nimium emolliuntur, ut difficile ab incumbente pinguedine se constringere queant. Glandulæ multis in locis ab ea adeo sunt circumvallatæ, ut fluidi vario itui ac reditui, non parum obstare posse videatur. Omnia vasa, sanguinem spiritusque animales vehentia ita sunt compressa angustiora atque exilia facta, ut nervi, hos spiritus per se in his subjectis obesis pauciores, debiliores atque torpidiores (quoniam sua natura salini sunt, salia vero in sanguine nimis chyloso deficiunt adeoque non sufficienter generari possunt) ad motum sensumque præstandum non satis libere adducant atque arteriæ in fibras venarumque radices atque extremitates, sanguinem difficile refundant. Ipse sanguis isque hic parcior ordinario, multis pinguedinis particulis, quæ quidem connubium cum serosis non ineunt, quin etiam respuunt, saturatus lentescens ejusdem circulationem facile atque repente intercipit. Insuper & ipsius sanguinis impetum debitum, moderatum refrenat, dum partes ejus ramosæ & inviscantes sanguinis activas & subtiles particulas coërcent, etiam salia humorum hebetat & secessum eorum inhibet. Bartholinus *in Anat. refor. p. 25.* testatur, pinguedinis frustula in cordis vasis hæsisse; Accedente vero porro, ex cibis, novo succo nutritio eoque uberiore cordis ventriculi ita opplentur, ut in actione sua quæ constrictio est, impediatur, humores figantur ac coagulentur, unde polypis concipiendis repentinis lipothymiis ac animi deliquio, suffocationibus ac vasorum ruptionibus, (ubi minor illorum resistentia, major vero sanguinis impetus occurrit) atque catarrhis,

quos vocant ſuffocativos, apoplexiæ repentinæ iſchuriæ exitiali nec non febribus, &c. patulam aperiunt viam. De his ſpeciatim notamus, quod infantes maxime obeſiores ſæpiſſime febribus catarrhalibus, (quarum cauſa pinguedo) tententur. Quare non adſequor, cur pinguedinem infantibus Adr. Spigelius deneget. Quemadmodum enim lampadis ardentis flamma nimia pinguis alimenti abundantia ſuperfuſa, obruta extinguitur, & ab externa quaſi violentia ſuffocatur, ita & ſe res cum corporis nimia pinguedine habet. Rurſum aliud malum indicium indicandum venit: Si & in ipſa maſſa ſanguinea paucæ vel nullæ pinguedinis moleculæ innatent, ſed aliorſum ablegatæ ſint, tales oleoſæ atque ſulphureæ, ramoſæ, eadem juſto dilutior fluidiorve, nec non acrior, ſalibus, per easdem non coërcitis redditur atque inanis, omni gelatina exuta, calore naturali velut extincto, ex qua fluiditate nimia ſanguinis peccante multifarii deinceps exoriri poſſunt caſus variaque pericula, ut ſcorbutus, calidus vulgo dictus, febres catarrhales, hæmorrhagiæ, apoplexia, inflammationes, ophthalmiæ, pleuritides, cephalalgiæ, faucium & tonſillarum intumeſcentiæ, arthritis. Atque quoniam animales ſpiritus non ita facile muſculorum fibras ſic inflare poſſunt, ac ob ingentem ſimul thoracis molem ac pondus, prægrandia viſcera & inteſtina atque abdomen, pinguedine gravatum tumidumque, coſtarum elevatio non minus quam diaphragmatis motus impeditur, anheloſi ac ſuſpirioſi, ad motum inepti torpentes veternoſique redduntur. Hinc Galenus refert quod athletæ neque ad bellum neque ad agriculturam idonei fuerint. Præter hæc mala obeſorum maximopere verenda alia quoque notanda veniunt. Sic notiſſimum eſt, tales, motionibus corporis atque laboribus, vociferatione, fortiori cantu, ſyncraſioque riſu, ſternutatione vehementi &c. parturientes item, laborioſo & forti nixu ex facili hernias ſibi contrahere, pinguedine nimirum intra fibras diſſeminata atque ſic muſculis quaſi obliteratis atque inteſtinis per illas pinguedinis portiones hincque fibris laxioribus factis, penetrantibus. Hinc inter tubicines, cantores, bajulos plures hernioſos reperies. Nec vanus hic certe metus, ſed experientia eaque uberior docet, quod tales homines aut ſiderati aut ſuffocati, ſyncoptici aut effuſo ſanguine conſœdati, non raro data levi quandoque occaſione ac cauſa, motu v. g. paulo fortiori corporis animique commotione, ira, terrore imo gaudio, aëris frigidioris, borealis validiori afflatu, egeſtionibus per alvum atque urinam ſufflaminatis, fortiori in reddenda alvo & in parturientibus fœtu edendo, niſu, & ſimilibus aliis ſubito pereant ocyus, quam quod ſe ægrota-

re

re ſentiant. Ejusmodi exemplum inter alia de Attila Hunnorum Rege, crudeliſſimo atque in viventium cædes prono, peſſimo illo Dei flagello, eadem athletica evexia ad ſummum diſtento prodidit JORNANDES *de reb. Get.* eum inter nuptiale epulum, ſubito animam cum ſanguine ejectaſſe. Similiter DOLAEVS *Encycl. Med. Lib. I. cap. X.* aliud affert de cive quodam, ob nimiam obeſitatem, liberum ſanguinis itum reditumque impedientem paralyſi affecto, ac apoplexia extincto. De aliis ob hanc ipſam cauſam ſuffocatis quidem GALENVS *de Diff. morb. Lib. III. cap. IX.* SCHENCKIVS *Lib. II. Obſerv. CCXIIX.* HILDANVS. *Cent. VI. Obſ. 97. p. 630.* TIMAEVS *Caſ. II. Lib. VI.* SCHVLZIVS *in M. N. C. D. I. An. II. Obſerv. 87.* DOM. TERILLVS *de Cauſ. mort. repent. Sect. VI. C. III.* MARC. DONATVS *Hiſt. med. mir. Lib. V. cap. II.* P. ZACHIAS *Quæſt. med. leg. T. I. Lib. V. Tit. 2. Quæſt. 12.* VIDVS VIDIVS *Lib. IX.* BONETVS *Med. Sept. T. I. Lib. II. Sect. 23. Caſ. 7.* TRINQVAVELLVS *Conſil. M. Lib. III. Conſ. 101.* MALPIGHIVS *Op. T. II. A. N. C. Dec. I. an. 2. obſ. 97.* anatome pueri nimia pinguedine extincti KERCKRING. *Obſ. Anat. Obſ. LXVI. p. 134.* aliique teſtantur. Hæc etiam debetur animadverſio: Quando in obeſis per calorem aëris intenſum, vel validisſimos motus atque corporis exercitia, vel febres acutas continuas atque ardentes, colliquata pinguedo maſſæ ſanguineæ reaffunditur. Vid. *Miſcel. Nat. Curioſ. A. VIII. obſ. III.* ſicque illud oleoſum minima vaſcula lentore ſuo obſtruit ac impedit, aliorum liquidorum per eadem tranſitum, ſæpe lethalis peripnevmonia ſubitaque mors accerſitur. Celeb. Ruyſchius vidit ſolutam & effuſam omnino ad aliquot libras, in cavitatem abdominis pinguedinem, quemadmodum & equi valde obeſi ſubita & validiori agitatione ſæpe exſtinguuntur. Si quidam eorum ab ejusmodi præcipiti interitu liberi manent ac vitam aliquando diutius protrahunt, infelicem tamen eam ducunt atque ſenectutem vegetam raro attingunt, quare GALENVS *in Hort. ad bonas artes Cap. IV.* id genus hominum miſerrimum vocavit & Crates, Thebanus, lepide, in illud illuſit. Quin in valetudinariis frequenter obſervamus, eos ſubinde novis acceſſibus ſymptomatum ac moleſtiis tentari, quando ſibi videntur ſe quam optime habere viribusque valere atque extenuati corporis augmentum ab aliquo tempore perceperunt, quo rerum ſtatu tritum illud Medicorum axioma allegare convenit: Corpora cacochymica quæ ſunt, tum in morbis in actum deductis, tum in fieri talibus, impura, quo magis nutriveris eó magis læſeris; nutritur enim potius materia impura, nec ſubigi rite, ſecerni & excerni, ob vaſcula nimis turgida, tonumque & languidum & in-

ſufficientem, poteſt atque quoniam inquinatus atque conſpurcatus chylus faceſſit magis in cauſam morbiferam quam corporis alimoniam. Philip. Hecqvinet, in quibusdam ſubitanea morte concidentibus detexit fati præcipitis cauſam: in altero enim pinguedo nimia pulmones compreſſerat & polypo cordis ventriculi ſiniſtro tranſitum ſanguinis retardante: in altero labore fodiendi fatigato, vena cava prope cor disrupta ſanguine inundavit viſcera. Conf. *Obſerv. 101. Dec. I. Ao. M. N. C.* Alii interiores quoque receſſus præ aliis omentum pinguedine obſeſſos preſſosque invenerunt. Vid. Gvil. Fabricivs Hild. *Obſ. Chirurg. Cent. 17. obſerv. 97.* Bagliv. *Oper. p. m. 393.* ſcribit, quod in iis, qui calculis interierunt, omentum pinguedine abundans invenerit, cauſamque adjecit. Unde obeſitas multorum morborum Lerna & Ilias ſemper habita eſt. Ad rem Hippocrates ſcripſit *II. Aph. 44. qui natura admodum craſſi ſunt citius intereunt quam graciles, & præpinguia corpora celerius ſeneſcunt.* Cœterum quoniam ſuccorum redundantia in pinguedinem abit aliæ functiones animales ſufflaminantur, ut v. gr. de obeſis & athleticis mulieribus conſtat, quod in iis menſium fluxus, quamvis citra ſanitatis notabilem noxam quandoque deficiat, &c. Huc forte reſpiciunt Indorum Proceres, de augmento ſui corporis veriti, qui, ſingulis annis quandoque ſingulis menſibus (intra hoc temporis ſpatium enim ſecundum Sanctorii computum in *Med. Stat. Sect. I. Aph. 65. ſeq.* unius duarumve librarum pondere corpora graviora fiunt) corpora ſua bilance exacte librare aſſolent, atque decrementum aut incrementum illorum, cum cura notant atque æſtimant. Quam ponderationem hodie imitantur Angli quidam, qui obeſorum corpora ſingulis menſibus ponderare ſolent, ad determinandam quantitatem alimenti diminuendi, ut & hydropicos, quavis ſeptimana, ut intelligant, an morbum ſuperaverint vel an ab eo ſuperentur & quantum emolumentum in ipſos redundet, diminuendo quantitatem potus conſueti v. Theophil. Lobbii *Tr. de Curat. Calculi & podagræ pag. 205. ſeq. & pag. 320.* Huc apprime ſpectat illud Juvenalis *Sat. XI. Noſcenda eſt menſura ſui, ſpectandaque rebus in ſummis minimisque.*

§. V. Si preſſe mala atque pericula, quæ ex hoc corporis habitu plethorico ventricoſo atque obeſo verenda ſunt, exacta penſitatione ulterius & ſpecialius paulo præterea quæ incidenter attigimus, metimur, & effata ac obſervationes tam a veteribus quam neotericis Scriptoribus collectas conferamus multis indiciis nos commonefaciunt, quod ea partim a putredine, ſuffocatione (ob multitudinem humorum)

vel

vel venarum ruptionem (ob fervorem forte inductam) partim a ſpaſmo (& inæquali hinc ſanguinis & humorum circulatione,) partim ab atonia & ſanguinis ſtagnatione proficiſcantur, quæ tamen pro diverſitate ætatis, ſexus, loci, conſuetudinis, vitæ generis &c. variant. Nimirum ſanguini præceps impendet putredo, tanto major quanto floridior & optima craſi ille præditus eſt, inflammationibus, ſuppurationibus, gangræna & ſphacelo, quibus expoſitus eſt, teſtibus, ut & pus ex parte chyloſa & oleoſa gignitur, quæque ſanguinis excedens copia, ut plurimum cum cacochymia denuo eſt conjuncta. Hæc dein nimium vaſa eaque præſertim magna infarciens ac premens atque ſic ſpatium quod ad fluidorum motum jugiter inſtituendum, mixturamque debite perficiendam requiritur, auferens, præſertim in temperamentis ſanguineo-cholericis, & in agilioribus hominibus ac juvenibus ob partium debilitatem ſic redditam, nimias membrorum tenſiones fortioresque inducit ſtricturas, quæ magnas multasque in œconomia animali inferunt turbas atque ſanguinem & humores cum impetu quaſi ad alias partes propellunt, quæque deinceps per multiplices conſtrictiones p. n. fibris extenſis, atoniam in iis relinquunt: ſicque hæc vitia, ſpaſmus nempe & atonia rurſus mutuam velut ſerram trahunt. Ubi hic inprimis ſubſiſtens premensque ſanguinis quantitas in ejusmodi partibus & vaſis, hæret atque viſceribus, quæ per ſe impulſu non ſatis forti inſtructa ſunt, aut debilioribus ſtaminibus conflata, & in quibus motus ſanguinis difficilius inſtituitur, adeoque ad ſuſcipiendas ſtaſes quæ peſſimæ omnium periculoſiſſimæque conditiones ſunt atque decubitus prona, qualia ſunt pulmones, vena præſertim portæ ut & hepar, lien, pancreas, omentum, meſenterium & uterus. Sic v. g. quando per venam maxime portæ ſanguis non rite circulatur pro varia ratione ſubjectorum & temperamentorum, ætatis, ſexus &c. data occaſione, in variis corporis locis ſchemata variorum moliminum, hæmorrhagiarum, congeſtoriorum, translatatoriorum, reſtagnatoriorum, dolorificorum, inflammatoriorum, febrilium ſpaſticorum inſurgere ex facili poſſunt; Nam ſpaſmo, plethoricis adeo familiari atque aſſiduo comite (dorſi & lumborum doloribus ante menſtruum fluxum reſtantibus) ibi inducto, ſanguis exinde ad partes ſuperiores rapitur & ſtaſes ibi efficit in multa mala abeuntes. Sicque in capite in quo omnia plena ſunt naturaliter & durum calvariæ os cedere nequit, per cerebri preſſiones & inprimis corporis calloſi ſtriarum, liberum influxum ſpirituum animalium præpedientes collabantibus meatibus atque ductibus nervorum, hæmorrhagias narium, cephalalgias graviſſimas, eas-

que admodum frequentes, vertigines, melancholias, insomnia turbulenta, phantasiæ turbationes, memoriæ & sensuum hebetudines, affectus soporosos, apoplexiam, paralysin, maniam, phrenitidem, epilepsiam, aphoniam, ophthalmias, lippitudines, odontalgias, morbos auriculares, parotidem, gravem aurium tinnitum, cum ipsa audiendi difficultate, erysipelata, tumores & in infantibus dentitionem difficilem atque turbationem majorem ac summe periculosam, præterea, in pectore, constrictiones, anxietates, respirationem difficilem, tremulas humorum agitationes syncopen, tusses, asthmata humida & convulsiva dicta, pleuritides, peripneumonias, anginas, oppressiones pectoris, phthises, hæmoptyses, suffocationes, quas vocant: *in seinem eigenen Blute ersticken*, (quoniam causa in ipsis pulmonibus latet, dum aut sanguis in iis stagnat, aut lympha nimis viscida, sive dum coagulatur in mucum,) porro tabes hecticas, vomicas, apostemata atque abscessus & exulcerationes, animi deliquia, palpitationes cordis, polypos, diaphragmatis constrictiones cum morte subitanea, hic pleonasmus infert. Aliorsum cum impetu sic delatus in abdomine & quidem in regione ventriculi, & in ejus cavo flatulentias, cardialgias, colicas, easque nephriticas & hæmorrhoidales, alvi adstrictiones pariter ac diarrhœas, viscerum præsertim hepatis, lienis, mesenterii distensiones quandoque ingentes (v. STAHL. *Disp. de Hypoch. & Hyst. malo p. 20*) ac obstructiones, indurationes, tumores, scirrhescentias, ulcera, icterum, in vesicula fellea calculos, in vesica urinaria, (quando nimirum fibræ ejusdem præ plenitudine nimis distenduntur & in contractione impediuntur,) urinæ suppressionem (quam hinc RIVERIUS *V. Obs. I. Cent. I.* venæ sectione larga curavit,) item alibi hydropes, atrophias, cruentas per inferiora pariter & superiora ejectiones, morbum sic dictum nigrum Hippocratis &c. nephritides, hypochondriacam affectionem & hystericam, arthritides, rheumatismos, inflammationes, febres varii generis, acutas, ardentes, atque synochas in quibus & ardor intensissimus est diutissimeque durat, nec non putridas, semitertianas pestilentiales, suppurationes gangrænam, sphacelum internum & in fœminis fluorem album & hujus generis plures ægritudines inducit. In utero si subsistit nec expurgatur copiosus sanguis in specie vasorum quæ membranas investiunt etiam intestinorum ventriculi, spinalis medullæ imo cerebri distensiones & fibrarum nervearum pressiones, unde alia gravissima mala insequuntur, nec non polyposas in vasis majoribus concretiones & exinde frequentes abortus & post eos non solum, sed & sat felicem alioquin partum, alia incommoda, inappetentiam, vomitum &c. quæ puerperas

peras æque ac gravidas invadunt, accerſit. Juxta hæc alia quoque vitia referenda eaque aliorſum deducenda, ut pollutiones nocturnæ & gonorrhœæ, quas benignas vocant, ſalacitas, & niſi deſiderium hoc expleatur, furores ad peſſima facinora inſtigantes, ex alimoniæ nimirum & ſeminis ſpirituoſi abundantia, enormes ſanguinis profuſiones & exulcerationes, & in pedibus tumores œdematoſi & in his reliquis artubus ſpaſmodici affectus, & varicoſi atque in toto habitu corporis ſcabies humida apoſtemata proveniunt, ne alia jam plura nominemus. Tacitique prætereamus alia leviora incommoda, coryzas, narium fauciumque mucoſam ſorditiem, ſenſum gravitatis & ſtuporis, in toto corpore moleſtum, plumbeum velut torporem, membrorum, crurum, inſolitam imbecillitatem & laſſitudinem excreſcentias &c. Hæc & alia leviora ad majora eaque ſontica ſæpe vel ex leviſſimis externis quoque cauſis occaſiones præbere poſſunt, ut v. gr. ad inflammationes & hæmorrhagias enormes, contuſione, a feſtuca infixa ex tuſſi ſaltem, ſternutatione, arietatione a gelu graviori improvide admiſſo, atque in vulneratione promptiores ſuppurationes &c. Inſuper tales homines ob molem corporis prægrandem ad procreationem ſobolis minus apti ſunt, quod PLVTARCHVS jam obſervavit *II. Quæſtion. Con.* Quoniam in viris præſertim materia illa, quæ præter modum in corporis nutritionem atque in carnes ac adipem impenditur, in ſeminis jacturam redit; & ejusdem ſtimulus ſalinus titillans obtenditur & obviſcatur. Multo minus idcirco privilegio quodam, quando quæſtio de præmaturo partu naſcitur, præ aliis ejusmodi homines gaudent, nec valet ratio: Sponſus & ſponſa fuerunt optimæ complexionis, robuſti, plethorici, ergo intra 173. vel 185. dierum ſpatium perfectum & numeris omnibus abſolutum fœtum progenerare potuerunt, quam quæſtionem affert ſimulque decidendi rationem his verbis concipit: *Hic & illic dantur etiam robuſti, quadrati ruſtici, vel ruſticis ſimiles (grobe grote Schlingels, proavis atavisque noſtratibus Grote dicke Bengel) illorum tamen partus intra hoc temporis ſpatium non poſſunt perfici, ſed debent exſpectare nonum menſem.* In fœminis vero pinguedinis præſertim partes exuperantes ovaria obſident & ſeminis maſculini acceſſum difficilem reddunt. Quod jam maximus Græcorum doctor, HIPPOCRATES indicavit multis in locis v. g. quando *Sect. V. Aph. 46.* ſcripſit: *Fœminæ valde pingues non concipiunt;* Rurſum *Lib. de Steril. de natur. muliebr. de ſuperfœt. Lib. de aëre aq. & loc.* hanc rem exemplo mulierum Scythicarum declarat cauſasque exponit. Quin etiam coitus periculoſus eſt, licet crebrum quoque veneris exercitium obeſitatem minuat, ut & AVICENNA & ARIS-

ARISTOTELES *Lib. IV. Part. anim. Cap. V.* de eo loquuntur. Contrariis hinc juxta se positis, clare elucescit, quomodo ad hæc se habeat habitus corporis gracilis, qui humores magis mobiles, vias magis patulas fibrasque magis flexiles arguit, atque plus fervoris & calidi sanguinis, siquidem & omnes humores agiliores, ad sudationes magis dispositi sunt atque ventilatio facilior, hincque is ad illos morbos superandos, qui subitæ materiæ & compulsione & dissipatione vinci debent, pronior est atque adeo facile obrui & suffocari se non patitur.

§. VI. Has quidem causas & rationes sat graves esse arbitramur, ob quas bonus corporis habitus, præservationis gratia ne scilicet in deterius ruat sine mora solvatur atque extenuetur, quædam ejusque portio dematur, quo corpus, ut HIPPOCRATES loquitur, alterius nutricationis ceu convenientis, moderatæ ac melioris rursum initium sumat. Et quoniam omnis immoderatio naturæ sensum incurrit, adeoque a violentibus & prudentibus facile caveri potest. Ejusmodi enim sunt quibus hoc salutare monitum datum est, qui potissimum temperamento, ut dicunt, sanguineo phlegmatico calido & humido atque plethorico, obeso plenoque rubicundo, tumido, quandoque livore quodam notato, specioso & splendente quasi habitu, gaudent aut molli & spongioso aut duro magis strictoque, itemque venis amplis, turgidisque aut exilibus atque depressis conspicuo, quibus tempora attolluntur, eaque quandoque dolent, oculorum splendidioribus humoribus affluunt atque eorum præsertim venæ in tota fere eorum tunica adnata tument, rubent, sæpius lacrymis suffunduntur, toris luxuriant. Quanto itaque amplior sanguinis moles in canalibus continetur, etiam amplius spatium occupat & arteriarum tunicas magis extrorsum trudit, hinc pulsus eorum est præcipue magnus & plenus, quasi undosus validus ac creber, quique etiam in temporibus se manifestat, sæpius, quando ex uberiori sanguine multi quoque animales spiritus elaborantur, quibus cor instructum atque armatum majori vi sanguinem trudit, dumque amplior sanguinis moles in vasis continetur amplius etiam spatium occupans ea magis explicat atque expandit, sic & tum copiosius in ventriculos cordis influens sanguis, ita ut cor stimulo quodam ad actionem suam citius instigetur, tum uberius quoque in fibras ejus derivantur spiritus, ita ut cor motum suum exercere frequentius possit; Undosus vero instar fluctus movetur & virtutem gravatam significat, quæ non potest æqualiter omnes arterias per partes movere atque expandere, is si paruus & tardus fit, vermiculans appellatur. Ast in valde summeque plethoricis, ubi præcipue humores sunt spissio-

ſpiſſiores, ac in obeſis pauciori ſanguine ac laxa flaccidaque corporis compage præditis, præſertim ſexus ſequioris hominibus exilem, languentem, rarum atque inæqualem, potius eum deprehendunt tangentes, ob lentorem inductum parcioremque hinc ſpirituum ſecretionem eorundemque inæqualem, ad cor derivationem &c. Manus cum digitis præſertim vix inter ſe complicare poſſunt. Vaſtam, quadratam, inconditam, rudemque plurimi eorum (valde obeſi & craſſi) circumgerunt corporis molem, quare difficiles facere greſſus coguntur; ſi vero accelerare eos geſtiunt aut loca acclivia & ſcalas aſcendere, ſuffocationis quaſi periculum timent, diutiusque in membris laſſitudinem contuſoriam velut perferunt. Nitentem porro habent cutim, caput atque faciem magnam, latam, plenæ lunæ ſimilem, cum labiis admodum rubicundis, protuberantibus, ſæpe fiſſis, quando præſertim aër paulo frigidior afflat, cum naribus expanſis atque obeſis intus coarctatis, ut difficilius per eas reſpirent, buccis item efflatis, mento deducto, guttureque turgente ac propendente burſæ appenſæ ad inſtar, (quo nihil Hiſpanis deformius eſt. Vid. D' AVNOY *Itin. Hiſp.* adeo ut velamine reducere illud atque velare ſtudeant). Quosdam ideo naſones, labiones, buccones, capitones, atque bucephalos & quotquot alia monſtroſorum & deformium nomina ſunt, forte dixeris. Collum porro elatum, cervicem brevem, duram craſſamque, pectus ampliſſimum, & fœminæ ventroſas mammas, tergum opimum & protentum, ad natium usque ampliſſima & luxuriantia tubera, abdomen aqua aut vento quaſi turgidum & prominens præ ſe ferunt: Verbo ineptam Bacchi aut dividis epulonis in *Evang.* LVCAE *XVI.* effigiem monſtrant; exindeque ſuperbientium in modum inanem captant gloriam, in ſinu quaſi gaudentes, quod bene nutriantur atque in dies majus augmentum vaſti ſui corporis, capiant & quod vel centum libras plus quam alii pendant. Præterea delaſſatione fere perpetua, licet quieſcant, moleſtantur, motu enim tonico etiam laſſantur membra, quæ ſuſtinere debent pondus, quod quo majus eſt eo quoque moleſtius. Sunt porro oblivioſi, ſomnolenti, & in ipſo ſomno non inſomniis ſecundum GALENVM *I de Humor. Com. I.* & alibi, de hæmorrhagiis, caſu ab alto, rubris objectis apparentibus & ſimilibus, carentes, oſcitabundi, pandiculationibus, porrectionibus frequentibus manus pedesque exercent. Spina dorſi frequenter dolet, quoniam medulla, quæ ſenſu acuto prædita eſt, ita preſſione ea quæ ab arteriis diſtentis oritur, facile afficitur, phlogoſibus exardeſcunt, tum volaticis magistum ſtatariis, nauſea, vomitibus ſubinde tentantur, aliisque dejectionibus iisque interdum ſangui-

Ooo oo neo

neo colore refperfis (cibi enim fupra modum devorati robuftam naturam ad has purgationes follicant HIPPOCRATE advertente *Libr. de purg.*) rhonchos crepant perpetuos, ructus vel inviti nidorofos, fonoraque murmura ventris frequenter emittunt. Si fe nimio cibo & potu repleverint graves ac pigros & movendum laborandumque plane ineptos, protinus fe fentiunt. Ad commotiones maffæ fanguineæ orgafticas proclives, fudore acri, vel ex levi corporis incalefcentia, exagitante & refolvente, colliquante atque attenuante, ultraque reducente, five per motum paulo fortiorem inductum, five tempeftatem æftuantem, calidam humidam, five per fomnum, in lecto molli atque plumofo, pene diffluunt; qui fudores nocturni, fpontanei juxta Hippocrat. plenitudinem victus indicant. Attamen aliqui præfertim fœminæ minus perfpirant, ob molliorem texturam, hincque imbecilles vires, pulfusque languidos, cum tamen in iis æque ac in viris obfervetur fudor, isque fat largus cujus caufa ac ratio decidendi eft apud SANCTORIVM multum in hoc argumento diligentemque obfervatorem atque cenforem, qui *Sect. I. XII. XIII. XXIII. CX. Sect. V. III.* perhibet, perfpirationem atque fudorem ita parum inter fe convenire, & inter fe fere commune habere, atque quo hic amplius provocatur, eo magis illam minui, fique præcefferit fudor paulo uberior, perfpirationem ad aliquod temporis fpatium languefcere. Quid? quod GALENVS *Cauf. pulf. III. IV.* in iis quibus vita athletica contigerit, quales & rufticæ mulieres funt, laboribus fe exercentes, ficque ad robur mafculinum accedunt, pulfum validiorem deprehenderit, fiquidem & in his parcius menftrua fluunt cum tamen in plethoricis alias & lacte fcaturiente, menfes fluant, ut & cantatricibus, faltatricibus, SENNERTO *T. III.* FORESTO *Lib. XXVIII. Obf. I.* referentibus. Ob id, non uti Alexander Magnus R. M. balfamum fpirant, fed alarum fœtor abominabilis pedorque eos confœdat, hircumque olent, atque mephiti diftinguuntur ut Thais. Sybariticas vel Syracufanas menfas luxuria plenas quas Plato damnavit, amant, atque delicias Luculli fibi exoptant. Non ftomachi fui norunt menfuram plerique eorum plus fæpe ingerunt fibi quam capiunt, non efuriendo cibum fed faturati efuriem quærunt, & ut IVVENALIS exprimit:

Et quibus in folo vivendi caufa palato eft:

Imo gloria eft capere multum, quafi non alio fine quam ad perdenda vina cerevifiasque fint geniti, & tanquam hæc effundi non poffint nifi per humanum corpus. Sic aviditas nefcit modum & varietas excedit menfuram

ſuram atque cogunt vitiis ſervire naturam, famemque ac ſitim, quæ naturalibus remediis facile ſedari poſſunt, variis iisque ſuperfluis, irritant. In jentaculum, prandium, merendam atque cœnam pocænium addendo atque ἐπιδορπίσματα Græcorum, Lydiorum, Jonum, Siculorum, Syriorum, Sybaritarum, Perſarum &c. (qui erant luxui, deliciis & gulæ dediti) in regulam & libellam, commeſſationes, dies dividunt. Tam brevis eſt gulæ voluptas, ut ſpatio ſit vix trium aut quatuor horarum, contemnitur mediocritas & ſuperfluidas affectatur, in diverſitate ſaporum, varietate que ciborum, hincque eſurire & ſitire iis quaſi ſunt gaudia. Gulosi tanquam alteri Philoxeni (guloſi) ſunt, a patinis, in quibus ſemper animus, rapiunt, buccas & mandibulas continue prurientes, aſſidue exercent, Boëoticum & Theſſalicum in modum, quo exercitio usque ad ſudoris eruptionem ſe fatigant, (ſudor enim omnino a repletione cibi & potus excitatur, unde HIPPOCRATES corpora ſudore diffluentia purgatione egere ſcribit) torpeſcunt atque obdormiſcunt, (alioquin laboribus lubentius frigent, ſecundum illud exinde natum proverbium: *Er iſſt, daß er ſchwitzt, und arbeitet, daß er friert,*) ſiccantque deſuper calices naribus quatuor atque plurima hilaritatis pocula repoſcunt, eaque temulentiæ & ebrietatis addunt, ſicque a menſa tam opipare ſaturati quam Angli, ut in proverbio habetur, reſurgunt. Diceres, iis ineſſe, omaſum & ob omaſum, camelorum ad inſtar. Ob hanc corporis molem duplo, triplo, quadruplo auctiorem atque in exceſſu majorem ægerrime ſe movere poſſunt, ideoque ut proverbium fert: pinguis venter non gignit ſenſum tenuem; aut: homo pinguis, rudioris Minervæ & oleoſæ naris, ad res gerendas inepti fiunt, unaque cum corpore animus ejusque inclinationes ſenſus, omnisque propemodum vitæ ratio hebeſcunt ac torpent, atque plerumque contingit, ut excedenti corporis moli, parvus animus inſit, hincque negotii operoſi averſatio, ad res ſubitas trepida cunctatio, in periculis anxietas & conſilii inopia tandemque deſperatio &c. Imo cum iis inclinata res eſt atque a recta via errant, moresque corrumpuntur; ſiquidem non pauci eorum hac athletica corporis conſtitutione noti, athletarum quendam improbum ac perditum genii modum quoque æmulantur, quem GALENUS paulo poſt referendum, indicavit. Quippe dum ventris obſequio vivunt cuticulamque molliter curant atque robuſtum corpus ſibi acquirunt, parum animo atque ingenio valent, nullamque ei medicinam adhibent; ſed incultum atque ſoccordia torpeſcere ſinunt; cum præſertim tam multæ variæque ſint artes, quibus ſumma claritudo paratur. Hac de re dictum eſt SE-

NECAE *Epist. 8. Imbecilli sunt animo, quorum lacertos humerosque miramur;* ac VALERII MAXIMI *Lib. IX. cap. XVIII. Nimio robore membrorum vigor mentis hebescit, quasi abnuente natura utriusque boni largitionem, ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse.* Hinc CATO videns quendam vehementer obesum, mirabatur cui usui tale corpus esse posset Reipublicæ, cujus inter guttur & inguen omnia venter occuparet. ERASM. *Lib. V. Apoph.* Hi enim horum hominum propemodum mores sunt, hæcque studia & desideria: in diem vivere, commodis hujus vitæ inhærere & in eorum volutabris ætatem exigere, delectari multis inanibus rebus: consortiis inutilibus & confabulationibus inanibus & infacetis, atque studio jocandi, quod risum captat, se immiscere, lusus abusum habentes consectari commessationes omnis generis delicias & cupedias effusasque libidines voluptatum, (quæ rationi sunt inimicæ) blanditias, quæque perstringunt oculos, nec habent cum virtute commercium, omniaque ad eas referre, atque iners otium desidiamque quærere, sibique optare placidam per membra quietem, atque in medios dormire dies, languide in operibus perficiendis versari, in horas mutari, ab animi levitate, importunitate atque inhumanitate ingrataque rusticitate non abhorrens atque sordidum propemodum aut secundum veterum phrasin barbaricum vitæ genus, ducere. Sicque ita vivunt, ac si fruges tantum consumere, nati essent, solis ipsis, non aliis prodesse volunt, sicque mundus ipsis, & ipsi mundo inutiles sunt, ad naturalia & ad humana & ad divina inidonei. Alia non attingamus atque præstat jam tacere; difficile enim & hic est, Satyram non scribere. Hi mores hæque inclinationes longe differunt ab illorum, qui mediocri & laudabili, bono corporis habitu temperatoque temperamento gaudent, quique corpori suo tantum tribuunt, quantum ad sapientiæ studium inservit, ut GALENVS fuse docuit, quod animi mores sequantur temperamentum corporis, qui proinde bonum corporis habitum bonos quoque mores sequi contendit *Lib. I. de San. tu.*

§. VII. Talis habitus alias quadratus ac athleticus vocatur, quem adumbrat RAYM. IOH. FORTIS *T. II. Cent. I. Consult. 44.* Athletæ enim atque gladiatores quos ab exercitatione Gymnasticos appellant magnitudinem virium & molem simul corporis non ex pinguedine eam quidem inerti compositam, sed torosis potius musculis insidentem spectabant, non nutriebantur, sed verius saginabantur, ut in palæstra virium suarum magnam speciem magnumque vigorem ac robur & fortitudinem præberent atque portento similes actiones auderent non modo

luctando

luctando ſed & urſos & leones aggrediendo ac conficiendo. Per vehementia & frequentia gymnaſtica ſeu aſſiduam luctæ exercitationem ac multam longamque cibationem & potationem atque coactam voracitatem, in artis quaſi formam redactam, ſimulque per lutamenta aut ex pulvere terreo ſalino puteolano Bajano aut Nili arena, quam ad hunc uſum Romam, convehendam curabant, ut PLINIVS *Lib. XXXV. c. I.* & SVETONIVS *in Nerone* ſcribunt, atque per inunctiones, aliptarum miniſterio ac balneorum tepidorum & frigidorum ſubitam commutationem (ut ſanguis & ſpiritus a balneo tepido ad cutim & artus evocati, a frigido vero inibi ſiſterentur & occluſis poris validior eſſet, fibrarum & muſculorum virtus) habitum corporis nimium craſſum, quadratum, carnoſum, plethoricum cum venis amplis & repletis ad ſummum firmitudinis & bonitatis virium gradum atque augmentum perducebant, adeo, ut majorem plenitudinem is vix aſſequi poſſet, de quibus ORIBASIVS ſic loquitur *h. l. f. 42. Athletis exercitis creſcit fervor & quicquid comedunt in ipſo labore concidit conſumiturque unde ipſi plurimum cibi appetunt.* Inter cibos ficus, bubulam ac ſuillam carnem (carni humanæ, inter qnadrupedum convenientiorem) bene nutrientem, firmasque denſas craſſasque muſculares fibras ingerentem (quare præ aliis hæc apud Græcos V. Hippocrates *L. de victu in acut.* pariter atque Latinos in pretio fuit,) frequentius ingeſſiſſe eos memorat GALENVS *L. III.* ὑγιέινει *f. 246.* notanter tamen ſimul advertit *Lib. V.* illos non ſolitos fuiſſe carnes comedere, niſi in cœna. Hinc, ut compertum fuit, eos gymnaſtica ſua obeuntes, ob hanc plethoram, quandoque ſubito oborta morte, ſunt exſtincti. Id teſtatur GALENVS, ſimulque deteſtatur, præter alios veteres jam nominatos, dicens, *in Exhort. Med. Athletarum vita & ars ſagina eſt, nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe animasque eorum in nimio ſanguine & adipe quaſi luto involutas nil tenue, nil cœleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu & ventris ingluvie cogitare.* Ideo & eosdem deridet Philopoemones apud PLVTARCHVM, ac ait CLEMENS ALEXANDRINVS *II. Pædag. I.* eos mentem infodere & mancipia maxillarum & ventrum appellavit Euripides COELIO memorante *Lib. VII. cap. XI. ant. lect.* Aripatcanes, Perſar. R. dixit: mille quidem in Græcia peſtes eſſe, ſed athletarum peſſimam & pernicioſiſſimam. Hunc athleticum habitum ad ſummum perduxerunt Theagenus Thaſius & Milo Crotoniades cum Titurmo, cum quo dimicavit, qui in Olympico certamine vivum taurum ſine fatigatione per ſtadii ſpatium humeris portavit totumque uno die commedit. Junius Valens carpenta com-

prehenſa una manu retinuit obnixius contranitentibus jumentis. Megarenſis Herodorus, quem de ſtupendo robore & admirabili voracitate STEPHANVS *in Comment. Geograph.* prædicat, de Lepræo Eleo PAVSANIAS *in Eleg. Lib. I.* idem meminit. Hunc (athleticum habitum) non eſſe ſecundum naturam, ſed neutrum potius HIPPOCRATES cenſet, ut videre eſt ex GORRAEI *Defin. Med. p. 7.* Obvenit hic occaſio curioſe quærendi, an illud, quod de athletis Romanorum dicitur, id etiam dici poſſit de gigantibus & filiis Enackim, qui olim propter vaſtam proceram corporis ſtaturam ſimulque eximium robur & ſanitatem qua gaviſi ſunt, æque celebratiſſimi erant, ut de iis in Sacris Bibliis & alibi de incolis Chili, Americæ provinciæ, & rurſus de Pallante, qui Aeneam contra Turnum, Rutilorum R. adjuvit, de Ajace, de Oreſte, Agamemnonis filio, item de Monycho, uno e Centauris &c. *in hiſtoriis* legimus.

§. VIII. Differt hic (athleticus) a bono corporis habitu ſimpliciter ſic dicto atque comparate ſumto eorum, qui plethorico, laxo, ſpongioſo itemque ſubpingui corporis habitu, cute magis rara, facie viva colorata atque florida & alba, pulchra, eleganti atque formoſa hincque amabili (noſtrates exprimunt: *Er ſiehet aus, wie der volle Mond, wie Milch und Blut, blühet wie eine volle Roſe*) vegeto atque alacri, hilari atque jucundo animo, conſpicui ſunt & temperamento ſanguineo-phlegmatico ſic dicto præditi, qui fibras nerveas ſatis & moderatius intenſas & ad motuum impreſſiones recipiendas ac propagandas ſatis habiles, pronas promptasque, ut moderato impulſu omnia blande ac placide ſuccedant. Hi item venas obtinent aut copioſas, ac anguſtas, aut copioſas & amplas, quales etiam homines plures in ſexu ſequiori reperiuntur & hi gaudent plethora naturali nec damnanda, quæ ſpeciatim etiam in hoc deprehenditur, Rurſus ex parte differt, quamvis proxime ad eum accedat ab eo, qui denſam cutem inſignem corporis & membrorum ſoliditatem harumque partium vim motricem atque elaſticam, ac robur, (quod a muſculorum duritie & magnitudine, fibris carneis, nervis ac tendinibus validis compoſitorum, & a copioſo bono ſanguinis & liquidi nervorum influxu dependet,) monſtrat quem veteres habitum adſtrictum vocant atque exercitiis corporis & laboribus durioribus quibusvis aëris & tempeſtatum injuriis, frigori calorique ventis quibusvis, fami ſitique & vigiliis periculisve variis ferendis, a primis incunabulis adſuetus, quibus velut induratus atque labori callum quaſi labore, obducto, magnam ſibi ſoliditatem atque denſitatem corporisque omniumque membrorum

atque nervorum & tendinum ac firmitudinem, caufis intrinfecis & extrinfecis morbiferis ipfisque animi pathematibus eorumque noxis refiftentem roburque conciliat, magis refiftens & reagens, ubi & omnia commode funt proportionata, ut in nationibus incultis, feris, plebejis, rufticis atque in agricolis, militibus, nautis itineribusque frequentibus &c. deditis ut & in ftupidis, tenerioris fenfus & motus expertibus cernitur & nobis de Davide R. Samfone, Samgaro, *in Sacris Bibliis*, item de pugilibus, Heroibus, de Hannibale, de Romulo, Remo, Thefeo, Asdrubale, de antiquis Teutonibus fub Ariovifto &c. ab Hiftoricis refertur. Talem, non quadratum quidem, fed in mediocritate velut confiftentem quivis fibi comparare deberet, quoniam non folummodo ad fanitatem & longævitatem confert, fed & in bonum publicum: Respublica enim præ aliis vegetis & robuftis, induratis hominibus atque civibus habet opus. Aft & hic bonus corporis habitus fuos, ut dicitur, patitur manes, qui in teneriorem & imbecillem non adeo facile cadunt. Nam licet non facile a caufis externis hi robufti patiantur, tamen a qualibet caufa interna haud difficile æque læduntur atque febribus & morbis chronicis, apoftematibus & fimilibus patent, ut paffim GALENVS teftatur. Sic debilibus puellis non adeo periculofa funt animi deliquia a minimis fæpe caufis tam frequenter incurrentia, quoniam illarum fanguis nimis diffolutus vix, vel faltem difficile concrefcit, quamvis etiam hæreat, impeditur. Pariter morbi inflammatorii felicius curantur in laxis, tenerioribus, fenfibilioribus, quam in robuftis valídoque labore duratis fubjectis atque denfis & folidioribus, ex eo forte, quod non adfit nimium robur vaforum, per quod denfantur nimis valide fluida. Confirmat hoc HIPPOCRATES *Sect. II. Coac. 45.* inquiens: *Exercitata ac denfa corpora citius a pleuriticis & pulmonariis morbis intereunt, quam otiofa;* ne alia plura ejusmodi afferamus. Attamen (ut antecedens paulo refpiciamus) non femper ii plethorici cenfendi, quibus facies rubet & corporis habitus turget, fed macilenti quoque fæpenumero vafa tamen numerofa ac ampla, fanguine non in carnes abfumto, fed intra vafa coacervato, multo, diftenta habent, atque nacti funt qualitatem fanguinis circulo, frequentiori alterandi & emendandi promptiorem occafionem, hoc nomine innotefcunt; ficuti e contrario non pro plethoricis femper habendi, qui pleniori, firmiori, compactiorique membrorum compage atque ifto athletico corporis habitu, fed magis naturali præditi funt, ut rurfum ruftici, aratores, hortulani, fodientes terram, ut plurimum bajuli laniones, piftores, fabri ferrarii & lignarii

rii & quoad diverſitatem climatis Septentrioni ſubjectarum Regionum inferioris Saxoniæ incolæ, Helvetici, Sueci, Norvegi &c. Quare non ex vaſtitate & pinguedine ac corpulentia corporis, quam extenſione a luxuriante ſanguine potius & amplitudine venarum plethoram metiamur. Singuli hi habitus & in infantibus cernuntur, quemadmodum Herculem in cunabulis jacentem cum colubro manibus arrepto valide luctantem fingunt ac pingunt; nos vero certius hinc, inde experimur, infantes a prima ætate ſucci plenos & obeſiores convulſionibus obnoxios eſſe brevique mori. Differt tandem ille etiam ab immenſa illa corpulentia, nunc quoad pinguedinem, nunc quoad carnem abundantem, nunc quoad utramque, qua corpus, a legitima nimirum nutrimenti convenientis, ſed uberioris appoſitione, non modo admodum deforme redditur, ſed & mirum in modum tanquam ſarcina vix perferenda, oneratur impedimentaque omnibus actionibus injicit, ut GALENVS *Lib. XIV. Meth. med. p. 15.* Nicomachum Smyrnæum ab Aeſculapio curatum eo corpulentiæ deveniſſe ſcribit, ut neque poſteriora tangere neque ſe movere potuerit, operationesque omnes ſenſibiliter habuerit impeditas. De Dionyſio Clearchi filio, Tyranno Syracuſano, legitur, eum ad tantam pinguedinem deveniſſe, ut vix oculorum uſura ſuperfuerit, hincque in ſummo vitæ periculo conſtitutum fuiſſe, ad quod præcavendum medici multis longis acutisque acubus continuo compunxerunt, ut ſenſus in carne exinde rediret. Sic & BARTHOLINVS *Cent. III. Hiſt. 88.* de puella undecim annorum refert, quæ pondere corporis ſui ducentas libras æquabat. Albertus Epiſcopus Wormatienſis adeo fuit ventro craſſus, ut adſpicientibus horrorem incuteret, tandem adipis mole ſuffocatus. Plura nimiæ craſſitiei & pinguedinis corporis exempla legere licet apud BENED. SYLVATICVM *Cent. IV. Conſ. LXX. fol. 563.* ROD. A CASTRO *de Morb. Mulier. p. 234.* TVLPIVM *Obſerv. Lib. III. cap. LV.* ZWINGERVM *Theatr. Vitæ Hum. p. 278. & 263.* SMETIVM *in Miſcel. p. 579.* PANAROLVM *Pent. IV. Obſ. 32.* BORELLVM *Cent. II. Obſ. II.* SENNERTVM *in Praxi P. I. Cap. IV. p. 21.* SCHENCKIVM *Lib. II. Obſerv. 218.* aliosque. TIMAEVM *Lib. VI. Caſ. 1. 2. 3.* MARC. DONATVM *Lib. V. c. II. Hiſt. med.* Cæterum Auctores diſtinctionem formant inter corpulentiam adipoſam vel ſaginoſam, ut in phlegmaticis carnoſam ut in ſanguineis, & denique mixtam. Conf. FORESTVS *Lib. XXXI. Obſ. X.* Tamen & hoc dicendum, quod hic habitus a cauſis extrinſecis, ſicuti eſt calor & frigus &c. non ita ex facili lædatur. Multum denique differt ab illo ſpecioſo ad ſpeciem ſaltem corporis habitu, morboſo magis

atque cachectico; nam licet hoc præditi habiliores videantur lacertisque torosis, minus tamen fidendum est: sanguis enim serosus nutrit quidem & carni musculosæ apponitur; tamen caro minus firma est compacta, sed flaccida potius & ipsi spiritus animales fatui.

§. IX. Inducunt talem corporis habitum natura & aliquando hereditaria velut a firmis parentibus genitis acquisitione (quæ in recens natis etiam visa est. V. *Misc. N. C. D. II. An. VI. Obs. 190.)* Ad eum quidem certo modo eoque non satis perspecto adhuc atque explorato dispositis haud difficulter atque ad hanc generationem superflui sanguinis juxta atque pinguedinis ac carnis faciunt, contenta vivendi ratio & incurius tranquillus placidusque animus atque frequentibus gaudiis quæ placant exhilaratus ejusque profunda securitas, quibus & philavtiam omnium cogitationum affectus inducentium, causam & principium accenseamus, ex qua hæ tres malæ concupiscentiæ, crapula, avaritia & inanis gloria oriuntur, (si quidem animadvertimus ex certis affectionibus animi, ex causis externis ac moralibus, certos humores in corpore humano, augeri, alterari atque moveri, ut ira bilem, moerore pituitam &c.) motiones corporis moderatiores & tempestivæ, ætas puerilis adolescentiæ & juventutis, atque adulta dum speciei propagandæ nondum vacat homo, sexus sequior. Porro disponit ad eum aëris clementia qualis est in vere atque autumno sanguinem augens, ut secundum GALENVM *Com. I.* æstas bilem, & hyems pituitam & regione temperata, isque (aër) etiam crassior, humidus, tepidus nullisque particulis salinis & acribus imbutus, hinc Germani corpulentiores Gallis & Italis, taleque regimen tam quoad hunc, quam reliqua, amictum, lectum, balnea, fortiora & frequentia corporis exercitia & labores &c. largus lautusque victus, Cerere Bacchoque affluens, sive cibi nutritivo succo abundantes, molles carnes, lactaria, (quibus & persæpe infantes tenelli non tam lactantur quam verius mactantur) farinacea, pulposa ac succulenta, pinguia atque oleosa, dulcia eaque blanda, heterogeneitatis expertia, temperata, roscida (utpote quæ Hippocrate, Celso, Galeno, docentibus præ aliis multum nutriunt) potus alimentosi non saltem siti restinguendæ sed & alendi corpori idonei crassi, fortes, spirituosi, vinna, quæ sunt potus & cibus, quæque sic nutriunt & saturant, sulphure suo, quo pollent alibili, qui enim copiosius vinum potant paucum cibum utplurimum assumunt, immo quæ & vel odore nutriunt ut HORAT. AVGENIVS asserit ac comprobat, (hinc oenopolæ pingues, succulenti & ventricosi) ut & cerevisiæ aliique liquores inebriantes, minusque diure-

tici, vita ſedentaria ac umbratilis, quies ſeu motuum neceſſariorum conſuetorumque intermiſſio ac ſegne otium, (quod dat vitia,) ſomnusque, qui a cibo etiam oritur profundus ac uberior, qui æque ac cibus nutrit confortatque functiones naturales, immo quo ſolo diu protracto animantia parciſſimo etiam aut prorſus nullo, victu ſuſtentantur, ut de urſis PLINIO, de gliribus ARISTOTELE referentibus, de muribus Alpinis & melibus item, habetur; Præclare hac de re HIPPOCRATES ſcripſit *Lib. I. de Diæta §. I. Homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret, contrarias enim inter ſe vires habent: Cibi & labores enim ea, quæ inſunt conſumere ſolent, cibi autem & potus ea, quæ evacuata ſunt, explent.* Præterea & plethora onerantur etiam graciliores, qui aſſuetas ſanguinis evacuationes per venæ ſectionem omiſerunt vel intermiſerunt. Excretiones autem naturales recte procedentes in tantum corpulentiam juvare videntur, in quantum eliminatis iisdem, quæ retenta alias moleſtiam corpori non unis modis crearent, nihil amplius nutritionem remoratur ſique eædem ſpeciatim per lotium & ſudores & genituram ſunt pauciores. Talemque etiam corporis habitum ſibi comparant, qui ſive ſimplici, tenuiori & parciori alimento uſi ſunt, ſive ex morbis longis & emaciantibus, ut phthiſi, hectica, febribus contumacioribus, intermittentibus, quartana, lymphaticis ardentibus & ſimilibus, lue venerea, ſcorbuto, gonorrhoea, hæmorrhagiis atque aliis id genus, quibus ſunt conflictati, eluctati, reſurgentes & convaleſcentes, inediam perpeſſi, atque exinde extenuati, ubi alimentis neceſſariis abutuntur atque indigentes ad lautum & largum victum citius juſto redeunt, præter modum ſe alunt ac ſaturant onerantque atque hac quoque ratione genio perlicenter indulgent, de quibus exemplum quoddam additur in *Actis Philoſoph. Anglic.* ab HENRICO OLDENBVRGIO collectis *p. 97. 48.* de viro quodam Ao. CIII. ætatis ſuæ ſubitanea morte exſtincto, qui pauper rure Londinum receptus opiparis cibis ac generoſis vinis enutritus, functionibus ſui corporis ſupra modum onuſtis, pulmonibusque ſuffarctis tandem ſuffocatione mortuus eſt. Aliud ex alia cauſa modo nominata ſubjungamus: SENNERTVS *Prax. L. V. c. IV.* dicit, ſe Nobilem noviſſe, qui ex febre maligna ita obeſus evaſerit, ut vix loco ſe movere potuerit, mole corporis quadringentarum librarum pondus excedente. Sæpenumero quoque multos ſic increſcere videbis, qui ex parum congruo aëre, ad meliorem redeunt, quique venere forte fruſtrata matrimonium contraxerunt alioque modo vitæ genus mutaverunt, item, qui poſt exoſum aliquod ſtudium ad quod invita Minerva tracti fuerunt & functio-

functiones quas coacti obierunt & exercuerunt, ad alias sibi convenientiores sunt dimissi, ut & eos qui in gravescente ætate subito a labore abstinent. Inter fœminas vero non paucas offendes, quæ aut infœcundæ sunt, atque quæ nunquam gravidæ fuerunt, aut quibus menstruæ purgationes supprimuntur, aut per ætatem cessant, aut quæ parere desierunt ut & eæ, quæ crebros partus expertæ sunt, per quos vasa amplientur &c. præsertim si genio quovis modo indulgeant. In utroque sexu huc quoque confert consuetudo mittendi sanguinem naturalis ac artificialis: exploratum enim est venæ sectionem sæpius repetitam ad plethoram disponere, tam cito regenerato sanguine; sed forte minus firmo & simul laxiore reddito corpore, huic facilius implendo, secundum enim observationem DODARTII *in Histor. Acad. scient. Ao. 1707. p. 234.* sedecim unciæ sanguinis per venæ sectionem eductæ intra quinque dierum spatium restituuntur in homine non debilitato. Veteres frictionibus assiduis ut & aquæ calidæ perfusione, quæ ab HIPPOCRATE *de Inter. affect.* & GALENO *Meth. Med. Lib. XIV. cap. XVI.* allegatur partes ad ruborem disponendo Ευσαρκωσιν eamque laudabilem sibi conciliarunt. Posthæc hoc denique memoremus, quod habet Celeberr. BOERHAAVIUS *in Instit. Med. p. 161.* illos fieri plethoricos & obesos, quibus artus fuerunt abscissi.

§. X. Quoniam vero hæc onerosa repletio superflua inutilis ac ideo mala dicta, quæ nimirum ad sanitatem sartam tectamque conservandam vitamque prorogandam magis noxia est, non statim manifeste lædit, sed per plures sæpe annos, quanquam non sine incommodo perfertur, sed tum demum quando vires sensibiliter premit & tardius progreditur actionesque corporis remoratur atque pervertit, consentaneum erit hujus rei explanationem præmittere simulque indicare, quando maxime hæc proposita solutio sine mora sit instituenda: siquidem & medici prudentis officium est, futuros præscire morbos non solum prædicere. Quemadmodum & multi hominum, tam illi, qui multorum insultus aliquando sustinuerunt, quam ii, qui ab iisdem per totum vitæ tempus immunes exstiterunt, affirmant, quod sæpius morbi ingruentis signa in se perceperint, qui vero per accuratam diætam, aut exercitium corporis conveniens, aut quandam evacuationem, aut naturæ robur, in prima herba interdum fuerit exstinctus. Sint igitur hic præ aliis juxta ipsam plethoram quæ sola per se sufficiens indicans esse posset, sequentia indicia: Quando non modo molestiæ, quæ gravant notabiliter augentur, sed & alia maxime urgentia indies ingruunt atque præcipue color in facie

& toto habitu mutatur, motus & robur partium solidarum languescit viresque sensibiliter deficiunt, lipothymiæ incidunt, quando plus huic constitutioni indies accedit, atque totius corporis habitus turgescentia sanguinis, insolitus fervor, universi corporis præsertim brachiorum & pedum stupor, formicationis sensus immo linguæ & palpebrarum spontaneus insignis languor, lassitudo & gravitas, non obstante, quod vel jejuni, vel modico tantum pastu saturati fuerint, (unde Hippocrates morbos prænunciat,) se produnt, indicio, quod in corpore tunc plus nutrimenti, quam opus sit, accessisse videatur. Motus enim solidorum motum fluidorum & spirituum supponit, atque ut a motu extraneo corporis vel membrorum fortiori lassitudo, ita & a causa interna idem fit; lassitudo vero spiritus vel imminutos, hinc morbos sequitur; vel gravatos vitio fluidorum innuit, hinc eos præcedit. Quando porro tinnitus aurium, dentium stridores, maxillarum contractiones linguæ plus debito rubræ quædam difficultas molestant, si nares alias concinne humescentes siccantur, & dolores capitis urgent, facies nimium colorata, rosea atque infusca turget, oculi qui, ut valent ita & corpus fere, immobiles tument, rubent, molesteque premuntur, ardorisve sensu afficiuntur, & fulgores quasi fluctuantes, subitoque evanescentes, ante eos observantur, labia item magis crassa fiunt, ac rubedine saturata, cum ardoris quadam perceptione, ac scissuris inficiuntur quando manus, quandoque totum corpus tremunt, manuum digiti intumescunt, ut minus inter easdem interstitium exoriatur, difficileque quasi a se invicem diducuntur ac complicantur. Talia signa prævalentis jam exsurgentisque nimirum in sanguine orgasmi quoque esse possunt vasa sanguifera distenta atque inflata præcipue in collo, anhelitusque difficilis ac laboriosus, qui maxime vel levi cursu, vel scalarum locorumque acclivium adscensu, sensim difficilior redditur, quo simul valde tali corporis aliove motu & exercitio præter modum incalescunt (calor enim major multum auget dispositionem ad putredinem) delassantur, in somnum frequens propensio rerum oblivio atque per quæ olim revelata sunt remedia, insomnia, (quorum observatio, non contemnendam in medicina utilitatem addit, tam præservationi, quam curationi inserviens, ut pluribus exponit JOEPSERIVS *In Isag. ad Vitam long. p. m.*) turbulenta, terrifica atque anxia, frequens in lecto corporis volutatio, cum requie inquieta & vigiliis involuntariis oculisque conniventibus, fames aucta, sitis frequens molesta, saliva spumescens atque crassescens, rursum nausea atque ciborum appetitus diminutus, rursumque extraordinarius

narius hujus, vel illius cibi aut potus desiderium atque ante prandii cœnæque tempus consuetum, falso a plurimis pro signo optimæ valetudinis habitum, siquidem in perfecte sanis eadem hora excitatur, nec non siccitates faucium, sudores nocturni. Porro pulsus magnus quidem quodammodo tamen depressus, pedum intumescentia, pruritus, quo loco vena est aliquando secta, pustulæ sanguineæ toto corpore efflorescentes animus aut inquietus, aut contristatus prostratus ac præter modum languescens ac desidiosum plane otium quærens, talia sunt. Ubi speciatim dicendo præsertim imminuuntur aut supprimuntur aut neglectæ fuerunt necessariæ aut consuetæ evacuationes, per sudores, alvum præcipue, lotium, narium hæmorrhagiam, hæmorrhoides, menses &c. aut intermissæ venæ sectiones, diuturnus exercitiorum corporis neglectus &c. atque exinde decubitus fiunt tum sanguinis tum fluidorum quorumcunque, a tota sanguinis massa secedentium, in principi quadam parte, maxime in cerebro, præcordiis, quo rerum statu proxime venturæ subitaneæ mortis periculum est colligendum, adeoque protinus congrua & apta auxilia ferantur. Hic mihi succurrit singularis plane atque rara observatio cujus mentionem facit I. N. PECHLINVS *Obs. 50. Lib. II.* de Sacerdote quodam, qui halitum semper fœtidum; quoties vero gravior quidam morbus instaret, gratum & odorem moschi referentem, spiravit. Suadent & hoc alia externa subinde occurrentia, ut, post constitutionem aëris austrinam humidam & calidam humores fundentem & colliquantem atque largos imbres, vasa prementes eorumque tonum relaxantes, aquilonares, sævientes venti, repente irruentes, fibrasque omnes valide constringentes atque subitæ & frequentes aliæ aëris mutationes. Ut alia tam causas quam potius signa repentinæ mortis futuræ longius, non recenseamus, ut quando v. g. ex cauterio solita evacuatio sponte cessat, ulcera inveterata præter exspectationem consolidantur, &c. Nec non alia accidentia hic ostendenda, tanquam causæ remotiores veniunt, ut si ab exercitiis fortioribus, aëris calore aucto, radiis solaribus, quibus nimium expositi fuerint, vino vel aliis quibusvis calefacientibus assumtis aliisque erroribus, in diæta commissis, ira aliisque animi pathematibus enormibus graviter agitati, sentiant in omnibus corporis musculis mollem, plenum ac distendentem quasi tumorem &c. Licet inquam & sine his indiciis præservationis gratia, ne scilicet res in deterius ruat, solutione, periculum anticipare conveniat: attamen tunc maxime iis apparentibus hoc necessarium est, sicuti HIPPOCRATES athletis nondum doloris sensum expertis, sed bene valentibus, eorum habitum solvere jubet, secun-

dum illud: facilius est, non admittere perniciosa, quam admissa moderari.

§. XI. Quoad prognosin hic pauca monenda restant, hoc unicum saltem adiiciamus, quod, quibus extrema plethora, optimoque hoc nomine notato corporis habitu, animus notanter deficit, eos periculosissimi maneant morbi, ocyus ingruentes, & quod, quo obesius est subjectum, eo periculosior sit status, quoniam in eo, minus venæ extendi accedere possunt. Quoad modum eventus autem hic quidem etiam notandum: Nimirum multi morbi a Natura, cujus varia eaque miranda sæpe molimina non edocta ea quidem, sapiente tamen visa, omnia omnibus juvante, ut HIPPOCRATES *Lib. de alimento* loquitur, atque motus suos occultis quidem non raro, certis tamen legibus ut plurimum exsequente, sponte solvuntur; æque ac præcaventur atque frequentius quam vulgo innotescit, per excretiones potissimum, quæ meliores atque utiliores ut plurimum iis, quæ ab arte fiunt, videntur. Etenim justo optimoque tempore & loco instituuntur, quæ artifex sæpius nescit eæque magis notabilem ac subitaneum præstant effectum, ut largi sudores in febribus intermittentibus, calorem illum præternaturalem solventes, febres item ipsæ, hæmorrhagiæ, fluxus hæmorrhoidalis & uterinus &c. documento sunt. Similem in modum quandoque hic exuperans corporis habitus vel sponte solvitur; hujus vero solutio quandoque summo cum levamine contingit; per excernicula tam sanguinis, (pauca illa quidem) quam seri (quarum plura dantur) vel frequentius narium larga hæmorrhagia, vel rarius hæmoptysi. Equidem his observatis effatum HIPPOCRATIS contradicere videtur *Aphor. 25. Sect. IV.* Sanguinem superne efferri qualiscunque is sit, malum est. Idem contingit per hæmorrhoidum, vel etiam in fœminis menstruorum fluxum spontaneum eumque solito uberiorem, interdum & per insolitos sudores, diuresin, diarrhœam imo dysenteriam, itemque vomitus hypochondriacos enormes humores varios, pituitosos, serosos, nidorosos atque adeo chyliformes imo adiposos excernentes. De quibus observationes binæ, in viris quibusdam Lipsiensibus occurrunt nimirum alter qui per XVII. circiter dies vomitibus vix coërcendis eusarcos quondam admodum extenuatus est alter per aliquot annos ex vita sedentaria admodum obesus factus, intra spatium vero duorum annorum subinde per aliquot dies diarrhœa spontanea simulque eructatione atque excretione liquati adipis ad dimidiam libram circiter cum euphoria tentatus est. Rarius id accidit per mictionem cruentam, quod *Hist. Morbor. Uratislav. Tom. I. p. 283. seq.* indicant, simul-

ſimulque CASP. HOFFMANNI verba *in Inſtitut. Lib. III. cap. XCVII.* huc facientia allegant: *Mictum ſanguinis accidere iis, quibus copia peccat ſanguinis, iisque ſingulis menſibus hanc exire ut videantur fœminarum Naturam induiſſe.* Hæc ſimul clare indicant ac docent, quod Natura, quæ ordinario ſuperflui quid ægre perfert, ſi non medica arte id auferatur, ſua ſponte ab illo ſe liberare ſatagat. Rariſſime vero ſit evacuatione gelatinoſi lactei nutricii humoris per umbilicum quam obſervavit SENNERTVS *Lib. V. Prax. P. I. Cap. IV. p. 22.*

§. XII. Hæc commemorata firmis ſtudioſe iterum iterumque ſervanda ſunt cavendumque, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur. Nam cum rebus noſtris nunquam bene agitur, niſi ut male confeſtim ſit nunquam quiete fruimur; niſi aut ea quæ noceant aut quam tumultus incommodaque excipiant, eaque ut plurimum majora. His itaque prælibatis de temperatione atque moderatione, imminutioneque, dejectione, extenuatione, debilitatione, ejusmodi corporis conſtitutionis atque tam ſanguinis quam obeſitatis carnoſæque corpulentiæ luxuriantis, & quæ non modo formæ corporis decus confœdant, ſed &, quod præcipuum, naturæ hinc oneri & detrimento ſunt, cogitandum, hosque ſcopos hasque intentiones exſequantur. Applicari hic & in exemplum aliquod poni poteſt illud S. AVGVSTINI *Tr. XIII. de Ver. Dom. Magnæ virtutis eſt, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis eſt, a felicitate non vinci. Scimus enim, cuique bono malum; ſed & cuique malo bonum ex adverſo oppoſitum eſſe.* Quare ſi præſertim ſigna paulo antea indicata ſe produnt præſervationis cauſa ſiquidem optabilius eſt, non experiri malum, quam ab eo liberari, ne in ſanitatis ac vitæ periculum res cedat, atque ut alia pericula ſimul quoque avertantur atque tollantur, hæ indicationes formentur hæcque indicata adornentur, ut alterationem atque medelam, hancque in contrarium mutationem conſequamur, per ejusmodi, quæ evacuationes & diſſolutiones maxime reſpiciunt. Tempore vernali & autumnali præcipue hæc alteratio neceſſaria eſt, quia corpora & humores illos increſcunt ob motus defectum, ſomni &c. augmentum. Hoc vero corpora graviora fiunt ob transſpirationem potiſſimum comminutam ſecundum utiliſſimum SANCTORII prognoſticon. Ea media atque remedia, quæ nimiam plenitudinem humorum, carnoſamque nimiam compagem atque obeſitatem ſimul auferunt ex triplici illo fonte æque ac alibi hauriri ſolent: Diæteticus hic fere primas tenet, ob varias rationes paſſim in ſequentibus commemorandas, atque in eo potiſſimum illæ inter ſex res non naturales dictæ & indifferentes quæ cibum

&

& potum, motum pariter & quietem juxta atque excernenda complectuntur. Temperantia hic quæ voluptatibus imperat, quæ ex gustu percipiuntur, & superflua odit & abigit, necessariis tantum obsequitur, quantum recta ratio permittit præsertim laudanda atque suadenda, cujus regula infallibilis est, solam necessitatem in his, quæ ad corpus spectant pro mensura habere. Pythagoræ primum diætam, qua in prandio buccellam saltem panis cum melle apponebat, ARISTOXENO perhibente, Timoniasque cœnas jusserim, quas terrestres & sine sanguine HORATIUS vocat passerinaque convivia. Scilicet victus idcirco valde tenuis simplex attenuans, bene salitus aliisque acrioribus condimentis stimulantibus confectus, durior & parcior (parum enim petit natura, opinio nimium, ventriculusque ipse paucis contentus est) injungendus: Equidem non eundem proponamus, quem quidam (V. TH. BARTHOL. *Orat.* XI.) suasit Regi suo ac equo, sed talem potius qualem propemodum Hispani splendide esurientes, hodie adhuc indicant, quando dicunt: malum aurantium, raphanum & dentiscalpium equestri ordine digna atque sufficientia fercula esse, ut fertur,) injungendus (sed Tantali pœnas nostris qui genium non libenter defraudent, quorumque venter auribus caret, proponimus). Cujus ratio eo dirigatur secundum proprium & debitum hominis officium ut tantum corpus conservetur, imo ejus sarcina dematur, non vero ulterius saginetur, secundum illud QVINTILIANI: *pravior omni fame sagina,* crapula multi, fame nemo ordinario perit, secundum illud Poëtæ:

Corporis ignari, mortem inter prandia sumunt.

& PLAUTI salutare monitum: *comedere oportet ut vivas, non vivere ut edas,* quo sane jam multum proficimus & quo Plato & Socrates, tenui victu, quem tenuerunt, vitam longius protraxerunt. Etenim hac in re etiam sicuti aliis, eo hodie perventum est, ut nemo propemodum, cum statu quem natura, quæ tamen omni arte potior, docet, quomodo nutriamur atque vivamus, dictitat, ac suadet, contentus sit: plurimi voluntatem corruptam sequuntur, intellectum quoque dein corrumpentem atque sibi perverse imaginantur, ac si homines in naturali statu a Deo conditi miseri essent: Quo igitur artificiosis ab hominibus inventis magis blanditiis irretiuntur, eo feliciores se æstimant sicque a commodo ac ordinato, in perversum plane ruunt. Sed adducendus est animus ad alia studia, quocirca ita fiat, ut ratio præsit, appetitus obtemperet; nam qui appetitus (ut cum CICERONE loquamur de *Offic. Lib.* 1. longius evagantur

tur & tanquam exultantes, ſive cupiendo, ſive fugiendo, non ſatis a ratione retinentur, hi ſine dubio finem & modum tranſeunt. Omni modo itaque evitent, omnem Attalicum eſculentorum & potulentorum apparatum atque ea, quæ alias in deliciis & æſtimio ſunt atque ad pamphagiam invitant, lautam ſcilicet & opiparam menſam variisque eduliis Apicium Luculleum, luxurioſiſſimum illum in modum comparatis, adornatam, ſaporum diverſorum delectamenta, ex quibus homo plus de cibis recipit, quam quidem debet, quæ certo modo magis conveniunt ægris, quam ſanis, atque carnibus copioſioribus, (quæ comeſtæ, carnem quoque generant, ut germanicum fert proverbium,) juniorum præſertim animalium, caprarum, vitulorum, porcellorum, cuniculorum, agnorum, pullorum gallinaceorum, columbarum, avium minorum ut alaudarum &c. & majorum caponum, phaſianorum. Fercula ſpeciatim non appetant, quæ conſtant ex oſtreis, pultibus ex ovis, oriza, amygdalis dulcibus, paſſulis, pineis, piſtaceis, mire pinguefacientibus, ſecundum BETTUM *de Ortu & natura ſanguinis Cap. II. Sect. IV.* hordeo, tritico, ſaccharo multo confectis, emulſionibus ſeminum oleoſorum, temperatorum gelatinoſis, butyro, melle dulcifluisque aliis variis, Verbo, menſam non accedant illis omnibus quæ nutrire dicuntur, juſculis conſiſtentibus & reſtaurantibus dictis ex carnibus & medullis animalium &c. paratis, (qualia e capone veteri apud veteres celebratiſſima fuerunt,) an ad nutriendum ſemper, an alterandum & medicandum, dubium, lacte & lacticiniis, gelatinis variis aliisque ejusmodi mollibus cibis facile ſubigendis ac multum oleo ſuo potiſſimum nutrientibus & uberiorem ſanguinem generantibus, plenam. Pariter ab abaco ſe avertant inſtructo, variis temetis iisque craſſioribus vinis & cereviſiis, tam hordeaceis, quam triticeis (quæ PLINIO jam male & poſtea HENRICO APRINCENSI α) audiebant omnes) craſſis multum alibilibus (ut ſunt Wratislavienſis, Schepuſium, Brunſvicenſis, Gardelebienſis, Hamburgenſis &c.) aliisque ejusmodi liquorum vinoſorum (a vi atque violentia quaſi ita dictorum unde & Liberum Patrem cornutum pinxerunt ejusque currui pantheras, tigrides junxerunt vid. IOH. NICOLAI *de Ritu Bachanal. Cap. II. §. I. & Cap. VIII. §. 2.*) ſpirituoſorum inebrantium atque potionum generibus (Videmus enim, bibulos citius plusque pingueſcere, quam multum come-

α) Vixit ſub HENRICO III. ANGLIAE REGE, verſiculis cereviſiam improbavit in HENELII *Sileſiograph. Renov. interpr.* M. I. FIBIGERO, *P. I. Cap. VI. p.* 737. legendis.

medentes). Hunc genialiter vivendi epulandique morem inquam cum tenuiter cibandi atque viliori modo, commutare fas eſt, eo nimirum, qui famelicis ſufficit. Quare pane eoque, qui furfures habet admixtos, utpote qui abſtergunt, ſicque inteſtinis irritatis velocem dejectionem efficiunt, quo tamen & Lanzonius *in Miſcel. N. C. D. III. A. I. obſ. 27.* his interdicit; ſecundum Hippocratem, quod omnis repletio mala, panis autem peſſima) ſale ſaltem culinari conſperſo, oleribus, leguminibus obſoniisque tenuibus braſſica, lactuca, milio, rapis, beta, atriplice, oxylapatho fructibus arborum exſiccatis, carnibus pecorum & piſcium, ſale fumoque exſiccatis, item cucumeribus, lactuca cucurbitis, piſis, viciis, lentibus, ciceribusque, fungis, myrtillis & ejusmodi aliis paucum alimentum, multas vero fæces concedentibus, cibationem inſtituant. Similiter modicis potulentis, (ſubtractio enim humidi celeriter minuit pinguedinem) itidem & tenuibus alvum lubricam reddentibus, aqua ſimplici qua non ſalubriorem animantibus dedit liquorem, ut cum Plinio loquamur, quamque vitam producere, ac propterea Syrios CCC. annos vixiſſe Lucianus refert *in Macrob.* quamque & panem natura tantum deſiderat; ad hæc enim nemo pauper eſt, aut cereviſia ſecundaria eaque bene lupulata, vino pauxillo illoque non temeto quidem ſedant atque Falerno, apud veteres celebratiſſimo, eoque vetuſto ac in ſpeciem redacto mellis aſperi (de quo Plinius *Lib. XIV. S. 8.* And. Baccius *L. de Conviv. Antiquor.* & Tibullus *L. I. Eleg. II.*

Fumoſos veteris præferre Falernos
Conſulis & Chio ſolvere vincla cado,

loquuntur) ſed ſic dicto cibario & oligophoro ſeu meraco, aut ſucco citri a Dolæo maxime laudato, berberum, phlegmate vitrioli, tinctura florum bellidis &c. confuſa, ſero lactis caprini &c. ſitim reſtinguant. Ad hos potus tenues calidos, eos quidem infuſa & decocta quoque herbarum & radicum, fabarum, ut theæ, coffee, veronicæ &c. referuntur ſimulque hic commendantur, præſertim ſi cum multo ſaccharo edulcorantur, id enim ſpecies eſt aceſcentis alimenti ſimulque aperitivum, attenuans atque diſſolvens, quod nimia diſſolutione partium oleoſarum ſanguinis (ſi in exceſſu adhibeatur) producere poſſit maciem. Tales potus antiqui vel ſimplices, vel cum aromatibus, ut myrrha, croco ſimilibusque odoratis coctos, uti *Epigrammate 113.* Martialis expreſſit:

Si

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno,
Convenit & melior fit sapor inde mero.

valetudinis tuendæ causa, copiosos admodum adhibuerunt, ex utili dein novas delicias perperam confinxit luxuria, nec hodie apud nos in his modus habetur. Prandium de cœtero non modo subtrahendum, sed & cœna aut minor solito assumenda aut plane omittenda. Certe ut satietas suo modo utilis est: ita ex aurea mediocritate magnum commodum ad universum corpus & nobilissima ejusdem viscera redundat, atque abstinentia inedia famesque, valida adversus vitia stomachi ex repletione & in robustis præsidia, merito æstimantur, quæque ut summas in secunda valetudine, ita & in adversa partes sibi vindicant. Conf. DOM. PANAROLVS *Pentecost. IV. Observ. 18.* Hinc veteres, Aegyptios imitati, sub morborum initia, inedia fuerunt usi, diatricon dicta. Legimus, Pomponium Atticum, Ciceroni amicissimum, hoc remedii genere præter spem ex gravissimo morbo convaluisse. Facit huc apprime HIPPOCRATIS effatum laude dignum, quod *Lib. IV. de morbis §. 10.* proponit: *Si homo parum edit & parum bibit in nullum morbum incidit;* ac CELSI *Lib. I. cap. III.* *Sive plus est, quam quod concoqui possit periclitari, ne corrumpatur, non oportet: Sive jam corruptum est, nihil commodius est, quam id qua via primum expelli potest, ejicere,* rursusque *Lib. II. cap. XVI. Neque ulla res magis adjuvat laborantem quam tempestiva abstinentia, quam etiam semper morborum initia desiderant.* Non indicatus abeat GALENVS *Comment. Sent. II. Aphor. 17.* docens: *Nullo in ejus locum, quod fuit vacuatum accedente alimento, fit, ut inedia vacuet.* Præter hos Autores, medicos, ipse SIRAC. utilissimas huc facientes diæteticas protulit regulas, *Cap. XIX. XXXI. &c.* Valet hic quoque illud Petrarchæ monitum: Si vis valens esse diuque vivere, aut pauper sis, aut pauperum in modum vivas, itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur & ad vires, non ad voluptatem. Imitentur nostri in frugalitate & in victu moderatione, juxta sacros Patriarchas, Hannibalem, Severum Imp. Antonium, Pompejum, Alexandrum Maced. R. Augustum Cæsar. Curium Rom. Imp. Catonem Censor. Epaminondam, Periclem, Agesilaum, Lacedæmonios, Gymnosophistas, Pythagoram, Zenonem, Socratem, Senecam multosque alios veteres Philosophos &c. Ast quotus quisque hæc capit atque hæc exempla imitatur? Atque ipsa natura morborum curatrix hanc abstinentiam indicat, ac proinde simul hac ipsa optime prospicit, quando appetitum imminuit aut saltem certa cibi & potus genera assumendi desiderium

rium inducit a ut faſtidio prohibet, nauſeam, atque adeo evacuationes, vomitum, diarrhœam, ſudores &c. excitat v. g. toto die apud nos audimus, homines, ubi ſimul ac, ægre aliqua ſaltem ex parte ſe habent, decoctum caffée, vinum, fumationes tabaci &c. quæ tamen alias valde appetebant, atque in deliciis habebant, reſpuere & ex eo futuram quandam ægritudinem, tanquam ex ſpecula, certo proſpectare atque prædicere. Ex his intelligimus quam utile ſit, vivere parce, continenter, ſevere, ſobrie. Idcirco & veteres in morborum curationibus, abſtinentia a cibo & potu, ut plurimum uſi fuere. Præter hanc victus rationem ſegne otium atque uberior quoque ſomnus (quo longior enim ille, eo auctior appetitus atque digeſtio, hinc ſomnus optimus coquus) de die, & poſt prandium præſertim, & in lecto molli (quin & durus magis confert, quem etiam facile perferunt, ex quo illud factum eſt jam tritum proverbium: *Wer Fleiſch am Leibe hat, liegt niemahls hart*) & nimium calefaciente, ac oneroſo protractus, evitetur ſecundum Plinii effatum *Lib. II. cap. LIII.* Somno concoquere corpulentiæ quam firmitati utilius, pervigilio, quidem præcipue vincuntur cibi; ſed multis vigiliis, aſſiduisque lucubrationibus & ſtudiis, profundisque meditationibus, occupationibus, conjunctis curis, (quas Ovidius artuum depopulatores dicit,) variisque moleſtiis duroque quodammodo vivendi genere perferendis aſveſcant atque corpus laboribus & exercitiis vehementibus magno partium attritu, agentibus, ſub die ac ſole præſertim inſtitutis equitatione ſubſultante atque ſuccuſſante, pugillatu, luctatu, pilæ luſu in ſphæriſterio, curſu, ludo, illo quo globi ad conos jactantur ad incaleſcentiam ac ſudoris ejusque copioſi excretionibus usque protractis commoveatur. Annotavit hoc Sanctorius in ſuis obſervationibus ſcribens: *Sect. V. IX. Exercitio corpora leviora fiunt, omnes quippe partes, præcipue muſculi & ligamenta motu ab excrementis purgantur, perſpirabile ad exhalationem præparatur & ſpiritus tenuiores fiunt: ita quicquid ſit humoris ſuperflui, id fortius foras exprimitur atque firmetur.* Per jugem enim moderatum tamen & debitum corporis motum, fibras muſculares ſupra vaſa & glandulas valide nitentes agitantur, quo celerius ſanguis per vaſa trajicitur, unde humores urgentur, comminuuntur, volatiliſantur aptique ad diaphoreſin & diureſin redduntur ſimulque calor ſuſcitatur augeturque, qui ſuccos gelatinoſos, pingues etiam in intimis corporis receſſibus, ut oſſibus diſſoluit, magis attenuat, diſſipat, atque conſumit, quemadmodum id v. gr. luculenter in febribus ardentibus experimur, eas celeriter & vehementer, per auctiorem earum calorem, ſuccos & pinguedinem

dinem

dinem corporis consumere & obesos, graciles extenuatosque reddere; nec aliis quam quæ huc usque per seriem recensuimus GALENVS usus est *Lib. VI. §. 2.* de sanitate tuenda, quibus quendam ejusmodi quadratum atque gravatum brevi levavit. Circa necessariam corporis motionem & cibationem HIPPOCRATES, *Lib. VI. de salubri diæta*, monet, ut pingues, qui graciles fieri volunt, omnes labores jejuni faciant & cibos assumere, anhelantes adhuc ex fatigatione. Ut balneum statim post cibum, completa prima digestione & inchoata secunda, multum juvat, ad pinguedinem, ita etiam in jejuno administratum corpore atque famelico eandem minuit. Huc quoque pertinent indumenta linea & lanea asperiora, grossiora & duriora atque pellicea vulpina, (quæ MAGNINVS *in Regim. Sanit. P. III. fol. 76.* eligit) eorumque frequens mutatio quæ membrorum superfluidates quoque ex parte desiccant. Hæc singula recensita ut HELMONTIVS his paucis verbis complexus est: *Claude os & aperi oculos:* ita & nos in summam contrahimus hoc memorato notissimo dicterio ab EPICTETO prolato: Abstine & sustine; sicque corpus labori; animum vero studiis aptent. Attamen & hoc monitum adjiciatur ut hæc mutatio paulatim fiat, quoniam subita mutatio genii quidem fraudatio, non tantum in pejus, sed etiam in melius vix periculo vacat. Atque ut caveant ne colliquatione, totius etiam tabem corporis universalem inducant. Ast iterum iterumque querelæ illius pervulgatæ memores, gulam neque hodie neque olim medicorum legibus morem gessisse atque ventrem, præcepta, non audivisse, veremur, ne hæc omnia in vanum dicantur: cum ad vitæ laboriosiorem & temperatiorem rationem redire nostri (cum primatibus opulentis iisque delicatis & mollibus res enim agitur, quare scripsit GALENVS, divites quam pauperes difficilius curari) vix unquam sustineant. Fatemur quidem in usu ciborum difficillimum esse, extra metas necessitatis, non abripi atque has præscriptas diæteticas leges duriores esse a PYTHAGORA scholæ suæ alumnis imperatas. Certe quinquennali illo silentio, cum victu tenui sanguineis, garrulitate omneque voluptatum genere captis, non poterat injungi unquam durius. Sed recogitent etiam quam parvo dimitti venter possit, atque quam modica stipe contentus sit, bono & firmo iccirco animo hoc difficile opus, hunc durum laborem aggrediantur, ægre quidem perficitur, sed perficitur tandem, si quædam sibi paulatim subtrahant seseque vincere in parvis constituant, ad difficiliora connitentes, memores, quod difficile jam commodum atque jucundum hæc mutatio hæcque adsuetudo reddat. Aër quem (ut recte HIPPO-

CRATES ait *a. a. & loc.* ferme ſemper regionis naturam, formas moresque ſequi comperies) bene temperatus, omnium ſuarum qualitatum reſpectu, atque qui alioquin ſalubris vocatur, non æque conducit, ſecundum PLATONIS placitum, de quo ferunt, ex Baſilio eum obeſitatis nimiæ pertæſum, Lyceum in, inſalubri horridoque loco exſtruxiſſe, quo corpus magis caſtigaret ſuum, quo; modo notamus, aërem humidiorem & tepidum nebulis frequentem craſſum & in loco uliginoſo & pingui exiſtentem, facere ad corporum obeſitatem: Hinc CICERO *Lib. de Fato* refert, tenue Athenis cœlum acutiores Atticos feciſſe, craſſum autem pingues Thebanos & valentes. Hic gravis craſſusque aër non modo ad obeſitatem ingerendam facit, ſed & ejusmodi homines, craſſis viſcidisque humoribus repleti, melius ſe habent in eo quam in tenui; forte, quod ille majori elatere ſit præditus & ob majus ſui pondus, magis in pulmonibus humores premat, ſicque facilem expeditamque circulationem ipſorum reddat, unde major reſpirandi facilitas, atque per conſequens obeſorum ſalubrior vita. Sicque porro novimus, ſoli arenoſi calidioris & ſiccioris atque Regionum calidiorum incolas quoad corporis habitum magis extenuatos pinguedinisque expertes conſpici atque frigidiorum. Conf. BROECKHUYSEN *Oecon. anim. p. 447.* ſiquidem & frigus hæc corpora facile perferunt. Calor vero valide exagitans, non ſolum ſanguinem reſolvit & ejicit, ſed & ipſam pinguedinem, ſpiſſam illam maſſam ita attenuat, ut a venarum poris atque oſculis reſorberi ſanguineæque maſſæ reduci & per arterias cum lotio expelli, queat. Conf. *§. IV.* Nec prorſus abſonum eſſe putamus, varietatem aëris crebramque mutationem ejus, qua mox in calidum, mox in frigidum converſio fit, huc quoque aliqua ex parte, facere. Pariter pinguis terra & aquoſa homines carnoſos atque craſſos alit & alta regio; ventoſa, duros, robuſtos, proceros. Talis regio noſtris ſeceſſui aptiſſima forte eſſet, qualis eſt illa, ad extremos Indiæ fines, circa fontes Gangis, fluvii, ſita, a Plinio depicta aut efficta, de cujus incolis ille refert, eos abſque ullo cibo potuque, halitu tantum & odore, e pomis floribusque captato, ſuſtentari, quo ſane hanc corpulentiam nimiam ſibi non contraherent, ſed imminuerent. Adhuc hypocauſta & cubicula nimium calefacta, diſſuademus, ut & decubitum in lecto perpendicularem atque ſupinum, hincque ſæpius accidit, ut plethorici opimi, aut apoplexia, aut catarrho ſuffocativo inter dormiendum tacti, mane in lecto mortui, inveniantur. Circa excreta nimia, calorem depauperantia atque retenta omnia, maſſam ſanguineam turbantia, paucis adhuc monendum, præter ea quæ in hoc genere dicuntur,

tur, excretiones cutaneas, hæmorrhoides, & in fœminis menſtruos ſanguinis fluxus, juvandos & promovendos: commune eſſe juvamentum patulam alvum habere & fluidam, ad quam uſum pilularum Ruffi, multi Practicorum, præ aliis commendant. Occaſione animi pathematum, quæ in hoc rerum ordine recenſentur, ſaltem innuimus, non optamus, nec adhortamur quod vel in vulgus notum eſt, iis, quæ conturbant, ut timore curis, ſolicitudinibus, triſtitia, mœrore, animi angoribus atque anxiis deſideriis ad quæ ambitio, vindicta & avaritia ſpectant, diu protractis inter ſpem & metum diutina fluctuatione, ira frequenti, (quæ & quibusdam aliis loco medicinæ eſt) zelotypia, invidia (quæ proverbio locum fecit, quo dicitur: *Er ſiehet aus wie der Neid*,) ſpe fruſtrata atque deſperatione meliora, cupiditate inhiante, atque amore intenſo flagrante (qui animi arbitrio quidem ſumitur, non deponitur, ut cum SENECA dicamus;) extenuari, diſſolvi atque adeo medullam in oſſibus liquari (ut vulgo dicitur) ſicque ſenſim corpus amitti: (unde illam dictionem Mnemoneuticam audimus: qui pallet, aut ægrotat, aut ſtudet, aut amat,) Confirmant hoc uno ore P. AEGINETTA *Lib. I. cap. XVII.* AETIVS *Lib. IV. c. LII.* & RHASES *Lib. IV. c. IX. ad Almanſ.* Modo monemus ut præ aliis & prudenter avertant, ſibique caveant ab iis, quæ improviſam validamque, in cerebro excitant commotionem, lætitiam ſubitam validamque incandeſcentiam, eamque majorem ac frequentiorem, brevem furorem dictam, terrorem ac timorem atque odio habeant amando, neque ſe perdant amando omnesque occaſiones, quæ ad ea ducere poſſent, omni ſtudio devitent: nam per hæc diameter vaſorum peſſime alteratur, motus ſanguinis atque humorum nec non undarum animalis fluidi ſpirituoſi, per nervos propulſi, præſertim in præcordia, perturbatur: unde motus cordis & totius ſanguinis ſubvertitur. Hinc legimus, nonnullos ex ſubito gaudio exſtinctos fuiſſe. Simulque patientiam præcipue commendatiſſimam ſibi habeant atque reliquis etiam voluptatibus imperent, alias odio habeant, & abigant, alias diſpenſent & ad ſanum modum redigant, memores, illum optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velint, ſed quantum debeant: Nec enim corpori ſoli ſubveniendum eſt, ſed etiam animo multo magis. His ſingulis frena injicienda quædam, ſuggerit Philoſophia, plura Medicina, ſed potiſſima Theologia.

§. XIII. Quæ vero per abſtinentiam, ab alimentis, aut etiam medicamentis (ſiquidem nonnulli ſunt, qui ea plane reſpuunt, aut quorum ventriculus abhorret) præcaveri, mitigari & tolli nequeunt

mala,

mala, illis utiliter ſuccurritur per auxilia chirurgica convenientiſſima, quæque naturæ vias, quibus morbos levat, imitantur, efficaciſſima quoque ſunt, & in inſtanti juvant adeoque maxime neceſſaria, ſi periculum eſt in mora, e. g. ſi ſubita ſuffocatio timenda, eaque æque propemodum ſat tuta, ſi circumſpecte adminiſtrentur, nec non reliqua remedia diætetica nimirum & pharmaceptica excludunt, ſed conjungi potius cum illis congrue debent, quare hic ſecundo loco collocanda veniunt, ut phlebotomia, craſſum ſanguinem, vaſa majora etiam diſtendentem, omnium optime minuens, pinguedinis & carnoſitatis nimiæ ſcaturiginem. Eaque vero ſit ſat larga & aliquoties ſubinde repetita, qualem plethorica carnoſaque & venis latis prædita ſubjecta facile ferre poſſunt, quaque optime citoque ab onere, quod moleſtabat, allevantur atque de vexatione ac irritatione liberantur, vaſis depletis ſpatiumque ſic ad expanſionem & conſtrictionem ſibi debitam, nactis. Verum nimis parca plus nocet, quam prodeſt, quare reſpondeat proportioni ſanguinis abundantis; Via quidem naturæ ad exitum & exonerationem monſtratur, ſed eadem nimis cito præcluſa, motus naturæ exacerbantur, ut tanto pertinacius intentioni excretoriæ inhæreant, varioſque ſpaſmos, congeſtiones impetuoſas, pertinaces, nec prius deſinentes ſuſcipiant, quam venæ ſectio ſit repetita, detracta ſic rite ſanguinis quadam copia, reliquus majori intra vaſa, ſpatio conceſſo, ſtatim liberius movetur, a motu liberiori & agitatione majore calor etiam magis ſuſcitatur, ſanguinis in activitate ſua exaltatur, ſpiritus fiunt ſubtiliores, omnia corporis humani munia felicius procedunt. Hoc evacuationis genus, athletis etiam primarium fuit. Certe mirum eſt quanta interdum ſanguinis copia ex corporibus bene habitis, per vulnera inflicta, ſine noxa effluat, quale v. g. notabile exemplum Hiſtorici narrant de Illuſtriſſimo Aurantiæ Principe Guilielmo Naſſoviæ, cui ab homicida, globulo ex ſclopeto ejecto, vena jugularis magna transjecta erat, qui licet per plures dies, maximam ſanguinis copiam effuderit, ſalvis tamen viribus evaſit. Largiores venæſectiones commendant veteres, qui ad animi usque deliquium frequenter eas permittebant, & in ſynochis ſpeciatim ſex libras ſanguinis emiſerunt. Aſt non eo usque hæ evacuationes æque ac illæ, per pharmaca factæ, perducendæ ſunt, ne præcipites ſubito omnes vires agantur, difficile iterum reſtituendæ, quæ & juxta diætam vinoſam, vitæ genus otioſum, menſuram mittendi ſanguinem determinant. Hoc optime monet HIPPOCRATES eodem aphoriſmo ſupra addacto, nempe *Sect. I. Aph. III.* Nam, non eo deveniendum ut vaſa extreme concidant, periculoſiſſimum enim

eſt,

eſt, ſed qualis fuerit ejus, qui ſuſtinere debet, natura, eo usque progrediendum. Quare exiſtimamus, apud nos ſemper tutiori via, ſolvi plethoram, ſeu minuere copiam & impetum ſanguinis, ut naturalis vaſorum contractio, ejus efficaciæ prævaleat adeoque contentus ſanguis reprimatur, per moderatas ac repetitas venæſectiones quam una largiſſima. Valde obeſi venæſectiones has tametſi præ pinguedine adminiſtrari poſſent, ægre ferunt, quoniam ſine dubio laxior ejusmodi habitus fibras lentius, reſpectu evacuationis contrahit, vel ſpiritus animales plures, ad hunc tonum efficiendum, quam qui ad hanc contractionem ſufficiunt, impenduntur, ex quo parcior ac inæqualis ſpirituum diſtributio & ad partes amandatio fit. Unde his evacuationibus ſanguinis, vaſa per ſe exilia, magis coarctantibus, utplurimum animo linquuntur. Hinc HIER. MERCVRIALIS *de Decorat. p. 29.* eas periculoſas pronunciat. Accedit & hoc quod illi qui habent exiles venas, etiam habeant exile & arctum cor. Addimus, quod, adtentione medicorum opus habet experientia id comprobante, obeſos atque plethoricos nonnullos, quanto frequentius venæſectiones adhibent, tanto magis hanc plenitudinem in dies iis augeri. Vicariæ cucurbitulæ ſcarificatæ ſunt, in brachiis pedibusque præcipue applicatæ, acutiſſimos etiam morbos præcaventes ac curantes, ut teſtatur PROSP. ALPINVS *in Med. Aegypt.* quæ & in his exilia vaſa ac poroſiores partes, obtinentibus, magis proficuæ, ut & cauteria & fonticuli, quos WALDSCHMIDIVS *in Not. ad Timæum* ſuadet, qui quidem ſenſim atque paulatim, chylum propter, pororum perverſionem, corruptum, evacuant, quemadmodum & videmus alios ab ulceribus præternaturalibus, emaciari. Nec inutilis nec inepta hæmorrhoidum, in diſpoſitis & in fœminis menſium provocatio, erit, dum ſupra indicavimus eas critice naturam moliri. Dionyſius Tyr. lateribus hirudinibus applicatis, ſuperfluum humorem ſibi ademit, AELIANO *Lib. VIII. var. Hiſt.* referente. Hæ ſanguinis miſſiones juxta primas vias repurgantia, etiam illum optime omnium ex parte explent ſcopum, quem HIPPOCRATES allegato *Aphoriſmo III. Lib. I. in fine* his verbis indicavit: *Quo corpus alterius nutricationis ceu convenientis, moderatæ adeoque melioris initium ſumat,* quod vel hoc indicio ſe prodit; quod omnes humores acriores fiant, ſi nihil novi chyli, ſanguini miſceatur. His jungendæ frictiones, pannis aſperis fortiores, frequentius matutinis veſpertinisque horis inducendæ, quæ ab ipſis carnibus primum tumefactis dein exinde gracilibus redditis, potenter ichores viſcidiuſculos emulgent. His enim depleto diminutoque alimento atque per eas ſanguine, hu-

morum tranſitus adhuc magis intenditur, ſuperflui adhuc in vaſis hærentes liquores foras excernuntur, atque, ſi quid reliquum extremis vaſis hæret impactum, hoc pacto diſſolvitur atque in gyrum actum, majori denique parte tranſpirat.

§. XIV. De Pharmacevtico fonte huc usque reſervato hac quidem cenſura apud HIPPOCRATEM legitur *Aph. Lib. II, Sect. II. §. 73. Qui bene habito ſunt corpore, ad medicationes, propinatis medicamentis ut putamus, moleſte ſe habent.* Certe remedia non mala illa quidem, ſed certa ac valida, aſt non ſemper ſecundum opinionem medici operantia, nec non æque tuta & ancipitia atque majori circumſpectione ac quidem priora in hoc etiam corporis ſtatu exhibenda: Hac de re, in genere GALENVS variis in locis, ut *Lib. de Opt. Sect. ad Traſybul. II. Method. Cap. XIII. Aphor. Com. III. Com. III. 15. L. III. ſimpl. C. XXIV. &c.* medicamenta nimirum non ſolum purgantia ſed & lenientia, præparantia & alterantia omnia, nocumentum nobis certum afferre; juvamentum vero incertum & dubium, egit. Medici enim & hoc curæ cordique habeant: *Vide ne obſis, etiamſi non proſis*, ne objiciatur iisdem, quod in Ducibus quoque bellicis ab aliis culpatur, non putaram. Atque adeo ſi priores ſcopi (primus præſertim, ſecundum illud: Diæta potior omni Hippocrate) rite admittuntur eosque exſequuntur fere hoc ſæpius ſuperſedere poſſent. Nimirum v. gr. medicamenta calidiora nimium exagitantia atque velocitatem ſanguinis & rarefactionem inducentia, plethoræ diſtendentis ſymptomata faciunt, acida, quæ hic commendanda veniunt chylificationem admodum lædere poſſunt, quorum etiam abuſum, cachexia, hydrops &c. immo mors haud raro inſequuntur, uti videre eſt ex *Miſcel. N. C. D. II. A. IX. Obſ. 219.* aut ſaltem periculoſa ſymptomata excipiunt, prout B. C. I. LANGIVS teſtatur *Oper. P. II. Prax. Cap. XII.* Sicque ſalivantia in valde obeſis, ſuffocationis periculum facile poſſunt afferre &c. Attamen cauſa non videtur eſſe hic omittendorum aut plane cum Aſclepiade, Pythagoricis ac Indorum Sapientibus (qui ex medicamentis unctiones ſaltem admittebant, v. JAMBLICHIVS *in vita Pythag.* STRABO *Geograph. Lib. XV.*) ac cum PARACELSO atque HELMONTIO rejiciendorum certorum horum atque validorum præſidiorum. Quin, potius neceſſaria videntur iis qui ſtrictam diætam, temperantiam & frugalitatem, taceamus abſtinentiam & inediam faſtidiunt atque neglectui & deſpectui habent, chirurgicasque operationes tanquam cruento modo ſævientes, horrent. Inter evacuantia, quibus ad naturæ proportionatas leges adornatis, ordinario morbi alioquin a repletione omnes oriundi, egent,

&

& universalia præmittenda subjungendaque, vomitoria ordinario agmen ducunt, quæ & hic admodum necessaria sunt, quoniam per horum hominum, (Sardanapali Regis Assyriorum ultimi in modum omni cupediarum, libidinis mollitieique genere effœminatissimi) quotidianam, sæpiusque repetitam ingluviem, eamque sæpius non tribus aut quatuor horis absolutam, sed ad crepusculum vel diluculum usque protractam illuvies cruditatum quoque ventriculum, (quem ideo voraginem Bacchique amphoram, non male quidem, dixeris,) gravans, accumulatur; eaque autem sint non tam leniora ex aqua tepida emollientibus & laxantibus vegetabilibus forte incoctis, olivarum oleo, butyro aut pinguedine mixtis, ut & radice illa hodie familiari ipecacuanhæ, sine addito stimulo, nauseam & multos saltem ructus molestissimos creante, parumque sæpe evacuante adeoque frustratos conatus, quos Medicina detestatur, relinquunt; sed ex tartaro potius emetico, mercurio vitæ, syrupo emetico Angeli Salæ, sulphure aurato antimonii & croco metallorum infusione adornata, præferantur. Hoc evacuationis genus nimium repletis & qui parum concoxerunt, suadet CELSVS *Lib. I. cap. III.* hancque adjicit rationem: *Sive plus est, quam quod concoqui possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet: Sive jam corruptum est, nihil commodius est, quam id qua via, primum expelli potest, ejicere.* Circa hæc, hæ cautelæ observandæ ne in principio medelæ instituendæ, statim exhibeantur, sed dempta prius aliqua ex parte sanguinis pinguedinisque plenitudine, per alia modo indicata remedia, non omissis aliis observandis, ne sanguinis ad superiora versus præsertim, raptus, invitetur, neve exinde labore pleni nisus, conquassationes, contorsionesque, constrictiones, imo animi deliquia, ruptiones, hæmorrhagiæ, hæmoptysis, apoplexia, inflammationes, herniæ aliaque mala inducantur, videlicet abdomen & caput linteaminibus tanquam vinculis injectis, paulo fortius constringendo, collare vero plane laxando, duos pannulos in rotunditatem circumvolutos super oculos ponendo, cum alio panno lato ligatos, naribus subinde vinosa & spirituosa, ut spiritum roris marini, quem aquam Reginæ Hungariæ vulgo vocant, calidam crustam panis tostam, vino imbutam, cinnamomoque caryophyllis aliisque aromatibus conspersam, admovendo, linguæ vel salis culinaris saltem quandam portionem, ingerendo &c. Tuncque sæpius reiteratis vicibus locum commodum invenire possunt. Hoc salutare monitum magna ex parte, æque de catharcticis iisque fortioribus valet, quæ licet non pari impetu ac violentia ac vomitoria agant, tamen, ut in pinguibus (qui æque ac prægraciles ad purgationem inepti

ſunt Aetio Autore) ita & atque præſertim plethoricis ſtimulo ſuo ac vellicatione, morſuque valido affluxum nimium ſanguinis ad partes principes inferiores, inteſtina cum ipſo ventriculo aliasque, ſæpius, & ex hoc, ſtaſes pariter, inflammationes, gangrænas & ſphacelum concitare ſolent. Quare, quando res agitur, an purgantia medicamenta, phlebotomias, an hæ illa ſequantur. Si cætera ſunt paria, ſi præſervationis cauſa inſtituenda, & ne circumſtantiæ quædam, urgens quoddam ſymptoma, hoc vel illud auxilium, præ altero ſuadent imo præcipiunt, Medicorum plurimi cenſent, viarum apertionem, atque corporum meabilitatem ſæpe quam maxime ante purgationem neceſſariam eſſe, ad quam etiam (venæſectionem) pertinere perhibent, quoniam vaſa nimis ſanguine diſtenta, hanc aliasque evacuationes impediunt, atque præpoſterum eſſe affirmant, ſanguinem mox, per phlebotomiam educendum, purgante prius depurare. Experientia inſuper convincit, adeo feliciter hoc conſilium ceſſiſſe, ut vacuatus ſimul & expurgatus ſine pharmaco homo ſit. Nam quando per venæ ſectionem vaſa ſunt depleta, purgans ampliora vaſa nactum, felicius & commodius heterogeneas partes, a ſanguine ſegregare poteſt. Galeno omne in eo ſtetit conſilium, unum atque idem ſentit VALESIVS *in Meth. Med. Lib. X. cap. II.* Audiamus hac de re modo LVDOV. DVRETVM, Medicum inclytum, qui ita in *Enarrat. in Hippocrat. Coac. Prænot.* commentatus eſt: *Vbicunque purgationis & phlebotomiæ neceſſarius incidit uſus, a phlebotomia auſpicandum.* Quoniam vero illud ICtorum axioma laudatiſſimum: Suum cuique tribuendum, etiam apud Medicos in multis, (præſertim atque ſpeciatim dicendo de medicamentis, cuivis morbo atque laboranti parti, debitis, non quoad quantitatem ſolummodo & qualitatem, operationem citiorem aut tardiorem exerentibus atque materiam motumque ſpectantibus; ſed & forma qua concinnari ſolent, apte adhibendis) quamplurimum valet; (ſed hic judicio opus eſt atque labore) ita & in his delectus quidam habendus: ſcilicet, ſalia colliquantia, neutra & acidula, ut cremor tartari, liquor terræ foliatæ tartari, tartarus vitriolatus, ſalia thermarum & acidularum aliorumque fontium medicatorum, ſtimulo majori ut ſcammonio ſulphurato acuata, decoctum tamarindorum, aquarum ſoteriarum, Sedlizenſium & Seidſchitzenſium, quæ ſalſæ & amaricantes dicuntur, potus, nec non alia, maſſa pilularum de ammoniaco Quercetani, cum mercurio dulci, auro fulminante &c. hic e re ſunt. Alii aloëtica & rhabarbarina & helleborata, pilulas tartareas aliaque hujus generis, quæ plenitudinem lymphatico pinguem, viſcerum, vaſorum & carnium tollunt, præferrent. Ad-

dimus

dimus, purgantia, in forma pulveris aut pillularum magis & præ aliis convenire, feliciusque operari, in obesis, ſucculentis, toroſis & carnoſis ſubjectis, utpote magis humidioribus. His accenſentur enemata ſæpius repetita, quæ ex ſpeciebus emollientibus, repurgantibus & carminativis componere aſſolent, ut herbis malvæ parietariæ, abſinthii, rutæ, ſcordii, floribus chamomillæ, radicibus liquiritiæ, altheæ, liliorum alborum, fibris hellebori nigri, ſeminibus lini, fœnugræci, &c. incoctis additis & ſolutis electuario lenitivo & hieræ cum agarico, nitro antimoniato, melle rutaceo, mercuriali, pulpa colocynthidis, aut croco metallorum, in petia ligatis, ſyrupo emetico Angeli Salæ, oleis lini, liliorum alborum &c. Hæc olim Romanorum athletis, qui, ut, copioſis alimentis ſe quotidie ſatiabant, ita & familiariſſima erant, quibus vomitionibus ex hyſſopo in aqua contrita, aceto, ſale melleque admixtis pennis ac loris vomitoriis, quæ in ventriculum intrudebant, vel digitalibus aliisque commentis (quod turpiter ingeſſerant, turpius egerunt, ut de his apud HIERONYMVM *adverſus Jovianum Col. 69. T. II.* legitur) & clyſmatibus tantum non quotidianis utebantur ante & poſt cœnam, ut CELSVS refert *Lib. I. cap. III.* Conf. Celeberr. SCHVLTZ *in Diſſ. de Athlet. Veter. eorumque diæta & habitu §. 61. ſeq.* Sic & apud SVETONIVM legimus *in Vitell. cap. XIII.* item in *Nerone Cap. XX.* Neronem Vitellium & Caligulam, Imperatores R. luxuriæ & commeſſationibus deditos, ut eisdem ſufficiebant, vomitandi conſuetudine, frequentiſſime uſos fuiſſe. Hæc (clyſmata juxta laxantia) protinus neceſſaria erunt, ubi alvus per aliquot dies obſtructa fuerit. Hæc ſingula evacuationis genera jam HIPPOCRATES præcepit *Lib. I. Aphor. XXII.* his verbis: *Qui a ſatietate veniunt morbi, vacuatione curantur.* Sequuntur diuretica, craſſa corpora, valde emaciantia, quale exemplum vide in HELMONTII *Tr. Latex humor neglecta §. 44.* & in SCHENCK. *Lib. III. Obſ. II.* ubi de diabete &c. utpote quæ juxta hæc, blandam, gelatinoſam, nutritiam, chyloſam, mucoſam viſcidiuſculamque humorum partem diſſolvunt atque per urinam evacuant, ut potiſſimum tartarea, ut tinctura tartari acris, & compoſita, tartarus tartariſatus, vitriolatus, terra foliata ejusque liquor, oleum per deliquium. FORESTVS *Lib. III. Obſerv. 10.* tartarum crudum cinnamomo ac zingiberi utiliter admiſcuit. Laudem & hic merentur pilulæ Mynſichti de Sandaracha dictæ, ſemen urticæ & fraxini cum vino hauſtum, a FERDINANDO *Obſerv. Cent. I. p. 274.* maxime celebratum, item terebinthinata, oxymel ſquilliticum, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, nitrum crudum, (quod GALENVS *Simpl. Med. L. IX.* præ aliis ſalibus potentius reputat,) ut & ſalia quædam

herbarum fixa, ononidis, geniſtæ, & quod BAPT. CODRONCHIVS valde extollit, abſinthii, ſpiritusque quidam mineralium ſecundum B. ETMVLLERVM vitrioli, nitri, ſalis, ſulphuris, ut & ex Regno animali petita illa ſale acri gaudentia, lumbricos terreſtres millepedes, cantharides &c. aliaque ejusmodi. Atque poſtea quoque ſudorifera, ſed non ſola nec ſemper (nam ſi viſcidus humor motrices gravet fibras non ſufficit ſudor) atque non ea valida quidem & moderatione etiam debita exhibita, quæ partibus nimirum non adeo activis & volatilibus ſanguinem ſegnius jam tardiusque, ob preſſa a pinguedinis copia, ejus vaſcula, meatus circulantem, multo exagitantibus humidumque neceſſarium abundantes pinguedinis moleculas diluens, ac temperans uberius juſto elicientibus ſicque viſciditatem ſimul augentibus conſtant; ſed media & fixiora, ut decocta lignorum ligni ſancti præſertim & ſaſſafras, V. TIMAEVS *Lib. VI. cap. VII.* & radicum, ſeminum, herbarum, florum, antimonium diaphoreticum ſimplex & martiale bezoardicum minerale, lapides cancrorum aliaque terreo ſalina & acida, amaricantia, alkalia, nec non tinctura antimonii, eſſentia ſuccini &c. Sale viperarum & theriaca obeſitatem feliciter ſe curaſſe gloriatur GALENVS *L. de ſan. tuenda VI. cap. VIII.* Simplici pulvere viperino cum ſucceſſu exoptato uſus eſt VELSCHIVS *Hecat. II. Obſ. 61.* Spiritui Cornu Cervi ſuper olibanum, myrrham & maſtichen deſtillato ſingulares vires tribuit DOLAEVS *in Encycl. chir.* Talia etiam externa in laconicis, balneis adhiberi ſolent. Si hæc non proficiant ſalivantia ex mercurio dulci excitata, quæ maxime extenuant & pinguedinem abſumunt, de quibus notabilem obſervationem apud BARTHOLINVM *Vol. I. Act. Haffn. Obſ.* 74. *p.* 164. legere potes, injungenda erunt.

§. XV. Ex alterantibus illis quidem præmiſſis evacuantibus, tam chirurgicis quam pharmaceuticis, huc quadrant mediocriter ſiccantia, ſalina, alkaliſata, neutra, nitrata attenuantia, aperientia, ut & muria, aqua marina quas HIPPOCRATES *de ſalub. diæta tex. VI.* præcipit, acida, martialia, ut limatura, crocus & cum aromatibus in pulvere ſtomachali Birk. tincturæ & reſolventia, (nam gelatinoſum per deliquium tranſit in feroſum,) qualia etiam ſunt aromatica, acuta aliaque acria, ut & amara, quæ attenuant nullumque nutrimentum ſuppeditant, ut ſalſamenta, item myrrha naſturtium, carduus benedictus, centaurium minus, abſinthium, cochlearia, petroſelinum, apium, aſparagus, ſemina erucæ, ſinapi, raphanus, cepæ, allium & vario modo adhibita ejusmodi alia, quo pilulæ de Sandaracha, Mynſichti, & ſpec. diacurc: dialaccæ, quas IOH. LANGIVS

in

in Epist. Med. Lib. I. p. 360. multis nominibus commendat, similiaque spectant. PLATERUS *Tr. III. Prax. p. 51.* piperis frequentem usum maciem inducere docet. Huc etiam iterum referuntur decocta, ut herbarum, lignorum, radicum, seminum præsertim, atriplicis, scordii, veronicæ, fumariæ, millefolii, acetosæ, lign. quajac. sassafras, aloes, Juniperi; rad. chinæ, tormentillæ, pimpinellæ, semen nigellæ &c. julorum coryli &c. Inter notissima & usitatissima sunt essentiæ quædam & elixiria ut elixir. propr. c. acido, Paracelsi &c. PLINIUS inter Latinos doctissimus Historiæ naturalis conditor *Lib. XIV. cap. XXX.* fraxini folia vino contrita, adeo extollit, ut etiam maciem, horum continuatum usum inferre asserat. Avicenna juxta trypheram minorem, theriacam proponit. Inter euporista ista vel simplex acetum frequenter haustum, habetur. V. CATTIERUM *Observ. XIII. Ephem. N. C. D. III. A. I. Observ. 27.* acetum squilliticum FONSECA *Consult. XXXII.* præfert. Alii lubentius fumo foliorum tabaci, potum cerevisiæ simul evitando, aut masticando ea, ex commendatione BORELLI *in Cent. II. Observ. II.* id efficere satagunt. Aliis potius ex commendatione SENNERTI *Prax. L. V. P. I. cap. XIV.* arrident aquæ fontium quorundam naturales, acidulæ, salsæ, sulphureæ aluminosæ, thermæ, inter quas præ aliis & notioribus Carolinæ & Hirschbergenses, Emsenses, Aquisgranenses, pro interno pariter atque externo usu eoque tam alteratorio, quam evacuatorio commendandæ, quæ humorum plethoram per halitum digerunt & evocant. TIMAEUS A GULDENKLEE *in Cas. & Observ. pract. Lib. VI. Cas. III.* scribit, quendam, postquam variis corpulentiam nimiam corrigere tentasset, tandem aquas fontis, prope arcem Gulzoviensem scaturientis, cum exoptato successu hausisse. Pluribus vero gratissimum forte esset, pharmacum quod *Collectanea Uratislav.* proponunt *A. 1718. mens. hyem. p. 697.* quod est vinum canariense singulis diebus ad ℥vj. assumendum, nisi simul abstinentia esset injuncta. Verum plane exulent medicamenta appetitum imminuentia.

§. XVI. Hæc præfata generatim, tum sanguinis præcipue ubertatem, tum intertextæ pinguedinis atque polysarciæ imminuendam spectabant, sed etiam proferuntur adhuc alia, quæ speciatim facile liquabilem pinguedinem luxuriantem seorsim atque in se spectatam cujus materia nutritia partes sanguinis oleosæ magis, (ob ostiolorum sanguinem e sacculis adiposis absorbentium forte amplitudinem secundum Sanctorinum collectæ) dejiciunt ut duriora, rigida, quæ ad occursum aliarum partium non flectuntur, tartarea, salina singula seaque maxime fixa, quæ nexum par-

partium oleosarum potenter disjungunt, acida, salsa, alkalia, quorsum & aquam calcis referunt Practici, nitrosa, sulphureaque victus & pharmaca calefacientia pariter ac refrigerantia, præter jam indicatas aquas thermales & purgationes ex aloe, rhabarbaro, nitro, castoreoque adjecto. GALENUS *XIV. Meth. Cap. XV.* præter sal ex viperis combustis, aquam salitam, alii aquam Tetucii, proponunt. Ab exper. quodam Practico sequens pulvis singulis diebus per duos menses drachmæ semis quantitate sumendus commendatur. ℞. ⊕℥ß. ○℥j. myrrhæ, thuris, cort. lign. Indic. rad. Sassaparill. a a ℥j. PANAROLUS *Pent. IV. Observ. XVIII.* sitim optimum & infallibile remedium dicit. CARDANUS *de Subtil. Lib. de plantis* memorat, Sanctium R. Hisp. crassitie monstrosum semine herbæ quam linguæ avis nominat, ad tempus curatum fuisse. Alii nucleos cerasorum saccharo confectos ac tartarum vini albi, loco salis communis cibis aspergendum proponunt. Externa quoque suadentur, præcipue balnea tam naturalia quam artificialia ex cineribus, alumine &c. parata eaque tam calida quam frigida, quæ apud veteres creberrimo in usu erant, quæque in eum hodie Angli præsertim revocant. De cætero si curiose quæras an pinguedo exuperans (de qua variæ jam allatæ observationes, præcipue ea a FABRIC. HILD. memorata, *Cent. VI. Obs. 97.* ubi refert, se in fœmina abdomine inciso adipem duas spithamas excedentem invenisse) chirurgi ope, sectione excidi possit, ut apud Scriptores legas licet; PLINIUS primus est, qui *Lib. II. cap. XXXVII.* hujus operationis mentionem facit, sequentibus: *L. Apronii Consularis viri filio, detractos adipes levatumque corpus immobili onere &c.* Dein ELIAS REISNERUS *Geneal. Basil. p. 275.* de Dedone V. Comite Rochl. Crasso cognominato scripsit, quod adipis excisionem passus sit. Haud obscuro autem indicio fabula se prodit in illa historia, quam Aelianus profert de Dionysio Eracleote, obeso, cui dormienti chirurgus cutim acubus cum successu pertuderit, adeo ut omnis inde exsudaverit pinguedo. Quam vero quæstionem alia trahit, oriturque dubitatio post dubitationem: an nimirum fidem mereatur semper assertum rem multis difficultatibus prementibus atque an non temeraria esset operatio periculique plena atque cum morte utplurimum conjuncta quod ex relationibus ejusmodi haud obscure colligitur. Nihilominus tamen non habeo, ambiguum neque inficiari volo pinguedinem nimirum sine magno talium hominum incommodo resecari posse. Quoad corpulentiam carnosam laxamque omnem difficilem ac propemodum vanam esse curam plurimi cum P. ZACHIA *VI. Q. M. L. Lib. III. T. I. Q. 6.* & RODER. A CASTRO *V. Lib. III. p. 230.* existi-

existimant, quod stamina semel annexa dissolui peculiarisque nutrimenti & solidorum constitutio immutari ægre possint, aut quod natura semel ad ejusmodi excessum prona, vix superetur. Attamen quia hujus caussa juxta peculiarem illam partium solidarum ad p. n. hoc incrementum, dispositionem atque justo majorem fibrarum dilatandi nutritiasque partes admittendi aptitudinem sanguinis lymphæque laudabilis copia est, singula quæ tam illam, quam pinguedinem exsiccant, refrenant, dissolvunt ac ejiciunt, cum qua communis fere evacuandi alterandique ratio intercedit, commendata, atque medicamenta ex nuce cupressi Mynf. balnea ex adstringentibus & sulphure parata aliquid præstare posse ipsorumque staminum carnosorum laxitatem reducere autumamus. GALENI, MERCVRIALIS, SENNERTI V. *Prax. L. V. P. I. cap. IV.* SYLVII *Pr. L. I. cap. XXXVIII.* DOLAEI *l. c.* TIMAEI *Lib. VI. Cas. 1.* aliorumque ductum secuti. Quibus commendatis adhuc innuimus denique e re esse, ut roborantia atque subadstringentia ejusmodi tonica dicta, soluto sic hoc corporis statu ad ulteriorem superfluorum, accretionem præcavendam, juxta ea huc usque recensita bene observanda atque subinde exhibenda proponantur: Qualia sunt castoreata, succinata, balsamica, ut balsamus peruvianus, sal volatile oleosum Sylvii ambrata, cydoniata, camphorata, mastichina, castoreata, succinata, tincturæ quædam & essentiæ, borraginis, buglossæ, millefolii, melissæ, cortex item peruvianus, quercus, terra sigillata, menta, bistorta, tormentilla, symphytum, flores balaustiorum, sanguis draconis, terra catechu, spongia itidem salicis cum vino rubro sumenda, crusta panis tosta cum aromatibus cinamomo, nuce moschata, vinoque rubro imbuta &c. Inter externa adhuc balnea & pediluvia commode locum inveniunt.





XIX.

DISSERTATIO MEDICA
DE
STATV CONVALESCENTIAE

PROOEMIVM.

VArie conſiderant Medici corpus humanum, ſanum nempe, ægrum & neutrum; hinc HEROPHILVS Chalced. haud ignobilis ſubtiliſque admodum ingenii in priſco ævo, Medicus & Anatomicus medicinam eſſe, ſcientiam dixit ſalubrium, inſalubrium atque neutrorum: A quo non alienus eſt GALENVS, quando *Art. Med. cap. VII.* ſignorum neutrorum meminit, atque *Lib. V. ſimpl. cap. VI.* mutationem ſanguinis in pus, ſpeciem mediam inter naturales & præternaturales appellat. Coincidit fere ARGENTERIVS, qui ſex eſſe Medici officia docuit, nimirum conſervare, mutare, præcavere, curare, mitigare & reficere. Non deſunt equidem eorum qui hanc ipſam rem in quæſtionem vocant & dubitationem & ſtatum neutrum cum Ariſtotele (quemadmodum Solon & Cato in Politicis etiam ſtatuebant) plane rejiciunt, eumque ſub ſanitatis latitudine vel ſtatu præter naturam & ſic ſub latitudine quoque morbi comprehendunt, i. e. vel ad phyſiologiam vel ad pathologiam referunt. Quorundam infida ſuſpicio non audet aut affirmare aut negare penitus, ut ſeſe autem extricarent facilius, dari eum dixerunt, ſi ſenſus arbitri ponantur; non dari, ſi rationi judicium permittatur. Iis jam prolixam litem non movebimus, inprimis cum jam hoc ipſum ab Celeberrimo etiamnum poſt fata WEDELIO in *Exerc. Medico-Phyſiol. Cent. II. Dec. IV. Exerc. V.* evictum atque probatum eſt, isque adeo firmum ac evidens hoc eſſe aſſerit, ut inſulſam cenſuram negantem dicat. Largiamur alias id potius ut & largiuntur Politici ſentiuntque potius, melius eſſe ex partibus ſtare quam medium eligere & ut de Thebæis legitur in bello cum Xerxe, neutralitatem, ut efferunt, neque amicos comparare nec inimicos tollere. Integrum itaque nobis quoque ſit affirmare, eſſe non alienum, ſi ex propinquo & medice rem conſide-

ſiderare velimus, atque bene diſtinguere, quod omnes omnium ſcientiarum Doctores bene docere volentes, omnino decet, ſi ſtatum neutrum, ſeu medium dicamus, atque ſtatuamus. Ipſum HIPPOCRATEM, Dictatorem noſtrum eum admittere variis in locis apparet, v. g. quando, (ne alios nominem) *Aph. V. Sect. II.* dicit, laſſitudines (quas ad ſtatum neutrum haud obſcure refert) ſpontaneæ prænuntiant morbos, & quando pruritum, lepram, ſcabiem, lichenes, vitiligines, alopeciam, non morbos vocat, ſed medium quaſi format ac turpitudines eſſe ſaltem aſſerit. Clarius rem exponere videtur, quando corpulentiam & firmum corporis habitum, athleticum vocatum, non eſſe ſecundum naturam ſed neutram potius vid. GORRHAEVS *Defin. med. p. 7.* Præter hæc varia quoque in Medicina occurrunt, quæ tam latitudinem ſanitatis quæ magna eſt æque ac ægritudinem reſpiciunt quam media ſeu neutra, ſub commoda hac denominatione veniunt, e. g. res non naturales, ſenectus, graviditas mulierum, conſtitutio hypochondriaca, ſcorbutica, phthiſica, calculoſa, podagrica, aliaque valetudinaria ſiquidem & ſomnambulos in ſtatu medio inter ſomnum & vigilias eſſe plurimi ſtatuunt, calidior aut frigidior, humidior aut ſiccior temperies &c. Nec omnes qui oculos ſanos habent, ut ait GALENVS, æque acute vident, ſed alii aliis perſpicaciores ſunt: ita etiam ſeſe res habet in auditu, progreſſu, curſu aliisque actionibus, quarum magna & inter ſanos differentia eſt. Sic plica polonica vel ruſſica vid. GEHEMA *de Pl. Pol.* (ſi ſcilicet, non paralyſi, arthritide, contracturis, colica, cœcitate &c. eſt ſtipata) æque ac illa pudendorum inter morbos refertur, eam vero habentes vix ægrotant. Sic ſcrupulus movetur, an mors ſubitanea, morbus ſit, & an ideo ſit curabilis &c. Similia habentur in therapia & chymia, ut ſalia neutra &c. Aliis quoque qui aliud forum ſequuntur idem uſu venit: Loquuntur Theologi de ſtatu neutro ſeu inter pium & impium, vid. *Apocal. III, v. 15.* Loquuntur de eo Politici. Quidam Philoſophorum quos ſomnus occupat, nec inter vivos nec inter mortuos, cenſent. Non ulterius, dicamus, de aliis rebus moralibus, æque ac phyſicis v. gr. quando par impar, crepuſculum, inter diem & noctem occurrit, quod OVIDIVS ita definit:

Quod tu nec tenebras nec poſſes dicere lucem.

nedum ad grammaticam ac forum latinum pertinentibus. Status neuter autem triplex eſt, ſtatus ſufficientiæ quando nimirum homo ab evexia declinat absque tamen manifeſta actionum læſione, ſufficiens tamen eſt virtus adhuc pro actionibus naturalibus exercendis, adeoque is nec

ſanus nec ægrotus eſt; decidentiæ quando ſenſim deſciſcunt ad morbum pravamque ſanitatem atque ipſi morbi ingruunt, adeoque futuri illi medici providentia præcavendi & convaleſcentiæ in qua analepſi nimirum, vires reficiendæ atque fovendæ de illis alia, de hoc hac vice erimus ſolliciti. Quam tractationem qualem qualem eo utiliorem cenſemus, quo magis obſervamus practicorum vulgus in hoc ſtatu ab officio ſuo deficere; plurimi enim eorum ſatis habent curaſſe morbum, pauciſſimi autem poſt eum neque de morbiferarum reliquiarum exſtirpatione, neque de robore deperdito naturæ & ventriculi apte reſtituendo vix cogitant, nedum operi huic adeo ſalutari & neceſſario auxiliatricem manum admovent, quo neglecto officio id efficiunt, ut non modo aut recidivis pejoribus, ſed & novis ſubinde longe periculoſioribus morbis plerumque ſuccedentibus anſam ſuppeditent, aut ut languentes lenta morte conficiantur, occaſionem ſuggerant. Prudentis, cauti ac ſeduli medici quævis curæ ſuæ concreditorum, commoda conſilio procurare, præterita reſpicere, præſentia ordinare ac regere, futurasque tempeſtive proſpicere nihil omittere, nec minima negligere ut majora ſerventur. Deus vero T. O. M. noſtrum conatum ex alto ſecundet faciatque clementer, ut cuncta cedant proſpere in ſummi ſui Nominis gloriam proximique commodum atque emolumentum.

§. I. QUid per convaleſcentiæ ſtatum ſignificetur, ex ipſo termino ſatis apparet: Eum nimirum humani corporis ſtatum, qui via ad ſalutem eſt, intellectum eſſe volumus, quo a præcedenti morbo quocunque modo quidem liberatus homo revaleſcit, & defectus aliquis priſtinæ ſanitatis atque vigoris a vehementia & diuturnitate illius (morbi) adhuc adeſt, adeoque nec ægrotus amplius cauſa morbi devicta, nec perfecte iterum ſanus eſt atque ad vitam neceſſariis muniis rite exercendis, non ſatis aptus. Is propemodum in eo ſtatu verſatur ac illi, qui inita pace, belli incommoda ſentiunt. Ex quo enim morbo prius defunctus & qui omnia tempora illorum quæ principium, augmentum, ſtatus & declinationem deſcribunt ſuperavit, nondum tamen ad perfectam ſanitatem immediate pervenit, ſed ordinario ipſi vires plus vel minus invalidæ ſunt omnesque propemodum animales functiones languidæ membraque ad ſuas conſuetas operationes exercendas, nondum ſatis reducta ac prout longior inprimis ac gravior vehementior pejorque morbus fuerit, conſopitis omnibus ſymptomatibus modo citius modo tardius & ſenſim ſenſimque ſomnum præſertim ac appetitum reſurgentem

ſen-

ſentire ac reſumere incipit vires, uſque dum vigorem naturalem atque ad priſtinum ſtatum redire priſtinaque munia hucusque intermiſſa atque conſueta obire poſſit ac convaleſcentia ſit perfecta & abſoluta, ſanitasque priſtina in integrum reſtituta. Quo ſimul falſa convaleſcentia in qua nimirum morbus adhuc durat, ſed multum eſt imminutus, a vera diſcernitur. Si quis morbus hoc nomine ſuſpectus, certe e. g. dyſenteria eſt, quæ non profligata putanda, ſi forſan ceſſaverint tormina, dejectiones ac æger melius ſe habere videatur. Nimirum ut explicatius paulo loquamur, in hoc ſtatu conſtitutos, quamvis de reliquo ſat bene ſe habeant, tamen per notabile adhuc temporis ſpatium deprehendimus graciliores, emaciatos & attenuatos, adeo ut perdito ſæpe in obeſis dimidio pondere corporis collapſa ſint omnia, cute laxa ſqualida rugoſaque flaccidis muſculis carneque tanquam monticulis notata, fronte caperata, oculis concavatis & conciſis quaſi ac trementibus membris, decolores, luridos aut pallidos, exſangues, contractis quaſi collapſisque venis, ſicciores & frigidiores inprimis, quoad partes extremas, imbecilles & languidos, commovendis valide membris haud pares, adeo ut ſæpius lecto affixi manere teneantur, vixque lecto ſeſe volvere, ſurgere aut incedere valeant aut audeant. Adeo tam parva cohæſio ſolidarum partium eſt, ut vix agant in contenta fluida; dum quieti recumbunt, ſat validi ab adſtantibus conſpiciuntur, loquuntur cum iis, illico rurſus obmuteſcunt, nec ad interrogata niſi cum tædio reſpondent. Quando vero reſurgunt ex lecto, curvi, tremuli genubusque vacillantibus incedunt. Tanta quandoque virium proſtratio adeſt, ut poſt petechias, purpuram albam profuſionem ſanguinis largiorem per fluxum illius ex naribus utero, inteſtino recto &c. animi deliquium quandoque incurrant. Palpebras nec attollere nec movere eos poſſe diceres. In quibusdam præſertim a phthiſi corpus adeo extenuatum & collapſum reperitur, ut macie pene confectum ſola cute viduata carnibus tegente oſſa deforme ac cadaveri imo ſceleto, quam vivo corpori ſimilius ſit, quemadmodum PLAVTVS *C. I. II. XXVI.* conqueritur: *oſſa atque pellis ſum miſer a macritudine.* Febre etiam acuta, continua laborans intra duarum ſeptimanarum ſpatium dimidium ſui ponderis perdere poteſt, contractis ſic vaſis prout minuitur liquidi copia. Interdum ſaltem de laſſitudine totius corporis & contuſionis quodam moleſto in artubus ſenſu conqueruntur, præſertim a perpeſſis epilepticis paroxyſmis atque febribus catarrhalibus, quod jamdum HIPPOCRATES *Lib. Epid. L. VI. Text. XCVI.* indicavit, quando inquit: Laſſitudines febribus ex catar-

rhis sunt familiarissimæ, quod per nervos aliqua pituitæ defluxio fiat. Alios rursus conquerentes audies: *Sie fühlen erst recht die Kranckheit:* Immo nonnulli affectibus dolorificis, arthritide, podagra, inflammatione quadam, erysipelate & similibus profligatis, re vera, per notabile interdum temporis spatium dolores adhuc sentire sibi imaginantur, quamdiu scilicet motus dolorosus semel impressus per nervos eodem modo continuatur. Immo hoc singulare quoque, quod ii quibus membrum aliquod corporis, pes aut crus, brachium, amputatione sublatum est, de dolore membri illius deficientis adhuc mutilati, mentis licet belle compotes conquerantur, qui & somnum impedit & major fere est molestiorque sæpe ipso ex vulnere amputationis nimirum dolore. Hujus ratio in eo consistere videtur, quod equidem is dolor superstes non in superstite equidem parte discissa sit, sed referendus vel ad statum nervorum, ab impressione pristina relictum, vel ad eorundem motum eundemque per omnes nervos sic læsos unum eundemque, sive ad vexationem eam ægerrime ferendam, qua nervi in tali vulneratione magna, discissi afficiuntur, sive a consensu membranarum atque nervorum; siquidem a sola saltem imaginationis vi, quæ mira quidem sæpe numero assolet objicere, nollem hocce phœnomenon deducere; si vero aliam quamcunque causam speciosiorem reddere velles, ambas manus libenter porrigam: Verum non modo dolorem sentiunt, sed & in sequentibus vitæ annis, hæmorrhagiæ, dysenteriæ & nimiæ pinguedini molestæ, nisi victum minuant, obnoxii evadunt, quoniam sanguis, qui in nutritionem rescissi membri impendi debebat, redundat ad reliqua. Hanc rem declarat observatio apud MALEBRANCH. invenienda *de inquir. verit. Lib. II. cap. VII. p. m. 94.* de ancilla quadam, quæ quum candelam admoveret, dum ægro quodam venæ pedis inciderentur, simul ac scalpellum a chirurgo vidit infixum, tantus pavor invasit artus ejusdem ut per quatriduum in eodem pedis loco quem viderat incidi, senserit dolorem, adeo acerbum, ut coacta fuerit decumbere, cujus rationem haud ineptam addit laudatus Autor, quod, spiritus in illas corporis partes vehementer se diffundant, quo illæ intensiores factæ, vehementiorem in mente excitent sensationem. Porro, plurimis tumida membra, præsertim pedes, quandoque totus corporis habitus, apparent. Nonnulli præsertim ardentem hecticam, febrem atque luem veneream perpessi, defluvium capillorum experiuntur. Totus corporis habitus levi madore humectatur, indicio lætoque augurio transpirationem per cutis poros, esse satis expeditum. In naribus titillationem quandam persentiscunt immo

sternu-

ſternutationibus exercentur, vel ſaltem conatus ad eas eique frequentes adſunt; lingua muco utplurimum obducta eſt. Aliis ſalivæ magna copia ſuccreſcit, quandoque tanta, ut dentes ſolito minus ſtabiles iisdem videantur quæque acrimonia, palato, non parum doloris inferat. Tinniunt aures atque auditus hebeſcit, ſomnolentia præſto eſt, aſt ſolicito utuntur ſomno, vertigine rotatur caput, oculi concavi quaſi apparent, palpebræ vero ſupremæ tument, ſpeciatim poſt convulſivos morbos ac ſoporoſos, apoplexiam itemque vertiginem &c. quod licet ab HIPPOCRATE jam ſit obſervatum vid. *in Epid. L. VI. Text. XXXI.* hodie vix attenditur. Cor porro frequenter palpitat, ſæpius appetitus penitus eſt dejectus, vix major vero ejus deſtructio obſervatur, quam poſt variolos. Quibusdam bene licet comedant, nihil tamen corpus proficit quod HIPPOCRATES jam dudum *31. Sect. II. Aph.* malum pronunciavit. Senſus fere omnes hebetiores ex ſpirituum animalium inopia eſſe ſolent, obſcure tactu res explorant digitis, flaccida carne conſpicuis, tanquam monticulis notata &c. Ulterius non attingamus alia accidentia, ut claudicationem a fractura colli femoris & ſimilia. Quoniam forte vitioſi humores appetitum deſtruentes, partim a calore febrili conſumti ſunt, partim a medicaminibus aut ipſa natura evacuati, atque quoniam febris præſupponitur ſublata, ideoque corpus & refrigeratum & iterum humeſcens. Utplurimum eſuriunt magis, ſitiunt minus, niſi a diarrhœis, dyſenteriis, cholera, febribus bilioſis atque ardentibus tamen ventriculus & digeſtio ejus debilis. Somnus ſæpe deficit aut inquietus non reficiens, ſpiritualſcentia ſanguinis & humorum impedita, quas tamen animales functiones redire ſentiunt; ructus inſurgunt eique ut & ſudores acidum ſpirant, flatus ex ano prodeunt frequentes qui ſi ſonori ſunt, Hippocrates bonum omen exinde cepit, argumento, una, cum redeunte interna tranſpiratione, nativum inteſtinalium fibrarum tonum, motum periſtalticum reſtitui, ita ut expreſſi vapores, vi quadam elidantur. Nauſea & faſtidium & ſingultus ſæpius moleſtiam injiciunt vago appetitu feruntur & varietate alimentorum delectantur, immo quædam illorum quandoque inſolita avidius atque, utplurimum acida magis appetunt aſſumtisque iis refocillatos ſe, quaſi ſentiunt. Nonnulli quando alimenta ſolida liberalius aſſumunt, ea vomitu mox rejiciunt, facile inebriantur, quia debilia capita cauſæ huic non reſiſtere poſſunt. Quibusdam præcipue iis, qui a morbis acutiſſimis reſurgunt, ut & qui peſte evadunt omnia quæ aſſumunt ſalſiſſima apparent. Quidam guſtum inſuavem & oris amarorem, quidam ſalis armoniaci ſaporem, æque moleſtum

eſtum obſervant. Ab animi pathematibus facile & ſæpius tentantur & afficiuntur, levique de cauſa terrore percutiuntur, & vel mentione injecta ingrati cujusdam, protinus exhorrent, ira non raro toti excandeſcunt, vel a leviſſima naucique cauſa ac ut dicitur a muſca, in propinquo conſidente pariete, irritari eos, præſertim qui phthiſi affecti fuerunt rurſus alios ſolvi confeſtim in gaudia, riſus, lacrymas videbis; ſæpius anxietate & tædio moleſtantur. Secretiones & excretiones fiunt lentiores, ſudoribus rurſus perluitur corpus nimiis illisque imprimis nocturnis, maxime a febribus diuturnis iique interdum frigidi eſſe ſolent, alvus utplurimum ſegnior eſt, non raro fæces mucidæ excernuntur quandoque etiam inteſtinorum lævitas notatur, præſertim menſium fœminarum fluxus ægre & tarde admodum revertitur. Pulſus & urina ſæpius ſat laudabiles ſe habent, niſi quod ille debilis adhuc perſentiſcatur ac hæc ſæpius pallida, tenuis atque aquoſa ac copioſa atque in aliis quandoque cum ardoris dolorisve moleſto ſenſu redditur v. GALEN. *L. XIV. de uſu part.* AVICENNA *XVIII. 3. Tract. 2. Cap. III.* DVRET. *in Comment. Cap. L. Lib. I. de Morb. int.* ZACVT. LVS. *Lib. II. Prax. Med. admir. Obſ. 78.* Senſus omnes hebetiores eſſe ſolent, atque obſcure res explorant. Quidam ab oblivione omnium fere rerum eaque per totum vitæ ſæpe ſpatium durante capiuntur, qualia notabilia exempla hinc inde leguntur hic vel duæ ſaltem obſervationes ex *Collect. Nat. & Med. Uratisl. Ao. 1723. menſe Aug. p. 217.* adduxiſſe ſufficiat. Inter alia phænomena, quæ in iis obſervamus, hoc notabile eſt, quod convaleſcentes ex morbis acutis maxime, ut febribus, utpote quoad alias functiones omnes languentes, ordinario ſicuti quandoque & vehementibus & periculoſis affectibus correpti v. KOZACK. *Tr. de ſale p. 383.* veneris ſtimulum, ex ſexu præſertim maſculino majorem quam antea ſentiant atque ad illam non raro etiam inviti cogantur, poſteaquam per quoddam temporis ſpatium jam, ſenſibiliorem ſcroti corrugationem experti fuerint, immo ipſum ſemen quandoque effundant, adeo ut per multas obſervationes conſtet, quod ſenes convaleſcentes ſalaces iterum redditi ſint, immo impotentia virili alias laborantes, ſatis potentes ſe præſtiterint. Vid. LOTICHIVM in *Lib. IV. fol. 424.* LEV. LEMNIVM *occult. N. M. p. 379.* Hoc & de ſe ipſo teſtatur AVERRHOES, qui cum in juventute ſemper calidis uteretur cibis, ſterilis fuit redditus, cum autem in morbum incideret, aliquantum mutato habitu ſeu temperamento fœcundus factus eſt. Singulare quid eſt, quod SALMVTH obſervavit; nimirum quidam a morbo diuturno neque excrementa alvi, neque lotium ſeorſim red-

reddere poterat, sed semper simul dejicere cogebatur. Rarius quidem accidit ut rejuvenescere quasi incipiant, quod in singularem naturæ curiositatem, senibus dentes renascantur, quod capilli cani capitis immo & barbæ fulvi coloris succrescant, quod florido faciei colore ad instar juvenum conspiciantur atque ut serpentes positis exuviis in novam juventutem redire dicantur, novum quasi corpus induere videantur, unde convalescere est juvenescere, quidam dixerunt &c. qualia exempla Auctores haud pauca collegerunt: ut PLEMPIUS in *Fundam. Med.* JOH. PETR. LOTICHIUS *Lib. IV. Cap. I. Obs. II.* CASP. SCHOTTUS *Lib. III. Phys. curios. Cap. XVI.* TH. BARTHOL. *Cent. V. Hist. XXVIII.* SACHSIUS *in Gammarol. Cap. VIII. p. 854.* Quidam eorum etiam observarunt, quod tota corporis compages imminuta collapsaque prætenuis ac pusilla atque monogramma quasi deprehensa fuerit. Ejusmodi historiam D. JACOBAEUS *in Act. Hafn. Ao. 71. & 72. obs. 115.* tradit nimirum chirurgus quidam, per errorem aquam fortem bibebat, unde tota membra ita contracta corrugataque fuerunt, ut, qui antea justam viri staturam habuit, deinceps vix pigmæi vel septennis pueri obtinuerit. In *Reg. Scient. Acad. Histor.* Auctore I. B. DU HAMEL notatur quod mulier XXII. annorum convalescens, ex diuturna ægritudine cœperit paulatim decrescere ad unius saltem pedis altitudinem, & quod post obitum, ossa exceptis dentibus, mollia, ad instar ceræ deprehensa fuerint & flexibilia, omnis cavitatis & medullæ expertia. Simile habet FERNELIUS *de Abd. rer. caus. Lib. II. c. IX. p. 121.* convalescenti ex morbo gravi, ossa brachiorum crurum & femorum tam mollia & flexibilia evasisse ut ceræ instar flecterentur, quæ balneo aluminoso restituta sunt. Aliud quoque exemplum ex RUELLIO adducitur. Porro quandoque cuticula secedit & nova succrescit. Accidit & non raro, ut illi qui per totum vitæ tempus valetudinarii fuerunt, post perpessos morbos integra demum dein sanitate per plures annorum series fruantur longævique evadant, quoniam notum est atque perspectum, sæpe morbos morborum esse remedia, causa sub decursu eorum ex motibus inductis totiesque repetitis, excussa, aut obstructionibus reseratis &c. quod maxime in febribus intermittentibus & acutis, variolis, scabie, diarrhœis &c. experimur; siquidem attenta observatio docet, pueros qui ante variolas, variis, oculorum & aurium defluxionibus, scabie, diarrhœis, tinea capitis, rhachitide, tabe, doloribus artuum, imbecillitate pedum & adultiores virgines quæ mensium retentione, laborarunt, post illas perpessas, integra

gra sanitate corporisque robore donari. Accidit & hoc frequentius adhuc, ut pueri ac adolescentes per morbos diuturnos & emaciantes, inprimis febres, phthisin, luem veneream & similes, soleant dein notabiliter increscere & in consistenti ætate quoque constituti uberius nutriri atque reddi obesos; senio vero pene confectos refici instaurarique ut juvenes viridesque quasi videantur, compluribusque vitam prolongari. SENNERTVS *Praxi Lib. V. P. I. c. XIV. p. 23.* refert: nobilem, post febrem malignam, adeo obesum redditum fuisse ut vix loco se movere potuerit. Accepimus convalescentes ut & senes & valetudinarios præterire pestem. De reliquo sanguis non raro melior & magis correctus, sed paucior, parciorem salis volatilis partem paucumque utplurimum serum, in se continens; atque autumamus, in sanguine a morbis debilitatorum si is destillandus esset, minus salis volatilis inveniri ac in ipsis febricitantium invenit Borrichius, vid. *Acta Hafn. Obs. 67.* Hoc jamdum affirmavit GALENVS vid. *de Arte M. Cap. ult.* & commonstravit P. M. DE CALDARIA *T. II. Oper. p. 35.* Ejusdem quoque prompta præ aliis refocillatio est. Non raro salsæ & fixiores ac terreæ & sulphureæ, biliosæ, pituitosæ, vappidæ, aquosæ, inertes, lentæ partes remanent redundantque, atque ipsa non raro materia pristina peccans, quæ morbum produxit, delitescit. Namque tales nocivæ partes & adeo firmiter sæpe impactæ sunt partibus, ut etiam repetitis evacuantibus vix educantur, vel sub ipsis morborum paroxysmis acerbioribus de novo elaborantur, absumtis subtilioribus, atque per longum durationis tempus relinquuntur, vel medicamentis copiosioribus & imprudenter adhibitis producuntur.

§. II. Quemadmodum a morbis corpus ejusque omnes partes vultus maxime atque temperamentum immo ipsa forma alterantur, ita alteratur quoque animus & ingenium atque mores qui corporis temperamentum tum in statu s. n. tum p. nat. sequuntur, mutantur varie, ut cum corpore novo, novam quoque animam inductam esse dixeris, adeoque & moraliter vitia convalescentes incurrunt melioraque interdum sequuntur, quoniam vigor mentis a vigore spirituum animalium procedit, qui & justa temperie & conformatione indigent, animi affectus mutant humores quemadmodum humores mutant vicissim affectus, ut pro ratione ætatum & consuetudinis animi vel levitas vel firmitas elicitur: siquidem scimus arthriticos, melancholicos & epilepticos præsertim esse sapientes & ingeniosos atque de ipsis adhuc ægris mira legimus, ut eos rudes ignarosque variis linguis loquutos fuisse, quale notabile exemplum

plum apud BORELLVM in *Hist. & Observ. rar. med. Cent. II. Obs. 54.* occurrit, ut plura jam taceamus; ita & toto die videmus, convalescentes animum aut præstantiorem, quod rarius (uti & alias adflictionem intellectum tribuere dicitur) aut debiliorem improbumque turpique forma turpidiorem quod frequenter accidit (siquidem alias & fragilitas humana plus in malum quam in bonum statum inclinat) prodere, ut quantum mutatos ab illis, quantum a pristina eos recessisse indole, conspici sæpe mirum videatur, qua de re quoque apud nos non unum habetur proverbium vel, ut alibi legitur:

Surgens ægrotus reprobus fit undique totus.

Velut conceptis pluribus ulterius verbis JOH. BVCHLER. *Sent. rhyth.* expressit:

Dum sumus afflicti, ne spes super ulla salutis
Vota Deo vita de meliore damus:
At si contingat morbo relevemur ut ipso
Regula vivendi, quæ fuit ante, manet.

In ægritudinibus certe omnes vitam meliorem promittere solent, paucissimi servant promissa, atque adeo, in pejora ruunt, animo elati, ac quasi non essent mortales, ut alii homines, ab infortunis superatis vix probiores reddi assolent quos enim ejusmodi, non emolliunt, indurant. Utinam convalescentium omnes, bene memores sint illius, quod recitat PLVTARCHVS in *Apoph. Reg.* de Antigono Mac. R. Nimirum a gravi morbo posteaquam convaluerat, dixit: Nihil pejus est, siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, quam simus mortales, ac deplorantibus amicis, ceu magnum malum, quod tam graviter ægrotasset, regessit: ex morbo plus accessisse boni quam mali, corpus extenuerat, sed animum reddidit modestiorem, corporis robori non nihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longe periculosissimum, proinde non pessime se res habet, quam levior morbus arcet pellitque majorem. Quidam enim eorum fiunt moratiores, tranquilliores, sedatiores, placidiores, leniores, remissiores, consideratiores, cautiores, animosi, alacres, hilares, ingeniosi, excitatiores, cujus rei exemplum singulare apud PECHLINVM modo laudatum in *Obs. p. 399. & seqq.* reperitur. Jamdudum ARISTOT. *Problem. II. Sect. XXX.* observavit, Marcum Syracusanum præstantiorem Poëtam, ex morbo quodam exstitisse. HVARTVS refert, quendam, ex febre continua, ingeniosum admodum fuisse factum. Nobis notus est bonarum literarum studiosus quidam, stupidus alias, qui postquam febre ardente laboravit, ingeniosus sat factus est;

quod sæpissime propemodum de febribus & morbis acutis quibusdam constat: sub iis enim humores viscidi & crassi per motum p. natur. inductum dividuntur, resolvuntur, subtilisantur, atque exaltantur, mobiliores & puriores redduntur. Confer. D. SENNERTUS in *Institut. p. 498.* P. FORESTUS *Observ. XX. L. X. p. 341.* S. R. A CASTRO. *Quæ ex quibus L. II. p. 97 &c.* Rursus evadunt etiam immorigeri magis, morosi, tristes, desides, deliri, stupidi, iracundi, adeo, ut vel umbræ suæ irascantur, quod utplurimum fit, ut vergunt semper homines in deterius: Quare, inter rarissima contingentia referendum illud, quod apud PLUTARCHUM legitur *Lib. de sera Num. vind.* hominem quendam ethnicum ex casu ab alto exstinctum fuisse visum, subito vero corroboratum ad se rediisse & incredibilem deinceps vitæ mutationem instituisse. Quæ vitia facile in naturam tandem transeunt. Morbi ut modo est adductum qui talem mutationem inducunt atque relinquunt, sunt ex iis, qui pertinaciores, graviores, diuturniores existunt & qui genus nervosum male afficiunt, humorum motum præter modum turbant, eumque præternaturalem iis inducunt, partes laudabiles, subtiliores, spirituosas, valde dissipant ac lympham cerebri aquosam ac quasi vappidam impuram atque ad stagnationem inclinantem, reddunt, cujus pars residua bona (spirituosa) non minus ac illa, quæ post morbum denuo secernitur, antea consuetum motuum typum, non repetere potest, viresque corporis animique imminuunt atque retundunt. Si qui alii morbi corpus, faciem, mores & animum mutant, certe febres intermittentes, diu affligentes sæpeque recurrentes, chronicæ, lentæ, hecticæ, acutæ, pestis, morbus hungaricus, epilepsia, podagra & maxime varioli atque morbilli, præcipue, si massa sanguinea non sufficienter depuretur, atque si quospiam maturioribus annis invadunt, id faciunt. Willisius vidit paralysin stupiditatem comitari aut præcedere. Eadem de vermibus PECHLINI observatio est. v. *Lib. II. obs. 42.* opinaturque hanc mutationem accidere, quoniam ab ea, irritatione, vellicatione atque compunctione quas inferunt sensilibus membranis, animus quoque irritatur & violenti perversique motus, lymphæ partibusque fluidis omnibus novique miri subinde impetus ac vibrationes, præcipue spiritibus immittuntur, quæ si longius extendantur in habitum vertuntur, vix ac ne vix quidem, expugnandæ. Puellam PRAESES XV. annorum novit, quæ a primo ætatis anno vermibus vexata est & adhuc sæpius vexatur ex quo valde stupida segnis & somnolenta facta est. Vel mulieres non inanem de vermibus conjecturam capiunt, si infantes ex improviso mores monstrent

muta-

mutatos. Notissimum est, homines epilepsia graviori afflictos, stupidos tandem reddi. Idem de infantibus, qui difficili dentitione graviter laborarunt, annotatum est. Huc & referendum, quod HEERIVS *in Obs. 23.* refert, juvenem stupenda memoria & excellenti ingenio praeditum, a philtro propinato morbum passum gravem, stupidissimum & rerum omnium rudem, redditum fuisse. Memorabile quoque est illud THVCYDIDIS, quod adducit, eos qui pestem Atheniensium evaserunt, adeo omnium fuisse oblitos, ut non solum familiarissimos sed & se ipsos non cognoverint. Legimus, post morbum graviorem Messalam Corvinum Oratorem Rom. proprii nominis oblivionem cepisse. Tales binas observationes *Collect. Uratislav. Ao. 1723. Mense Augusto pag. 217.* memorant Confer. & HOECHSTETTERVS *Obs. D. IV. p. 432.* Sic a lapsu, casu, ictu vulnere, stupidos reddi notissimum est. Quemadmodum porro efficacia animae ac phantasiae, in corporibus sensibilioribus, imbecillioribus ita & in convalescentibus sese potentius exerit, adeo, ut v. gr. quosdam morbos, ut epilepsiam variolos ipsam pestem, ex solo adspectu sibi contrahant, ac ex sola impressione ac imaginatione nonnulli, purgentur, vomant, sudent, salivent &c.

§. III. Inde vel leviter advertentibus ulterius animum constat, quae sint causae quique effectus: Sub morborum enim decursu, varia quidem ratione, nimia humorum secessione, parciori & conturbato somno ciborum appetentia destructa, vi ventriculi vacillante &c. ac per motus tales, vires perduntur atque vel spasmis & convulsionibus, partes solidae maxime vi sua elastica privantur, & vis ipsa motrix quasi consumitur: Sic a paroxysmo & impetu epileptico & febrili ingens totius corporis languor atque debilitas & ad motus obeundos magna impotentia remanet. Nam praeter modum extensae ac relaxatae fibrae motrices, deinceps non solum officio suo fungi, i. e. fluida impellere, nequeunt, sed & vitia occasione data, in se facile recipiunt. Facta sic circulatione sanguinis impeditiore vigoreque deperdito, humores noxii, ad illam partem congeruntur, decumbunt & stagnant, hinc morbi chronici, diuturni & maxime lenti nascuntur. Indicavit haec HIPPOCRATES *in Aphor. XXXII. Sect. IV.* Quibus a morbo restitutis quidpiam est infirmum ibi abscessus fiunt. Quo nobiliores & ad vitam magis necessariae partes & viscera sunt, quae morbus diu infestavit, eo graviora mala quae subsequi solent, metuenda. Rarius, tonus rigidior redditur. Vel succi utiles & necessarii ad vitalitatem quive partibus solidis omne robur motusque potentiam largiuntur, subtiles, lymphaticae, spiritibus animalibus turgidae, gelatino-

 sae,

ſæ, chyloſæ ac alimentoſæ, ipſe ſanguis vitæ theſaurus in quo plurimum caloris & ſpiritus, in quibus naturæ integritas viriumque robur potiſſimum conſiſtit, ut in alvi fluxionibus, item in extravaſatione ſeri, in cavitatem thoracis & abdominis, ſudoribus copioſis, ſalivatione uberiori, diuturna lactatione, gonorrhœa, fluore albo, inedia & maxime hæmorrhagiis, amittuntur, & per poros & vias undique obvias excernuntur & depelluntur, quibus exinanitis vaſa quæ eos vehebant, concidunt unde & cruditas ac intercepta diſtributio alimenti, atque univerſum ſanguificationis opus ceſſat, adeo ut alimenta etiam liberalius aſſumta ſanguinem in vaſis, vix augeant. Neque deſunt obſervationes, quæ teſtantur ex incisis venis loco ſanguinis humorem albicantem, lacti ſimilem effluxiſſe. Præter alia incommoda & ſanguinis imminuta quantitas, perſpirationem, reddit languidiorem, quoniam ad emunctoriorum tubulos & poros non ſatis pertingere, neque eos apertos ſervare poteſt, hinc concidunt & exitus ex cute intercluditur, hincque dein excrementa retenta, ſenſim pejora redduntur & corrumpuntur. Exploduntur quaſi ſpirituoſæ, ut in immanibus doloribus & diuturnis febribus & caloribus. Ex defectu dein pariter virium & ſpirituum, circulus ſanguinis quoque tardior fit, qui vix ſufficit, ut ex partibus præſertim inferioribus, pedibus ad cor tanquam longe ab iis remotum & per adſcenſum perpendicularem poſſit redire, ex quo cachexia & hydrops, tumores pedum œdematoſi, item varices aliique plures pertinaciſſimi morbi, preſſo pede, ſequuntur. Hic ſpirituum animalium defectus, certe principalis cauſa eſt quare remaneant ſordes excrementitiæ actuoſæ, in ſanguine, ipſeque ad corruptionem diſponatur, circulo dein ſanguinis languido facto ac tardo, via ſternitur expedita, ad motum inteſtinum ſubeundum peregrinum, ſicuti enim motus localis corporis, putredini reſiſtit, ita quies & motus ejus, impeditus, ad illam diſponit. Præter has partes laudabiles hoc in ſtatu deficientes, etiam bilis nominanda eſt, de cujus defectu FERNELIVS *in Pathol.* MOEBIVS *in Fund. phyſiol. & Miſcell. N. Curioſ. D. II. Obſ. 224.* teſtantur. Vel per motum ſanguinis inteſtinum præter naturam auctum laudabiles partes vitiantur & excrementitiæ ſalino ſulphureæ redduntur, adeo utut licet alimentis etiam inſipidis ac ſalſedinis expertibus veſcantur, nihilominus tamen & ſudor & urina & fæces alvinæ copioſis particulis ſalino-ſulphureis abundant aut humores impuri, vappidi, atque crudi, lentiores, pituitoſi, craſſi, terrei, acidi, inertes, relinquuntur, qui naturæ oneri ſunt & vitalem motum atque calorem magis ſupprimunt. Quo ſcire licet, turbationem ſanguinis circulo-

culo suo subsequi etiam eam in crasi, tam sanguinis quam lymphæ, impuritate aucta sive ratione particularum viscidarum, crassarum, sive ratione salinarum & sulphurearum magis subtilium &c. Hinc languores, tumores, catarrhi, phthisis, cachexiæ, atrophiæ, hydropes, affectio hypochondriaca, colici dolores, febres continuæ, lentæ, paralyses, sopores aliique gravissimi & diuturni morbi oriuntur, qui, dum sanguinem in mixtura sua penitus destruunt, mortem ipsam inferre solent. Hinc & partes solidæ sic debilitatæ & marcidæ collabuntur, corrugantur, resiccantur, decidunt, pili capitis, immo quandoque barbæ, superciliorum ac palpebrarum vid. AELIANVS *Lib. XV. Hist. Animal.* AETIVS *Tetrabibl. IV. Serm. I. C. XXVIII.* quam pilorum & crinium, defluxionem, tabem & putrescentiam ac interitum observaverunt scriptores ex venenorum potu, ex morsu serpentis, salamandræ, vid. DIOSCORIDES *Lib. II. cap. LIV.* & magnus Naturæ Interpres, PLINIVS *Lib. X. Nat. Hist.* alii Observatores a lepra, lue venerea, hectica, & tabe, febribus ardentibus, cephalæa, provenire viderunt. Hic speciatim notatu dignum est, ea capitis parte quæ doluit, potissimum crines decidere, exarescente, cute ac denegato ad radices illorum nutrimento. Idem videmus frequentius in iis, qui sub morbi cursu, faciem, stragulis nimis cooperiunt. Quandoque dentes non modo mobiles fiunt, quin & excidunt, ex alimenti nempe defectu, alveolis amplioribus factis. Sudor largior fluit per cutem, roboreque suo destituto admodum debilitans. Esuriunt magis, inprimis a febribus, quoniam partim vitiosi humores appetitum demolientes vel per morbosos motus, a calore forte febrili sunt consumti vel per medicamina spontaneamque naturæ opem sunt evacuati, partim natura illud quod perditum est restituere satagit; non proinde vero sitiunt, quia præsupponitur febrem esse sublatam, ideoque corpus & refrigeratur & iterum humescit. Pulsus adhuc debilis deprehenditur, de debili cordis motu minusque hinc libera, sed impedita magis, circulatione totius sanguineæ massæ, testis. Cor palpitat, ob debile nervosum genus. Ob debilitatem ventriculi inductam, vel parcior ciborum, maxime solidiorum assumta quantitas, quæ fibras ejusdem aggravat & ultra sphæram elasticitatis distendit, per vomitum eadem iterum expelluntur. Appetunt acidula plerumque, quod arida hiulcaque & muco obsita lingua afflictæque ejus papillæ, nihil de aliis mitibus cibis quæ minus titillant ac afficiunt, percipiant indeque aliquam capiant delectationem. Ubi urinæ tenues aquosæ & copiosæ profluunt, indicium est, defectus caloris & spirituascentiæ, in fluidis partibus ex quo, multæ colliguntur aqueæ cruditates quæ

minus

minus commode per cutem difflari poſſunt, ſed ſubſiſtunt intus ac tandem per veſicam ſecedunt. Hinc conſpiciuntur tales urinæ potiſſimum a morbis diuturnioribus, præſertim a dyſenteria, a febribus acutis, exanthematicis, variolis &c. morbo hungarico. Ubi fæces mucidæ, pituitoſæ redduntur, pariter certum indicium præbent, imbecillis ventriculi & inteſtinorum digeſtionis ac alimentorum crudorum ingeſtionis. Flatus & murmura abdominis, per ventriculi & inteſtinorum cavum, atonia deperditum, oberrant. Fœminis a ſanguinis paucitate menſes emanent, & ſæpe ad duos tresve annos absque tamen inſigni damno, non revertuntur. Viſcera interiora quoque languent, immo oſſa quandoque mollia flexibilia & exſiccata deprehenduntur, ſecretiones & excretiones atque omnes actiones in corpore humano impediuntur, lentiores difficilioresque fiunt, atque nulla propemodum pars ſuo officio perfecte fungitur. Hinc & plethora morbifera, tam ad vaſa, fibris elaſticæ naturæ, nimia extenſione, debilioribus redditis, tam ad vires, ubi, ex imbecillitate virium, tardior fit humorum circulus. Quod vero ad venerem agantur, mihi quidem ratio videtur, quod ſeminalis liquor, non equidem auctus nimium, quadam acri caliditate exacuatur, prurigine, ad emiſſionem ſtimuletur, ſed quod ex perpeſſis illis morbis, in quibus nutritio, in toto corpore fuit, læſa, augeatur vitioſis humoribus, per eosdem conſumtis. Quo graviores & diuturniores morbi fuerunt, eo graviorem offenſam quoque deinceps experiuntur affecti, eoque pejus ſe habent, difficilius tardiusque rurſum convaleſcunt, immo facilius vehementius & periculoſius quam antea, ab iisdem atque aliis morbis, vel quoad ſpeciem ſimilibus, vel diverſis, aut eundem locum aut alium occupantibus atque ſubinde pejoris notæ, aliis paulo poſt, aliis poſt longum tempus inſequentibus, afficiuntur, tandemque ex iisdem moriuntur, niſi provida & tempeſtiva medela afferatur. Neque morbis ſaltem pereunt, ſed & ſine his inſequentibus, in ipſo convaleſcentiæ ſtatu, quod præſertim in affectibus thoracis, ut phthiſi atque iis qui internis inflammationibus & puris collectionibus radicantur, profligatis, ſæpius accidit, e vita decedunt, atque ex imbecillitate ſenſim ad mortem properant, nec diris aut vehementibus anxietatibus & cruciatibus, ſtridore, ſtertore, convulſione, membrorum inconſueto motu, clamoribus, ſtrangulatione &c. exagitantur, ſed placide moriuntur, ut in ſomnum potius labi, quam mori videantur. Quare monet GALENVS *Lib. III. ad Glauc. cap. II.* ne mirentur ac dicant incauti practici, morbum quidem curatum eſſe, hominem autem interiiſſe licet alibi *Lib. nempe I. de compoſ. medic.* neminem

unquam

unquam vi morbi in declinatione periisse, affirmaverit. Etenim persuasum omnino habemus, in declinatione morbi universali, neminem mori, saltem ex eo morbo cujus est illa declinatio, devicta enim aut expulsa tum est morbi causa; posset tamen quis in illo adhuc mori, ex alio morbo conjuncto vel superveniente, vel defectu requisitorum ad vitam, ut in senibus. Memoratu adhæc dignum videtur illud HIPPOCRATIS de cancro occulto dictum, quod curati ex eo citius intereant, quod ulterioribus observationibus confirmat P. M. ROSSIVS *Consult. & Observ. select. Chir. p. 145.* His consideratis constat, apud Medicos id non æque valere quod apud Jureconsultos valet. *Lib. XVI. quod sanatum ff. Aedil. Edict.* nimirum quod homo post morbum sanatum habendus sit tanquam si nunquam ægrotasset, & quid de proverbio isto habendum: *man soll sich nur vor der ersten Kranckheit hüten*, quia nimirum morbi vix ita transeunt, quin læsionem & mutationem quandam corporis partibus inferant, quæ postea occasionem ad varias labes suppeditare possit. Quoniam & inclinationes, mores, virtutes & vitia a corporis habitu, sanguinis temperie & motu, magna ex parte dependent, facile patet, quia humores alterantur, pro varia ratione cerebrumque & nervi afficiuntur, sub morbis animum quoque varie affici & alterari, ut laudatissime GALENVS explicuit, quod nempe temperiem corporis sequantur animi mores. Ex quo simul haud difficulter colligitur, medicinam ex accidenti etiam ipsum animum ejusque vitia sanare. Unde egregia sunt, quæ habet DEMOCRITVS *in Epist. ad Hippocr. Morbi hebetant animum, & augetur intelligentia præsente sanitate, & ubi corporis habitus ægrotat, neque mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem; morbus enim præsens vehementer animum obscurat intelligentiam, ad effectus per consensum ducens:* Plura circa hanc rem egregia vid apud HIPPOCRAT. *Lib. I. de vict. rat.*

§. IV. Tum morbi prægressi eorumque causæ magis aut minus atroces, tum ægrotantium constitutio nativa, vivendi ratio atque temperamentorum diversitas, robustior seu fortior corporis habitus, constans alias sanitas, aut subinde, morbis quassata atque ipsa ægrotandi consuetudo, corporis habitus laxior, mollior aut strictior, consuetudo, diæta bene observata & temperantia, atque frugalitas, aut inordinatus vivendi a recte valentibus modus, nec non ætas & sexus, medicamina atque methodus medendi adhibita, regimen servatum ut & anni tempora &c. faciunt inprimis ad certiorem vel minus talem, atque perfectam vel imperfectam difficiliorem aut faciliorem, tardiorem aut citiorem restitutionem ac ad constantiorem vel vacillantem futuram integram sanitatem.

Nimirum morbis benignis, levioribus, brevioribus, præ malignis, pertinacibus, longioribus & gravioribus facilior insequitur convalescentia. Lentius fere omnium vires recipiunt phthisici, aut alio interno extenuati viscerum ulcere, inflammationes, purpuram albam, petechias atque febres malignas, epidemicas ac anomalas passi. Sic etiam infantes, pueri, adolescentes, consistentis adhuc ætatis homines, facilius citiusque restituuntur senibus. De tenellulis vero infantibus observationibus suadentibus hoc addendum venit, quod illorum status sæpe numero in constans adeo sit, ut mox inopinato novas quasdam colligant vires adeoque convalescentiam in proclivi esse bene speremus; mox vero in subitaneum iterum periculum incidant ut de nulla amplius convalescentia ne cogitandum quidem sit, donec successive & præter omnem spem in meliorem statum convertantur. Illi qui ante morbos, cum quibus conflixerunt, temperanter vixerunt, variis injuriis aëris frigori ferendo ac duriori vitæ generi & potulentis frigidis potius quam calidis hodie nimium usitatis, adsuefacti sunt, animoque incurio, constanti fiducia ac spe certa obfirmato atque audaci prædicti sunt, qui corpus laboribus atque exercitiis exercuerunt, sicuti minus in morbos prolabuntur, ita a morbis convalescentes facilius & citius recolligunt vires, illis, qui, deliciis mollique otio, intemperantiæ, luxuriæ, animi affectibus contrariis & immoderatioribus præsertim mœrori & tristitiæ dediti & afflicti fuerunt. Rursus multa exempla ex lætitia subito reconvalescentium hinc inde notata, invenimus apud Historicos pariter ac Medicos quorum quædam collegit PECHLINVS *Lib. III. Observ. XXVII.* nec non ex musica talia desunt. Pauperes (cujus caussam exponit SYDENHAMIVS *in Opusc. p. 188.*) item divitibus, rustici, bajuli, milites, aulicis & literatis, fatui sapientibus, meliorem hoc intuitu adipiscuntur sortem. Quod sexum attinet, constat quidem, nobiliorem ex his, sequiorem ex aliis morbis, ex pluribus tamen hunc maxime febribus, ob serosiorem utplurimum massæ sanguineæ, constitutionem rarioremque partium solidarum inprimis cutis texturam facilius & promptius eluctari. De corporis vero habitu generatim hoc notatur, quod ii, qui graciliori molliori atque rariori facile transpirabili prædicti sunt, ut facilius læduntur, ita quoque promptius convalescant, quam ii qui obesiori aut densiori atque strictiori adeoque minus perspirabili gaudent. Propter facilem enim transpirationem, plus excrementorum aufertur & ideo citius ametria finitur. In densis vero corporibus ob partium constipationem, non solum difficulter excrementa dissipantur, sed etiam facillime cumulantur, unde postea, febres, obstru-

ctiones,

ctiones, inflammationes & plura ejusmodi mala, oriri solent. Ideo dicebat HIPPOCRATES *Lib. de Aliment. textu V. Raritas corporis ad transpirationem qua plus aufertur salubrior, densitas ejus ad transpirationem, qua minus aufertur insalubrior.* Et porro *qui probe perspirant, imbecillores & saniores & facile convalescunt, qui male perspirant, antequam ægrotent, robustiores, ægrotantes autem difficulter convalescunt.* Quo & blandior, benignior, humidior, sanguinis temperies est, eo felicior hominum conditio. De rufis habetur, eos in morbis præsertim acutis frequentius de vita periclitari, atque difficiliorem experiri convalescentiam, de quo confer. BALLONIVS *in Phar: Med. p. 8.* Quemadmodum de anni temporibus scimus, ea diversa diversos & frequentiores gravioresque parere morbos & eos vel contumaciores reddere, vel solvere, quæ HIPPOCRATES primum breviter quidem sed concinne satis exhibuit *III. Aphor. L. III. IV. VIII. IX. XX. XXI. XXII. XXIII.* quod & experientia docet: Vernali tempore evenire & pejores reddi maxime epilepsiam, profusiones sanguinis, gravedines, anginas, febres tertianas, impetigines & omnia fere nervorum ac articulorum vitia, lippitudines, deliria &c. æstivo, morbos acutos & febres ardentes, diarrhœas, dysenterias, ophthalmias, aurium dolores &c. autumno quartanas, hydropes, hypochondriacos affectus &c. hyeme affectus soporosos, tusses, pleuritides, variolos, morbillos, febres lymphaticas &c. ita his pro eorum diversitate diversimode afficiuntur convalescentes; sic tempore autumnali hyemalique ægerrime tardiusque convalescunt, adeo, ut observatione constet multiplici, mori plures autumno: Cujus causam non immerito cum SYDENHAMIO vid. *Method. Cur. Feb. S. I.* in sanguinem tunc a progressæ ætatis calore, per morbi cursum, in hoc tempus incidentis, ad pauperiem summam redactam, quasi, ac in spiritus animales maxime ob id consumtos rejicimus. Observatur & sæpius, ægros, quamvis restitutos sequenti tamen æquinoctio mori; vernale autem tempus est convalescentibus omnium faustissimum, quo per salubres plantarum exhalationes refocillantur languidi viresque mentis redeunt, ubi torpidus, sanguis per partes tenuiores ad massam humorum penetrantes, blande exagitatur. Generatim insuper dicendo aëre existente nubilo, turbido, pluvioso & regnantibus diu ventis meridionalibus & occidentalibus, humidis, convalescentiam ægre procedere, longe felicius vero sub aëre sereno, puro, frigidiusculo. Hoc persistente homines ad actiones redduntur alacres, lætantur imo frontem exporrigunt hypochondriaci, atque monstrant serenam, mœrore affecti contristatique hilarescunt, nec jocos adversantur atque ipsa animan-

tia, bruta, novo quasi vigore excitantur, gaudent & ad omnes labores sustinendos plurimum valent. Celeberrimus FRID. HOFFMANNVS ut legere licet in *Med. Rat. Syst. T. II. p. 425. §. III. in Schol.* observavit, a declinatione morborum, recuperationem placidi somni, appetentiæ & vigoris animi & corporis, sub argenti vivi humiliori statu in barometro difficillimam fuisse; cum primum vero loca altiora petiit mercurius, mox languorem decessisse & vires increscere cœpisse. Juxta hæc pharmaca quædam præpostere & copiose nimis, in acutis præsertim & intermittentibus atque vomitibus, diarrhœis & dysenteriis adhibita, convalescentibus obesse possunt, v. g. terrea, incrassantia, præcipitantia, figentia, constringentia, acida, austera, aluminosa, vitriolica, martialia, refrigerantia, opiata, ut & in aliis morbis v. g. pectoris, tussi, catarrhis &c. dulcia, saccharata, syrupi, electuaria & ejusmodi, quæ humores conglutinant, & digestionem ventriculi ejusque tonum adeo lædunt, ut cachexia, hectica, hydrops, asthma, cardialgia, spasmi hypochondriaci, tabes &c. exinde sequantur. His casibus atque periculis plura alia medicamina sunt opportuna, ut, evacuantia, purgantia, drastica, vomitoria, sudorifera salivantia, diuretica &c. non debito modo & tempore adhibita, quæ ægros debilitant, & succos ad vitalitatem necessarios, profundunt, partes corrugant solidas & lædunt, earumque tonum perdunt, ac simul morbis chronicis expeditam viam parant. Aeque talia metuenda sunt si per methodum medendi perversam, alia ratione natura in secretionibus & excretionibus occupata, impedita fuerit: Siquidem & id attenta observatio docuit, pharmacomania laborantes, quales maxime hypochondriaci sunt, ob copiam & diversitatem remediorum nimiam haud facile convalescere, ut e contrario febricitantes, qui nausea medicamentorum tenentur, citius eluctari. Ad hoc scire licet, certos quosdam morbos, ut hectica, melancholia hypochondriaca, cachexia maxime, multa medicamenta haud ferre, satiusque esse in illorum curatione interdum, per aliquod tempus, ab omnibus remediis pharmaceuticis, abstinere, quam illorum usum longius continuare. Horum (medicaminum) auxilium quod præstiterunt, unice in convalescentibus incurrunt in sensus, errores vero circa illorum exhibitionem, non satis cautam commissi, una cum mortuis, humo teguntur. Neque auxilia chirurgica imprudenter adhibita hoc periculo expertia sunt; scilicet si ægris per venæ sectionem copiosior nimis sanguis subinde profusus fuerit, qui utplurimum crisi destituuntur atque non modo lentius & difficilius convalescunt, verum etiam nonnullis morbis ut febribus intermittentibus

præ-

præsertim & hydrope deinceps tentantur, sique in parca nimis quantitate eductus fuerit, non raro morbo licet superato, novos & pertinaces tumultus, in massa sanguinea concitat, ac si non in formales morbos erumpant, diu tamen male se habent, qui ægrotabant, ut melius fuisset, si plane ab hoc auxilio abstinuissent. Par periculum scarificationi incongrue adhibitæ propositum est, ut colligere licet ex D. SENNERT. *in Parall. p. 22.* Non raro ægrotantium culpa etiam hoc nomine accusanda, si nempe exactum regimen non adhibuerint, si v. g. justo calidius illud fornacis calore lectorumque coacervatione admiserint &c. atque debitam diætam reliquumque ordinem a Medico præscriptum non servaverint, siquidem hodie plerique ægrorum in Medicos imperium affectant, nec ab iis se regi patiuntur, sed voluntati suæ, appetitui & gulæ indulgent.

§. V. Indicant convalescentiam sive salutem, cujus spes & ratio omnis, in naturæ robore posita esse videtur, præ aliis in singulis propemodum morbis superatis vel superandis observanda signa. Talia sunt medicamentorum adhibitorum ex voto operatio, successus atque juvamen, morbi levamen ac imminutio, spirituum animalium corroboratio atque vigoris quædam sensibilis recuperatio, pruritus quidam tam in partibus externis quam internis, præsertim genitalibus, utpote maxime sensibilibus, scroti corrugatio, in quibusdam maxime acutis morbis, malignis dolosisque febribus, puncticulari &c. crassi & copiosi interdum humoris excretio, per aures, surditas atque obauditio v. HIPPOCRAT. *L. II. Epid. S. III. t. 20.* sternutatio (hinc ut accepimus in plurimis Italiæ Xenodochiis quando e. gr. incipiunt sternutare, eosdem medici dimittere solent) scintillularum ignis, quando oculi fricantur perceptio vid. FRANC. MERCVRII AB HELMONT. *Observ. circa hominem ejusque morbos p. 9. §. 9.* appetitus, vires brevi reparans, modice restitutus, præsertim si acidula papillas linguæ blande irritantia aliquamque delectationem ingerentia & carnes iterum appetuntur, ut enim depravatus imminutus aut dejectus morbum, sic restitutus sanitatem, indicat ventriculinam actio systematica est, i. e. a solidis æque ac fluidis corporis nostri partibus bene multis dependet; ideoque in plurimis morbis corruptus. Etenim & salivam movet, simulque alterum indicium convalescentiæ primum lætum atque gratum monstrat motum ventriculi peristalticum invalescentem, qui tum maxime in orificio ventriculi superiori admodum sensibili, potissimum juxta menstruum ventriculi vegetum suis partibus spirituosis & salinis vellicantibus operatur; quamvis

redeunti appetitui non ſemper fidendum, ſed potius ſimul videndum, an digeſtio ſine difficultate, flatibus, borborygmis, capitis perturbatione fiat, an alvus recte reſpondeat, an interior cum ſiti non percipiatur ſenſus, an non ſpiritus male oleat. Si porro ructus utplurimum acidi, nidoroſos ſequentes oriuntur & flatus iique ſonori obſervante Hippocrate prodeunt præſertim in alvi fluxionibus, coctionis rediturae prodromi, non quod acidum ſec. nat. in ventriculo hæreat, ſed quod acidæ cruditates, a morbo in ventriculo relictæ ſint, atque ventriculi & inteſtinorum tonus eorumque motus periſtalticus reſtituatur, ita ut vaporans materia elidatur vi & cum ſtrepitu erumpat, ſicque digeſtio antea deſtructa quantantenus inſtauretur, licet debilis adhuc, interim tamen melior ea eſt quam nulla, ut innuit EBENSINA *Lib. I. F. XVI. Tr. I. Cap. II.* inquiens: *Significat vivicationem caliditatis facientis evaporare vaporem quendam licet non ſit completa.* Singularis plane ejusmodi prodromus fuit, quem adducit PECHLINVS *Obſ. L. II.* oris nempe fœtor. Rurſum ſi excreta alvi & veſicæ non multum a naturali ſtatu quoad conſiſtentiam & tincturam recedunt & ordinate dejiciuntur ſi ſigna critica alia ſe produnt, ſi ſalivæ fluxus uberius ſe manifeſtat, ſi ulcuſcula labia & efflorescentiæ pedes, occupant, ſi mictio cum ardoris ſenſu contingit, acrium humorum exonerationem ſignificans, ſique lotium mox in varias partes ſecedit atque maxime turbida apparet in quibusvis præcipue febribus, aliisque morbis, ut calculo, arthritide, cachexia & ſimilibus, quod quidem in ſanis cœteroquin chylificationem turbatam eſſe indicat. Si bilioſus copioſus ſat alvi fluxus erumpit &c. ſi diaphoreſin calidam ſudoresque ſufficientes eosque non interruptos & acidum ſpirantes, rigor quidam præcedit & comitatur, utpote qui ab irritatione humorum acrium ad circumferentiam ductorum procedit. Quando hypochondria ad contactum non doleant, & mollia æqualiaque deprehendantur. Quandoque laſſitudo cum ſignis coctionis ut ajunt præcipue in declinatione morborum evenit. Porro ſi impatientes magis fiunt atque alia ratione morum mutationem, animi conſtantiam beneque ſperantem oſtendunt; e contrario quando ſedatioris ſolito & negligentioris atque obliviosi animi deprehenduntur, exitium hariolari licet. Nec non primarium locum inter ea laudabilia ſigna placidus æqualis & reficiens ſomnus decubitu in utrumque latus, cruribus ac pedibus modice reflexis, obtinet, & quod primo in loco adducendum fuiſſet, ſi ſenſationes integræ & pulſus melior æqualis vegetior ac major eſt. Inter rariora nobis ſunt delirium & ſopor, quæ L. MERCATVS *L. VII. de*

febr.

febr. malign. C. II. maxima habet. Hæc pauca ſigna generalia & ex multis quædam adduxiſſe ſufficiat, longiſſimum enim hic eſſet, ſi per morborum ſeries indicia ejusmodi recenſere vellemus. Deſumuntur vero plurima vel ab excrementis, vel a functionibus vel a corporis affectibus. Nec caſus varios chirurgicos ideo attingamus atque ejusmodi momenta atque indicia afferamus; ex. gr. externa vi læſi ac vulnerati quando vulnera ſaneſcere incipiunt, titillationem atque pruritum quendam in his partibus percipiunt, indicio, ſive quod humores forte peccantes, circa has partes hærentes ſpiſſiores, huc usque facti, tenuiores iterum redditi, labia vulnerum tum intumeſcentia, acredine ſua proritent; ſive, quod partes carnoſæ ad ſtatum præternaturalem redactæ earumque tonus deperditus; poſtquam vero, vel nova caro ſuccreſcit atque priſtinus ſanus ſtatus reſtituitur, ſpiritus animales ordinario modo atque uberius influant ibidemque talem titillationem pruriginoſam efficiant, ſiquidem & hæc nova caro non ſolum ſubtilior, verum etiam non adeo ſenſibilis videtur. Ejusmodi quoque eſt quando in convaleſcentibus ulceribus pus incipit laudabile gigni atque primum craſſiusculum illud magis advertitur, donec perfecte coctum ſubſtantia & qualitate conſpiciatur optimum &c.

§. VI. Jam ſcopus nobis ſit, ut oſtendamus, quæ in ſtatu convaleſcentiæ factu ſint neceſſaria, quæque huic conveniunt. Omnia vero quæ hic fieri poſſunt potiſſimum in eo conſiſtunt, ut priſtinus ſanitatis gradus recuperetur, & ut præcaveatur, ne rurſus in morbos incidant convaleſcentes quod partim præſervatorio & quidem maxima ex parte, partim curatorio, obſolvitur ſcopo. Adeoque læſio quædam forte inducta ſanetur relicti vitiati & peccantes humores corrigantur, temperentur, & excernantur, atque præcaveatur, ne nova colluvies generatur, vires cito reſtituantur, tonus partium deperditus roboretur, ne admittant iterum affluxuras particulas materiæ peccantis, appetitus & ventriculi digeſtio alimentorum & diſtributio inſtaurentur, ſecretiones & excretiones juventur, ſomnus blandus procuretur, nutritio renovetur, novus & laudabilis ſanguis conficiatur, ejusque blanda & nutritiva dulcedo & volatilitas motusque reparentur, humorumque aliorum neceſſariorum & utilium ad vitam & ſanitatem generatio reſarciatur, inprimis ſpirituum animalium in cerebro productio & per nervos influxus promoveatur tueaturque. Quæ profecto ut omnia rite peragantur, magnum opus, ac indefeſſos labores haud mediocremque prudentiam requirunt.

§. VII. Ante omnia hoc præprimis monendum duximus: Revalescentes huic statui in principio non nimium fidant, triumphum ut ajunt, ante victoriam canant seu securitate & temerario animo, dubia pro certis habeant tutosque se omni ex parte in portu quasi navigantes censeant atque meminerint pejora semper insequi & parvas occasiones magnarum rerum causas existere: Quemadmodum enim candela extincta & fumans adhuc facile iterum flammam concipit, ita & convalescentibus sæpe imminent multa incommoda multique inexspectati eventus atque morbus fugatus promte & minima sæpe data occasione revertere aut alius huic succedere potest, qui tunc majorem noxam inferre atque frequenter occidere solet: Quare non genio varia concupiscendo statim indulgeant & Bacchanalia iterum visant & illecebris cupiditatum, in quas convalescentes certi proni sunt, frenum sedulo injiciant victoque sic morbo seipsos vincant, ne se ipsos lædant & per convalescentiam pereant sortemque quorumdam Triumphatorum subeant, qui a victoria, per animi elationem fructus victoriæ perdunt omnes, sicuti enim victoria ita & convalescentia certe amat curam. Hujus supinæ negligentiæ noxæque exinde inductæ exemplum Præsidi occurrit in Juvene bonarum literarum studioso, qui a gravi perpesso morbo convalescens conterraneorum suorum aliquos, animi exhilarandi causa, secum cœnaturos invitavit, quo grato consortio, inopinato plus quam par erat, tam esculentorum quam potulentorum assumsit; ast, nocentissimum ipso fuit quod delectavit, nam altero mane præcox apoplexia sensum motumque ademit quæ mox in sinistri lateris paralysin terminata est, a qua tamen aptis remediis adhibitis tandem iterum convaluit. Quare æque Medicorum præceptis obtemperent iisdemque promissa rite præstent, quæ tamen salutaris monitio a paucissimis, hodie apud nos curæ cordique habetur, secundum illud dictum ANDR. GART. *Proverb. dict.*

Maximus in morbis medico promittitur orbis:
Mox fugit e mente, heu medicus morbo fugiente.

ac præter alia cum cura maxime quæ diætam spectant observanda præsertim a medicamentorum proficuorum huc usque propinatorum usu non statim penitus desistant, sed ea per aliquod interdum temporis spatium adhuc continuent, speciatim quoad salivationem, mercurio dulci nimirum semel adhuc in septimana exhibito &c. eorum dosi pro ratione virium aliarumque circumstantiarum ordinanda, vitatis speciatim calidis validisque resolventibus, massam sanguineam salium nimia asperitate, periculose afficientibus maxime post morbos chronicos, pertina-

tinaciores & longiores, ut eo magis confirmetur cœpta iterum ſalus & morbi ſemina, ſæpe diu latentia exſtirpentur penitus. Sic Celeb. HERM. BOERHAAVE *in Aph. de C. & Cur. morb. p. m. 377. §. 1477.* præcipit ut pro curanda ex aſſe lue venerea, poſteaquam æger per XXXVI. dies ſalivatione mercuriali uſus fuerit, levem ſubinde doſin mercurialem, per alios XXXVI. dies aſſumat, ut leviſſimæ ſputationis maneat veſtigium. Abhorrent equidem convaleſcentes medicationes ejusmodi, ſatietate & faſtidio medicamentorum perteſi, ſiquidem ut in proverbio habetur: ægrotanti omnia amara & forte per aliquod temporis ſpatium iisdem abalienati atque ſuperfluas eas reſpuunt, quæ tamen ut a convaleſcentibus male ſpernuntur, ita a medicis ſive parum proſpicientibus ſive adulantibus, peſſime negliguntur. Igitur non ſtatim, vix interjecto uno alterove die in publicum prodeant inſuperque tum, corpora, tum animos ſenſim ſenſimque negotiis applicent atque vitæ genus & conſuetudines non ſubito mutent, nihilque inordinate agant, ſecundum CELSI monitum *Lib. IV. C. ult.* Periculoſe is etiam, qui ex toto convaluerit, vitæ genus ſubito mutabit & inordinate aget: Sed paulatim debebit haud miſſis legibus eo tranſire, ut arbitrio ſuo vivat. Hac enim cautela neglecta ſpiritus vix eluctantes collectique denuo gravius affliguntur, diſſipantur, ac vires proin, ſi intenſius ad labores adigantur novum patiantur diſpendium. Diu hac ratione præteriti morbi meminiſſe multum juvabit.

§. VIII. Quoniam non ſolum addendo & roborando, ſed etiam expellendo & evacuando naturæ ſuccurrendum eſt, ſimulque & naturæ triumphantis aut triumphatæ argumenta firma & conſtantia tenenda, inſuperque morbi ſpeciem, partem affectam, humorum motum & quietem, facultatum robur aliaque ſimilia perpendenda, atque quæ in morbis non relinquenda, relinquuntur, varia mala poſt ſe trahere atque recidivas maxime facere conſueverunt. Itaque ſi materia peccans aliqua relicta eſt & gliſcit in convaleſcentibus aut in illorum viſceribus aut maſſa ſanguinea &c. ſive ea ſit, quæ morbum produxit, ſive ea quæ durante eo congenita aut finito ob languidam digeſtionem ſive quæ per concitatiores motus morboſos, quales in omni febre præſto ſunt, elaborata atque collecta, quæ novam materiam novumque morborum fomitem ex mora deteriorem evadentem, producere & in priorem locum affectum aut alium eoque aut alio ordine, ruere, & maſſam ſanguineam & ſpiritus animales varie afficere & colliquefacere &c. poteſt. Si alimenta nimia in quantitate, quam quæ ventriculus debilis digerere poſſit, aſſumta ac in

ejus cavitate hærent, aliquot diebus a finito morbo interjectis ac priusquam nimirum renutritio, refectio atque confortatio plenior adornetur. fique ea forte non fufficienter, motu naturæ fpontaneo, vel medicamentorum ope, jam evacuata fuerit; ne major debilitas aut etiam morbi chronici inducantur partim remedia huc usque ufurpata ad deftruendam illam adhuc continuentur, partim ipfa materia morbifica, quoniam natura debilitata, a præcedente morbo fubigere & ejicere non fatis potens eft, corrigatur atque expellatur, ne hoftis latens & domefticus fimul nutriatur & confortetur. Hinc etiam contingit, ut omnes fere convalefcentes, propter pravorum humorum reliquias, male fe habentes, circa convalefcentiæ initium, largiorem cibum capientes, non proficiant, fed imbecilles maneant progreffu temporis cibum vix appetant, ob pravorum humorum reliquias, quæ affumta corrumpunt, unde pravi humorum fubinde cumulantur, ut digeftio ventriculi & præfertim appetitus ipfe affumendi cibos pereat. Verum qui a cibo abhorrent, poftea bene appetunt bene comedunt, bene digerunt beneque reficiuntur, quoniam parum appetentes, non plus quam vires conficere queant, affumant, ideoque minus gravati vires quotidie auctæ, morbi reliquias prorfus diffipent, iisque diffipatis, probe iterum appetant & comedant, integreque reficiuntur. Hinc etiam ratio reddenda, cur HIPPOCRATES *II. Aph. 32.* in convalefcentibus anteponat cibi faftidium appetentiæ, quod equidem paradoxum forte quibusdam videtur. Frequenter etiam contingit, ut in convalefcentibus, bene paftis fudor multus nocturno tempore erumpat, de quo. Idem docet *IV. Aphor. 41.* quod fudor multus ex fomno factus, qui ventriculo oneri eft absque caufa manifefta, corpus uberiori alimento quam par eft, uti fignificetur. Hujus ordinaria & communia figna funt, fi poft convalefcentiam appetitus non redeat fi dolor ventriculi gravativus moleftat aut cibi affumti nihil proficiant & reficiant, fi ficcitas oris, agrypnia, naufea & languor fitis moleftent, fi hypochondria tendantur, fi facies livida & tumida maneat. Hinc AETIUS inprimis laudandus, qui poft perpeffos morbos convalefcentes melanagogis purgare folitus eft: Nec ipfi HIPPOCRATI alia æftimatio & intentio fuit, quando fcribit *Sect. II. Aphor. XII. quæ in morbis poft crifin relinquuntur, recidivas faciunt & Aphor. XXXII. Sect. IV. Quibus a morbo reftitutis quippiam eft infirmum ibi abfceffus fiunt*, explicationem optime HEURNIUS *in Com.* habet *quando poft morbum infirmitatis aliquid fupereft, quæ ex laffitudine & imperfecta crifi indicatur, ita ut fuperfint materiæ febrilis reliquiæ, aut fi liberalius fe potu & cibo ingurgitent,*

quam

quam immutata ventriculi actio temperamentum & habitus perferre possunt, tunc in discrimen venit homo, quia partes, internæ & externæ labefactatæ sunt hinc, si non accurata diæta accesserit, hepatis & lienis scirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artus, si ibi imbecillitas, abscessus effunduntur. Quare, ne quid coacervetur, dentur pilulæ aleophanginæ mastichinæ, vel Rufi, vel tale quid: Ille rursus *L. VIII. si quis a morbo cibum capiens non confirmatur, pleniore id arguit corpus nutricatu uti. Quodsi nec capienti idem contingat, vacuatione tum opus esse certe habendum.* Coincidit sequens tritum illud ex *Aph. X.* Corpora impura quo plus alimenti assumant, eo pluribus damnis anguntur. MATH. MARTINI *de Morb. mesent. p. 110.* præcipit, ut variis morbis, ut tensionibus, fibriculis convalescentibus familiaribus occurratur, leni pharmaco alvus sollicitatur. Porro ex recentioribus hac de re scribentibus. H. ab HEER *Obs. M. R. p. 82.* JOH. FREINDIVM Anglum nominasse sufficiat in *Com. in Hippocrat. de morb. popular. L. I. & III.* qui hanc rem & aliorum assensu FREVVINI, LEVETTI, CADEI, MEADI, GIBBONSII, confirmat. Si & a nimia forte & præcoci ciborum abundantia, morbi iterum caput erigant, lenibus evacuantibus curatio instistituenda, in hoc errant practicorum multi, quod in hoc rerum statu alvum stimulantia exhibere metuant, ne vires exhauriantur. Hanc repurgationem maxime post morbos longos, rebelles atque contumaces, febres omnis generis atque inprimis post variolos atque morbillos, necessariam ac utilem censemus, quoniam ea neglecta multis aliis morbis, præcipue lentis, hecticis ac putridis febribus; pulmonum aliorumque viscerum exulcerationibus atque abscessibus, catarrhis suffocativis, affectibus oculorum, contracturis &c. ansam dant uberrimam. Hic notanda & ad ulteriorem usum revocanda doctrina & solertia eminentis SYDENHAMII observatio est, qua indicat, post febres autumnales, quo tempore humores viscidiores sunt, quam post vernales, purgationem magis necessariam esse. Leniter & per epicrasin magis quam simul & semel, si tempus ferat, fert autem id utplurimum, evacuanda materia peccans atque videndum, quid res poscat, & quid factu sit necessarium. Vires ut ubique ac semper ita hic maxime sunt attendendæ, quia gravis in paucitate jactura est, videndumque an ferant hanc evacuationem convalescentes, & qualem ferant atque ne morbi prægressi iterum per eam purgationem repetant, quod in febribus tertianis atque quartanis præsertim accidit maxime præpostera medicatione suppressis ac si in die quondam paroxysmi solenni purgatio instituitur. Huic purgationi inserviant habito delectu quo balsamica, acori ac corruptioni

resistentia eligantur atque habita ratione humorum educendorum, folia sennæ, tamarindi, manna, passulæ MP. de ammoniaco de succino, pilulæ mastichinæ tartareæ alephangin. Avicennæ, Ruffi, Becherianæ, Stahlianæ, Hoffmannianæ, quæ leniter evacuant pariter atque confortant, vel ejusmodi polychrestæ componendæ, ex extractis temperantibus & laxantibus, roborantibus, balsamicis, gummatibus, resinosis, ut ex extractis absinth. cardui benedicti fumariæ gentianæ centaurii minoris fibris helleb. nigri rad. cichorii gumm. ammoniac. flor. benz. opobalsf. mastiche gummi hederæ, ordinentur. Pulveres, ex rhabarbaro cremore tartari arcano duplicato terra foliata tartari crystallis tart. tartaro vitriolato ut & liqu. terræ foliat. tartari, violarum, rosarum, de cichorio cum rhabarb. syrupi, infusa laxantia & vina talia medicata; nec non clysteres ex emollientibus abstergentibus & laxantibus compositi admodum e re erunt. Quoniam vero a purgantibus in infirmis ejusmodi, præcipue hyemali tempore ut notanter GALENUS monet *V. de tu. sanit. 9.* sequentibus diebus alvus adstringitur, hoc incommodum provide avertatur per mollia, oleosa, butyro recenti, decocto malvæ mercurialis h. & similia consuetam alvi dejectionem juvantia. Si forte vitiosi humores, biliosi, pancreatici, in ventriculo subsistunt, aut ad eum confluunt, si &, a nimia aut præcoci ciborum ingurgitatione, quod frequenter accidere solet, aut morbi iterum caput erigere incipiunt; aut cardialgia, tumores crurum œdematosi, sudores nimii aliaque mala insequuntur, sique febres intermittentes male curatæ fuerunt aut constringentibus præpostere tractatæ, mitis ac lenis, ex radice Ipecacuannhæ, fuscæ & nodosæ, unico saltem grano tartari emetici acuato, aut additis aliquot. gr. arcani duplicati aut Sirupo & Salæ emetico. Vomitus procurandus erit. Alia evacuantia paulo fortiora forsitan præsertim mercurialia, salia vitriolica, utpote quæ & infirmis, succis impuris abundantibus, senibus, infantibus, gravi animi motu & immodicis excretionibus debilitatis, nunquam conducunt, non sunt adhibenda, quia per quævis ejusmodi subinde contextus ventriculi & intestinorum præter modum læditur & corrumpitur atque spiritus & humores alii laudabiles simul proscribuntur. Si ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, in quibus universa lympha inquinata est corrupta, corrosiva atque vappida, morborum reliquæ expellendæ. Juxta hæc morborum genus febres intermittentes & puerperium ponamus; quando enim, consideramus, quanta colluvies impurorum humorum per gravidationis tempus atque in ipso puerperio gignatur & colligatur, certe confirmamur,

mur, repurgationem hic esse admodum necessariam ac utilem, qua multa mala speciatim, purpuræ concinne, præcaventur. Ab hac evacuatione provide ventriculum roborantia mox subjungantur. Dehinc ubi copiosum serum est imminuendum, diaphoretica & sudorifera laudanda veniunt, quibus transpirabilia corpora semper serventur ut sensim sensimque corpus ejusque humores repurgentur atque sordibus, quæ forte restant, liberentur, seri vitiosi a sanguine separationem facilitando; illud fluxile reddendo, motumque blandum, novum sanguini inducendo &c. quos non solum scybala alvi in intestinis; sed & vitiosi humores in ventriculo & primis viis generati vel etiam aliunde isthinc transmissi indicant. Quo medio a plurimis, quæ alias subsequi solent malis erunt tutiores, inprimis variolos & febres intermittentes passi, quoniam febrium medela sine sufficiente transpiratione etiam sensibili & sudatione vix tuta esse solet, sed recidivis obnoxia. Convenient vero mitiora ex cornu cervi lap. cancr. matre perlarum antimonio diaphoretico bezoardico minerali, salibus quibusdam absinthii, cardui benedicti ut & volatilioribus, mixtura simplici & similibus atque euporistis illis, rob. sambuci juniperi &c. cum infusis theiformibus, sanguinem mundificantibus decoctisque radicum scorzoneræ, sassaparillæ, cichorei, liquiritiæ seminis fœniculi &c. Cum vero hæcce interna, externa quoque impellentia fere exposcant, ambiens calor auctior simul procuretur corpusque bene tegatur, ut pori magis aperiantur & humores fluxiliores reddantur. Et quoniam sæpius convalescentibus per longum interdum temporis spatium sudores spontanei eveniunt, ad euphoriam, hi sedulo permittantur. Nec omittenda hic diuretica blanda, temperata, aquosa, mucilaginosa, salina, terreo salina quæ præ aliis evacuantibus hoc habent peculiare atque laudabile, quod agant sine notabili virium dejectione, sanguinemque purificent eximie, ab acribus humoribus: Talia sint tartarea inprimis & nitrata, ut tartarus vitriolatus arcanum duplicatum nitrum antimoniatum tinctura antimonii acr. tr. sulphuris spiritus salis & vitrioli dulces, terebinthina, radix ari, pimpinellæ albæ vincetox. baccæ juniperi alkekengi, millepedes, lumbrici terrestres cum aquis destillatis florum genistæ. Sequens decoctum diureticum nobis frequentis usus est: Rec. Rad. V. aperient. q. s. infunde per hor. XII. in s. q. acet. exprim. & express. bulliant in jure vitulin. vel gallinac. adde rad. gram. pentaphyll. liquirit. fol. capill. veneris, agrimon. rubiæ, sem. coriandr. anis. milii solis aa. q. s. f. s. a. decoct. dos. ad ℥v. vj. &c. Poterit vigorari troch. de eupatorio ad ʒj. vel ℥vi. decocto add. spiritus vitriol, gtt. IV. V.

Inter cibos in hunc scopum assumantur, petroselinum ejusque radix apium, asparagus pastinaca, lupulus, limonia, aurantia. Hic monere placet, ut in commovendis mensibus, qui in convalescentibus foeminis non raro deficiunt, emmenagaga vulgaria, acria, sulphurea & fortiter stimulantia circumspecte praescribantur, quoniam ea ubi sanguinis & succorum benignorum est defectus merito suspecta censentur, quare is potius reparandus venit.

§. IX. Inertes atque effoetas, crassas, lentas, viscidas atque tenaces, panderosiores, partes, quae remanserunt, (remanent autem utplurimum non sufficienter motu naturae spontaneo vel medicamentorum ope evacuatae) aut per calorem forte nimium particulas subtiles aquosas mucum diluentes & dissolventes dissipantem introductas & quae morbus lentos vel produxerunt vel producere possunt ut scrophulas, hydropes, tumores, asthma variasque viscerum obstructiones, resolvunt, attenuant commode, easque ad eductionem praeparant, quae digestiva vocantur, ut elix. P. P. & cum & sine acido, arcan. tart. tartar. vitriolat. terr. foliat. tartar. ejusque liquor, tartarus tartarisatus, sal polychrestum solutio oculor. cancrorum rad. ari, tinct. tartari spiritus tartari volatilis, sal ammoniacum acidula, ad quae revalescentes prae aliis feruntur ut supra est indicatum, quae non modo viscidum incidunt, sed & ventriculum ejusque lympham excitant, atque movent appetitum, sanguinem temperant ac blande refrigerant Biliosos vero forte relictos corrigunt humores jam laudata acidula, vitriolata, nitrosa, spirit. nitr. dulc. &c. Ex praecipitantibus praefertur crystallus montana saepius calcinata elix. P. P. cum acido: Nam biliosae partes sub morborum quorundam ut febrium ardentium, biliosarum, tertianarum, hecticarum decursu atque earum paroxysmis elaborantur, mediante motu intestino intensiori justo concitato maxime humorum partibus inter se, iisque attenuatis multoque divisis; hinc ingens quantitas in dies fere excrementa acria, foetentia, salino-sulphurea, per sputum, sudorem, vomitum, urinam & alvum excernuntur, quae de novo semper ex motu intestino adaucto generantur; & si v. g. in febribus tertianis longiore ardore stipatis, medicamentis appropriatis paroxysmi febriles sistuntur, per aliquot dies cessant quoque excretiones illae copiosae, salino-sulphureae, & si recidiva accedit, iterum tales excernuntur. Observavit hoc exacte LINDANUS, *Select. Med. p. 71.* dicens: *Mirabile est, quod copiosissima bilis nonnunquam evacuetur, nec tamen post obitum vesicula fellea vacua inveniatur:* Quare nullum est dubium, sanguinem ab aestu inflammatorio exuri in bilem. Acidorum

acri-

acrimoniam temperant & obtundunt, invertunt & diluunt alkalia, oleum tartar. per-deliqu. &c. decocta lignor. mucilaginosa ex herbis & radicibus & seminibus malvæ altheæ seminibus cydoniorum parata, oleosa, oleum amygdalarum dulcium emulsiones seminum frigidorum ex liquiritia & polypodio parata medicamenta, atque absorbentia, terrea, salina, cornu cervi ustum atque raspatum unicornu fossile lapides cancrorum mandibulæ lucii piscis & similia. Ad intemperiem, ut vocant, sanguinis salsam, seu serum sanguinis præternaturaliter salsum, ad statum naturalem reducendum insipida aquosa, diluentia, magis, alimenta temperata tamen & modice nutrientia eligenda. Hæc humorum pravorum relictorum alteratio sæpe æque utilis & necessaria est quam purgatio. Idcirco dolebat HIPPOCRATES *II. Aph. 31.* inquiens: *Si a morbo quis convalescens cibum bene appetens in sufficiente quantitate sumat, neque tamen roborari neque vires refici observet, signum malum est; nam recidivæ prænuntium, & occultæ pravitatis humorum, indicium esse consuevit.* Etenim quando convalescens bene appetit non tamen reficitur, signum est stomachum quidem recte se habere, & pravos humores in vasis hinc inde latere, alimenta, liquores, succum nutritium corrumpentes ex quo corpus magis gracilescit, vires labascunt membrorum omnium actiones segniores fiunt, inde ad tabem, cachexiam & alia mala ducuntur, tuncque juxta modo indicatam alterationem, optimam convenit victus rationem attemperantem instituere, secretiones & excretiones promovere atque eapropter aptis corporis exercitiis, somno, quiete, inventionibus &c. uti.

§. X. Quoniam & partes solidæ sub morborum vehementium & chronicorum præsertim decursu ob partium nervoso musculosarum præsertim spasmum maxime sunt debilitatæ atque de tono eorum dein dejectæ tonica ac roborantia omnino præ aliis requiruntur, quæ ubique post morbos celeberrimi Practici S. PAULI, CRATO, IAC. FABRICIUS, B. RIVINUS commendant ac instar arcanum deprædicant, quæ & simul impediunt ne nova colluvies vitiosorum humorum generetur, ut optime GALENUS *Com. 4. aphor. 45.* & AETIUS *XII. Cap. VII.* demonstrant. Atque quoniam virium postea languor qui maxime a spirituum animalium penuria, lentore motuque intercepto pendet primarium vitium est ex quo alimentorum digestio, motus & circulatio sanguinis & humorum & cum eo excretiones debitæ segniores, unde non debito modo aut tempore repurgatio instituitur verbo omnes in corpore functiones impeditiores fiunt, & exinde obstructiones & infarctus in emunctoriis corporis exsultant, atque deinceps impuritas humorum, tantorum malorum

fons

fons atque origo increbrescit hinc & convalescentes multis morbis redduntur obnoxii; viribus vero restitutis reliqua felicius succedunt: nam virium, vitalitatem immediate præstantium, maxima dignitas est, cum vivere ipsum, nobis, ex harum custodia contingat, ac ut GALENUS in aliquo loco loquitur, *has servare & augere, est vitam servare & augere;* igitur primaria quoque jam intentio sit, ut vires non modo serventur paucæ & debiles superstites, sed & pristinæ restituantur, atque ad integrum modum redigantur, unde hæc indicatio vitalis & Sylvio conservatoria audit, atque ea medicinæ pars, analeptica vocatur, atque potissimum ad convalescentes spectat, vid. GALENUS *de Constit. Art. Med. Cap. XX.* quæ anatrepticam sub se comprehendit. Juxta enim HIPPOCRATEM *de Flat. t. 3.* Medicina est appositio eorum quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ abundant: Si enim hæ (vires) ubique & in toto curationis cursu sunt attendendæ, secundum notissimum illud axioma: *quod secundam naturam est, illud conservandum*, utpote, quæ multa permittunt, multa vero prohibent, certe in hoc statu etiam sunt considerandæ, custodiendæ atque augendæ: Siquidem & hoc ratum habemus, liberalitatem in reficiendo & parcitatem in laxando, medicum a calumniis liberum reddere. Vires vero dependent tam a spirituum animalium ac sanguinis seu motus vitalis vigore ac crasi integro, quam solidarum partium textura, seu tono non deperdito, non laxiori neque rigidiori justo, sed adæquato, atque concipimus, eas vitales ac animales non tantum toti corpori communes, sed & huic vel illi parti proprias atque particulares v. gr. renibus ventriculo, intestinis. Ad hunc scopum exequendum bene multa remedia pharmaceutica commendare medici solent, sub titulo balsamicorum, cephalicorum, cordialium, nervinorum, roborantium, analepticorum, quæ nimirum tam partium solidarum, principum, relaxatum tonum emendant, i. e. fibrarum languidos motus resuscitant, & firmant atque confortant, quam spirituum & sanguinis systasin tuentur, ut neque ad coagulationem, fusionem, resolutionem ac ichorescentiam declinent atque spirituascentiam fluidarum adjuvant motum massæ sanguineæ promovendo, quæ jugiter mota, spiritus propellit ac efficit ut descendant in nervos simulque attemperant, diluunt, humectant digestionem, distributionem & appositionem alimoniæ, bonam & laudabilem instaurant, & balsamum, ut ajunt, sanguini a nimia ebullitione vappido reddito a morbis & febribus præsertim exanthematicis, variolis, morbillis, purpura & similibus, restituunt. Cui finis blande adstringentia, balsamica, aromatica, spirituosa, salia volatilia oleosa præsertim inserviunt,

quæ

quæ analogiam quandam atque convenientiam cum spiritibus nostris animalibus quoad subtilitatem forte & puritatem, activitatem vimque impellendi, fluiditatem ut aëre & igne, habere dicuntur, æquant vel antecellunt quæque facile cum iis uniri queunt. In horum confortantium & analepticorum medicamentorum, in quibus vis ejusmodi aqueo sulphurea præcipua est, numero admodum prolixo, sequentia modo sufficiant: ambra & ejus essentia, essentiæ & aquæ spirituosæ, ut chærefolii melissæ citratæ pimpinellæ, ocymi, salviæ, borraginis, buglossæ, tinctura corralliorum c. spiritu cordis cervi balsami peruviani, elix. & balsam. vitæ Hoffmann. spiritus rosarum liliorum convall. jasmini, tuberos. aqua magnanimitatis. Herculis Saxon. essentia cascarilla, millefolæ, imperatoriæ oleum de cedro, rosarum aqua cinamomi cydoniata ejusque quinta essentia, cum oleo & pulvere, de quibus Veteres dicebant: miror quod moriatur homo, qui utitur cinamomo, referente MATTHIOLO *in Herbar.* Ejusmodi est, pulvis solaris Cellensis, in quo, præcipuum oleum cinnamomi in elæosaccharum redactum, item aqua namphæ, atque, in quibus summa latitant naturæ arcana, macra & salia volatilia oleosa Sylvii præsertim, item castoreata, succinata, confectio alkermes completa & incompleta, medicamenta, ex radicibus calami aromatici, enulæ, corticibus citri, roremarino, croco, aniso, vario modo parata & adhibita, emulsiones amygdalarum dulcium, seminum aquilegiæ, citri, cardui benedicti &c. cum aquis borraginis, buglossæ, melissæ paratæ. Anglis præsertim huic scopo & pro humorum colliquatione avertenda cortex Peruvianus frequenti usu, inservit. Ex exoticis & pretiosioribus, Sinensium radix Ninsi sive Gensing, ex Corea Provincia, ad nos delata, remedium ad vitam & sanitatem prolongandam & diu conservandam sine pari habitum, mirifice confortat convalescentes; solvitur ea in aqua calida, quantitate ℥j. ad ℥ij. & instar theæ jejuno quidem stomacho bibitur & per aliquot ab assumtione horas ab omni cibo potuque abstinetur. Sed nota, ut nunquam fortiter hoc in statu, in quo nimirum vires deficiunt commovendum & ita etiam parce acria volatilia, calida atque valentia nimis ac generosiora medicamenta propinentur; caute certe cum iis mercandum, inprimis in siccioribus subjectis & ubi humores nimium sunt resoluti, quia alias p. nat. & auctum nimis motum humorum, & vigilias involuntarias in hoc statu maxime nocivas inducunt, partes subtiliores nimis spirituosas dissipant videndumque, ne hostis latens & domesticus iisdem confortetur, siquidem nunquam sola facile confortantia neglecta causa, sunt præscribenda &c. Viperina, nempe ex carne (vipe-

rarum) cum corde, hepate felleque desumta, in pulvere, decocto & vino usurpata, cum præstantissimis instaurantibus & spiritualscentiam sive blandam sanguinis & humorum resolutionem inducentibus, ob sal volatile oleosum subtile subtilique mucilagine maritatum, conferenda censemus. Illorum sal volatile in omni debilitate virium extollit BECHER. *in Phys. subter. p. 79.* inquiens: *Vos Protomedici, pro Patronis vestris divitibus, in longa vita, vobis in amplo salario, diu conservandis, alio nullo utamini restaurativo, quam sale volatili viperarum in ambræ spiritu soluto.* Angli, Galli & Belgæ convalescentibus, robur partibus solidis, bonam sanguinis crasin, eidemque energiam futuramque colliquationem impedientem, corticem peruvianum egregie conciliare, autumant. His adhuc bonam martis essentiam addamus. Nos quandoque assolemus, oleum expressum recens amygdalarum dulcium atque anisum calido vino incoctum cum radice tormentillæ, cum conserva roris marini, item semen erucæ cum vino quandoque & castoreum, pro attritis viribus & blanda nutritione, ut euporiston commendare. Alia quæ vires præ aliis refocillare dicuntur, pretiosiora medicamenta, ut multa ex auro petita & ex præparatis & resolutis margaritis, lapid. bezoar, smaragdo, hyacintho aliisque gemmis confecta, non semper præstant id, quod debent præstare, i. e. vires reficere, certum autem, quod fœnore marsupium exhauriant. His jungenda stomachica proprie sic dicta, quæ nimirum stomachi vim acuunt ac intestina corroborant, & balsamica &c. amara, ex absynth. centaur. min. &c. in essentiis, extractis, decoctis, & inprimis myrrhata, quæ balsamum sanguini optime restituunt, cydoniata, mastichina, ex mentha, radice ari, zingib. zedoar. galanga aliisque aromaticis parata, & ex his composita, ut pulvis stomachic. Birckmanni. Nec ex hac classe acida, ad quæ revalescentes per ipsum Naturæ ductum feruntur, eximenda, quæ viscidum a morbo relictum incidere ventriculumque ejusque lympham excitare, sanguinem temperare ac blande refrigerare possunt. &c. Verum hic non possumus non quorundam incautorum practicorum errorem notare, qui nimis cito etiam nauseabundis infelicem ventriculum sæpe irritata fame fatigant atque appetentiam, usu elixiriorum stomachicorum aromaticorum, acriorum præsertim eorum, quæ spiritus mineralis acidus ingreditur, vel olei illius stomachici, apud Lipsienses admodum noti, *(das Freß-Oehl)* excitare contendunt & saturatis esuriem quærunt, quo efficiunt, vim appetitui faciendo, ut convalescentes plus ingerant, quam quod digerere & egerere ob debilitatas has functiones valeant unde tardius & difficilius recuperantur amissæ vires, cruditates cumu-

cumulantur, multæ molestiæ creantur, recidivæ sæpius accersuntur atque lenti morbi deinceps inducuntur. Hi, in hanc rem, notabili effato, HIPPOCRATIS, audientes deberent esse: *II. Aphor. 32. Convalescentes utplurimum circa principia appetentes ac bene comedentes; nihil vero proficientes, tandem inappetentes fiunt; qui vero circa initia convalescentiæ cibum non appetunt sed in progressu solummodo appetunt, hi melius liberantur: idque accidit, ob pravorum forte humorum reliquias, quæ ea, quæ assumuntur, corrumpunt, unde tanta deinceps eorum copia generatur functionesque ventriculi minuuntur.* Sequantur & sanguinem purificantia, præsertim a variolis, purpura & similibus morbis, ex decoctis præsertim & antimonialibus, ut tinctura antimonii acris &c. Acrimoniam temperantia & absorbentia sæpius necessaria quoque sunt, ut scite explicat SOLENANDER *in Consil. p. 247.* Quoad restitutionem humorum amissorum, ut spirituum, sanguinis, lymphæ etiam practici post choleram, amara, oleosa, sulphurea aliaque, quæ bilem (a cujus defectu aut inertia virium etiam vitalium aliquando dispendium est) gignere possunt, per aliquod tempus usurpanda proponunt &c. De reliquo abstinendum, ab omnibus stupefacientibus, sedativis, anodynis, opiatis & quæcunque, moderatos motus, compescere solent. Quamvis & hæc in certis quibusdam casibus locum invenire possint, nimirum ubi activæ magis subsistunt partes atque orgasmus spirituum adhuc subest, v. g. a tussi ferina, diarrhœa magno dolore similive in casu tuncque & aut venæ sectio aut scarificatio inveniunt locum, quæ sanguinis ventilatio, huic quoque fini inservit, ne tales affectus obolescant & insolescant nisi forte tumores œdematosi obsistant. Absint quoque intemperata salsa, acria, acida, coagulum fluidis inferentia, & quæ acrimoniam augent atque exaltant, ut & quæ humores incrassant nec non largior sanguinis, in quo vis & robur solidorum vitale positum est, detractio.

§. XI. Internis jungenda quoque externa, quæ tam ventriculi digestionem, quam virium restaurationem adjuvant, præsertim si ventriculus valde debilis est, & post assumtos cibos dolores in ventriculi regione percipiuntur. Illa regioni ventriculi, sub forma linimentorum, unguentorum, epithematum, fomentationum, & emplastrorum, scutorum stomachalium, sacculorum, maxime ante cibum applicantur, ut oleum destil. menthæ, serpilli, macis, aliisque expressis, ut nucis moschatæ ex speciebus cordialibus temperantibus, floribus, rosarum, borraginis, buglossi. corticibus citri, rasura ligni Rhodii, aloës, herbis melissæ, &c. cum camphora, balsamo vitæ, peruviano nigro, emplastrum de crusta panis, de mastiche, de tacamahaca & similia ut ℞. Empl. de crusta panis ℥jß. ma-

ſtich. benz. aa. ℥ij. oleum deſtil. menthæ, caryoph. aa. gt. xxx. M. F. E. Quidam in hunc uſum impoſitionem manus calidæ ſuadent, ut FRANC. IOEL *Lib. IV. Pract. Sect. II. p. 310.* pro præſtantiſſimo remedio ſtomachico habet, calorem inſitum pueri carnoſi, vel conjugis incumbentis. Eundem in modum alii catellos juniores ventriculo admovere jubent. Immo hæc externa, aliis quoque variis ſubinde partibus externis, illinitione præſertim ut, vinum rorismarini, quod vel ſolum ut præſtantiſſimum ſufficere poſſet admoveantur. Atque, quoniam quo citius ad vitalia datur acceſſus, eo facilius fit refectio & ſupplementum deficientis, odorifera immediatum & citiſſimum habent cum ſpiritibus animalibus contactum; Hinc HIPPOCRATES *Lib.* περὶ τροφῆς ſcribit: *qui velociſſimam nutritionem requirunt, per odores ſunt reficiendi.* Ejusmodi ſunt, odores & vapores excitati ſuaveolenti, non nimis tamen craſſi & perturbantes, per quos facilius corpus reficitur, ſecundum GALENVM, qui mediantibus proceſſibus maxime mammillaribus, & pari nervorum, olfactorio, ab antica parte corporum ſtriatorum exoriente & per oſſis cribroſi foramina fibrillas ſuas, ad nares ſpargente, ſpiritibus animalibus communicant ſuam virtutem, animi deliquium quoque fugantem. Convenientia ejusmodi auxilia erunt, odor vini generoſioris atque ſuaveolentis (quo ſolo vitam prorogari nonnulli memoriæ prodiderunt) cum illius in ore aliquandiu retentione; panis calentis vel aſſati, vino odoro vel aqua roſarum macerati, item mellis, de quibus fertur Democritum Philoſ. jamiam moriturum, per dies quatuor ſpiritum ſuſtentaſſe. Simile FR. BACO DE VERVLAMIO de Nobili quodam in *Hiſt. Nat. Cent. X. p. 954.* commemorat, qui per quatuor & quinque dies jejunaret nec cibo nec potu guſtato, ſed herbarum eſculentarum acrisque odoris uti ſolebat odore. In hunc finem varia quoque balſama, ambræ poma, ſacculi noduli confortantes, item epithemata, unguenta &c. regioni cordis & carpi applicanda, proſtant, vel præparari poſſunt. Angli ex commendatione BAC. DE VERVLAMIO vid. *Hiſt. Nat. Cent. X. p. 953.* glebæ terræ recenter erutæ & vino malvatico imbutæ odore, ſe recreare ſolent. Huc ſpectant pulveres naribus hauriendi, ex cephalicis, nervinis, fragrantibus compoſiti, ut pulvis ſternutatorius cum caſtoreo admodum uſualis, & ſimiles plures, ut & ii qui capiti inſperguntur, ex ſuccino, benzoë, maſtiche, floribus chamomillæ romanæ, caryophyllis aromaticis. Facies & manus cum vino & aquis deſtillatis odoriferis quoque lavari poſſunt. Lixivium pro lotione capitis confortativa deſcriptum reperies apud B. ETTMVLLER. *in T. I. Oper. p. 1317.* Si forte febricitantes

exci-

excipias, lotiones & ipsa balnea tepida, quæ Prisci secundum HIPPOCRATIS monitum *Lib. de Diæta* in adeo frequentem, ut & fractas a laboribus vires repararent, usum duxerunt, & quæ ALEX. TRALLIANVS in hoc statu maxime laudat *Lib. XII. c. IV.* quoniam partes emolliunt & rarefaciunt, ac humores excrementitios in corporis ambitu hærentes discutiunt, siccitatem emendant atque apprime removent oppillationes meatus claudentes, porosque aperiunt, per quos avolent fuligines atque sordes &c. Idcirco ea vel ex aqua dulci saltem, vel herbis, foliis & floribus, ex aromaticis & nervinis, ut serpillo, melissa, majorana, rore marino &c. & emollientibus mixtis, incoctis alterata, vel etiam ex thermis naturalibus parata, commendanda quoque veniunt: Siquidem Hirschbergenses & juxta has Teplicenses quoque & Emsenses præ aliis laudandæ, quoniam totum corpus quod prius erat squalidum, molle ac humidum, reddunt simulque relaxatas inprimis partes restituunt, quare præsertim optimo adhibentur consilio etiam in ipsis pedibus tumefactis, a morbo relictis & similibus. Sed caveant, ne in balneo nimium sudent, ad quam sudationem proni sunt convalescentes, propter raritatem carnis suæ debilis, neque diutius continuant istud, ne quod liquatum est, discutiant viresque dissolvant atque alia incommoda ac pericula invehant. Angli, hodie, veterum sequentes vestigia, frigida potius suadent, quod tamen consilium paucis nostratium arridet. Multi laudant balnea lactis, affirmantque, particulas nutritias, per corporis poros, posse hauriri, quod assertum inprimis probant ex illo, quod in aqua sedentes non sitiant. Juxta balnea universalia, particularia non prætermittenda, ut pediluvia, quæ divertunt pariter & evacuant, simulque somnum blandum inducunt, &c. Laudandæ quoque simul inunctiones humectantes & modice calefacientes, quæ molliendo meatus parant viam ac aditum alimoniæ, ut facilius partes renutriri possint. Suffimigia vero calida & crassa, quæ tamen nonnulli practicorum præscribunt, pro morbis extenuatis, nollemus probare, quia metus subest, ne caput gravent simulque nimis exsiccent.

§. XII. Verum, cum vera ac constans virium restauratio medicamentis, quorum virtutes nullæ sunt alimentariæ quæque aliquo saltem modo alterant atque motum in fluidis & solidis concitant vix procuretur, revalescentes atque extenuati exsiccatique a morbis, ex cella penaria atque culina id est, ex alimentis esculentis & potulentis bonis, gelatinosis & spirituosis assumtis in succum & sanguinem conversis quæ humiditatem debitam, robur & vires corporis animalis atque materiam spiri-

tuum animalium potiſſimum largiuntur rectius atque firmius & non raro citius (nam in momento quaſi interdum quando comedunt ac bibunt ſatiantur ſpiritus) quam ex pharmaco pæorum pyxidibus, lecythis phialisque reficiuntur & nutriuntur? quibus remediis optimis in novum quaſi corpus redeunt, veteri per morbos amiſſo atque depoſito ut ſerpentes detractis exuviis novam juventutem conſequi vulgo dicuntur. Videmus enim in plurimis morbis febribus præſertim & convulſionibus magnam quidem vim & potentiam motricem cordi, arteriis & membranis nervoſis ineſſe & tamen vires admodum languidas permanere. Ideo præ reliquis poſt debitam repurgationem talis penus bene adornetur. Auxilia vero ejusmodi omnia in mediocritate poſita ſint, quoniam uſus in mediocritate, abuſus in exceſſu, aut defectu rerum quæ adminiſtrantur conſiſtunt atque cum iis non per ſaltum, quem natura ubique non amat, ſed per gradus agatur eaque ubivis ſervetur inter eam, quæ ſanorum propria eſt & ægrotantium, ratio. Materia hæc refectionis quæ tam membra quam humores & ſpiritus animales reſpicit etiam media ſit inter liquidum & ſolidum & quæ celerius excernitur, magis tamen adhuc liquida nutrientia in genere præferenda, ab initio refectionis & nutritionis; quoniam humorum laudabilium magnus adeſt defectus & calor debilis, qui non ſufficit ad ſolida alimenta digerenda: Sequantur dein ſolida magis & ſicciora, utpote quæ minus variis corruptionibus ſunt ſubjecta, firmiorem dant alimoniam, robuſtiorem habitum vitamque longiorem præbent: Etenim citius liquidis naturæ noſtræ magis congruis ac familiaribus (humido enim vivimus atque nutrimur) quam ſolidis, citius potu quam cibo digeſtio, chylificatio & transmutatio, diſtributio aſſimilatio atque appoſitio, nutritio ac reſtauratio ut & ſecretio & excretio fiunt & humorum & ſpirituum mutatio & alteratio, & quoniam laudabilium humorum poſt acutos æque ac chronicos, magnus adeſt defectus & digeſtio debilis, corporaque convaleſcentium exſiccata fere ſunt. Hoc HIPPOCRAT. *L. de Alim.* inſinuat. *Quicunque celeri appoſitione indigent, iis humidum ad reficiendas vires optimum eſt, facilius enim transmutatur quam ſiccum.* Atque illius victus ratio exacta habeatur diutius, quia tempus humectandi longius habetur, quam exſiccandi, maxime ab iis, qui a gravioribus & longioribus morbis ſunt eluctati. Igitur ſit & hic conveniens modus, ne meris ſcilicet juſculis liquidis infirmi reficiantur, quod optime CICERO intellexit, quando *XVI. Epiſt. 6.* ſcribit: Medicum male agere debili ventriculo liquida tantum afferre ac ſuadet ut panis cum juſculo aſſumatur. Quoniam ii frigidiores quoque

que sunt, calefaciens potius victus injungendus. Generalis & hæc regula teneatur in renutritione, in HIPPOCRATIS *Aphor. VII. L. I.* præscripta: Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lente reficere oportet, quæ vero brevi, celeriter, ne subito fiat in alterum mutatio, quæ ubique sæpe minus tuta & periculosissima est, quoniam harmoniam & symmetriam omnium actionum vitalium & animalium perturbat, interrumpit, modo fortiores aut debiliores & irregulares efficit & *de nat. hum. Lib. Si quis subito victus rationem immutet, ne quid in corpore ex mutatione immoretur, periculum est.* Pro comperto enim habemus, fame consumtis diu & emaciatis, alimentum copiosum & impedimento (hinc singultu ac vomitu vexantur) & exitio esse, prout HIPPOCRATES *Aphor. XIV. L. I.* de senibus quibus convalescentes æquiparantur scribit: *iis calidi inest parum & propterea paucis fomentis egent; siquidem multis extinguuntur.* Nam spiritus animales per jejunium nimis impetuosi facti, impetuosius alimenta aggrediuntur, chylum nondum perfectum per totum corpus nimis festinanter dissipant, qui acidus dein & immaturus obstructiones, scirrhos, atrophias, hydropem inducit. Vires quidem debiliores plus alimenti postulant, idem tamen prohibent digestiones in hoc statu imminutæ ac depravatæ; siquidem & ventriculus & intestina præter modum adeo ita sunt corrugata ut a solidis cibis etiam pane assumtis, ad crepaturam usque corrupta fuerint uti v. gr. de Rupella expugnata referunt historica monumenta v. LVDOLPH. *Historische Schaubühne P. I. p. 453.* Quare juscula tantum perferre potuerunt miseri. Si enim a recte valentibus, ut optime CICERO præcipit, tantum cibi & potus assumendum, ut vires reficiantur & non opprimantur, certe a debilibus hoc magis est servandum. Post acutos morbos & si tumidi & inflati revalescentes sunt cibus paulo solidior non adeo est suspectus, si modo laudabilis est & tener, simplex & succi plenus, eupeptus. Juvabit multum & hic, si crebrius (non autem singulis pene momentis, ut non raro fit, cum ad digestionem absolvendam sufficiens requiratur tempus) sed parum cibi istiusque bene adhuc calidi, quo interno, ad concoquendum requisito calori succurritur, pro una vice offeratur, quare GALENVS *L. VII.* ter in die ad vires recuperandas extenuatos cibare consuevit. In hanc rem notabilis SANCTORII observatio est *L. II. Aph. 37.* qua indicat: Magis hominem gravari, ab octo libris ciborum semel in die ingestorum, quam a decem tribus vicibus, una die assumtis. Nam quo diutius partes nutritioni inservientes a suo officio vacaverunt, eo difficilius ad suum institutum redeunt. Ob longum vero morbum, ventriculus digerens assum-

ta

ta & ejus robur periſtalticum & omnes partes nutritioni inſervientes præ aliis langueſcunt, circulatio humorum debilis, quæ alimoniam humorum ſubigere debet, adeoque ſolutio, diſtributio, aſſimilatio, ſpirituaſcentia, ſecretio & excretio non rite perfecteque inſtitui poſſunt atque abſolvi, ſed dum cibus male digeſtus & crudus, lentore ſuo mucido, plicis & tunicis duodeni maxime inteſtini, firmius adhærent cruditates potius multæ hinc proveniunt in univerſum corpus, diſtribuuntur atque caput præcipue multis humoribus repletur atque deinceps, de novo quaſi viſcera, quæ ſanguinis depurationi inſerviunt, anguſtiſſimosque glandularum tubulos obſtruunt atque infarciunt, hinc dolores capitis iique gravativi ſenſuum obnubilatio, cardialgia, flatus, ructus, nauſea, vomitus, alvus obſtructa, ſpirandi difficultas, febres lentæ, ſtomachalis, icterus ſomniis impeditus diri cruciatus inteſtinorum, lienteria recidivæ aliaque corporis animique mala accerſuntur. Secundum Hippocratis *Aphor. XLV. L. IV. Sect. VII.* tumores & dolores articulorum exinde ſubnaſcuntur. Si ab ullo morbo nocet cibi repentina repletio, certe nocet poſt febres continuas, graves hæmorrhagias & apoplexiam, cujus nobis exemplum occurrit in juvene ab ea convaleſcente ſed largiori cœna aſſumta, extincto. Si forte lipothymiæ interdum intercurrant non diu maneant jejuni; Cæterum quæ ratio inter pleniorem & parciorem victum ſit tenenda, monſtrant aliæ quoque circumſtantiæ, e. g. Si quis a morbo cibum capiens non confirmatur, indicat pleniorem adhibendum eſſe. Quo ſimul monendum, quod alii cibi minori copia & ocyus naturæ expleant defectus; alii ſæpius exhiberi debeant; quia ocyus diſſipatur eorum ſubſtantia, quamvis facile expleant. Nec non aliæ cautelæ attendendæ veniunt, pro diverſitate perſonarum, ætatis ſexus temperamenti, vitæ generis, conſuetudinis, graviditatis climatis: Quoniam, quo debilius eſt naturæ robur, eo minus cibo eget, eoque facilius ab ingeſtis læditur etiam alioqui ſanus, quare ita proportio ſemper debet eſſe, inter victum præſertim qualitate eminente ſimul præditum & vires, quandoquidem eædem ſi debiles ſunt, victus quoque tenuis ſuadendus, fortes autem & robuſtæ ſi ſunt victus magis plenus & craſſus locum habet. Hanc in rem, egregia verba ſunt, quæ habet Celsus *Lib. II. cap. 18. Imbecilli homines rebus infirmiſſimis opus habent, mediocriter firmos media materia optime ſuſtinet & robuſtis apta validiſſima eſt.* Plenior autem victus dicitur qui uberior, generoſior ac boni & multi ſucci ſimul tamen evpeptus; ſicut tenuior, parcior & qui parum ſucci alibilis continet, etſi facilioris digeſtionis. Addendum, quod plenior hyeme,

par-

parcior æstate conveniat. Ratum insuper quoque habeamus CELSI monitum *L. III. cap. VI.* Si vires non satis sufficiunt & fastidio urgentur, apponendi sunt varii cibi, ut paululum ex singulis degustando varietate illorum allecti famem vitent melioremque chylum proximum elementum sanguinis, qui ex multifariis particulis constat, ratione figuræ ac molis diversis atque seri nutritii nanciscantur. Iuvabit etiam si eos coram præparatos aliquantisper intueantur, aliosque avide commedentes aliquamdiu spectent, quo saliva movetur atque appetitus mire invitatur. In hac varietate vero ciborum quam diligentissime sibi caveant, a plane contrariis, tam quoad substantiam, quam qualitatem, ne scilicet uno eodemque tempore præter modum & leviores, molles & compactiores, duros, acidos, dulces, austeros, salsos, flatulentos, adstringentes, laxantes &c. ingerant: Talium enim miscela efficitur, ut inæqualis eorum digestio & inter eam varii peregrini motus indeque chymus, chylus & sanguis vitiosus insequantur. Quoniam & observatur, eos qui morbo diuturno & inedia laborarunt, atque præsertim quartanarios, verminosos, melancholicos, hypochondriacos, & quandoque epilepticos, nimia cibos ingerendi cupiditate atque festinata deglutione ferri: famelici enim lente manducare nequeunt, quo & cibos non decenti masticatione dividunt & subigunt atque saliva, quæ menstrui vicem gerit probe miscent, quod tamen digestioni, distributioni & transpirationi nocentissimum est, æque cardialgiam & angustias præcordiorum, flatus, colicam & conatum vomendi infert, placidum somnum impedit, capitis dolores aliaque mala accersit. Ea propter hortandi atque monendi sunt, ut ab hac effreni aviditate sibi temperent & cibos bene masticent: nam nimia copia repente ingesti cibi potusque ventriculum distendit, ejusque liberam actionem & motum systalticum impedit, unde diutius in ventriculo hærens, lædit & vellicat, quæ vellicatio paulo fortior totum nervosum contextum in consensum trahit. Præter incommoda quæ exinde sequuntur adhuc unicum saltem commemorare lubet, quoniam alias perraro est annotatum, febriculam nimirum, quam digestionis vocant, quæ ephemeræ quædam species est, siquidem a cibo avidissime sumto, mox ventriculi inflatio dolorifica, cum summa anxietate & spirandi angustia, capitis dolore, inquietudine, languore extremorum partium infrigidatione se exserit. Pulsus est durior & frequentior, alvus constipata & paroxysmus intra aliquot utplurimum horas supervenientibus ructibus vel vomitu aut sudore solvitur. In hac administranda diæta, priscis sapientibus medicis vel in ipsis morbis vel post illos admo-

dum circumſpecti & ſeduli erant, quorum veſtigiis & nos quoque omni ſtudio inſiſtamus, par eſt, bene memores nihil magis reconvaleſcentes poſt morbos præſertim acutos ad chronicos diſponere quam vitioſa diæta, ſpeciatim ſi exceſſu ea peccet.

§. XIII. Ad laudabilium humorum proventum procurandum atque ad materiam reſiduam, minus aptam, per eum coërcendam, partium debilitatarum actionumque ipſarum reſtaurationem, atque ad celeriorem & faciliorem nutritionem & refectionem, quæ maxime a tenui materia oſcula ingreſſa vaſorum, quæ in venas lymphaticas vel ſanguiferas ſe evacuant, fit, conferunt optime alimenta eaque ſucci plena, qui (ſuccus) maxime alit nam craſſiores aſſumtorum partes, rejiciuntur quæ ſanguini homogenea ſunt, quæ nec obſtruunt aut impediunt nec concitatius per venas & alia vaſa deferuntur quæ celeriter in ſanguinem tranſeunt ejusque copiam augent & quæ ſunt ſimul medicamentoſa, per quæ refectio & curatio omnium facillima, jucundiſſima & tutiſſima eſt, ut juſcula ex vino & cereviſia probe confecta atque maxime carnium, oſſium non nimis durorum contuſorum medullarum, in clauſo vaſe decoctione cum aqua & vino parata, inſtaurativa & facile meabilia, (quoniam vires & robur corporis noſtri a partibus ſubtilioribus alimentorum potiſſimum proficiſcuntur;) vitulinarum, bubularum, gallinarum, pullorum, jus pinguis galli veteris a longo tempore a Medicis uſurpatum atque laudatum ob vim quandam nitroſam & abſtergendi, quæ animali illi calore cum ætate increſcente competit cum criſtis & teſticulis gallorum gallinaceorum caſtratorum, quæ a multis extolluntur. De illo audiamus modo adhuc Dioſcoridem *Lib. II. Cap. XLIII.* inquientem: *Jus e veteri gallo alvum dejicit crudos humores craſſosque, atram bilem & ſtrigmenta elicit, prodeſt longis febribus, ſuſpiriis articularibus morbis & inflationibus ſtomachi,* atque GALENUM *XI. Simpl. Jus gallinarum habet vim alvum retinendi ut gallorum veterum ſubducendi.* Pluribus hoc idem declarat MESUES *Cap. XXIII. de Simp. purg.* Medicata magis fiunt ut eorum digeſtiones atque ſolutiones felicius promoveantur, avidius aſſumantur & cruditatum proventus avertatur ex optimis aromaticis herbis, floribus, ſeminibus, corticibus, radicibus variis appropriatis, ut nuce moſchata, foliis lauri, majoranæ, meliſſæ, ſalviæ, menthæ, roriſmarini, pulegii, ſerpilli, thymi, origani, ſpicæ, floribus borraginis lavendulæ baccis, juniperi, turionibus lupuli, ſeminibus fœniculi, aniſi, ſinapi, corticibus, citri, aurantiorum cinamomi, radicibus, acori, calami, aromatici, enulæ, incoctis, additisque pane nigro Weſtphalico, ovis, cornu

cervi,

cervi, & eboris ac teneriorum, carnium gelatinis, utpote, quæ verum chyli augmentum præbent variisque ſuccis, ut citri aurantiorum ceraſorum ribium & ſimilibus inſtillatis, cum quibus integra etiam diæta v. g. per II. III. & IV. hebdomades, pro re nata, inſtitui poteſt. Præterea in reliquo cibandi ordine, in genere omnino cibi ſapidiſſimi, utpote qui citius reſtaurant atque facilis digeſtionis, & multi, gelatinoſi, boni ſucci, qui nimirum in olea, ſalia, ſerum nutritium, ſpiritus adeoque in ſuccum & ſanguinem ipſamque corporis ſubſtantiam facile mutari poſſunt, in debita quantitate, tempore & modo ſumantur. Ejusmodi porro ſunt carnes leviores animalium juniorum & aſſatorum potius quam coctorum, quia illæ magis ventriculum firmant, plus meliusque nutriunt, ſuccus enim uberior effluit, ſi cultro perforentur: habent enim cruſtam ſibi extrinſecam humiditatem earum intus conſervantem, nam maxima nutritia pars, in jus abit atque ſale inveteratæ meliores quam recentes. Caro columbarum, quæ cibus ſapientum dicitur, ut & turturum, quam juxta paſſerum convaleſcentibus & ſenibus valde commendant: RHASIS *Lib. III. cap. II. & III. Aphor. IV. ſeqq.* caponum, avium ſylveſtrium & campeſtrium & montanarum parvarum, ut alaudarum, fringillarum, acanthidum, nec non majorum, ut perdicum, quam Cardanus multis nominibus commendat, attagenum, ruſticularum, phaſianorum, agnorum, caprarum juniorum atque hædorum caſtratorum & quam GALENVS *IV. de rat. vict. in ac. Com. 102.* optimum ſanguinem generare perhibet, porcellorum, cuniculorum, lepuſculorum, capreolorum & Polonis & Sileſiis in deliciis habitæ brancæ urſinæ bene coctæ beneque conditæ. Quidam pro debilibus ejusmodi ſciuri carnem præparatam laudant. Piſces, ſine quibus, nulla apud Priſcos cœna erat licet imbecillius frigidius & humidius illis nutrimentum præbeant atque de iis dicatur, quod corpus putridis humoribus impleant hincque febres, tabes, podagræ, epilepſiæ, lepræ & id genus alii morbi procederent; conceduntur tamen aſſati frixique potius coctis inprimis vero ſaxatiles atque ſquamigeri (ſquamæ enim eæque duriuſculæ & ſpinæ in piſcibus ſignificant ſubſtantiæ puritatem ſecundum GALENVM *Lib de Facult. alim.*) quique velociter natant, ut truttæ, apuæ, percæ, funduli, lucii minores, muſtelæ, mulli, thymalli, gobii, cancri fluviatiles minores, cum quibusdam amphibiis, ranis, teſtudinibus, cauda caſtoris; nec interdicendæ, ſunt oſtreæ. Circa quæ notatur, quod chylus ex alimento animali confectus ſit magis roborans ſanguinis & ſolidorum corporis humani, quam qui ex alimento conſtat vegetabili, quoniam

illud facilius & citius assimilatur & transmutatur in naturam sanguinis & firmius supplementum solidis affert abrasis. Panis quem Homerus medullam hominum Sacræ autem litteræ robur cordis appellant, omnium esculentorum quasi basis, quique ventriculo gratus, omni ætati omnique tempori conveniens est, alimenti plurimi, ejusque saluberrimi & firmissimi maximeque durabilis ferax, escas gratas & utiles reddat, secalinus potius quam similagineus apponatur; siquidem ille fovet partes magis ventriculo amicas, acidulas, sulphureas, hic vero ob lentorem magis obstruit. Huc quadrat locus apud SIMON. PAVLI *in Quadripart. Botanico p. 283.* In quotidiana victus ratione, qui similagineo pane vescuntur, nec corpus laboribus validoque opere aliquo exercent, parum sibi consulunt. Is fit ex farina pura & novella pinsus & bene fermentatus beneque subactus, attenuatus, atque mollis ac mitis, levis, rarus atque porosus nec non modice salitus, non durus, siccior, viscidus & gravis. Admodum quoque conducibilis habetur cui anisi fœniculique semen est admixtum, quod panis efficaciam auget, stomachum confortat aliaque commoda affert, eligaturque potius mica ejusdem quam retorrida crusta, quoniam illa præ hac, melius atque efficacius & citius nutrit. Nec prohibendus grossior ille Westphalicis (bon pour Nikel dictus) ac singulis pene Saxoniæ inferioris incolis accolisque usitatissimus, quoniam valide nutrit simulque subtilibus surfuribus inibi relictis viscidum abstergit blandaque vellicatione ventriculi tunicas glandulas intertextas stimulat, ut menstruum quod vocant ventriculi, uberius concedant. Ex hoc illoque dein variæ panatellæ, variis liquoribus ac aromatibus & similibus, confortantes, parentur. Loco vero manducandi panis quintam essentiam ejusdem quærere, quam Gallorum quidam quondam effinxerunt, ut nutriendis paucæ guttulæ sufficerent atque eo simul operosæ tædiosæque forte masticationi supersedere possent, non est sane probandum, plurimis certe rationibus falsi vanique arguitur, nec arguitur tantum verum etiam convincitur; qui enim bello hoc invento commoditatis causa uterentur, ad incitas reducebantur, adeo, ut nullo fere remedio, in integrum restitui iterum potuerint. Butyrum optima pinguiorque pars lactis idque recens VERVLAMIO *Hist. nat. C. I. Th. LIV.* adeo commendatum ac multorum morborum remedium & bene nutritivum habitum. Non possumus non hic quoque suadere, ova sorbilia recentia & quæ tremula vocantur præcipue eorum vitelli commune illud ægrotantium alimentum. Convalescentibus quoque ex usu esse possunt, pultes cum pulmentariis forte veterum Romano-

rum

rum iisque usitatissimis cibis vid. Plin. *L. XVIII. f. 19.* conferendæ, illorum Persius *Sat. III. v. 102.*

Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris

& Juvenalis *S. VII. 185.*

Veniet qui fercula docte
Componet, veniet, qui pulmentaria condet.

meminerunt. Hæc apud nos præsertim ex avena, hordeo & e tritico, oryza bene emollita, frumento saracenico, graminis manna, amygdalis dulcibus pineis, pistaceis quæ Avicenna maxime laudat: parata, convenientissima sunt. Gelatinæ quoque, bellaria aptissima sunt artificiose vario modo paratæ hincque alimentosæ & cardiacæ vocatæ. Hæ enim cum gusto & jucunditate assumuntur faciliorisque sunt digestionis Fr. Ranchin. judicio *Tr. de morb. sen. Sect. III.* insuperque validum alimentum præstant emaciatumque corporis habitum recreant atque conservant. Conceduntur lac cum lacticiniis, primus noster cibus, quia similiter bene nutrit, facilisque digestionis est, idcirco emaciatis corporibus, tabidis bonum ac laudabile alimentum idque copiosum & satis constans præbet cujus solius usu ad multos annos, multos debilioris naturæ vitam protraxisse, varii annotarunt fide dignissimi Doctores. De hoc ita sagacissimus Sydenham scribit, *diss. epist. ad Guil. Cole*, cum lac frigidum tantum crudumque alimentum præbeat, spiritus nihilominus ejus usu corroborentur invigorenturque. Nec tamen hoc, a ratione abhorrere illis videbitur, qui secum reputaverint, lac, cum simplex omnino nutrimentum suppeditet, naturæ minus in coquendo negotium facessere, secus ac solent cibi & liquores magis compositi quodque perfectissimam illam coctionem æqualis sanguinis spirituumque crasis, necessario sequatur. Lac humanum, equinum & asinium primum inprimis commendandum, quod est tenue, & facile subit partes, simulque abstergit, dein succedat caprilium tandemque vaccinum sacchari pauxillo addito utpote magis nutriens. Attamen quibusdam convalescentibus, quibus forte stomachus admodum debilis est, quique sordes biliosas & viscidas adhuc continet, cui cum capite ob membranas nerveas ingens consensio, quibusve per nimias sanguinis egestiones roburque ventriculi fractum est lac non admodum conveniens esse *Aph.* Hippocratis *64. Sect. V.* innuit, qui ita se habet: *Lac dare caput dolentibus malum, malum etiam febricitantibus & quibus præcordia elevata, permurmurant; ex siticulosis malum, quibus biliosæ dejectiones in febribus acutis sunt, & quibus sanguinis multa egestio facta est.* Nec serum lactis cuique parum mellis

ſirupi violarum vel fumariæ additum nedum lac ebutyratum, præcipue cum pane & ſemine aniſi coctum, (quod Belgæ & Friſii inſtar medicamenti habent) prohibemus. Caſeum vires reficere, HIPPOCRATES dixit. Vid. *Lib. de Affect. §. 49.* Mellis quod cœleſtis manna, dulcis, ſiderum ſaliva, ferculum hygeæ ſacrum appellatur & cibus medicinalis nobiliſſimus, & humanæ rationi inimitabilis atque qualis vix reperitur aut habetur alibi, ſimplicis & compoſiti, ut mellis roſati, mellitorumque, panis melliti & ſimilium uſum æque conducibilem cenſemus, quoniam ea nutritiva & temperata, roſcida, roborativa blandiente balſamica delicatiſſimaque atque efficaci dulcedine pollent, quæ motus vitales ſuſcitat auget atque conſervat vires & ſpiritus animales inſtaurat, illorumque copiam adauget & ſimul pituitam atque craſſas lentasque nocentes humores attenuat ac reſolvit juxta ac detergit atque viſcerum obſtructiones reſerat. Ex fructibus horariis bene maturis, appetentibus concedi poſſunt, poma fragrantia, borsdorffiana, francica pyra moſchatellina meſpila ceraſa, pruna hungarica, avellanæ eæque lambertianæ, caſtaneæ bene coctæ, præſertim vino generoſo madefactæ ac ſaccharo & cinamomo conditæ, apricotia, baccæ rubi idæi, caricæ, paſſulæ, pineæ piſtaciæ amygdalæ dulces. Ex oleribus licet parcius nutriant, tamen quæ ſuccum continent leviorem & facile tranſeuntem & qui non oneri eſt naturæ, ut lactuca, portulaca endivia, beta, acetoſella, lupuli germina, braſſica rubra bene cocta, ſpinachia, chærefolium, aſparagus, ut & cinaræ inprimis laudanda. Jungantur radices cichorii, paſtinacæ, petroſelini. L. FVCHSIVS, Medicus clariſſimus *Lib. II. de comp. med.* ſiſarum conditum convaleſcentibus admodum conducibile eſſe, affirmat. Inter ciborum condimenta porro quæ appetitum languentem excitant & ventriculum tenaci pituita obſeſſum liberant eumque corroborant, præferantur mala aurantia, citrina, granata, olivæ, cochlearia, naſturtium paluſtre ac hortenſe, & quædam acetaria, cappares &c. & quæ Veteribus in frequenti uſu erant ſalſamenta atque bellaria. Illis adſcribendi harengi muriatici recentes cum ſardellis, caviare moſcoviticum &c. his confectiones ſaccharatæ & fructus ſaccharo conditi, ceraſa, cydonia, corna, ſorba, apricotia, berberes &c. Speciatim infirmi ſtomacho ne præſertim flatibus vexentur ab aſſumtis cibis ejusmodi, quæ os ventriculi ſupernum ſtringant ac roborent, ut grana aliquot maſtigis, ſemen coriandri, fœniculi, ſacharum roſaceum, deglutiant. Inſuper in omnibus alimentis delectus ſervetur, ut recentia ſint non inveterata, cum recentia alimenta majores, quam alia inveterata, habeant vires, eo quod

vitæ

vitæ ſint propinquiora, antiqua e contra & marcida magis quam recentia aluum moventia, putredini propinquiora, ut HIPPOCRATES loqui amat *L. II. de diæta.* Sint & bene cocta beneque præparata, ſaporibus & odoribus gratis imbuta, quæ membra principalia pro odoris & ſaporis natura mire recreant & enutriunt, atque lauta & quæ guſtui placent appetituique arrident, oblectatio enim optimum condimentum, ut nauſea peſſimum nocumentum, utpote quæ felicius aſſumuntur, facilius retinentur, melius digeruntur & diſtribuuntur citius, reſtaurare ſolent, quod ſecundum AVICENNAM ſapit, nutrit, magisque juvat. Earum certe partium, quæ ad aſſumtionem cibi & potus chylificationemque inchoandam & continuandam ſunt deſtinatæ, evidens conſpicitur conſenſus, adeo & quod palato ingratum ſæpe ventriculo nauſeam & vomitum concitet. Propter eundem conſenſum ait BAUHINUS, caput per palatum evacuare non poſſumus, quin ſimul ventriculum quoque evacuemus. Interdum & rara quædam & inſolita ac improviſa offerantur, atque fingendo ſubinde, ac ſi dono data peregreque transmiſſa fuiſſent, quæ nimirum grata novitate maxime placent atque ſunt accepta, exhilarant avideque appetuntur: Novimus enim & ægrotantes adhuc & convaleſcentes prægnantium in morem plerumque conſueta alimenta alias averſari optareque ſibi valde extraordinaria, quædam, quanquam ipſi non raro ſciunt, qualia ſeligant. Talia certe ſaporum delectamenta plus conveniunt ægris & convaleſcentibus, quam recte valentibus. Si & quædam appetant atque magno deſiderio ad ea ferantur quæ minus utilia videntur, tamen ad excitandam cibi cupiditatem, danda parca tamen manu potius ea eſſe, quam neganda, cenſemus. Sanguis enim ex ejusmodi conſtat particulis, in quarum motum & mixtionem alimenta conſpirant, ipſumque ventriculi menſtruum magis aptum eſt, cibos tales digerere quia tunc plerumque magis activum eſt. Quamvis fatendum omnino ſit, obſervari talia circa hanc rem exempla, quorum rationem reddere admodum difficile ſit. Inſuper etiam hic magna imaginationis vis, quam in hominum ſanitatem exercet, eluceſcit. Ad hoc obſervamus quod natura ipſa a nemine edocta, ſui melius eſt conscia, in neceſſariis, quam ars, atque id quod eſt utile maximopere appetit, ſaltem ne laſciviat illa, providendum; adeoque tutiſſimum & utiliſſimum eſt, ut convaleſcentes toti ſibi ipſi relinquantur comedantque quæ appetunt, modo non morbum quo affecti fuerunt directe exacerbare, orgaſmum augere & ſymtomata intendere queant. Vult HIPPOCRATES *II. Aphor. 38.* ut paulo deteriora nimirum concedantur, unde etiam

Idem

dem *VI. Epid. & Lib. de Affect.* cibos potus & obsonia quæcunque ægri concupiscunt, si modo damnum non afferant, exhibere jubet. Quando vero convalescentes omnia alimenta assumere respuunt, tunc optima ea etiam coacte, ut non raro cum medicamentis fieri assolet, licet & eadem abhorrescentibus ructus, inflationes nauseam & ad vomitum conatus &c. concitent, exhibenda sunt, ne subtracto probo alimento vires penitus concidant atque ut ventriculus ejus fibræ ac spiritus reficiantur subinde excitenturque ac habeant, quo blande calefiant ac demulceantur; tunc convenientissima sunt juscula, quibus & medicamenta appropriata possent interponi. Legitimo vero appetitu accedente & invitante ciborum assumtio non differatur, ne saliva, quæ tunc movetur, utpote salsa, ad vacuum ventriculum confluet molestiasque creet notante enim HIPPOCRATE ea est ventriculi natura, ut plenus omnibus det, & ab omnibus vacuus accipiat, atque menstruum ventriculi vel nimis augeatur acoremque præternaturalem induat, vel ab excrementis aquosis diluatur, ut appetentia deinde pereat, quod & recte valentibus accidit, *wenn sie*, ut dicunt, *den Hunger übergangen haben:* Quondam, per chirurgiam infusoriam dictam, ægris convalescentibusque ciborum per os assumtionem omnem aversantibus, in venam quampiam ampliorem, medianam, liquorem quendam nutritium infundebant. Cœterum laudantur pro convalescentibus Homerica convivia, germanæ voluptatis sensu fructuque prædita, in quibus & bibitur & sermonis delectatio musicesque deliciæ adhibentur.

§. XIV. Abstineant vero cum cura, ab omnibus cibis, qui facile ventriculum onerant atque fibris facessunt negotium ac qui aluum constipant quique temperiem menstrui salivalis non destruunt, crassioribus, durioribus, exsiccatis, austeris, glutinosis, pinguibus, viscidioribus, flatulentis, paucum & lentum chylum & cruditates varias gignentibus, & qui facile corrumpuntur ac putrescunt: ut sunt butyro frixa ova, dura, lentes, caro suilla, (a cujus speciatim esu, transpirationem semper segniorem & gravitatem corporis SANCTORIVS *in Medicina* sua *statica* perquam curiose observavit) ut & non satis tenera bovilla, & fumo indurata, aprorum, capita & pedes animalium, porro avium majorum ut & aquaticarum, ut anserum, anatum, fulicarum, gaviarum atque coturnicum quam Jul. Alexandr. cum Arabibus medicis præ aliis convalescentibus dissuadet, anguillarum, tinearum, ut & omnium majorum & lacustrium & marinorum speciatim piscium, panis cibarius grossior, legumina, fructus & olera facile putrescentia & plura corruptibilia, ut pepones, ex quorum esu

spe-

ſpeciatim P. MATTHIEV *Lib. Hiſt.* ſcribit, quod Henr. IV. Rex Galliæ ex gravi morbo convaleſcens, vitæ periculum ſibi contraxerit, ut & cucumeres &c. farinacea, placentæ præſertim adhuc calentes & parum fermentatæ adeoque glutinoſæ & quæ multum incocti habent butyri aut alius pinguedinis, & id genus plura. Hæc enim ob debiliorem ventriculum non bene ſolvuntur & digeruntur, neque bene nutriunt neque a maſſa ſanguinea ſubiguntur nec facilius excernuntur, quæ enim ſecundum HIPPOCRATIS effatum *Aph. II, 18.* affatim & celeriter nutriunt, celeris etiam exiſtunt excretionis. Hinc qui hunc errorem commiſerunt mox ventriculi gravitatem, ſudores copioſos perſentiunt, tumoresque denuo crurum œdematoſos atque anaſarcam ſibi contrahunt. Etenim ejusmodi ad digeſtionem inepta ingeſta moles, inſtar ſpongiæ in ventriculo intumeſcit, adeo ut diſtendendo, obſtruendo condenſandoque, humorum ſecretioni, obicem ponat & promoveat violentam ſeri ad partes fibroſas expreſſionem. Hic commode in mentem venit, quod apud CICERONEM *L. VI. Epiſt. ad Famil. XX.* legimus, eum Aſclaponis medici curationem, non probantem, dixiſſe: Jus dandum Tironi non fuiſſe cum κακοϛομαχὸς eſſet, autumamusque non ſine ratione Ciceronem hoc dixiſſe; etenim jura etſi eupepta videantur, tamen ſi ptiſanæ craſſiores incoctæ ſunt nec ſatis emollitæ, ventriculum languidum offendunt difficilioriſque ſunt diſtributionis. Quo recordamur nos haud ſimplici vice vidiſſe, ab emulſionibus amygdalatis copioſis iisque ſpiſſioris conſiſtentiæ, quibus convaleſcentes conſulere ſibi voluerunt, inflationes, ructus, appetitus ſubſequentem imminutionem, nauſeam, cardialgiam, alvi obſtructionem, accerſitas fuiſſe. Ex febribus præſertim intermittentibus atque malignis, petechialibus &c. convaleſcentes abſtineant ab omnibus carnibus & juſculis, earum, nimium nutrientibus & facile putreſcentibus ut & lacticiniis &c. quæ quo meliora aliis, his certe ſunt pejora, quia ex horum uſu facile recidiva ſequitur.

§. XV. Potus alimenti vehiculum, digeſtionis diſtributioniſque & irrigationis materia ſequitur, quo Athenæus antiquiſſimus & celeberrimus Scriptor, jam ſolo potu, quosdam vixiſſe & bene nutritos fuiſſe, aſſerit atque quo ſecundum HIPPOCRATIS *Aph. II. aph. II.* facilius eſt impleri quam cibo; licet is alias, illum varietate utilitate neceſſitate & frequentia longe ſuperet. Ideo & ejus præſertim habenda eſt ratio, nam in tantum ſaltem nutrit cibus, in quantum eſt dilutus, qui fluidas inprimis corporis noſtri partes, varie immutat & exaltat atque in motu ſuo legitimo conſervat. Is ſit ſat copioſus atque ad irrigandas exſiccatas par-

tes, sufficiens & levior, moderatus tamen, & per vices crebrius iteratus ita ut invitetur atque incitetur magis quam simul & semel expleatur hic assumendi appetitus, sitque ille tempestivus, non nocturnus, si fortior, parcior non inebrians. Cerevisia, quæ non saltem siti restinguendæ sed & alendo corpori præ aliis idonea, non talis equidem sit qualis veterum erat, quam Zythum Curmi vel Phucas vocabant, ex sola aqua & hordeo crudo non addito lupulo cocta, sed bonæ notæ, ex malto rite præparato cocta & lupulo mediocriter condita, beneque defæcata, non recens nec ob vetustatem acida, atque corrupta, non flatulenta. Præ omnibus aliis notioribus, convalescentibus a Medicis passim commendatur Goslariensis cerevisia, quia ob spirituositatem gratam mire eos reficit atque nutrit, huic Brunsvigensis, Momma, Cereris quasi Syrupus, Duckfteinensis, Gardelebiensis, Soltwedelensis, Bernavensis, Repinensis, Hamburgensis, Lubecensis, Embecensis, Mindensis, Rostochiensis præ aliis Mindensis, Dantiscana *(Doppelbier)*, Wratislaviensis, eaque primaria quam Schepusium atque Silesiorum nectar vocant, Bregensis Arcis dicta, Oppaviensis, Schwidnicensis, Goldbergensis, Boleslaviensis, Crosnensis, Mauckschitzensis in Ducatu Silesiæ Teschinensi, ut & Zacensis, Strenensis, Adersbachensis, in Bohemia, jungantur merito. Post has Wurzenses, Martisburgenses & Eilenburgenses nostræ nominandæ, secundus post has, locus concedatur Torgensi, quæ sapore aromatico & refocillante roboranteque virtute se commendat & sanguinem laudabilem generare dicitur, quamque ideo eximie quondam laudavit PLACOTOMVS *de natura cerev.* Sequi has possunt Numburgensis, Dresdensis, Freibergensis & Chemnicensis. Nec obliviscendæ aliæ, Wettinensis Keuterling vocata, Lebiunensis, Servestana eaque roremarino alterata, Erfortensis. Neque plane interdicenda Lipsiensis inprimis ea quæ *Doppel-Rastrum* vulgo vocatur, meliori cognomine & æstimatione digna; ast aliena utplurimum suis meliora esse putant, mirorque & alibi aliunde afferre potum cum domi, optimum ipsi parent. Quoniam non adeo mala ac quidem vulgo habetur: siquidem ob quandam dulcedinem, palato, non omnino ingrata, sat bene nutrit, alvum laxat, cito per urinarias vias fertur neque caput gravat, neque languorem membris relinquit, neque adeo multas flatulentias in hypochondriis parit si modo prius est, in lagenis uvis majoribus passis similibusque additis, rite defæcata, ut alimentaria etiam medicamentosa evadat: Multi laudabiliter assolent, nec possumus damnare, cerevisiam, melissa, absynthio, roremarino, salvia, scolopendrio, helenii, cichorei, scabiosæque radicibus, baccis juniperi, caryophyl-

phyllis, calamo aromatico seminibus fœniculi, coriandri, similibusque aromatibus vel ebulliendo vel infundendo, non gulæ solummodo sed & valetudinis causa, condire. Nec non ex cerevisia varia genera jusculorum eduliorum, condimentorum ut & medicamentorum conficiuntur. Sæpius speciatim post variolos, morbillos aliaque ejusmodi exanthemata, ut & arthritidem vagam capitisque morbos, ad perfectam sanguinis depurationem, præstat, a cerevisiis primum per aliquod tempus abstinere, maxime ab iis, quæ caput turbant & calorem præternaturalem concitant & loco illarum decoctum temperans ex radicibus scorzoneræ, cichorii, sassaparillæ & semine fœniculi, hordeo mundato cum aqua cinnamomo, succo citri, saccharo & vino permixtum, ut & serum lactis, lac ebutyratum &c. bibere. Vitentur vero potuum genera, crassa, fœculenta, vaporosa, fermentescibilia, acerba, austera, corrupta, quæ facile in ventre acescunt, quæ caput tentant & gravant, spirituumque animalium motum turbant, & urinæ intercipiunt fluxum, aluum constipant & inflant. &c.

§. XVI. In confortantium liquidorum classe vinum, sanguis terræ, liquor ille gratissimus naturæ nostræ admodum familiaris & utilis atque ipsa Deorum potione, gratior, Nectare, eminet, itaque hoc convalescentibus iterum atque iterum tam per se, quam cum pane sumtum commendandum, idque maxime quod ætate medium est, odoreque fragrans &c. Hoc enim principiis suis salinis & sulphureis, subtilibus & teneris optime temperatis ac inter se intime unitis cumque aqueis largiter sat dilutis, irrigat, recreat naturalem calorem refocillat atque fovet, appetitum excitat, digestiones meliores reddit nutritionique perbene inservit atque humorum per totum corpus distributioni (siquidem certe in alimentum genuinum, ocyssime vertitur) bonum & purissimum sanguinem gignit ac auget, crassos & viscidos humores attenuat, spiritus animales exsuscitat secretiones & excretiones promovet, somnum blandum procurat mire reficientem (unde & somni magnes vocatur) cutis fœdum calorem emendat jucunditatem ac alacritatem animo infert cor, ut ajunt, exhilarat roburque addit. Hinc ob has nobilissimas ac utilissimas virtutes, quibus & corpus & mentem excitat atque maximo iisdem præsidio est, a PLATONE laudatur, qui illud ipsum, ad exploranda adolescentum ingenia exhibuit & illos potissimum, qui in conviviis ingenium ostendebant, observavit. Verbo vinum omnem quasi paginam absoluit, atque si verum fateri volumus, reliqua confortantia sive in forma liquida sive solida præscribenda, quæ in antecedentibus proposuimus, propemodum

 ante-

antecellit, quin & solus vini odor vires admodum recreat. Recte hinc AVENZOAR dixit: vino neque cibum neque medicinam unquam privari debere. Immo confidimus, nos veritati minime fucum facturos, si affirmemus, vinum etiam omnibus aliis restaurantibus dictis, per multas series recensendis, iisque procul quaesitis magnoque conatu atque ex rarissimis carissimisque ingredientibus, ex auro, margaritis, lapidibus bezoardico, hyacintho &c. elaboratis, quae a probatissimis Auctoribus, & ut ex adeo multis paucos saltem nominemus, ab EMAN. KOENIGIO *in Ludovico Enucleato p. 98. & seqq.* IOS. QVERCETANO *in Diaet. Polyhist. p. 535. & seqq.* MYNSICHTO *in Armam. Chym. p. 38. 39. 71. 108. 110. 128. 141. 158. 161. 171. 177. 181. 187. 208. 212. 219. 252. 304. 310. 337. 365. 399.* laudata sunt, certe esse aequiparandum, si non longe anteferendum: Quare ne nobis ulterius extollas, illa universalia, arcana, panaceas, phalaias, quintessentias, elixiria vitae, cordialia, astralia, quidem Philosophorum aliaque ejusmodi gloriosa atque thrasonica hyperbolicaque nomina. In hanc rem adhuc notandum venit, quod observamus, convalescentibus appetitum tardius redire, usque dum, ad intermissum vini usum redeant. Atque videtur, naturam ipsam, quae conservationi ac instaurationi cupientissima est, vinum desiderare impensius, cum convalescentes utplurimum illud appetant, magno desiderio, adeo ut constet, sanos qui vinum vix aestimarunt, aut ferre potuerunt, ex morbo vero dein eluctatos, ad hoc assumendum incredibili affectos esse appetitu, siquidem observationes quasdam notas habet PRAESES, qui prae aliis cognovit, virum quendam, qui per totam vitam a vino abstinuit, ex febre vero quartana reconvalescens mire id appetebat, mireque deinceps amabat semper A. C. CELSVS haud inepte praecipit *de Re Med. Lib. IV. cap. XXV.* ut, ubi triduo quatriduoque vinum biberint convalescentes, uno aut etiam altero die aquam interponant. Ejusmodi vero eligendum, quod se, colore, odore, sapore commendat, aetatis mediae, fragrans, generosum, temperatum purum, tenue, diureticum ut Rhenanum, praesertim antiquum cujus sulphur prae aliis vinorum generibus subtile & tenerum est, Mosellanum, Neckarinum, Hungaricum, Gallicum, Rubrum, Burgundicum. Eremiticum (Vin d' Hermitage) Malvasium, Canariense Petri Simonis, Vinum Graecum, eaque selectiora praeferantur. Falernum veteres & praesertim PLINIVS Secundus admodum extulerunt. HIPPOCRATES *Lib. de Victu acutor.* pro senibus & convalescentibus usum vini dulcis apprime laudat. Vulgare vinum hispanicum ubi ventriculus imbecillis est, non aeque conducit, ut notat FRID. HOFFMANNVS *in Instit. med.* speciatim

dicendo

dicendo, illud porrigatur, cui convalescens, dum optime sanus erat, quoque adsuetus erat. Pro re nata hæc etiam commode, cum aqua possunt misceri (quod primum fecisse ad Liæi succi edomandas vires Staphylum Sileni filium PLINIUS *Lib. VIII. S. 57.* asserit) & loco potus ordinarii uti. Hinc & solent componi vina medicata ex floribus, herbis, seminibus fragrantibus, aromaticis, quemadmodum hoc nomine jam dum nota sunt, quæ vulgo Clareta & Hippocratica & saccata Plinii (per aromata colata) vocantur, inter illa familiaria magis sunt, absynthites & enulatum salviatum, rosmarinatum, euphrasiatum, cytonides, cerasites vinum, præ aliis maxime arridet vinum baccarum rubi idæi, utpote admodum sapori gratum atque acceptum simulque confortativum. Minus vero convalescentibus vina nimis dulcia, qualia sunt vulgaria hispanica & italica, nimis austera, nimisque generosiora inebriantia, (inprimis cum convalescentes facile inebrientur, quia debilia eorum capita causæ huic non resistere possunt) ut & acria, recentia, crassa, quæ urinam remorantur & obstructiones pariunt, multo tartaro crasso & viscido atque fæcibus referta ac sulphurata propinanda. Hæc etiam cautela observanda, ut ad humidæ substantiæ defectum supplendum primum tenue non nimis exsiccans, quod ὀλιγοφορὸν appellant, assumatur. Nec possumus hic dissuadere spiritum vini & aquas sic dictas vitæ, quæ modice sumta, ob vim medicamentosam, aquæ vitæ omnino meruit, sed nimia copia hausta aquæ mortis reportavit, ut aqua vitæ Matthioli, Chemnicensis, aqua Cinnamomi buglossata, carfunculi, cordialis Saxon. &c. in parca quantitate inter alimenta & cum frusto panis, consperso cinamomo & saccharo imbuto sumtas, nam ejusmodi ob sal volatile oleosum & balsamicum, pauco phlegmate dilutum, æque calorem & tonum ventriculi omniumque viscerum apprime confortant, digestiones eorum promovent, cruditates exinde relictas corrigunt, flatus obortos abigunt, ad somnum disponunt &c. Juxta Vinum, mulsum vinosum atque aromatisatum ut Hungaricum, Lithuanicum, Ratisponense, Egranum, quale etiam est hydromel Gabelkoveri compositum ex melle, aqua fontana, liquiritia, ficubus, seminibus fœniculi, radice pimpinelli, floribus malvæ, salviæ, violarum, cinnamomo coquendo paratum, ut & succus pomorum & pyrorum fragrantium ac lora qualia potus genera Gallis Anglisque usitata & in quibusdam Germaniæ locis conficiuntur, item vinum illud tenue, quod limoniada vocatur, convenientia quoque convalescentibus potus genera sunt. Potus cæterum tepidi calidique magis & sæpius quam frigidi prosunt, quos tam antiqui eosdemque largiores prandiis cœnisque intule-

runt vinumque aqua calida temperarunt, a FREINSHEMIO *C. III.* quam recentiores a FRANC. BAC. VERVLAM. *in H. V. & M. V. VI. H. VII. §. 4.* & HENR. MEIBOMIO *in Dissert. de calidæ potu*, laudati commendarunt. Hi sanitatis primum causa exhibuerunt, inde in deliciis esse cœperunt, atque adeo in luxuriam verti; unde Claudius Tiberius Nero J. R. Caldius dictus est, & SENECA ita loquitur: *varias artes luxuria commenta est, ne quis intepescat, ne quid palato jam calloso parum ferveat calidam culina sequitur.* Tametsi & plurimi eorum quoque liquidos refrigerantes cibos potusque potius appetunt, sicuti & HIPPOCRATES vid. *Epid. Lib. XVI. Text. 18.* expressit his paucis verbis: *imbecilles diætæ frigidæ, valentes vero calidæ &c.* Inter hos, potus theæ, caffee, succolatæ inprimis, cujus vis nutritiva & confortativa ubique notissima est: Vel talia potus componantur genera, vel ex aqua aut vino, ex herbis, floribus, seminibus, corticibus, radicibus, lignis, aromatibus, stomachicis, cephalicis dictis ex veronica, melissa, salvia, betonica, scordio &c. ligno sassafras, aloes, juniperi &c. radicibus polypodii, tormentillæ, peucedani, seminibus fœniculi, anisi, vulgaris & stellati, erucæ bacc. juniperi, croco, cinamomo &c. Nec improbamus acidulas, Egranas, Pyrmontenses, Wildungenses, Spadanas, Schwalbacenses, Dincsteinenses aliosque fontes soterios, eosque vino mixtos. Omnia tamen fiant moderate, ne juxta alia incommoda, somnus & requies debita, his calidis potionibus impediatur, quæ tamen omni modo est procuranda atque promovenda, quare mane potus ejusmodi potius instituantur, quam circa vesperam, circa hoc vero tempus cerevisia magis conducit hausta. Huc etiam referamus graveolentem tabaci fumum, quem in adsuetis laude sua nequicquam defraudamus, quoniam crassos humores resolvit, relictos & pituitosos catarrhosos consumit, somnum invitat, sanguinis turgescentiam promovet, spirituum animalium generationem auget &c. Nec forte terreat JOH. FREINSHEMII scriptum, quod habet *Cap. II.* quo nimirum indicat, tabaci usum nec voluptatem nec commodum afferre, ita tamen suo tempore adeo invaluisse, ut nulla publica aut privata verecundia quæcunque ad unius cujusque lubitum isto fœtore afficiantur. Sed vide ne quid nimis, ne tabacum fiat tabificum. Hic quoque monendum duximus, convalescentibus e re esse, si os crebrius vel vino vel destillata aqua quadam odorata ut rosarum, liliorum convallium & similibus fragrantibus item decocto salviæ, hyssopi, florum rosarum rubrarum, cum vino rubro, spiritu vini gallico, parata, eluant ac gargarizent, spiritumque simul sæpius pauloque fortius hauriant

unde

unde vigor notabiliter accedit. Signum erit a tali alimentorum aſſumtione corpus roborari, ſi motus in membris inſtauratur, ſi pulſus vegetior fit & univerſi corporis calor increſcere incipit: nam ſimul ac ventriculus tale ſuſcepit alimentum, illico vires & omnes animales ſpiritus refocillantur ac vigorantur. In proſtratione ſumma virium ex longiori ſanguinis profuſione, quoniam reſtaurantia & nutrientia, difficile lenteque in chylum ac nutrimentum ſpiritibus deficientibus converti poſſunt, quondam vix aliud remedium habebatur, quam ſanguinis transfuſio tanquam extremum, in hoc extremo defectu, quo celerrime ſuccos vitales infundere ſatagerunt, cujus inſignem uſum LOWERVS *de Corde p. 363. Transact. Anglic. Collect.* aliique collaudant.

§. XVII. In reliquis rebus a Medicis non naturalibus dictis debitum regimen quoque diligentiſſime ſervetur idque eo exactius quo difficilior convaleſcentia eſt. Quarum agmen aër ducit, qui ſecundum HIPPOCRATEM *de morbo ſacro* ſenſum & motum membris præſtat. Eligendus vero pro convaleſcentibus eſt, paulo calidior tepidus & ſiccior, ac noſtræ naturæ convenientior aut etiam quandoque humidus quandoque & frigidiuſculus, lucidus, qui ſpeciatim vividos animales ſpiritus progignit ac fovet (hinc homines ſub tali aëre hilares ac alacres fiunt) atque purus, minus fœtidus, aut ſi non adſit talis, procurandus. In morbidis exhalationibus, fœtor proinde emittendus; in genere vero aëris inclementiæ fugiendæ & crepuſcula tum matutina tum veſpertina atque vitandus eſt pluvioſus, turbidus, craſſus, pulverulentus, fumoſus, calidus & æſtuoſus nimis, & ventus meridionalis, cum ſolaribus radiis nimium ardentibus frigidus & ventus ſeptentrionalis; ille enim calidus ſcilicet meatus nimis dilatat, reſolvit colliquatque & diſſipat humores atque ſpiritus unde ingens virium lapſus inſequitur; hic potiſſimum ſi derepente ac incaleſcente corpore accedat lædit conſtringendo nimis partes ſolidas præſertim glandulas coagulandoque humores & motum eorum retardando atque tranſpirationem per cutis poros, qua nihil conducibilius, reprimendo eoque magis revaleſcentium corpora ægre afficit, quia per calorem hypocauſti conſuetum, frigoris impatientes illi ſunt, illudque per rarefactum hucusque corporis habitum, facilius profundiusque penetrat, rarefactos humores inſpiſſat, motumque turbat, fluxiones concitat, & recidivam parit. Humidus vero aër tonum partium ſolidarum jam debilitatum adhuc magis relaxat atque debilitat. Omnes de reliquo ejusdem repentinæ mutationes ſtudioſe vitentur, quæ certe magnam potentiam par-

tes

tes semel læsas afficiendi possident, quod ii testantur, quibus quædam partes vulneratione, ulceratione aut punctura læsæ fuerunt, ita enim fiunt imbecilles, ut levem etiam in aëre mutationem subito persentiscant. Frigidus calore camini, calidus conspersione per conclave aquæ frigidæ & foliis recentibus salicis, quercus, nympheæ, gramine, solaresque radios arcendo alteratur. Purgatur vero & emendatur simul suffimigiis debite adhibitis; adhibentur vero debite, si adhibentur per intervalla non adeo fumida, aut crassum nimis fumum edentia, neque homines se in conclave recipiant, priusquam fumus dissipatus sit. Crassus aër corrigitur per herbarum florumque atque aromatum fragrantia effluvia ut materia generationis spirituum animalium evadat. Talis aëris correctio autumno & hyeme præsertim quærenda atque magis adhuc in constitutione forte aëris epidemica, prava, quoniam hæc anni tempora convalescentibus maxime sunt funesta atque imbecillia ejusmodi corpora promtissime contagio afficiunt. Aërem in humilibus locis purum tamen ejusmodi debilibus & animo linquentibus commodum pronunciat AETIVS *Tetrabibl. Textu I. Serm. 3.* Conclave (quod aëris conditiones sequitur) quod alterat aëre alterato, in quo degunt convalescentes, sit non terræ vicinum, sat serenum & lucidum aut illuminatum, lucis enim splendore animales spiritus mire delectantur atque animus exhilaratur, ut obscuro contristatur. Sit & sat spatiosum ac altum beneque repurgatum. Dein non morentur semper in umbra & intra conclavis parietes, sed sensim liberiori aëri eique convenienti & salubri iterum adsuescant, diutius hucusque inclusi: perquam acceptum certe salubreque convalescentibus est, quando ex concluso tali aëre in liberiorem aërem veniunt, atque citius pristinas vires colligunt. Huc trahi atque suppeditari apte posset monitum illud, quod MARS. FICINVS *Lib. II. cap. XII.* senibus dedit, inquiens: *hyeme velut oves aprica petant, æstate velut aves amœna viridaria rivosque revisant, frequenter inter virentes versentur plantas, & suaviter redolentes: hæ namque viventes spirantesque conspirant ad spiritum hominis augendum.* Sed paulatim & nonnisi priusquam cibos bene appetant beneque dormiant hæc mutatio fiat necesse est, quoniam multi præsertim teneriores & sensibiliores maxime, qui cephalicis morbis inprimis hemicrania ut & tussi ferina & similibus laborarunt, liberiorem auram vix perferre possunt, unde scotomia præsertim afficiuntur: quia spiritus animales adhuc debiliores sunt, aërem gravem maxime & elasticum tolerandi haud pares sunt. Immo radiis solaribus ad tolerantiam & tecto bene capite corpus exponant, qui corporis universi vigorem excitant

tant & perſpirabilia reddunt eaque fovent, ſpiritus colluſtrant & mentem ſerenant & exhilarant, prouti videmus, ex oriente ſole, omnia animantia alacria ſurgere, lætari & ad omnes motus edendos & omnes functiones perficiendas plurimum valere: Hinc Veteres Romani inſolatum ſenibus, in quibus calor nativus jam, aliqua ex parte remiſerat, artusque tremuli, (qui convaleſcentibus æquiparantur) aſſidue commendabant, ut ſolis calore refoverentur atque adeo inter quotidiana valetudinis præſidia, quibus ad ſiccandum corpus ejusque habitum firmandum uti conſueverunt. Vario modo eum, ut ex Antylo colligitur, adhibebant, unctione, arena maxime marina, arundine vid. SUETONIUS *in V. Aug. Cap. VIII.* frictione, atque nudi aut pellibus induti ſtragulis ſubſtratis, ambulando, ſedendo, ſtando, cubando, variisque temporibus variisque locis, ſub dio, apertis in agris, vel periſtyliis vid. VITRUVIUS *L. VII. c. IX.* ædium tectibus in hunc uſum adſtructis, eo utebantur. Elegans hac de re locus eſt CICERONIS *de Senect. C. XVI. Agro bene culto nil poteſt eſſe nec uſu uberius nec ſpecie ornatius, ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat ſenectus: Ubi enim poteſt illa ætas aut melius aut æque caleſcere, vel apricatione vel igne.* Similiter HORATIUS *Lib. I. Ep. XX. v. 23.* de ſeipſo ſcribit:

Me primis urbi belli placuiſſe domique
Corporis exigui, præcanum ſolibus aptum.

Conf. MERCURIALIS *de Arte Gym. Lib. VI. c. I. p. 343.* PLINIUS *Lib. III. Ep. I.* de Spurinna ſic ſcribit: *Illi in more poſitum fuit, ubi hora balnei nunciata eſt, in ſole ambulabat nudus* & *Ep. V.* de avunculo ſuo ſcripto mandat: *Poſt cibum ſæpe æſtate, ſi quid otii, jacebat in ſole liber legebatur.* Sic & de Gymnoſophiſtis, Philoſophis Indorum celeberrimis PLINIUS *H. N. L. VII. c. II.* retulit, eos, toto die contuentes ſolem immobilibus oculis, ferventibus arenis, perſtitiſſe & C. CELSUS *L. I. c. II. p. 23. Melior ambulatio ſi caput patitur, in ſole quam in umbra.* Addimus his, ex neceſſitate magis eſſe, ſuperatis morbis contagioſis, tam cubicula & hoſpitia, quam lectos mutare. A febribus intermittentibus maxime liberati per aliquot ſeptimanas ad templa, cellas, atque alia loca ſubterranea & fornicata, item aquas, fluvios, ſtagna acceſſio vitetur, ob humidum enim & frigidum aërem recidivæ prompte inducuntur. Robuſtiores facti, cœlum mutare brevi longoque ſubinde itinere facto iis conducit plurimum, ut tanquam ex carcere liberati liberiores gaudeant alibi, quod HIPPOCRATES in longis morbis maxime thoracis optimum eſſe ſtatuit. Igitur peregrinationes, quæ etiam animum, ingenti voluptate demulcent;

illiusque vires adaugent atque ad operationes suas perficiendas satis idoneum reddunt. Mensibus quidem anni salubribus, Majo, Augusto, Septembri, Februario, lentas commodasque instituant in loca, quæ salubri aëre & aqua fruuntur, nullis vaporibus noxiis & sanitati adversis ex stagnis, paludibus & fluviis tarde fluentibus evolutis confœdato, sed liberum, expansum, clarum, purum, tranquillum ac præcipue magnarum & populosarum civitatum fumis ædificiorumque umbra relictis, rusticanum utpote subtiliorem magisque perflatum optimisque ejusmodi qualitatibus præditum atque editiora loca ventis orientalibus ut saluberrimis perflata, sibi eligant, mutatoque sic loco, qui huc usque tædio plenus fuit, ac mutato aëre forsan corrupto, per effluvia morbida, per tempus aliquod, ibi subsistant atque amicorum ibi visitatione & blandis occupationibus se delectant, usque dum restitutos in integrum ac satis iterum valentes corpore animaque (locorum enim indoles multum ad felicitatem animi atque ingenii contribuit) se sentiant. Valet hoc monitum maxime de illius cœli mutatione, quod ægrum fecit, ex consilio HIPPOCRATIS *VI. Epid.* Hac de re SENECA *de tranq. animi C. XV. p. 541.* eleganter scribit: *aliquando vectatio iterque & mutata regio vigorem dabunt.* hinc & GALENUS *Lib. de uteri cura*, corpore languentibus peregrinationem & equitationem commendat.

§. XVIII. Motus & vigiliæ, quies & somnus, rite & delectationis causa se excipiant, ut par est, licet in extenuatis a morbis corporis motus utplurimum sit difficilior, molestior ac impeditior atque quies magis ab iis expetatur, siquidem non paucos eorum jam invenit Hippocrates, qui e cubili exsurgere timent, eaque oblectantur maxime segnitie laborantes moremque malum obstinate gerentes; monendi tamen sunt atque hortandi sedulo, immo excitandi extrudendique, ne corpus torpore rigescat & ut citius & facilius calor excitetur naturalis languescens & spiritus torpentes suscitentur cruditatum atque liquorum coagulatorum, qui postmodum immoti nec perspirati corrumpuntur atque acescunt ac longas ægritudines vel fovent vel pariunt, collectio & detentio impediatur atque alimoniæ assumtio, digestio, distributio, nec non ejectio omnesque functiones instituantur, totusque corporis habitus reparetur, membraque firmentur excrementaque dissipentur. Motum hinc lenem citraque tamen lassitudinem præferant segni otio, eumque deambulatione eaque recta potius quam flexuosa (quoniam hæc sensibus adversa est caputque turbat animumque confundit) per loca plana, curru aut equo, moderata & placida vectione, quæ præ aliis stomachum,

se-

secundum ORIBASIVM vid. *Lib. VI. Coll. Med. C. XXIV.* & sanguinem, secundum SYDENHAMIVM vid. ejus *Opusc. p. 521.* firmat, (unde & hic laudatissimus auctor hanc maximum confortans habet) aut cymba vel navi aut alia quavis agitatione, debito quidem tempore debitoque modo habitaque ratione, vitæ generis, consuetudinis aliarumque circumstantiarum instituant. Vsus & experientia moderamen monstrabunt, immo ipsæ vires monebunt, quantum in hisce instituendis valeant & quantum ferre recusent. Certe experientia comprobat ac ratio confirmat, languentes, vires pristinas citius recipere, si placido motu eoque gradatim suscepto quemque membra sustinere valent sine læsione & fatigatione corpus exercent; hic enim omnino requiritur, ut omnia in corpore humano rite peragantur; si vero hunc intermittunt, ipsum morbum revocare possunt: otiosa quies enim & immoderatior ad integrandam sanitatem moram injicit, quoniam præsertim humores mire incrassat. Si vires ad hoc corporis exercitium non sufficiunt, hancque facultatem denegant, certo modo nihilominus tamen se, vel quasi quiescendo exercere possint, sicuti oculi salubriter exercentur, si circumrotentur spectentque in aere libero, prata, sylvas, montes, flumina, obversantes homines variaque animalia oberrantia quidque hinc inde rerum geratur &c. de nocte stellas contemplentur, de die gemmas (quæ secundum BAC. VERVLAM. suo splendore in spiritus operantur, roborant atque refocillant) picturas, statuas & similia quæ delectant; nec non lectitare etiam mediocriter, sic juvat, ut & cantare, quo pulmo ac pectus movetur & animus afflictus notabiliter demulcetur. Cæterum in rheda aut lectica gestatio proderit, aut ejus vicem supplet præsertim iis, qui lecto allegati adhuc jacere coguntur cum pannis, per totum corpus artus maxime fricatio frequens plus minusve aspera & comprimens matutina præsertim, posteaquam alvum & vesicam exoneraverint, utpote quæ & commodissime præ aliis calorem excitat atque alimentum dividit, adtrahit & distribuit, spirituascentiam promovet, partes solidas actuat torpidas, atoniam emendat. Qui secundum veterum institutum post frictionem oleo amygdarum dulcium corpus illinire vellet, non male ageret. Particularis frictionis species pectinatio est, hic admodum quoque commoda, quare assiduo capiti ea inducatur, qua per apertos poros partibus inutilibus exitus pateat & lympha in capitis superficie atque glandulis miliaribus torpescens, suscitetur. Antiquis pro reficiendis a morbo confectis usitatum erat illud remedii genus, quod picationem vocabant, qua picem, cum certa olei parte miscebant & in

formam malagmatis aut emplaſtri redigebant ſicque calidum applicabant partibus prius bene fricatis aut deraſis calentibusque, hinc avellebant reiteratis ſæpius vicibus; mediantibus enim ejusmodi motibus alimentum citius convenientiusque dividitur, diſtribuitur, ſpirituaſcentia promovetur, ſpiritus excitantur, ut partes ſolidas actuent illæque torpidæ atomi laborantes reſtituuntur, ut fluidas reciproce impellant ſimulque membra firmentur, humorum reliquiæ eliminantur, calor excitatur & totius corporis habitus reſtituitur. Quando vires ferunt, paulatim ad conſueta munia laboresque redeundum, ita tamen, ne fatigentur ullo modo, quia vires iterum debiles adhuc dejicerentur penitus, non facile dein iterum reſarciendæ. Si enim corpore inedia confecto, non laborandum eſt juxta HIPPOCRATIS monitum *Aphor. II. 16.* etiam in hoc ſtatu labores conſueti inprimis fortiores, per aliquot ſeptimanas ſubinde omittant, atque omnes negotioſæ & ſeriæ actiones evitentur. Conſiderationem aliquam hic etiam meretur *Aphor.* HIPPOCRATIS *XLIX. L. II. S. VII.* Qui ſolitos labores ferre aſſueverunt, etiamſi invalidi ſunt aut ſenes, eos facilius ferunt, quam qui non aſſueti, quamvis robuſti & juvenes. Siquidem & hic & de aliis generatim monendi occaſio fert, conſueta deteriora in tali ſtatu magis prodeſſe melioribus non conſuetis. Quies vero longior propemodum magis confert iis, qui ex diarrhœis, lienteriis, dyſenteriis ac cæteris ventris fluxionibus, convaleſcunt, quia ex motu & deambulatione iterum facile hæ concitantur, ſecundum CELSI monitum *L. II. de Re Med. C. VI.* quem frequenter citata alvus exercet, ſemper debet poſt cibum quieſcere, neque intendere animum neque ambulatione utcunque levi dimoveri.

§. XIX. Leniores hi corporis motus ad alternam requiem ſomnumque (ad quem ordinario quidem ſanis proniores ſunt) profundiorem, placidiorem longioremque invitant, qui maxime eſt optandus atque procurandus. Hic verum eſt afflictorum & laborantium ſolatium, hic ſolus languidos placat, demulcet & fovet, corroborat atque reficit, cunctas actiones inſtaurat, varia incommoda impedit, calorem naturalem & naturale humidum adauget atque cito, largiterque nutrit, ſpirituum infirmitatibus medetur, nulloque fere alio remedio illorum reſtauratio & inſtauratio ſucceſſiva, nec non a multis morbis, in ſequentibus, præſervatio melius, quam mediante ſomno fieri poteſt. Hic panacea optima & ad reparandas ac recuperandas vires feſſaque membra levanda maxime neceſſaria, quo nihil utilius nihilque ſuavius hominibus accidere poteſt. Sine hoc nullæ

nullæ ſufficiunt epulæ, nulla ciborum & potuum aſſumtio nullaque validiorum etiam medicamentorum pharmaceuticorum propinatio: Nam ut liquida ſolidis apponantur, quiete opus eſt, qua optime earum partium connexio inſtituitur, motu vero auctiori & fortiori, vigilia, febrili ſanguinis commotione impeditur & imminuitur. Virtutes etiam ſpirituum per quietem ab externis laboribus, intus revocantur & evadunt fortiores unitæ, quam per membra extrinſeca diſperſæ, ut hinc occultum vitæ pabulum ſomnus merito dici poſſit. Hujus encomium ſcite OVIDIVS *II. Metam.* expreſſit:

Somno quies rerum, placidiſſime ſomno Deorum
Pax animi quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces præparasque labori.

Non ſolum his nocturnus ſomnus conſuetus isque longior interdum ſufficit, ſed ſæpius quandoque eſt capiendus & de die poſt prandium inprimis quærendus, ſpiritibus animalibus vegetioribus exiſtentibus, intro magis quam extra, ita ut membra potius in quietem, quam ad motum ſint procliviora: nam ſopor amicus & valde blandus irruit in homines poſt cibum captum. Licet pomeridianus alioquin noceat, tamen adſuetis ita & convaleſcentibus concedendus: Et ſi ſponte ſua non ſuccedit manuum lotionibus, pediluviis tepidis, inunctionibus in plantis pedum, ex medulla & pinguedinibus animalium, balneo aquæ dulcis, epithematibus & frontalibus capiti applicandis hypnoticis, ex anetho, floribus nympheæ, ſambuci, foliis ſalicis, lactucæ, ſemine papaveris cum camphora, croco ut & lithargyrio cum aceto & ſimilibus coctis, ſ. aquis appropriatis ut anethi maceratis, capiti ſuppoſito ſacculo crocato, emulſionibus ſeminum quatuor majorum & minorum frigidorum, ac amygdalarum dulcium nec non crocatis maxime quæ inter hypnotica exiſtunt optima hicque ſatis tuta aſſumendis, aliisque procurandus. Invitant quoque ad ſomnum & deliniunt ſonus aquæ cadentis, ſymphoniarum cantus levis & ex longinquo lene ſonantium & quæ ſunt ejusmodi alia. Verum opiata & magis adhuc narcotica aut ſtupefacientia, præpoſtere ſæpe ad ſomnum conciliandum, convaleſcentibus præſertim ex capitis morbis ab incautis practicis ſolent præſcribi, quia enim ſulphure ſuo tetro & vaporoſo in nobiliſſimas corporis noſtri partes, quæ ſenſus & motus exerunt, agunt, ſedant motus humoresque incraſſant, ſomnumque turbulentum efficiunt, acerrimo & omnes vires frangente labore plenum, hic maxime nocentiſſima ſunt. Veruntamen Endimionis ſomnus calamitoſus habendus. Decubitum, licet etiam non dormiant, diu ſervent in lecto, in-

primis matutino tempore; ſub hoc enim blando lecti tepore corpus fovent & placide quieſcunt, præſertim diaphoreſis, quam natura eliminandis morborum reliquiis occupata, nonnunquam molitur, laudatiſſime continuatur, quare tunc non volutando eoque ſe denudando refrigerium quærant, ex qua intolerantia, vires protinus labefactatas ſentient; non nimis vero elato capite recubent, eo enim pacto vires commode reſtaurantur, quoniam circulatio ſanguinis, quæ etiam ſuccum nutritium ad partes vehit, in ſe jam difficilis, apprime ad caput ſic juvatur ac aſcenſio perpendicularis facilior redditur, ut ſufficiens accedat, ad ſpirituum animalium generationem uberiorem, materia. Cæterum reponenda ſunt membra ea figura, qua maxime ſoluti ſunt muſculi motionis inſtrumenta, brachia forment obtuſos angulos, crura paulo minus porrecta ſerventur reliquaque (membra) prout ſeſe quieſcentes ſenſerint, maxime levari. Cubiculum, ubi dormiunt, aëre puriori gaudeat, nullisque effluviis humidis, malignis & fœtentibus refertum atque obſcurum eſſe debet, radiis ſolaribus nimiis & lunæ ſplendore privatum, nec non frigidiuſculum potius quam nimis calidum: concaleſcente enim hinc ſanguine totum inceditur corpus & humor crudus ad cutim, quæ ſub ſomno non parum remittit, propellitur ſudorque præternaturalis elicitur, & ſi fieri poteſt, in loco edito, antrorſum ac verſus orientalem plagam ſpectans illud eligatur, ut ventorum exinde ſpirantium roſcidarum a rore nocturno per ſolem excitatorum & idcirco ſubtilium & leviſſimorum ſpiritibus animalibus affinium atque ſimillimorum, afflatus concedatur. Vigiliæ vero involuntariæ, ad quas tamen plurimi convaleſcentium proni ſunt, quia inprimis materia dulcis, roſcida, quæ juxta nutritionem etiam placidum ſomnum conciliat, eſt conſumta, ſiccitatem & debilitatem corpori majorem inducentes, maxime poſt capitis morbos nocentiſſimæ ſunt quæ nervos magis debilitant, deliria & motus, convulſivos inducunt. In veneris exercitio, licet convaleſcentes primum, ut in antecedentibus indicatum eſt, ad hoc invitentur ſtimulenturque libidinoſi ſibi temperent, cum id imbecilles, evacuationibus nimiis & variis emuncti atque adhuc viribus depauperati vix ferant, ſed penitus conteruntur, ſimulque eo periculo ſe committunt, non modo recrudeſcentis morbi, verum etiam ſubitæ mortis, quod Avicennæ contigiſſe ex Sorcano refert Nicolaus Massa; nam ſi hocce poſt miſſionem ſanguinis aut purgationem peractam, non ſolum maxime damnoſum ſed & lethiferum notavit Rod. a Castro *in Lib. III. de morb. mulierum Cap. V.* quanto magis in iis, quibus vires adeo ſunt exhauſtæ, periculoſum haben-

bendum? Hæc intempestiva seminis & spirituum animalium excretione universum corpus extenuat, dissipando spiritus animales, lympham succumque nerveum cruditates generando ac humores colliquando, partes benigno rore privando, tandemque calefacit sanguinem & spiritus agitando. Talia pericula præcipue iis, quibus animi diuturniores affectus & vigiliæ intercucurrerunt, hæmorrhagiis gravioribus exhaustis, item post cachexiam, lentam febrem, deliria, spasmos atque nervorum vulnera sanata, notante HILDANO, *Cent. I. Observ. XXII.* imminent.

§. XX. Secernenda & excernenda omnia præter ea, quæ per cutis poros aluum, urinam atque sudorem fiunt, etiam reliqua, quæ per menses, hæmorrhoides, bilem salivam, per fauces & aures, oculos & nares institui solent, mature & convenienter secernantur, excernantur & abstergantur, & in libero & expedito successu conserventur, atque cum circumspectione & cura ordinentur. Præsertim res notissima est, quod sane plures, qui morbo superato ex sola suppressa per subcutaneos tubulos sordium exhalatione, in pessimas ægritudines iterum incidant. Seorsim monendum, quod utplurimum convalescentibus ob humorum parcitatem aluus justo adstrictior sit, quare ea, lubricantibus, emollientibus & abstergentibus, ut præter juscula liquida, melle, ficubus, prunis, uvis passis, terebinthina, manna, cremore tartari & similibus, ut & emollientibus & lenitivis clysmatibus & suppositoriis solvatur. Hic tamen notandum venit, aluum demum sponte sua fluidiorem reddi, quando diætam solidiorem materiam fæcum præbentem, subeunt. Quibus secretionibus & excretionibus, dum aliena & inutilia eliminantur causarum antecedentium materialium, excretio promovetur simulque locus paratur ac sternitur via, debitæ crasis reparationi atque nutritioni. Hisque multa alia certius subsecutura præcaveantur amolianturque mala. Ad hæc felicius perficienda viæ per quas fieri debent, rite præparentur, ne commoveantur, irritentur magis aut potius confundantur, quam sine successu & exitu promoveantur. Præter hæc retinenda, ut retineantur, prospiciendum. Singulare hic occurrit, quod aliquem locum invenire posset, ad ulteriorem observationem perducendum, quod peculiari exercitatione perquisivit IOH. BAPT. SITONVS *in Miscell. Med. Tr. XIII.* capillorum incisionem barbæque rasionem, in convalescentibus nondum satis confirmatis, recidivam accersere, & quod BARTHOLINVS *in Epist. Cent. III. p. 275. & seqq.* occasione casus cujusdam a G. SEGERO narrati. PAVLINI *in Obs. p. 73.* A. REIES *Elys. Camp. jucund. quæst. 82. v. 6.* observatio-

vationibus annotatis confirmarunt, causamque attulerunt, ac si capillorum concisio, ac barbæ tonsura, in tenerioribus subjectis, id est, quorum cutis fibrillis sensibilioribus est conflata, cito nimis instituatur, a novaculæ, irritatione, eædem irritatæ, inprimis accedente aëris externi liberioris ob remotos pilos sese contrahant sicque per cavernas pilorum exituri humores illorum fluxionem procreare & morborum reliquias in corpore forte latentes suscitare noxamque aliquam inferre posset. Ab animi pathematibus enormibus atque damnandis cum spasmis agentibus, quæ conturbant animum & ventriculum maxime lædunt & commovent humores & exsiccant, ut invidia, odio, mala cupiditate ad vindictam inhiante, tristitia, terrore, timore, ira, amore insano præsertim ut & vehementioribus & inordinatis desideriis, aversatione, tædio, eo diligentius sibi caveant quo magis ad plurima ejusmodi convalescentes præ aliis feruntur; magis vero ab iis læduntur. Siquidem & experimur exinde ægrius convalescentiam procedere ac morbos malignos accersiri, quoniam in talibus infirmis adhuc corporibus humores facile corrumpuntur, solidæ vero partes sphacelationem subire. Speciatim ex longiori tristitia non modo appetitus penitus perit, digestio minuitur sudor frigidus præsertim inferioribus partibus se exerit, sed & capiti & nervorum generi maxime infirmitas accedit, hincque facilis est ad apoplexiam hemiplexiam, paralysin, memoriæ abolitionem, guttam serenam ac melancholiam, transitus. Siquidem & in iis vis phantasiæ, atque efficacia animæ, se magis in ejusmodi sensibilioribus & imbecillioribus, quales a præcedente morbo enervati sunt, sese potentius exserit. Cæterum præteritis malis obliti, adhuc patientiæ dediti, certissima spe (dulcissimo affectu & ipsa sæpe possessione amabiliori) in Deum confixa de cito evadendi ab omni residuo morbi atque mox recuperandis viribus pristinaque sanitate atque bona constantique salute fruantur: magna enim spes sanitatis est, sanari velle, ut belle SENECA dixit.

§. XXI. De reliquo ita agendum cum iis, ut omnia, quæ animi perturbationem afferre possunt, omni studio vitentur, ex adverso vero omnia adferantur, quæ grata sunt, ac ad gaudium & lætitiam corpus & animum mire recreantem, gestibus jucundis, facie serena & nitida, oculis splendentibus, ore ridente, corde & arteriis celerius pulsantibus, testibus, facere possunt, quæque in oblectationem venire solent, verbo: ut lauta edant lautaque bibant, ita & læta agant lætaque videant. Ad insolita quoque quandoque facienda mutatio, ut novitate honestorum oblectamentorum allecti, corpus & animum recreent, alant pascantque

soli-

ſolitudines fugitent atque diverticula hujus otii quærant, ac jucunda cum amicis & ſodalibus atque coæqualibus juvenibus præſertim & recte valentibus, conſuetudo & converſationes atque colloquia faceta (evitando tamen nimiam loquacitatem, quæ præſertim, iis, qui hæmorrhagiis, ſanguinis ſputo morbisque pectoris & ſimilibus laboraverunt, nocet,) animique aliæ quovis modo relaxationes frequenter inſtituant, vitamque a curis, metu, dubitationibus, vacuam ducant, & ſeriis & gravibus negotiis, ſtudiis atque profundis meditationibus & lucubrationibus non incumbant ut appoſite hortatur. CASP. BARLAEVS *P. I. Epiſt. 40. p. 160.* ad Hugenium ſcribens: *Nec literas nec verſus reſcribe, ne in novum diſcrimen valetudinem dubiam adhuc adducas; facile enim dum neuter adhuc ſtatus eſt, ex attentione, meditatione incaleſcent ſpiritus.* Potius amœnis atque lætis meditationibus & contemplationibus, tranquillitati, rememorationi rerum amabilium, bene actæ vitæ recordationi, ex qua ſane, facillime lætitiam & voluptatem magnam eamque ſinceram capimus, quæ tam ſolida delectatione reficit novasque qu. ſi ſubjicit ſpiritus, ut & muſicæ, tam vocali quam inſtrumentali, vacent, quæ blandum ſanguinis & ſpirituum animalium motum reſtaurant atque conſervant. Immo ad jocoſa ac ludicra humilesque luſus, quandoque iis deſcendere licet, quemadmodum Socratem jam ſenem cum Lampocle, puero ſuper arundinem equitaſſe legimus. Quo conſilio Aeſculapium mimos & moriones Regum & Principum aulis primum induxiſſe putatur. In hanc rem notabile eſt, quod SANCTORIVS Medicus Staticus incomparabilis, ſemper poſt hilaritatem majorem perſpirationem & decrementum corporis, ratione ponderis, obſervaverit. Idem præſtantiſſimus Auctor. *Sect. II. Aphor. 49.* nihil magis reddit liberam perſpirationem, quam animi conſolatio, ait.

§. XXII. Ultimo tandem loco adhuc indicandum & paucis quidem duximus, pro quibusdam convaleſcentibus, non ſaltem ſufficere, eo animum curamque intendere, ut priſtinus ſanitatis gradus recuperetur ſed & præcaveatur, ne rurſus recidivæ aut aliæ ægritudines inſequantur, per auxilia pharmaceutica & diætetica ſed & chirurgica hucusque reſervata ne certi quidam morbi ſuperati, redeant. Inter illa, venæ ſectionem, inprimis ſi aliæ circumſtantiæ, eam permittunt & vires ſunt pares, illamque decentem nunc revulſionis, nunc derivationis atque adeo imminutionis cauſa, convenire immo præcipi autumamus. Præcipue e re erit poſt ejusmodi affectus perpeſſos, qui a ſanguinis & ſeri ſtagnationibus, ex ſuppreſſione menſium, hæmorrhoidum atque neglecta forte venæ ſectione ſolenni ac conſueta, orti ſunt, uti in melancholia hinc

profecta, de qua SCHENCKIVS videndus. Aeque utilis erit ab hæmorrhagia & sudoribus nocturnis, a turgescentia sanguinis iterato recurrentibus, nec non, a catarrhis quotannis redeuntibus, præservandis. Et si forte virium debilitas timeatur, scarificatio hujus vicem supplere commode posset, (si modo sanguis redundans sat tenuis) utpote quæ, experientia id edocente, etiam largior, parciori venæ sectione minus debilitare assolet, immo potius quandoque juvamen præstat, ut pro intercute sero & sanguine, in affectibus cutaneis præservandis &c. Nec est, cur in vulgi sententiam descendamus, per scarificationem saltem illum sanguinem inter cutem & carnem hærentem, ut efferunt, aut subtilem magis, per venæ sectionem vero crassiorem simul educi. Nec non cucurbitulæ sine scarificatione applicatæ aliquod emolumentum conciliare possunt, quoniam ab interioribus ad exteriora humorum relicta inquinamenta provocant eaque insensibiliter aliqua ex parte evacuant, simulque discutiunt, revellunt atque humorum in alias partes affluxum suspendunt ac cohibent, interdum motum sanguini conciliant; interdum etiam sanguinem profluentem, rursus sistunt, objectis partibus admotæ. Affectus qui has vel illas sanguinis atque humorum, alterationes, avocationes & subtractiones exposcunt, amplius & speciatim recensendi, sunt præ aliis graviores quidam capitis morbi, ut affectus soporosi, cephalæa, phrenitis, apoplexia, insania, ut & paralysis, nec non alii aliarum partium morbi, ut abscessus pulmonum, colica, hæmorrhoidalis, renum calculus & nephritis, arthritis, cum ipsa podagra atque generatim quævis recidivæ. TH. SYDENHAMVS ut videre est in *Opusc. p. 199.* ex variolis, convalescentibus pustulisque deciduis, ubi per dies aliquot, carnes, degustaverint, circa diem nempe primum & vicesimum, sanguinem e brachio extrahendum, censet, si morbus fuerit vehementior; cum inflammatio, quam sanguini impresserunt variolæ, sive adultus fuerit æger, sive infans, non minus venæ sectionem indicet, quam colluvies, quæ eidem accrevit, catharsin. Pro curatæ choleræ recidiva avertenda venæ sectionem eamque iteratam commendatam legere est apud BONETTVM *in Merc. Comp. Lib. III. p. 12.* Huc referre liceat, quod post abscissos manu chirurgi artus sphacelatos plethora in sequentibus vitæ annis gignatur, & copiosæ sanguinis serique effusiones sequantur, sanguine, qui in nutritionem, rescissi membri, impendi debebat, copiosiore adeoque improportionato, ad alia membra ruente, quæ venæ sectione adhibita, apprime possunt averti. Practici scarificatione etiam iterata purpuræ rubræ recidivam avertere conantur. Ex GALENO *ad Thrasib.* colligitur, pro iis, qui difficul-

ficulter, ad naturalem habitudinem rediguntur, eandem conducibilem esse. Conf. quæ supra *in fine §. X.* sunt adducta. Præter hæc legantur quæ habet WILLISIVS in *Pharm. Rat. p. 103.* de excitanda fontanella, iis qui redituram pulmonum vomicam, verentur. Denique hirudines etiam interdum pro hæmorrhoidibus iterum movendis simulque incommodorum variorum ut cephalalgiæ & similium reditum impediendis, admoveantur. Usque adeo hæc omnia salutaria diligenter, quantum fieri potest, observanda, adversa vero atque nocentia, studiosissime fugienda sunt, quæ intemperiem, quæ ægrum afflixit, ullo modo revocare queant, quoniam obnoxia valde offensis infirmitas est. Si, hæc convalescentes semper observent, longe maximum præsidium valetudinis recuperandæ teneant; secus ex levi errore vel recidiva vel aliis morbis plurimis fiunt obnoxii, & mors potest accelerari; quia vires paucæ sunt & non satis firmatæ, quæ facilius perduntur ac dissolvuntur. Atque quoniam in superioribus pagellis quoque annotatum est, a quibusdam morbis animum quoque alterationem notabilem pati, operam quoque indefessam collocent, malæ naturæ inductæ reluctentur, juxta corporis animi quoque jacturam expient atque ad bonam frugem se recipiant, Optimi nostri Salvatoris præcepti illius memores: valde & ne pecces ulterius, ne tibi quidquam pejus accidat, simulque quam jucunda atque accepta sanitas, quam vero molestus verendusque sit morbus experti, eximium hoc convalescentiæ cœlitus largitum beneficium, bene ac salutariter custodire impendereque addiscant.





XX.

DISSERTATIO MEDICA-PATHOLOGICA DE

MORBIS CONVALESCENTIVM.

PROLVSIO.

RES humanas omnes totamque hominum ſocietatem pelagum eſſe, vere dicitur, quod nunquam non movetur, nunquam eſt placidum & tranquillum atque adeo malacia ibi perniciofa eſt: Hinc illincque quærelæ. Adeo nihil eſt tutum, nusquam certa atque integra fides, non hoſpes, ut Poëta exprimit, eſt ab hoſpite tutus. Foris timores angunt, domi vexant & premunt anguſtiæ. Raro melius quid ſuccedit, calamitas alia aliam excipit, plena ſunt dolis, fraude, inſidiis & periculis omnia, & fugato hoſte uno, facile ſequitur alter. Atque, ut hoſtis fugam ſæpe ſimulat & abitum, ut tanto validiori manu & expeditius agrediatur & ſubvertat alterum, aut inducias concedit, ut majores ſibi colligat vires, alteri vero nocentiſſimam ſecuritatem addat, & quamvis pax eſſe interdum videatur, tamen fiducia pacis ſæpe nulla eſt: Idem in morbis eſt luſus. Morbus ubique furit, ſtatim ab origine pendet nobiscumque naſcitur quidam, atque qui tot tantisque incommodis ac difficultatibus, corpus humanum diverſo modo labefactant, ut pervidere vix queat, quæ cura, quæ ſollicitudo & diligentia ſufficere poſſit, ad eorum aggreſſus valide diuque ſuſtinendos eosque penitus profligandos, atque quis artis apparatus expedire intricatas vitiis & corruptas partes integritati, reſtituere ſatis valeat. Etenim dato uno eoque ſimpliciſſimo ſæpe facile ſequuntur brevi ſpatio plures, aut levi mora ille recrudeſcit, & qui miſerorum ejusmodi ſuperant, ut ajunt, Charybdim, in Scyllam incidunt atque ad vertigines varias, ſtipites, cippos, ſcopulos ſyrtesque offendunt. Ut eſt ſua cujusvis morbi indoles, ut etiam ſunt ſuæ cujusvis certæ origines & certæ progreſſiones, ſic & certi comites

cer-

certique pedisſequi. Hæc omnia fluunt ab eadem artificioſiſſima corporis noſtri conſtructione, cujus partes, quamdiu ſe recte habent, actiones congruas & ſtructuræ illi convenientes; ſecus vero certo modo læſæ, certas actiones quoque læſas edunt. Eſt equidem finis univerſæ ſalutaris artis medicinæ abſolute & per ſe, ipſa hominum ſanitas vel conſervanda, vel reſtituenda, licet per accidens ex ſubjecti ſcilicet variarum circumſtantiarum culpa, ſuo fine non ſemper potiatur, etiam ſatis intelligens ac rationalis medicus. Quapropter in morbis curandis bene provideat, atque in quolibet eorum plurimas quæ ſe offerunt indicationes curatorias, præſervatorias ac vitales hauriat, atque ita curet, ſeque ab empiricis etiam hac maxime ratione diſtinguat & ne officio ſuo poſtea obſit, convaleſcentibus, aut ſupina negligentia, aut imprudentia, (quæ bina vitia plus obſunt etſi multum prodeſt ſcientia) ac ne pulſo quidem morbo, ſubſiſtat parum cautus; ſed tum demum valetudinem & ſalutem revocatam firmatamque putet, ſi priſtinæ revocentur vires, lætitia, alacritas, commune functionum exercitium integrum & conſtans. Hæc conſideratio tanto magis neceſſaria eſt, quanto magis infirmi adhuc ſunt offenſis obnoxii. Hæc omnia ſi medicus ſecundum artem debite agat, probi, prudentis, periti, circumſpecti providique medici omnino officium explevit, etiamſi non omnia ſemper ex voto reſpondeant. Quemadmodum enim orator, non ſemper perſuadet, tamen ubique, ſi quod artis ſuæ eſt, fecerit, oratoris munus fecit. *Hoc enim*, ut CICERO habet *plerumque facimus, ut conſilia eventis ponderemus & cui bene proceſſerit multum illum providiſſe, cui ſecus, nihil feciſſe dicamus*, & SIDONIVS APPOLLINARIS *IV. ep. VI. Abſurdum eſt, ſi cœptis audacibus adverſetur eventus, inſurgere in querimonias & conſultarum diſpoſitionum culpabiles exitus ad infamanda caſuum incerta confugere.* Etenim medicos ſæpius criminatur & incuſat ignara plebs, (& jure quandoque incuſat) tanquam autores morbi relicti, aut ſubſequentis verum etiam ſæpiſſime injurioſa in innocentes illos invehitur, atque bacchatur. Conſultius itaque ab his ducitur, ſi ex ſpecula quaſi proſpectantes futuras tempeſtates adverſus hæc tela ſcite ſe muniant, prænuntient, tempeſtive provideant, utiliaque remedia afferant, ita munere ſuo debite functi ſunt, ſi omnia ſecundum leges & modos artis fecerint (cum medicina ars indefinita ſit) atque curationem perficiant morborum, & curatione quoque facta ſcite utantur, ut ſolertes Imperatores belliqne Duces, reputant, ut eſt apud POLYBIVM *Lib. X. c. XXXIII.* Præſtare: Victoria bene uti, quam vincere, adeo ut quibus munere ſuo apud ægros, uſi fuerunt, apud convaleſcentes ſit honor.

ne occinatur propemodum iis; quod post pugnam Cannensem, Hannibali, ut apud LIVIUM legitur: vincere scis, sed victoria uti nescis, atque de iis indicatur, quod de Hegesandrida Lacedemonio dicebatur olim; Fructum victoriæ perdidit cunctando. Ad debitam hujus æstimationem placet, in præsenti de convalescentium morbis disserere, atque utiles & necessarias quasdam observationes afferre. Quem laborem quodque studium hanc in rem collocatum Deus T. O. M. ex alto secundet, efficiatque, ut in Sanctissimi Sui Nominis gloriam, proximique vergat commodum atque salutem.

§. I. Apud ICtos equidem valet, quod homo post morbum sanatum habendus sit, ac si nunquam ægrotasset *L. XVI. Quod sanat. ff. Aedil. Ed.* verum apud Medicos non item: Licet ægrorum quidam convalescant, & evadant ex morbis, vitia tamen insequuntur plurima, quæ læta sæpissime sanitatis initia infelici exitu evertunt, corrumpunt ac destruunt. Hincque tot Medicorum etiam optimorum frustrata interceptaque consilia, spesque optima ipsorum ægrorum plane dejecta atque conclamata. Etenim sæpissime modo ocyus, modo serius, vel ex levissimis interdum occasionibus, in non simplicem offensam, sed absolutum morbosum statum, atque adeo lethiferum sæpe exitum incurrunt, quare optime monet GALENUS *L. III. ad Glauc. c. II.* Ne dicatur, morbum quidem curatum esse, hominem autem interiisse, quam in rem etiam HIPPOCRATIS verba notentur *Lib. de intern. affect. text. I. Qui curatus & sanus factus est, nisi sui curam habeat, plerisque revertens morbus causa interitus factus est.* Cum quibus coincidunt sententiæ, quæ *2. Epid. 3. 4. Epid. text. 18. 6. Epid. 2. 12. & 2. aph. 12.* ubi sequentia leguntur: *Quæ intus in morbis relinquuntur in morbis post judicationem recidivas facere consueverunt.* Similem in modum loquitur BALLONIUS *2. Epid. p. 205. Non oportet nos securos esse de morbis, præsertim si pars aliqua primaria laborat, donec nostros ægros convaluisse viderimus, nam timendæ sunt morborum successiones.* Verum interim hoc manet: aliquem neque in morbi declinatione, neque sanato illo, sed subsequente mori, nam vix fieri potest, ut subactis causis morbificis, & natura superante, mors contingere possit. Morbi vero convalescentium, affectus illi præternaturales nobis audiunt, quibus ex morbis evadentes, vel iisdem revertentibus, vel similibus interdum vel specie & causa longe a priori differentibus, a variis causis oriundis affliguntur, quibus convalescentes diu quandoque colluctantur, & tandem sive evadunt ex iis, sive morte intereunt. Non loquimur

autem

autem hic de omnibus morbis consequentibus, neque de metaschematismis morborum & metastasibus, quando morbus, superveniente alio, solvitur, qui labor ad multa volumina excresceret; sed de illis tantum qui per accidens magis, a prava dispositione corpori inducta, malo ægri regimine, aut medentium vitio præsertim contingunt.

§. II. Scilicet morbi, qui convalescentes invadunt, si calculum ineamus, nobis observare datur, quosdam illorum priorum plane indolem induere, ut nihil ab illis mutatos, & illos ipsos jure dixeris, alios alterius & diversi penitus generis esse; aliquos eandem sedem retinere, aliquos vero eandem mutare, aliquos rursus ratione prognoseos æquales, alios mitiores, alios vero deteriores & periculosiores ac difficiliores, curatu aut faciliores deprehendi. Ex utrisque quoque morborum generibus & acutorum & chronicorum nimirum convalescentibus obveniunt morbi varii; Solenne vero propemodum est, ut sicut chronicos & longos, tales, ita acutos hi saltem quoque excipiant. Afficiuntur & partes fluidæ & solidæ, quatenus harum ut plurimum tonus, vigor ac robur relaxatur ut continuo tensus arcus debilitatur, unde nova facile stasis vel humorum corruptio emergit, rarius rigidus redditur; illæ quatenus vitiantur, corrumpuntur ac imminuuntur &c. Etenim palam est ex morbis gravibus diuturnis, valde corpus lædi, atque motus solidorum & fluidorum, maxime vero vires perdi. Ex virium deinceps languore, motus & circulatio sanguinis secretiones & excretiones debitæ segniores & impeditiores fiunt, exinde obstructiones & infarctus in hypochondriis & omnibus emunctoriis corporis exsultant, ex quibus, impuritas fit sanguinis & maxime seri. Si vero humores dyscrasia laborant, si emunctoria sunt obstructa, & multæ cruditates generantur, digestio depravatur. Ex chylo deinde pravo depravatur massa sanguinea & genus nervosum debile redditur, si ventriculus inprimis cujus actio systematica est ac liquor ejus gastricus, qui a primo statim morbi principio minus vigent, atque deinceps pari debilitate totum morbi cursum, si non majori percurrunt, debilitati atque enervati sunt, adeoque minus apti ad subigenda ac digerenda assumta quo cruditates remanent ac cumulantur, atque intestina sordibus acidis & viscidis replentur. Si & reliquæ quoque partes quoad tonum perditæ sunt, enervatæ ac debilitatæ, dispositio morbifera fovetur, & subinde majorem efficaciam suscipit, vel alia admittit, si læsio quædam partibus quibusdam, visceribus profundius functiones lædens, a primo morbo impressa ac relicta est, ut erosione, doloribus immanibus &c.

§. III.

§. III. Harum causarum, in genere si petimus scrutinium, aut ex medentium aut ægrotantium culpa sicque vi quasi coactæ aut, ex ipsis morbis eorumque indole, aut aliis supervenientibus modis atque occasionibus, eas exoriri comperimus. In his igitur res, tam naturales, quam non naturales ac præternaturales maxime veniunt considerandæ, ex quibus aut male se habentibus, aut male administratis ac observatis multa mala, ex equo tanquam Trojano, emanare possunt. Etenim omnis æque ætatis, omnisque sexus homines, his ipsis vitiis capiuntur, attamen pueri, adolescentes & juvenes ut rarius morbis laborant, ita citius faciliusque ex iis reluctantur, immunesque a morbis insequentibus magis manent, iis qui, quadragesimum annum jam superarunt, atque qui ad senectutem appropinquant, in quibus partium tonus & elastica vis jamdum ex parte est depravata. De sequiori sexu palam est, ut ægritudinem contractam diutius fovet & sæpius faciliusque in eam labitur, & citius magisque debilitatur, ita citius feliciusque ex illa eundem convalescere, citiusque pristinas recipere vires, morbis tamen, quæ convalescentibus accidunt, recidivis &c. præ altero magis esse obnoxium, sed non æque facile ex iis fato defungi, ac potiorem sexum, sed etiam ex periculosissimis interdum morbis feliciter evadere. Teneriores & debiliores natura, præ robustis & delicato vivendi generi adsueti, præ variis iisque fortioribus laboribus & exercitiis, itineribus, variisque inclementiis aëris, frigoris, caloris &c. indurati quasi, atque firmati plus habent, quod metuant. Quamvis & hoc verum sit, homines sensibiliores & imbecillos frequentius vero morbis laborare facilius; vero convalescere diutiusque subinde vivere, illis qui natura robusti atque valentes sunt, rariusque morbis afficiuntur; adeoque iis sunt minus adsueti: nam consuetudo, in certis quibusdam, ægrotandi, in habitum degenerare quandoque videtur, atque motus morbosi, in subjectis, sensibiliori solidarum partium textura præditis & ad motus quidem febriles & spasticos suscipiendos aptis, sæpius repetuntur; qui vero plerumque salutarem effectum exserunt, in resolvendis, discutiendis & auferendis pernicialibus illis sanguinis & humorum stagnationibus, quum alias morbis & morbi ansam suppeditarent. Verum quo minus adsueti homines sunt morbis eo gravius metuendum est periculum, ubi acutis febribus aliisque ejusmodi invaduntur. Temperamenti quoque, dispositionis hereditariæ, a parentibus, consuetudinis & corporis habitus, in hac quoque æstimatione habetur respectus, ita & animi perturbationum; qui enim durantibus morbis cura, metu, mœrore ac angore sunt afflicti majus peri-

periculum incurrunt, iis, qui patientia, fiducia ac ſpe, animum corroborarunt atque excitaverunt. A terrore epileptica puella, recidivam paſſa eſt apud PLATER. invenienda. *Lib. I. Obſ.* &c. Qui morbi in hyemem, ver aut primam æſtatem incidunt, non adeo frequenter faciunt recidivas, aut alios quoque morbos, illis, qui autumno: tunc enim a prægreſſæ æſtatis calore ſanguis ad pauperiem quaſi redactus atque animales ſpiritus magis exhauſti ſunt, hincque natura debilis, quæ vix cauſas morbificas ex aſſe diſcutere poteſt; ſiquidem & evacuationes tunc temporis ut plurimum damnoſæ obſervantur. Inſuperque & morbi incurrunt, qui ex corruptis fiunt humoribus atque plures moriuntur; Vere vero, quando nimirum ſol ſuaviſſimo ſuo calore ac vi, omnia vivificat, fovet, excitat atque fœcundat, hincque calor nativus potens ſatis eſt noxios etiam humores efficaciter diſſolvendi.

§. IV. Haud leve periculum iis convaleſcentibus propoſitum eſt, qui ſaluberrima medicorum præcepta, de medicamentis rite adhibendis atque regimine debite obſervando &c. neglectui habent & qui exactam diætam non ſervaverunt, (ſiquidem hodie plerique ægrorum in medicos, imperium affectant, nec ab iis ſe regi atque moneri patiuntur, ſed magis obtemperant cupiditatibus) v. gr. ſi in febribus pro exſtinguenda moleſta ſiti & calore frigidum potum affatim hauriunt, aut ſi circa finem morbi & poſt illum appetitui, quo ordinario nimis præcipue juvenes feruntur, ad uberiora juſto tam eſculenta quam potulenta aſſumenda, impenſe indulgent atque voraces ſunt: Aſt & hic hoc etiam dicere de ipſis medentibus habeo, quod in quovis interdum morbo langueſcentes ægrotantium vires, cibis reſtaurandas firmandasque arbitrentur adeoque non modo iis nimium nonnunquam voracibus uberiorem juſto victum indulgeant; verum etiam reſpuentes eum atque nauſeabundos appetitui vim faciendo, multis modis, mediis ac medicaminibus, invitent, ſolicitent imo cogant. Quo, officio certe ægrorum, curæ ſuæ,concreditorum,admodum officiunt ac obſtant commodis. Nimia enim copia & affatim ingeſti cibi ventriculum languidiorem atque in functione ſua debilitatum aut vitioſis humoribus refertum, non modo moleſte gravant digeſtionemque impediunt atque ſufflaminant, ſed & eum corrumpendo, novas cruditates ingerunt. Si & chylificatione ſatis commode forte peracta laudabilis ſanguini chylus infundatur,is ipſe tamen ab eodem haud raro depravatur ac vitioſam indolem adeptus,novæ materiæ morbificæ materiam ſuggerit; Etiamſi integer perſiſtat, copioſior tamen ſubactionem, diſtributionem ac ſanguificationem utilem & aptam ſecretionesque debitas deinde impedit ſalutares

massæ sanguineæ motus obtundit & sufflaminat, inque ipsa sæpius morbi ddeclinatione, reliquiarum morbosarum expulsionem prohibet commoamque ad nova excitanda mala, recidivis &c. occasionem suppeditat. Aeque graves noxæ manent illos convalescentes qui, forte liberiori aëri & frigidiori, humidiori præsertim intermittentes febres variolas, aliaque exanthemata cutis ut & dysenteriam, febrem acutam, morbum hungaricum, fluorem album similesque morbos perpessi, sub vernum & autumnale tempus corpus exponant, ex quo, transpiratio & excretio impeditur & ad interiora recedunt retenta. Certe frigoris & humiditatis, in suscitandis antiquis periculis hic præprimis observamus efficaciam, quatenus humorum liberiorem motum impediendo, robur partium minuunt, ansamque suppeditant, ut vitia pleno agmine irruant. Hyemali speciatim tempore abscessus in manibus, pedibus aliisque in locis frequentius apparent, quia scilicet ob cutis poros magis clausos materia per eos discutienda retinetur, intus. Porro si statim debiles adhuc labores consuetos vehementes, & multas motiones corporis ad sudorem usque & lassitudinem sensibilem obeunt, si bibant spirituosa, si irascantur & nimium corpus moveant. Particulare quoddam etiam hoc habetur, quod ex observatione ingeniosissimi Sydenhami haustum habemus, vid. *Oper. p. m. 283.* quod in febre continua a se observata, si ægri declinante præsertim morbo diutius, quam par erat, pro una vice a lecto abfuissent, in dolores vagos tandem rheumatismum & icterum eos incidisse; curati vero hi affectus fuerant assiduo iterum in lecto decubitu. Econtrario, qui otio & ignavia delectantur, nunquam plenarie convalescunt, sed varios morbos exinde incurrunt. Ex parte etiam denuo assistentium, committi possunt errores, convalescentibus morbos inferentes si v. gr. intempestive alimenta porrigunt, animique passiones iisdem movent, unde Hippocr. *S. I. Aph. I.* dixit, quod oporteat non tantum medicum se præstare opportuna facientem; sed ægrum etiam & assistentes.

§. V. Perinde id se habet cum pharmacis, quæ sex rebus non naturalibus etiam adduntur, juxta operationes chirurgicas & venena vid. Vesti *Instit. p. 80.* quæ si ab incautis aut imperitis vel medicastris peccantia quantitate qualitate & tempore inordinato, sique non debito modo, debitoque loco neque convenienti forma, dosi, subjecto, morbo, præpostere propinantur imprimis ubi obstructiones internæ mesenterii &c. subsunt, convalescentibus tristem memoriam relinquunt, quoniam præsentes morbos magis corrumpunt & ad futuros disponunt. Taceamus quod singula fere medicamina si vera fateri volumus, licet etiam juvent attamen etiam

aliqua

aliqua ex parte noceant, internas partium constitutiones lædendo; siquidem nullus fere spiritus chymicus, nulla salia ac sulphura, quæ omnium activissima sunt, quæque motibus alias qui vitæ negotium absolvunt tuendis instaurandisque perquam idonea, aut pulveres atque nulla panacea, nullum elixirium vitæ, cordiale, aliaque gloriosis nominibus superbientia, ea proportione præparari possunt ut per omnia & in omnibus, in principia vitalia & totam humorum massam æque perfecte quadrent, sive ut alii loquuntur archeum custodem & conservatorem vigoris nostri, in regularitate sua balsamica, salina, conservent. Cogites modo, quanta mala verenda sint, ubi in morbis chronicis, per tot menses, tanta medicaminum farrago, ingesta sit. Hoc supponit GALENVS *IV. Aphor. 67.* ubi bona remedia illa tantum dicit, quæ plus utilitatis quam damni afferunt & *Lib. de Opt. Secta* confirmat, nullum auxilium posse impune administrari. Idem videtur affirmare *II. Meth. II.* ubi exemplum de oxymelite addit, quod licet mala faciat, tamen bona esse majora. Concinnum certe CELSI monitum est *L. III. Cap. II. Multum interest ab initio quis recte curatus sit, an perperam, quia curatio minus his prodest, in quibus assidue frustra fuit.* Figentia primo sint, quorum perversus usus, multa mala eaque majora quam a nobis exprimatur infert: Notius est quam quod notissimum, acida, aceta simplicia & prophylactica, composita, succus, spiritus, nitri, citri, vitrioli in febribus ardentibus, acutis & præter modum exhibita, massam sanguineam & ex illa secretos succos; bilem inprimis &c. nimis figere, obtundere, destruere, & secretionem omnium humorum laudabilium imo excernendorum a retinendis impedire atque sufflaminare. Pari ratione nocent præcipitantia, absorbentia, terrea terreo salina, antacida, testacea, ustulata &c. sub forma pulverum inprimis, in morbis acutis & intermittentibus febribus, copiosius devorata, aut præmature nimis in primo statim morbi principio neglectisque debitis evacuantibus, aut per morbi cursum demum interpositis iis. Certe in praxi error hic communis quotidie erratur, quod alterantibus per temporis quoddam spatium continuatis evacuantia non interponantur. Sic e. g. EHR. HAGENDORN *Histor. med. phys. cent. I. Obs. VI. p. 162.* recenset, de fœmina quadam, cui ex febre ardente laboranti a medico quamplures pulveres interpositis julepis acidis, erant præscripti, quibus frequenter nimis exhibitis æstus quidem febrilis cessavit, sed in tantam incidit cardialgiam, ut ob continuos dolores cor comprimentes & præfocantes, per mensis spatium nil, nisi jusculis, cerevisia calida, & medicamentis liquidis uti cogere-

tur. Hoc intuitu, vix tolerabilis, ac nunquam excusandus certe error in superioribus temporibus, qui cum magisteriis (mortuis & inertibus calcibus & terris) vix tanto nomine dignis, largiter propinatis, fuit commissus. In hunc censum, merito veniant practici illi, apud vulgum, cautissimorum medicorum noti, qui præter modum confidentes & tantis cervicibus, nihil præter illa audent, quibus vero ægros suos tandem in sepulcrum præcipitant, reliqua etiam media naturæ tanquam calida nimis suspecta habent, quibus statim animam, velut volatilisari credunt. Hæc nostrorum quorundam subtilitas est, sed profecto nimis crassa. Illis enim diu in stomacho inhærentibus statim figitur materia peccans, vix deinceps extricabilis, concentrata quasi detinetur magis magisque tractu temporis corrumpenda, moxque data levi occasione ad pristinum genium redeunda, liquor gastricus suffocatur atque extinguitur penitus, & sic multa mala infertuntur. Insuper & digestio prima, mire impeditur, ex qua spirituum inopia, & ex illa languor diuturnus, anorexia, cardialgiæ, obstructiones alvi, pedum tumores aliaque primarum viarum, mala oriuntur. Pariter observavimus, ob abusum salium fixorum v. g. in intermittentibus, ægros licetii convalescant, tamen debiles manere diutius, atque appetitu prostrato, & interdum pedum tumore œdematoso, affici.

§. VI. Prorsus nihil abest quin, & martialia, herculea alias, certe remedia, in quamplurimis morbis iisque maxime diuturnis & pertinacibus sint nocentissima. Quando, quod turpe quidem dictu, sed verissimum est, multi vulgarium practicorum sæpius copiosiusque aut sola ea, aut terreis conjunctis, tantoque deteriora reddita, sine adjectis salibus, sine debitis diluentibus, sine interjectis evacuantibus sineque aliis debitis cautelis aliis non longius quidem hic recensendis rite observatis humoribus non bene præparatis fluxilesque redditis &c. magnis cumulis ingurgitanda porrigunt, stomachumque incrustant, & quasi ferruminant simulque materiam peccantem magis incuneant atque compingunt. Etenim, quamvis martialia eum in finem propinari solent ut obstructiones tollantur, nihilominus attamen comperimus, eorum agendi modum maxima ex parte in adstrictione consistere. Etiamsi quædam leviores particulæ, in marte latent, quæ sudoriferam, deobstruentem virtutem exerere valeant, tamen per vulgares præparationes vix a reliquis separantur, sed constringentes plures remanent, quæ aperientes supprimunt. Suspecta hæc in specie sunt lienosis atque iis qui cum malo hypochondriaco conflictantur, in quibus spasmi quidam subsunt atque partes internæ contractæ & hepaticis, ubi

ubi metus scirrhescentiæ subest, dum subtile speciatim acidum quidem absorbent, crassius vero ad majorem indurationem disponunt, ut recte animadvertit TACHENIVS *Clav. C. VIII. p. 181. 192.* Quid exinde sequatur, quivis satis intelligens facile hariolari potest. Certe crudelior subinde morbus vel recidiva, vel morbi novi eique subinde pejores, propullulant. Inprimis cachecticis & hypochondriacis improvide ejusmodi exhibita tumores gignunt œdematosos.

§. VII. Intolerabilior adhuc error est, in adstringentibus ut saturninis &c. quando febres, narium hæmorrhagias, hæmoptyses, hæmorrhoidum fluxus, choleras, diarrhœas, dysenterias præpostere statim & ubique adstringentibus brevi inhibent, eoque ipso honori sibi & gloriæ ducunt, morbum incantatione quasi curasse; sed sciant illi thrasones cito quidem sed & tuto curationem esse instituendam, & utili alias adagio, Festina lente, etiam in medicina, locum esse concedendum. Quam sint vero nocentes, qui hoc monitum negligunt vel ex hoc nemo non potest cognoscere, quod proveniant exinde insania, apoplexia, pleuritis, viscerum sphacelationes, immanes dolores, renum, sanguinis vomitus, hydrops, epilepsia, ophthalmia ipsaque cœcitas multaque alia mala. Sic BLANCART. *in Collect. Phys. med. Cap. IV. p. 566. obs. XXV.* refert ex diarrhœa præpostere adstringentibus tractata quendam in delirium & cœcitatem, per vices recurrentem, incidisse. Ex omnibus omnium fere nulla magis nocentia sunt quam narcotica, opiata nimia, & sedativa spirituum motum compescentia, quando scilicet vomitus, aut diarrhœa, dysenteria, colica, & similes morbi illa quidem, indicant. His enim in spasmis, doloribus, convulsionibus aliis, arthritide, nephritide &c. non modo mala pejora ac contumaciora redduntur, sed & inflammationes ac quæ omnium periculosissima mala sunt, stases, maxime ventriculi cum singultu & maximis anxietatibus efficiunt. Ejusmodi tristes eventus in variis generis febribus consequuntur, quando natura in despumatione impeditur, & materia peccans magis figitur majores noxas inferendas aptissima. In specie hic indicare voluimus, dysenteriam quandoque, oboriri post phthisin, multis opiatis tractatam, ut etiam post alios morbos, in subjectis præcipue rarioris texturæ, de quo conf. WEDELIVS *Pathol. p. 649.* In genere dicendum est. Opiata, capitis, cerebri, & nervorum infirmitates, dolores gravativos, apoplexiam, & affectus soporosos relinquere, ob principium sulphureo volatile naturæ inimicum. Eadem pariter in hæmorrhagiis præpostere adhibita non modo debilitant magis, ut ægerrime in integrum restituantur, sed & pejores morbos

bos accerſunt, recidivasque graviſſimas, pareſin, ſudorem colliquantem, varios nervorum affectus, ac ſphacelum; Ubi vero ſudorifera, calida incaute adhibentur, quæ exagitatione putredinem humorum aucta, in intima corporis penetralia inſinuant, maxime ſi alvus non debite fluat, res peſſime præſertim in cachecticis, variolis, morbillis, purpura aliisque cutis exantematibus, cedit, præſertim ſi ante expurgationem primarum viarum exhibentur, affectus ſoporoſos, cœcitatem, paxalyſes, capitis gravativos dolores, cum aurium tinnitu & vertigine, producunt.

§. VIII. Eadem tragœdia vero frequentius luditur, quando hodierni practici, minime mali illi quidem, ſed non ſatis cauti quascunque febres intermittentes (atque adeo etiam quidam acutas) quæ certe medentis exactum judicium & prudentiam requirunt, famoſo illo antifebrili, cortice Peruviano, alumine, aliisque partes fibroſas & nerveas conſtringentibus, tanquam Achilleis haſtis profligare ſatagunt; Quisquis enim illorum hoc utitur cortice, ut ſine cortice, quod dicitur vix dum poſſe natare videatur reputans, ac ſi nullam certiorem nullamque præſentiorem nullamque magis innoxiam harum aliorumque malorum panacæam, miſeris mortalibus, a Deo Immortali, conceſſam eſſe; aſt infelici ſæpius exitu, certe hæc pervulgata medendi ratio inſtituitur methodo legitima non obſervata, imo plane contemta, ac ſi ea non opus haberent quæ tamen ut neceſſaria admodum omnisque medicationis norma regulaque laudanda. Præpoſtero ſane abuſu, hic priusquam materia impura peccans non penitus correcta fluida, & mobilis facta, ſatis fuerit ſecreta & per vomitoria, (ſi modo fieri poteſt) evacuata, nec vaſorum obſtructiones reſerata, atque corpus a ſpasmorum vehementia, quæ omnes excretiones intercipit liberum redditum in ſubjectis præſertim teneribus plethoricis, laxiorisque corporis habitus vitam ſedentariam agentibus, fœminei ſexus, neque obſervatis conditionibus climatis, atque loci, ætatis, vitæ generis conſtitutionis hominum & aliis circumſtantiis præcedentibus, concomitantibus exhibetur. Palam enim eſt, harum febrium impetu parum feliciter conſopito, compreſſo atque fracto planeque retuſo, non modo hecticas peſſimas casque frequentes, hydropes vix ſanabiles, catharros ſuffocativos, pthiſin, pleuritidem icterum nigrum, tumores crurum, ſcirrhum hepatis, lienis perpetuam appetitus dejectionem cum virium proſtratione & artuum laſſitudine totiusque corporis gravitate variarum partium doloribus præcordiorum anxietate, alvi adſtrictione, contumaciſſima muci glutinoſi in os ſcaturigine &c. exinde pronaſci. Hoſtis in ſinu imo ipſo in ſanguine nitulatur, qui quam

vis non confeſtim priſtinas aperte turbas certe concitare poteſt. Etenim, tantum abeſt ut cortex iſte viſcida incidat, ac attenuet, heterogenea proſcribat & depellat, ſanguinisque priſtinam fluiditatem reſtituat, ut potius una cum reliquis humoribus eundem craſſiorem, atque denſiorem reddat, quo materia morbifica ſupprimitur, in peſſimum ſtatum abitura. Peſſimum eorum in hoc curationis genere vitium eſt, quod viſcera ſecretoria ita deſtruantur, ut ægri qui tum medico ſuo applaudebant & ſibi gratulabantur, ita ſe levatos rati, ac ſi per miraculum ſanati eſſent, aut ſi Deus aliquis ipſis medicinam feciſſet, jam atque per totam ſæpiſſime vitam exclament: Eheu Aceſias nobis medicatus eſt.

§. IX. Sed & idem vitium in alia quamplurima adhuc medicamenta cadit: Videmus multos practicos, in eo etiam peccare, quod in morbis præſertim catarrhalibus & pectoris affectibus, tuſſi, aſthmate, phthiſi &c. atque ubi regreſſa præſertim vitioſa materia ad pulmones, dulcia & ſaccharata, loch, electuaria ſyrupos aliaque eclegmata eaque vix quicquam aliud præter nomen ab ingredientibus ſuis mutuata, pondere haud exiguo atque abominabili, præſcribant, ſicque pituitam generant, atque humores conglutinant, acrimonia moleſtant, ventriculum & digeſtionem adeo lædunt & laxant, ut obſtructiones atque exinde cachexia, hydrops, hectica, aſthma, inde ſequantur. Præſertim ſcorbutici, hypochondriaci, & hyſtericæ atque infantes, ab ejusmodi maxime læduntur. Hoc vitio Timæo, famigeratiſſimo atque optimo alias practico vertitur, quod in ſuis inſtitutis curis, ſaccharatis, præſertim in illis oris, in quibus ſcorbutus admodum familiaris, abuſus fuerit. Sequantur modo refrigerantia nimia & copioſiora, etiam nitrata &c. quæ quidem morbos quosdam, ut febres continuas curant, ſed ventriculum admodum deſtruunt, lentas & hecticas ægritudines efficiunt. Rurſum ſi illi morbi fortioribus, ut tincturis bezoardicis, ſpiritibus, balſamo ſulphuriis aliisque pluribus ejusmodi tractantur, eveniunt facile pleuritides, aliæque inflammationes, affectus ſoporoſi inprimis in ſenibus; In impuris vero ſubjectis & ad putredinem diſpoſitis, ſimplices ſynochos febrium ſequitur lubentiſſime putrida &c. Addimus ſaltem his, magnas aquarum ſalubrium, thermarum, acidularum, nec non horridas infuſorum ac decoctorum lignorum, radicum herbarum potiones, ventriculum gravantes & extendentes, ad quas inviti urgentur ægri, præſertim in copioſis primarum viarum cruditatibus, & tono ventriculi & inteſtinorum laxato, a quibus oritur & fovetur morbus, ut v. g. in viſcerum obſtructionibus & febribus intermittentibus, de quo etiam conqueritur BAGLIVIUS *de morb.*

ſolid.

ſolid. Per ejusmodi enim ad longos & incurabiles, non raro morbos diſponuntur miſeri patientes. Aeque mercurialia ſcorbuticis & impuris corporibus data, cum ſalivatione intempeſtiva & dentium vacillatione paralyſes dein, convulſiones & contracturas inferre apta ſunt. Salina medicamenta cardialgias & omnes fere morbos ex ſalibus ortos exaſperant. De aliis amplius dicendum eſt ut de evacuantibus quoque nimiis, vomitoriis, purgantibus draſticis ſudoriferis, diureticis: ea nimirum debilitare ægros & profuſis ſuccis ad vitalitatem utilibus ac neceſſariis & variis turbulentis agitationibus concitatis, (ſi non debito tempore & modo exhibita fuerint) ad alios morbos chronicos inducendos viam tritam ſternere. Ordinario fortior purgantium uſus, qui inteſtinorum tonum deſtruit, ad colicam flatulentam diſponit. Sic MOEBIVS *Fund. Phyſ. p. 368.* & KYPERVS *Inſtit. Lib. II. cap. XVI.* ex nimiis purgantibus bilis irreparabilem defectum, & ipſam mortem annotarunt. In hypercatharſi, alvi fluxionibus, & cholera potiſſimum, id frequenter evenit. Cœterum hoc eſt tenendum, quod, in declinatione morborum, vix aut nunquam purgatio commodum inveniat locum, ea enim, humores jam ſegregatos de novo confundit, & recidivam parit. Conf. de hoc WALAEVS *Meth. med. p. 37.* Equidem expedit, ut multorum morborum curationi purgatione finis imponatur, ſed elapſis aliquot diebus puto VI. VIII. fugato penitus morbo atque non in die forte præteriti paroxyſmi. Nullum quoque eſt dubium, purgantia temere præſcripta, criticam & ſalutarem transpirationem per corporis habitum inhibere, naturam turbare ejusque motus atque efficere, ut vel tardius convaleſcant vel ægre nihilominus tamen, aliqua licet remiſſione dein ſe habeant. Conf. BALLONII *Pharm. Med. Lib. III. p. 73.* Nec non ſæpius in quantitate peccatur, quando non modo in morbis longis & in valetudinariis ſubjectis, ſed & in acutis præſertim, febribus contagioſis, variolis & morbillis &c. medicamenta magna in copia devoranda præbentur, præſertim in ejusmodi morbis in quibus a medicamentis ad quoddam tempus abſtinere ſatius ducitur, quoniam medicatione aſſidua, acerbiores majori ex parte redduntur, quo nomine præ aliis affectio hypochondriaca, & melancholica, cancer occultus, memorabiles ſunt. Huc forte ſpectat quod PLATO *in Tim.* dixit: *Certi morbi, certos ſuos ſortiti ſunt terminos.* Certe ex plurimus aliis morbis multi æque cito convaleſcunt eorum, qui medicamenta faſtidiunt, ac illi qui ad omnia, a Medicis præſcripta ſunt facillimi. In forma tandem medicamentorum peccatur, quando meris pulveribus res conficitur omnis, ex quorum nimio uſu

car-

cardialgia diu non raro remanere aſſolet. Inſuper ii quoque medici delinquunt in morborum curatione, qui nullum reſpectum ad temperamentorum diverſitatem habent, quo ſæpius efficiunt, ut tarde ad priſtinam ſanitatem redeant. Rei intererit quædam commemorare: v. g. ſanguineos medicamentis generoſis, vomitoriis purgantibus, ſalivantibus ſudoriferis calidis & volatilibus citius lædi quam curari, quoniam talia non ſine gravibus motuum vitalium commotionibus agunt, quibus vero non adſueti graviſſime conturbantur & putredo ſpeciatim humorum aucta in intima corporis penetralia inſinuatur, maxime ſi alvus non debite fluat, res peſſime præſertim in variolis, morbillis, purpura aliisque cutis exanthematibus, cedit. Non vacat, ulterius & ad ſpecialiora procedere, omnes enim & ſingulos errores circa quæcunque medicamenta atque remedia, deplorandosque exinde infelices effectus perſtringere, & circumſtantias omnes adducere, quas cautelæ medicæ requirunt, Augiæ ſtabuli, in me ſuſciperem repurgationem, atque res eſſet inexhauſti pene longiſſimique laboris, limitesque diſſertationis excederet, ſed majoribus lucubrationibus, hæc relinquenda ſunt, integris voluminibus explicanda: Quare, de multis modo pauca notare voluimus & pleraque quam pauciſſimis, unicum hoc ſaltem addituri cum ubique ac toto die in illo delinquatur, ſcilicet obſervavimus illos etiam in illis præſertim morbis, ubi ſanguis rarefactus, mobiles & exæſtuantes humores ſubſunt, ubi tranſpiratio & ſudatio fortior intervenit, certo peccare, qui more hodierno, ſorbillationibus infuſa & decocta theæ ac coffée aliaque id genus nimium ingurgitant, quo non modo tunc morbum augent, ſed & difficilius convaleſcunt, diuque languidi permanent, ſi non graviora ſymptomata exinde conſequantur, præcipue paralyſes, ac fluxiones catarrhales. Nullum enim dubium eſt, quin ſanguinis conſiſtentia illiusque ſulphur vitale (ſanitas vero & vita in ſanguinis robore conſiſtit, ut ſcite edocet præprimis SYDENHAM) per ejusmodi diutinos & immenſos calidos potus debilitetur, & ſanguinis & humorum maſſa multis heterogeneis ſalino alkalinis, ex parte empyreumaticis inficiatur particulis, ac calor ipſe motum inteſtinum accelerando, in ſuccis vitalibus alienas partes gignat, atque præterea quæ inſunt ſubtiliores reddat ſimul deteriores. Et ne de ejusmodi potuum calidorum noxa dubitationi ulterius locus ſit, ſiſtamus quod D. PISANELLVS *de Eſc. & Pot. Fac.* de Sicilianis refert, illos, cum nimium aſſueti eſſent calidæ, obnoxios magis epidemicis & malignis morbis fuiſſe, adeo ut in unica urbe, Meſſinætum quotannis, ultra mille homines plus, quam poſtquam mutata hac con-

 ſuetu-

ſuetudine, occubuerint. Nolumus longius recenſere mala quæ improvidus thermarum, acidularum aliorumque fontium ſalutarium, quos vocant, uſus ſicque potius abuſus, ſæpe numero ingerit atque relinquit, ſaltem addituri, quod, in balneis aquarum calidarum utplurimum, ob ſudores nimios profuſos, ſitis, macies viſcerumque maxime ventriculi debilitas, inſequantur.

§. X. Nec remedia ex fonte chirurgico hoc periculo expertia ſunt. Si modo conſideramus venæ ſectionem intempeſtive aut largius celebratam, hydropem, haud raro ſubſequi, res eſt ſine dubio clara. D. SENNERTVS *in Paral. p. 22.* refert, medicum Italum quendam, pleuritidem per iteratas venæ ſectiones quidem curaſſe, ſed eundem in hydropem immedicabilem incidiſſe ac ex eo interjecto quodam tempore mortuum eſſe. Simile exemplum ZACVT. LVS. *Lib. III. obſ. Prax. adm.* commemorat. Quo ſimul ſcire licet, quod venæ ſectione abutentes febres invadant; crebra enim ſanguinis miſſione, ſulphur maſſæ ſanguineæ copioſius congeritur, quia ſal educitur, etenim ſanguis, quo magis inveteraſcit, eo redditur ſalſior ſale nimirum, præ cæteris partibus minus evaporante; hoc vero ſcatentes, minus in febres ſunt proclives. Conf. WILLIS. *de Feb. Cap. IX. p. 108.* Præterea ſatis notum eſt atque manifeſtum, eos, qui frequentioribus juſto venæ ſectionibus debilitantur, viribus, morbo, & venæ ſectione exhauſtis, non modo convaleſcere lentius, ſed & præſertim, ubi auram protinus frigidiorem admittunt, febres catarrhales, cum diuturna tuſſi ac intermittentes incurrere. Verum & parca nimis, producit non raro, morbo licet ſuperato, ob quam indicabatur, novos & pertinaces tumultus, aut ad minimum, ſi non in formales morbos hi incitus erumpant, diu tamen male ſe habent, ut melius fuiſſet, ſi plane ab illa abſtinuiſſent. Si ullo in morbo, certe in pleuritide, hac circumſpectione opus eſt, nam ſi parcus nimis in ſanguine detrahendo Medicus eſt, præter alia incommoda empyema præſertim, in ſpongioſo corporis habitu, facillime ſubſequitur, qualia notanda exempla VERZASCHA *Obſ. VIII.* & HEVRNIVS *in Comm. Aphoriſ. VIII. Lib. V.* habent; Sin liberalis nimis atque effuſus ſit, idem evenit, cum aliquoties repetitæ venæ ſectiones expectorationem impediant, ut optime BALLONIVS *Lib. II. Epid. p. 226.* advertit. Apud RIVER. *Cent. I. obſ. 79.* obſervatio occurrit de juvene quodam, in quo decies plebotomia celebrata, pleuritis in empyema, degeneravit. Hoc quoque per ſedulam obſervationem conſtat: ubi in exceſſu venæ ſectione durantibus morbis peccatum eſt, criſi forte impedita recidivarum metum ſubeſſe. Quapropter

propter, in definienda quantitate extrahendi, per venæ sectionem sanguinis exacta, habenda ætatis, sexus, corporis habitus, pulsus, vitæ generis, consuetudinis, morbique ipsius, maxime vero omnium, virium, ratio. Longe alii errores non raro a chirurgis committuntur, qui vitia ingerunt v. g. haud simplice vice est observatum, quod vastorum vulnerum rhombo aliquantulum obturatorum hæmorrhagiæ recrudescant, atque annotarunt nonnulli, per hæmorrhagiarum ejusmodi recidivas, circa juncturas imprimis fungos molestissimos produci. Ejusmodi quoque id est: si chirurgus carcinoma quoddam si altiores jam egerit radices & ubi ad glandulas jam subaxillares serpat, aut ad musculum usque pectoris penetraverit, in subjecto præsertim cacochymico: Tunc enim recisum fere semper repullulat atque æger certe de vita periclitatur. Nolumus longius ad topicorum perversum usum excurrere, cum v. g. quotidie fere videamus, dolores arthriticos tumores erysipelaceos, cutis exulcerationes, scabiem pinguibus vel adstringentibus, tophos repressos, contracturas, convulsiones, febres acutas, inflammationes internas, spasmos atque in ætate senili præsertim affectus soporosos, ulcera profunda, viscerum corruptiones, sphacelationes, producere. Rursum in ophthalmia si frigida instillantur, læsio visus, lippitudo insanabilis imo plenaria cœcitas insequuntur.

§. XI. Ad res pr. nat. primario pertinent morborum prægressorum reliquiæ, futurorum materiæ eliminandæ, quæ naturæ ministri medici aut chirurgi culpa, ob insufficientem vel indebitam evacuationem ac remotionem retentæ & delitescentes subinde, massam sanguineam & spiritus animales varie afficiunt & conturbant, atque succendunt, aut morbifica materia in alium locum movetur, aliisque quasi intruditur partibus. Ejusmodi conversiones in febribus maxime continuis admodum sunt familiares, unde paralysis, hydrops, abscessus subinde nascuntur. Audiamus hac de re HIPPOCRATEM *Aphor. 32. S. IV.* hunc in modum scribentem: *Quibus a morbo restitutis quippiam est infirmum, ibi abscessus fiunt.* Quem aphorismum HEVRNIVS optime sic explicat: *Quando post morbum infirmitatis aliquid superest, quæ ex lassitudine & imperfecta crisi judicatur, ita, ut supersint materiæ febrilis reliquiæ, aut si liberalius se potu & cibo ingurgitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre possunt; tunc in discrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatæ sunt, hinc si non accurata diæta accesserit, hepatis & lienis scirrhi, vel cephaleæ vel foras in artus, si ibi imbecillitas, abscessus effunduntur. Quare ne quid coacervetur, dentur pilulæ aleophanginæ, mastichinæ, vel*

Rufi, vel tale quid. Spectat huc quoque *Aphor. XII. Sect. II. Morborum reliquiæ, quæ a crisi supersunt, reciduos morbos parere consueverunt.* Fit hoc maxime, quando ob fractam naturæ virtutem, sicut rursus bene id explicat HEURNIUS, materia morbifica non tota fuerit exclusa neque in declinatione aluus purgante sollicitata. Notæ vero inquit reliquiarum morbi sunt oris siccitas, inappetentia, agrypnia, languor. Quare recte concludit idem auctor: plerumque jubemus, ne fiant recidivæ, ut quinto vel sexto die, cum jam convalescunt assumant tres vel quatuor pilulas de hiera cum agarico, vel mastichinas, vel syrupum laxativum, aut pillulas Rufi, vel aliquid rhabarbari aut passularum purgantium. Insuper in praxi sæpius experimur subinde, quod in febribus præsertim continuis, quidam humores, in parte aliqua colligantur, quæ congestio equidem nullos absolutos abscessus atque ulcera forment, nihilominus tamen faciles ad puris generationem se præbeant. Ubi ejusmodi casus recens adhuc ac cum impetu quodam protinus se prodit erysipelatis speciem induit ac inflammatio cum tumore se exferente, hoc rerum statu in latum & profundum utplurimum serpit, quem phlegmonem dixeris. Interdum vix ulla alteratio tunc in parte affecta notatur, quod malum veteres apostasin, hodierni vero medici vulgo rheuma appellant. Singularem hujus rei speciem monstrant variolæ, quæ sæpissime ejusmodi apostases post se relinquunt, mox hanc mox aliam corporis partem occupantes aliæ exulcerationi similes quidem, nihilominus tamen talis nocua materia semper genium atque characterem pristinæ ejus & specialissimæ malignitatis retinet, atque ubi verus abscessus exinde insurgit, attamen is vix pro simplici, sed malignæ energia constipata habendus. Hic non omittendum esse censemus, quod maxime in morbis acutis calore præternaturali magno stipatis, alteratio non solum quidam insignis & partibus fluidis & solidis inducatur, & humori cuidam aut parti certæ primario & profundius imprimatur, ex quo functiones læduntur, & dyscrasia ingens humorum, sive a coagulatione, sive a resolutione, prout namque indoles morborum fuerit, hoc proficiscatur atque erosio, distensio, exarescentia, exsiccatio, rigiditas solidarum exoriuntur. Hæ malæ causæ tanquam semina futurorum morborum adeo profunde quandoque quasi incoquuntur, & intimiori unione (non simplici commistione) uniuntur, ut vix per vitam deleri possit, ut de lue venerea constat, quæ per plura lustra quandoque sopita manet, sine ullo incommodo manifesto ægri, tandem derepente iterum tyrannidem suam exercet, aut potius justas & promeritas pœnas

easque

easque graviores infligit. BAGLIVIUS item venenum tarantulæ ſemel corpori illatum fere indelebile eſſe, *in Diſſ. de Tarant. C. VII.* opinatur; ſic & obſervatum eſt, venenum a canis rabidi morſu illatum ad VII annos *Obſerv.* GORDONII, imo ad XXX usque annos remanere, ſtatisque temporibus quandoque redire, ut teſtatur HILDANUS *C. I. Obſerv.* In aliis quoque morbis non novum eſt, interdum materiam morbificam in partibus ſine ullo indicio diutiſſime latere poſſe, nec obſervari, niſi ubi ex latibulis ſuis excutiatur. Inſuper in hac conſideratione maxime morborum fiendi modus atque eorum quaſi genealogia expendenda: Nam eæ ægritudines, quibus nexus quidam intercedit ſive in quibus Natura ſimiles motus modosque inſtruit ſimilemque finem intendit eæ etiam eo facilius alterationes ſuſcipiunt, ut nempe aliæ in alias quaſi tranſeant, ut in diverſis maxime ſanguinis fluxionibus videre eſt. Quoad læſiones externas unicum ſaltem exemplum producere placet, quod notatum eſt *in Ephemerid. Germ. Nat. Curioſ. Ao. VI. & VII. Obſ.* 77. epilepſiam recurrentem, a ſiniſtri pedis pollicis læſione, ortam eſſe &c.

§. XII. Univerſales vero & proximiores magis ſunt cauſæ, quæ a ſolidis æque ac fluidis præcipue ſpiritibus animalibus, (quorum & deficiens expanſio plus periculi auget quam nimia) tanquam neceſſariis corporis partibus deperditis, vitiatis ac læſis procedunt; nam vix ullus morbus eſt, ſive ex acutorum ſive ex tardis & diuturnis affectibus, qui non ſingula hæc vitia poſt ſe relinquit. Ex his modo notamus tum corruptionem atque depravationem, tum & maxime & ſæpiſſime quidem conſumtionem & defectum humorum laudabilium, ut ſanguinis, lymphæ, ſeminis, ſalivæ, bilis, ſucci nutritii, ſpirituum animalium, circulum ſanguinis atque humorum ſegnius lentiusque inſtitui, diſcraſiam acido viſcidam humoribus induci, obſtructiones minimorum vaſculorum generari. Turbationem enim ſanguineæ maſſæ in circulo ſubſequitur etiam ea in craſi, quæ conſiſtit in illius impuritate aucta ſive ratione particularum viſcidarum, craſſarum, ſive ſalinarum & ſulphurearum &c. Ut omnium humorum fundamentum eſt ſanguis vitæ theſaurus, ita ſi hic ſive in hæmorrhagiis nimiis in puerperis, in abortu, in menſibus, præter modum fluentibus, in hæmorrhoidibus, ſive a venæ ſectione immodica, exhauſtus fuerit, inprimis, peſſimi pediſſequi preſſo pede irruunt. Hoc perdito tanquam materia ac vehiculo ſpirituum animalium, a quibus vires motrices potiſſimum dependent, hi ipſi vacillant vaſaque concidunt, unde motus vitam conſervans & ſanguinem ab impuritatibus depurans, lentior & impeditior fit, qui circu-

laris motus ſic tardior redditus præparatur quaſi ad motum ſubeundum inteſtinum peregrinum, ſicuti enim motus localis corporis putredini reſiſtit ita quies & motus ejus impeditus ad illam diſponit excernenda eaque actuoſa remanent foras ejicienda ac cumulantur non modo in ventriculo & inteſtinis, digeſtione imminuta ſed & in venis, urinis copioſis plus minus turbidis & albis, teſtibus, ex quo mox glandularum atque emunctoriorum obſtructiones, viſcerum infarctus, ut & totius corporis morboſus habitus, cachexia, leucophlegmatia, maxime laſſitudines, hydropes, febres intermittentes, malum hypochondriacum in ſeroſis & pituitoſis ſubjectis, in cholericis vero & activioribus tenerioriſque texturæ febres lentæ atrophiæ & phthiſis inſequuntur. Præſertim, ex hujus defectu convulſiones ortæ, multorum morborum graviſſimorum imo lethalium cauſæ exiſtunt. Sic etiam reliquorum humorum nimia evacuatione progignuntur æque graviſſima mala, ut ex nimio ſudore nimiaque alvi excretione, ſalivatione enormi cholera, fluore albo, copioſiori, gonorrhœa inſolentiori, ex quibus deficientibus partibus nimirum balſamicis mitibus, ſubtilioribus fluidioribus ad ſpiritus eſſentiam, chyli & ſanguinis neceſſariis & aptis, loco ſanguinis ſerum crudum minusque ſpirituoſum venas implet, hinc origo languoris lenti caloris, tumorum, catarrhorum, cachexiæ, atrophiæ, hydropis, paralyſis, ſoporis. Atque adeo ex nervorum quoque commercio atque conſenſu cauſæ quædam notantur, ut raucedinis poſt colicam, anxietatum, dolorum inquietudinum, maximarumque moleſtiarum in omnibus propemodum corporis regionibus. Tonus partium ſolidarum deſtructus, deperditus, labefactatus laxior juſto redditus aut quandoque rigidus atque fibræ illarum remiſſæ, extenſæ aut ſiccæ irritatæ conſtrictæ, criſpatæ, convulſæ; quæ fluidorum itum reditumque impediunt adeoque & motus ſolidorum ac fluidorum in morbis valde immutatis lædunt & turbant functiones corporis humani variis modis, ut labem exinde inductam relinquant. Juxta has malas cauſas, preſſius materia peccans relicta in corpore adhuc aut non ſatis evacuata & correcta vel ſub morbis eorumque paroxyſmis de novo ſemper aucta, exaltata imo producta explicanda venit: ea enim facile data deinceps vel levi interdum occaſione iterum caput quaſi erigit, atque vel priori forma & ſpecie prioreſque partes afficit, vel aliter alteratur & ſub alia ſpecie aliasve partes aggreditur ac vitiat.

§. XIII. Ordinaria fere vitia ſunt eaque plurima leviora oculi concavi, ſiccitas oris, illaque ſaliva glutinoſa, amaritudine vel alio ingra-

to

to ſapore infecta, vacillatio genuum, debilitas virium, macilentus corporis habitus ac minus coloratus, laſſitudo omnium artuum, moleſta ac ſi conquaſſati eſſent atque contuſi ita, ut quandoque neque quieſcere nec moveri poſſint, quæ non raro ex ipſius HIPPOCR. obſervatione vid. *Epid. Lib. V. text. 41.* parit anxietatem, anxietas vero perplexitatem cum dolore. Nulli vero morbo pene familiarior eſt laſſitudo, quam febribus maxime malignis atque catarrhalibus. Obſervavit, hoc jamdudum modo laudatus HIPPOCRATES *Libr. Epid. Lib. VI. text. 96.* quando inquit: *Laſſitudines febribus ex catarrhis ſunt familiariſſimæ, quod per nervos aliqua pituitæ defluxio fiat.* Generali magis quoque notione audit cachexia a variis jam recenſitis & in variis inducta. Dehinc pedum tumores ab humore aquoſo ſubſiſtente (vitium enim & hæ aquæ vitales microcosmicæ in moveantur, vitium capiunt) nominandi qui præcipue in ſubjectis plethoricis, laxiore habitu corporis præditis, maxime fœminis vitam otioſam & ſedentariam agentibus, poſt ſingulos propemodum longos ac graves morbos ſe monſtrant, inprimis vero a febribus generi hominum frequentiſſimis & inimiciſſimis, calidum vitale balſamicum ſanguinem & ſpiritus animales fluidorum motores depauperantibus, omnis generis, præſertim intermittentibus maxime quartana variolis præſertim confluentibus, morbillis, hæmorrhagiis narium, vomitibus & mictibus cruentis, hæmorrhoidum ac menſium fluxionibus immoderatis (uti & ſuppreſſis) alvi profluxu diarrhœa, dyſenteria, malo iſchiadico &c. Refert LISTERVS hos, in Anglia ordinarios morborum pediſſequos eſſe.

§. XIV. Inter illos morbos, qui convaleſcentes ex morbis infeſtant generaliori magis titulo perſpectæ ſunt, tædioſiſſimæ horrendæ & valde nocivæ, recidivæ; ſiquidem tam medico quam ægroto, exacti jam morbi, is fallax recurſus illudit, atque hic portum ſe inveniſſe putans, hoc horridum æquor, rurſum trajicere, jactari fluctibus atque agitari procellis ſcopulis allidi ſyrteſque incidere, ipſumque naufragium pati cogitur; ille vero æque maximo tædio afficitur, ſiſyphium laborem in ſe ſuſcepturus. Aeque in morbis acutis ac chronicis, endemiis & ſporadicis occurrunt, & interdum mitiores, interdum æquales utplurimum vero graviores ſunt ipſo morbo præcedaneo atque temporis intervallo nunc breviori certoque interdum anni tempore nunc longiori recurrunt. Recidivarum aliæ ad ſolutionem tendunt, dum nimirum ſenſim paulatimque ad ſalutem ſimpliciter terminantur, ſiquidem & recidivæ quandoque criticæ obſervantur. Aliæ ad pernitiem feruntur, dum ſigna ſcilicet re-

cidivas

cidivas antecedentia, non modo ſunt mala ſed & concomitantia majorem malignitatem mortemque ipſam inducunt. Accidunt ex facili, ubi morbus ſine ratione, aut bonis ſignis diſceſſerit atque ubi præſertim imperfecte judicentur, priores morbi, aut non vera fuerit, aut imperfecta morbi per cauſæ proximæ debitam ablationem, ſolutio, ſive ſi citra evacuationes manifeſtas & pro multitudine excrementorum congruas morbi ſolvuntur, ſed materiæ peccantes tanquam mineræ ſcintillæ & reliquiæ, vel quantitate vel qualitate peccantes, non ſatis expulſæ aut alteratæ fuerint, atque fermentum quod vocant morboſum non penitus deſtructum repullulaverit, quæ rudimenta & redituronum morborum incrementa, mox a levi occaſione, juxta debiles naturæ vires imprimis a ſex rerum non naturalium & externarum uſu incongruo, in actum iterum deducuntur; Si nimirum ſuperatis morbis maxime chronicis atque diuturnioribus, aëri liberiori & frigidiori corpus exponant, nimis cito ante primarum viarum repurgationem, genio indulgent intemperate, ſi appetitum urgentem copioſioribus cibis explent atque carnibus præcipue, ovis, juſculis pinguioribus & reſtaurativis quæ vocant & ſimilibus bene nutrientibus veſcuntur, aut liberalius vinum aliaque potulenta fortiora & inebriantia ingurgitant, ſi invenere & animi fortioribus affectibus minus ſibi temperant aut alias exactas leges ac regulas, diæteticas inconſiderate negligunt, ſique aliæ externæ æque ac internæ cauſæ ſubſunt &c. Proin offendimus illas in chronicis pariter atque acutis morbis, præprimis in febribus omnis generis, acutis ardentibus, inflammatoriis præcipue lentis, hecticis; catarrhalibus malignis ipſaque peſte, intermittentibus maxime quartanis, de quibus CELSUS *de Med. Cap. XVI.* jam monuit dum ſcribit: *Si quieverint diu, meminiſſe ejus die convenit, eaque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem; facile enim revertuntur, niſi a ſano quoque aliquamdiu timentur.* De aliis ſic HIPPOCRATES loquitur. *Coac. prænat. tex. 8. Febres ſi alio die quam judicatorio deſierint, recidivam metuere oportet* & alibi ut *tex. 144. & 146.* ſimilia docet. Febris epidemica in Leidenſis Urbis incolas ſæviens, recidivam habuit frequentem aſſerente FR. SYLVIO *Pr. med. Lib. IV. tr. 10.* De variis aliis porro notant. RHASES *Lib. de Mirabil. cur.* J. P. LOTICHIVS *Lib. I. c. V. Obſ. II. 14. Cap. VI. obſ. 2. C. VII. obſ. 14. C. VIII. obſ. 2. L. IV. c. I. obſ. 9.* FR. DECKERVS *Med. Pract. c. m. m. Cap. V. & VI.* SIM. SCHVLTZIVS *in Eph. G. N. C. Ao. VI. & VII. obſ. 161.* aliique. Obloquitur quidem BOGDANVS non mediocris quidem ſed haud ſcio an graviſſimus cenſor *de Recid. c. V. §. 6. 7.* ac negat in chronicis & qui lente ſolvuntur recidivas

haud

haud accidere, quod non ſolum crudi humores, qui morborum ejusmodi cauſæ ſint, ſubigantur, ſed etiam adeo benigne evadant, ut imposterum naturam non laceſſant, verum etiam ut nutrimentum in corporis ſubſtantiam concedant. Sed experientia contrarium uberrime comprobat, ſiquidem palam eſt, melancholiam hypochondriacam pertinacem, inſaniam, capitis dolores, vertiginem, epilepſiam phthiſin, aſthma, hydropem, colicam habitualem, vid. Jo. Pet. Lotichivs *Lib. IV. cap. VI. Obſ. 4. & 5.* icterum, vid. Hippocrat. *Coac. T. 121.* & *Aph. S. IV. Aph. 62.* lienis tumores, vomitus varios vid. Hippocrat. *Coac. Præn. T. 122.* Greg. Horstivs *Lib. IV. Obſ. 5.* F. Os. Gremsivs *Arb. Nit. & Ruin. hom. Lib. II. cap. I.* dyſenteriam vid. Decker *M. M. Cap. VI.* procidentiam uteri, arthritidem, podagram, nephritidem, purpuram, ſcorbutum, defluxiones rheumaticas, malum iſchiadicum, luem veneream ſæpius redire. Frequentiſſime fere omnium repetunt lateris dolor, apoplexia, paralyſis, hæmorrhagiæ & maxime hæmopthyſis, quæ tunc impetuoſior & copioſior eſſe ſolet. Nec eſt cur de reliquis morbis dubites, quod in endemiis, ſi vel a nativitate radices egerint, vel cauſa morbifica, continuo iterum inficiat, & in epidemiis ſuperſtite cauſa movente univerſali, æger, ex charybdi velut ereptus, aſt debilitatus in ſcyllam iterum facile incidat; & quod ſi vel cauſa certa forte quadam peculiaris pertinax firmiſſime & alte repoſita, vel ex contagio, ſive alia quavis ab extra adveniente, ſive in corpore pronata, miaſmata plenaria removeri non poſſint, aut aliquid heterogenei intus abſumti remaneat. Intereſt exempli adducere obſervationem vel unicam ſaltem ex *Eph. G. N. C. D. I. an. 4. & 5. Obſ. 127.* de lipothymia quotannis ſtato tempore, ex accepto veneno recurrente. Cataractæ etiam recidiva ſæpius contingit duplici quidem potiſſimum de cauſa, atque aut chirurgi operantis aut ægri culpa vel quod poſt detractionem pelliculæ interdum brevi nova generetur, vel quod ipſa depoſita, vel poſt aliquot ſaltem dierum inter capedinem præſertim ubi adhuc & levior & imperfecta, aut non rite depreſſa fuerit, vel etiam levi quadam data occaſione v. g. capitis motu intempeſtivo, & erectione, denuo elevetur. Abortum huc trahere licet, qui multoties interdum redire ſolet, quatenus ille imprimis reſpectum habet, ad primum non rite tractatum, utpote, qui ſi hic non adfuiſſet, alter non inſequutus fuiſſet. Hernia per ſectionem curata rariſſime ſine recidiva obſervatur, ob annulares proceſſus, in muſculis pr. nat. ampliatos, quos ita affectos, illorumque læſionem hiatum penetrant, ex facili inteſtina membraneumque canalem iterum vel laxant

vel rumpunt. Præter hæc hic quoque memorandum, quod sæpe abscessus & ulcera vel in eodem mox corporis loco, vel alibi sponte sua, renascantur ex pravis nimirum iisdemque copiosioribus humoribus, quibus quidem sufficienter exhaustis non erant reditura. Sic & ambustorum ulcera, post sanationem interdum rursus recrudescunt. Nec sicco plane pede prætereamus, quod nonnulli perhibent: Morbos ex fascino sic dicto, uti satis sunt diuturni molesti atque feri, ita & ordinario recidivam facere, uti id, (ut plura non adducam) ex Chodronchii filia patet, sæpius recidivam passa. Verendam recidivam esse ex sequentibus præcipue cognoscere licet: 1) ex parte quæ laboravit, si eadem imbecillis magis est, seu quando ejusdem elater, fibræ nerveæ, circulus sanguinis imminuitur & pori dilatantur ac infirmantur magis vel ex sua quidem natura, vel afflictione curationeque debiliori reddita, siquidem pars semel affecta atque laborans sicque debilis facta, receptionem facile admittens & ad se invitans utplurimum retinet imbecillitatem, seu robur inæquale & quasi vicinarum partium evadit sentina, ut v. gr. pulmones, qui posteaquam sanguinem semel ejecerunt, facile ad istam ejectionem trahuntur, 2) ex morbo: Est enim ea quorundam conditio ut ex levissima occasione quamvis recte curati fuerint, tamen redeant, quoniam altiores radices egerunt & magna quædam vestigia reliquerunt, ut quartana, morbi maligni, & ex contumaci materia atque non facile mobili nati. Sic & periclitantur hydropici, qui licet recte curati, tamen maciem viriumque languorem cum siti atque hypochondriorum tumore, (quæ pessima sane signa sunt) superstites habent. 3) Ex tempore, quo laboraverit, nam propter tempestates quasdam etiam hi morbi, qui aliis temporibus vix revertuntur ceteris paribus etiam se recte habentibus, nihilominus tamen redeunt; 4) ex curatione qua tractata fuit, si talis est quæ morbum non exstirpavit penitus. 5) Aeque ex ratione qua se habent convalescentes, si a levissimis causis læduntur, nec a salubribus juvantur. Hariolari porro eas licet recidivas, si homo imbecillus manet aut lassitudo ultro oboritur, si appetitus, præcipue si illi vires non respondent, quæ sive causæ externæ sive internæ debentur, corruptus immodicus (quoniam sæpe magis ab acido largiori quam defectu prævio & robore naturæ fit) siquidem magis congruum est, in morbis appetitum deficere quam excedere, aut prostratus, plane, nausea frequens, ventris cum ructibus vel acidis illis vel & maxime nidorosis inflatio & livor faciei, speciatim superiorum palpebrarum intumescentia perdurarunt, si spiritus male olet, si vehemens sitis orisque siccitas præsto est, si præcordia tument, si acrior

cum

cum siti percipitur æstus, si vigiliæ involuntariæ & somnus turbulentus conturbant, si deficit urinæ sedimentum; si symptomata forte occurrentia non levantur, secundum MARTIANI testimonium quod sequentibus in *Comment.* perhibet: *Si sudor non tollit febrem, sed hæc remanet tunc symptomaticus est & morbi recidiva vel ejus longitudo exspectanda.* Ad ulteriorem explicationem commemorare expedit, non solum pluviosum & frigidum præsertim atque autumnum, cœli tempestates inconstantes & inæquales atque juxta has certa loca, certas sed & hominum ætates & sexus constitutionesque & temperamenta, recidivis opportunissima esse. Sic v. gr. debiles, teneri, sensibiliores, ac incauti, ut & melancholici recidivas facile incurrunt. Conf. PETR. FORESTVS *Lib. VII. obs. 41. in sch.* Cœterum & variæ aliæ externæ injuriæ simul concurrunt. Si quæris an recidiva pejor sit morbo, hoc tibi responsum habeas, quod utique utplurimum res ita sese habeat. Hoc cum veteribus, ut HIPPOCRATE *V. Lib. de intern. affect.* GALENO *L. III. de Cris. C. II. & L. I. de dieb. decret. C. I.* AVICENNA *ten. II. L. IV. tr. I. C. XCV.* plures nostrum pro vero accipiunt, neque nos ambiguum habemus. At enim vero, non diffitemur, ita censere, e re esse ut limitatio, (quanquam statutum alias firmumque sit, repetentes & recidivantes morbos, esse deteriores) quædam habeatur, ratione nimirum eventuum variorum & morborum & ægrorum diversitatum, occurrentium. Nam juxta illud, quod SYDENHAM omnem morbum, laudabilem naturæ conatum dixerit, & plurima ex parte recte dixerit, salutares quidem recidivas quandoque videbis, quando scilicet natura morbosas reliquias evacuat, v. g. arthritidem sanguinem depurantem recidivantem, si repuleris, periculum & mortem accerses, quare quandoque necesse habemus per remedia recidivam v. g scabiem, podagram &c. retrocessam revocare procurareque; videbis insuper & pertinaciores & atrociores atque funestas recidivas ex apoplexia, lue venerea ex interna inprimis causa, febribus intermittentibus maxime quartana, hectica, hydrope, peste. Atque ut nullius fere affectus facilior recidiva quam pleuritidis ita & nulla periculosior est. Denique hoc scire licet, quo morbi citius revertuntur & quo vires simul infirmiores sunt, eo pejus esse. Casus quoque mere chirurgici quidam præter illos, quos jam adduximus occurrunt, qui recidivam patiuntur, ut luxationes præsertim. Inter has modo eam commemoremus, quæ os femoris sæpe divexat: Equidem vix fieri potest ut hoc os, ex acetabulo ossium innominatorum externa quidem vi dimoveatur, propter vastos musculos ac crassiora atque firmiora ligamenta,

menta; articulum contegentia atque communientia; ſed hanc luxationem accidere poſſe, ex affluxu humorum nimio, cui femur præcipue patet, potius reputandum eſt. Finitimi recidivis varii caſus ſunt, hi plus, illi minus ab hiſce differentes, quod HIPPOCRATES indicaſſe videtur, quando *Lib. I. Epid.* dicit, quod morborum alii fuerint recidivantes; alii redeuntes ſive ingraveſcentes &c. Tales & alii plurimi apud veteres juxta HIPPOCRATEM, AVICENNAM, GALENVM &c. atque TADDAEVM Florent. *Comm.* in *Aph. XII. Sect. II. Hippocr.* PETR. APONENSEM, *Diff. 180.* JACOB FORLIVIENSEM *Quæſt. 23. in 2. Aph.* aliosque occurrunt. Ejusmodi ſunt epigeneſis, metaptoſis, metaſtaſis, diadochis, transfuſio, apoſtaſis, palindromia. Rurſus differentias inter recidivas & primum morbi inſultum & morborum aliorum exacerbationes formant, Has nominaſſe ſaltem nobis ſufficiat, ſingulas enim longius explicare non vacat. Conf. MATTH TILINGIVS *Tr. de Recid. Cap. VII. usque ad Cap. XVI.*

§. XV. Singularum modo partium corporis vitia proponenda & a capite quidem incipiendo, notamus, ſcotomiam moleſtam oculorum ſphæricam figuram amiſſam ut quaſi collapſi ii appareant; aurium tinnitum, auditus gravitatem, ſurditatem omnimodam, capitis algorem, memoriæ abolitionem, imo totalem perditionem familiarem eſſe iis, qui ex morbis variis diuturnis febribus præſertim tertianis atque quartanis nec non acutis, hungarica maxime atque ex affectibus ſoporoſis reſurgunt. Thucydides refert de febre quadam peſtilentiali, quod omnes qui ea laboraverant, obliviosi facti fuerint. Mentis emotionem ab apoplexia relictam tradit G. MOEBIVS *Inſtit. med. Lib. III. P. III. c. III.* Dein vigilias involuntarias nec non ſomnum aut diuturniorem, aut turbulentum, irrequietum, terroribus & inſomniis moleſtum nominemus, quo ſimul monemus, aliquando poſt violentos morbos, ſomnum modum excedere, ſed eum conducere, quatenus defatigationi corporum conformis eſt. Porro monendum cenſemus omnes ſpecies affectuum ſoporoſorum poſt cephalalgiam diuturnam in ſpecie apoplexiam poſt tormina ventris (quæ ſemper aliquid monſtri alunt) ac lethargum ex phrenitide, & hydrope, poſt abſceſſus male judicatos, qui recrementa morbida, in ſanguine relinquunt, quæ deinceps in cerebro deponuntur, atque diſcuſſa apoplexia hujus vel illius partis, paralyſin cum labiorum tortura, linguæ balbutie, imo memoriæ debilitate ac animi ſtupore ſequi. Obſervavimus, variolis jam exſiccatis, juvenes quosdam, ſubito apoplexia eſſe extinctos. Catalepſin poſt ægritudines tempore reſumtionis inor-

ordinate atque impatienter agentibus facile obvenire scribit, Coelius Aurelianus *de Morb. Acut. Lib. II. cap. X. §. 66.* Ex melancholia in maniam & vice versa, facilis admodum fit transitus, cujus ratio ex eo deducenda, quod in utroque affectu meningum cerebri vasa, viscido sanguine infarcta sint, cujus in melancholia tardior & difficilior, celerrimus vero in mania est progressus propter auctam meningum stricturam, quæ fortius sanguinem trajicit. Quoniam vero intensus ejusmodi spasmus languorem parti affectæ & flaccidæ redditæ imprimit, post maniam debilitas ejus subsequitur fere perpetua & difficilis tardusque per has partes progressus fit. Dolores atrociores & diuturni universum nervorum genus, adeo debilitant, atque tonum partium quæ sensui & motui dicatæ sunt perdunt, & epilepsiæ & paralysi aliisque nervorum affectibus occasionem dant. Documento esse potest passim obvius gravis ille intestinorum dolor, colica convulsiva, cui frequenter paresis succedit. Inter quamplurimas hac de re observationes ea notabilis est, quæ apud Aeginetam legitur *Lib. III. p. 251.* Referunt, plica Polonica abscissa atque curata frequentius demum paralysin, cæcitatem, ossium malam conformationem obvenire, ob humorum excrementitiorum, in massa sanguinea coacervationem & crassitiem ac acrimoniam eorum inductam. Nimia narium hæmorrhagia, ad capitis dolores, tumores, vertiginem, aurium tinnitum, ophthalmiam & apoplexiam disponit. Sic notum pariter est, e longo intervallo prægressos quosdam morbos, imprimis in ætate senescente, varios insequi. Apoplexias paralyses & ejus species vertigines scotomias, suffusiones catarrhales, visus debilitates auditus gravitates oculorum conformationem depravatam, nunc adducamus; expertum enim est post morbos diuturniores evenire quandoque in quibusdam subjectis ut oculi sphæricam figuram amittant & quasi collapsi appareant. Referunt *Ephem. N. curios. D. III. An. II. obs. 260.* in febre continua quadam convalescente, subsecutam fuisse pupillarum oculorum amborum enormem intumescentiam & dilatationem, aspectu horribilem, cum pruritu molestissimo & destillatione serosi humoris magna. Alia quoque oculorum ac visus vitia, ut situm perversum ac distorsiones, strabismum, guttam serenam totalemque cœcitatem, indicanda. Talia ab epilepsia graviori non raro inducuntur. Post morbos acutos inflammatorios capitis remanet subinde amaurosis (ut & surditas) tota vita incurabilis forte quod obstructis inflammatione majoribus canalibus minores inde derivati, compressi & collapsi concreverint. Refert Tulpius *in Observ. Lib. IV. p. 361.* ex variolis & peste convalescentibus ac jam

recreandi causa in publicum egressis ex inopinato sive ulcus in adnata oculi tunica, sive caliginem in pupilla, aut aliud glaucoma prorsus immedicabile accidisse. Nec desunt depravationes gustus atque sapores molesti. Aurium intensum dolorem, cum febri acuta & cœteris aliquanto gravioribus signis, jam ad suppurationem cum delirio minus vehementi redactum, multis ætate provectioribus incurrere, docet HIPPOCRATES *Coac. prænot. tex. 189. & tex. 256.* vocis defectiones cum virium exsolutione a febre acuta notat. Observatum est, hemicraniam post puerperium sæpissime cœcitatem & quandoque phrenitidem relinquere. Catarrhi multorum morborum præsertim luis venereæ curatæ sunt soboles. Polypus narium ex ulcere narium curato, in pituitosis atque sero glutinoso mucido abundantibus, non raro inducitur. His adhuc addimus, pilorum & capillorum defluvium quod patiuntur, illi qui ex morbis vehementibus acutis chronicis, hecticis, tabidis, aut ab aliis atrophiis, febribus ardentibus, cephalæa, lepra, lue venerea, dysenteria, similibusque in quibus serum corrosivum peccat, convalescunt, idem accidit iis, qui inediam diuturnam passi sunt, & qui a venenorum potu corrupti ac a coitu immodico languent. Hoc forte adscribendum diversæ tunc cutis conditioni & statui: Durantibus scilicet morbis ex arescente cute, adeo nullum ad radices pilorum nutrimentum admittitur; cessantibus vero morbis, fibrosæ pilorum radices iterum emollitæ, uberius nutrimentum capiunt, quo pili prius exsiccati, foras protruduntur. Observatur &, quanquam rarius casus barbæ. Conf. LOTTICHIVS *Obs. Lib. IV. cap. II. obs. 2.* ex venenorum potu. Ex morsu serpentis capillos tabe quadam putrescere, & interire tum superciliorum & palpebrarum pilos defluere testatur AELIANVS *Lib. XV. Hist. Anim.* AETIVS *Tetrabib. 4.* SENNERT. *l. c. XXVIII.* de salmandra DIOSCORIDES *Lib. II. cap. LIV.* & PLINIVS *Lib. X. Nat. Hist. Cap. LIV.* & PLIN. *Lib. XXIX. cap. IV.* tradiderunt. Videbis & defluvium hoc a longiori in lecto decubitu apud eos frequentius, qui sub morbi cursu faciem stragulis nimis & frequentius justo, cooperiunt. Notatu dignum est, ex capitis dolore, in ea parte quæ doluit crines decidere.

§. XVI. Ad morbos pectoris & thoracis pertinet primario cordis palpitatio ex debilitato nervoso genere oriunda. Dehinc hydrops pectoris, qui sæpe post asthma convulsivum suboritur, sive ruptis, sive etiam contortis in thorace vasis lymphaticis hincque libero sanguinis per pulmones itinere intercepto, ex quo seri per meatus patulos in pericardium ac incavitatem thoracis expressio urgetur, sequatur. Similiter

syn-

ſyncope quam cardiacam vocant huc venit referenda, quæ ſi frequenter incurrit præcipue in vehementer debilitatis, mortem repentinam ſolet inferre. Dein occurrint aſthma, quando præſertim ægri affectibus catarrhalibus & pectoris laborantes electuariis dulcibus, copioſis tractantur, vel expectoratio præmature adſtringentibus inhibetur, atque adeo convulſivum, hypochondriaca paſſio & ſcabies, ſanatione inepta retropulſa, parit. Infarctus pulmonum unde catarrhus ſuffocativus profectus quandoque viſus eſt, ſi convaleſcentes a variolis & morbillis ſpeciatim nimis cito frigori ſe expoſuerunt, perſpiratione nimirum negata aut crudo victu ventriculum oneraverunt. Item a morbillis præ ipſis variolis ut & tuſſes diuturnæ, peripneumoniæ ſæpius præſto ſunt. Iidem rurſus improvide tractati & quando excretiones alvinæ, vel etiam tranſpiratio inſenſibilis poſt morbum non debita arte procurantur, ſæpiſſime aſthma ac pulmonum infarctum a viſcido acri humore relinquunt. Phthiſis, ulcus & vomicæ pulmonum ac tabes, poſt hæmoptyſin, ac hæmorrhoides adſtringentibus intempeſtive & ſuppreſſas frequenter inſequuntur; tunc enim præcipue in hæmoptyſi ſanguis tenuis ac floridus craſſeſcit, putredinem concipit, vel ſeroſus humor ſecedit tuberculaque ingenerat. Eadem accidit poſt pleuritidem vel peripneumoniam male curatam tuſſim diuturnam, & ſtillicidium frequens pituitæ in pulmones largas profluxiones ſanguinis, item ex apoſtematibus internis, diarrhœa, dyſenteria, diabete, hydrope, ſudoribus immodicis, ſcorbuto, hypochondriaca affectione, calculo renum ac veſicæ, febre quartana, & ex doloribus immanibus, lue venerea, gonorrhæa virulenta, fiſtulis antiquis, fluore albo, chloroſi, ſuppreſſione menſium, arthritide, rheumatiſmo, febribus, ictero. De pleuritide ſingulares obſervationes proſtant, eos nimirum plethoricos, qui contuſiones graviores paſſi & quibus membra fracta fuerunt, poſt reſtitutionem pleuriticos fieri. Eandem ſolutam in abſceſſum vel empyema tranſire jam dudum HIPPOCR. paſſim ſcripſit ut in *Aph. VIII. Sect. V.* ſequentem in modum: *Quicunque pleuritidi expectorabilem materiam intra quatuordecim dies non excludunt, iis in empyema degenerat, & Aph. XV. Quicunque a pleuritide empyici redduntur, ii liberantur, quando finem expectorandi intra quadraginta demum dies faciunt, intra quod tempus rupta eſt pleuritidis vomica liberantur, ſin minus, in phthiſin degenerant.* Neque etiam rarum eſt, poſt variolas & morbillos præſertim perperam tractatos, gigni in thorace inflammationem, quia hi morbi nunquam non pulmonibus infeſti eſſe ac in iisdem labem & imbecillitatem relinquere ſolent. Ex lethargo convaleſcentibus quandoque in pectore ſuppuratio

tio nascitur. Ab excretionibus variis ad cutem & artus laudabili quodam naturæ conatu, ut in scabie, podagra, retropulsa frequentissime catarrhus suffocativus præsto est. Addimus, fœminas, quæ ex uteri passionibus ægrotabant, sæpius in morbos varios thoracis incidere.

§. XVII. Circa morbos viscerum abdominis sequentes recenseantur observationes. Nimirum solet quam maxime a morbis graviter affligentibus, ventriculo præsertim & intestinis debilitas accedere, unde chylificatio læditur, appetitus enim minuitur, digestio perit, cruditatum fit cumulus, egestiones alvinæ non recte procedunt, & sic æstus præternaturalis corpus ejusque vires lente consumens exsurgit, phlogoses & anxietates irruunt & omnia in perniciem labuntur. Hinc etiam mirum videtur quod appetitus sæpe adeo prostratus sit, ut licet per totum morbi cursum parum assumserint, tamen nullum prorsus famis stimulum sentiant funesto quidem indicio, quod etiam in annonæ caritate laborantibus habetur, si postmodum, cibos ad satietatem ingerant utplurimum moriuntur, & cibis ore manibusque detentis exanimes prosternuntur: Nec mirandi causa est, sanguinis enim partes tantum crassiores relictæ, vappidæque redditæ sunt atque tota massa sanguinea particulis balsamicis exhausta, spiritusque animales depauperati, qui non sufficiunt ad functiones ejusmodi instituendas. Econtrario quandoque fames canina & bulimus se prodit, qui inconsueta appetit atque facile in affectionem cœliacam aut in dysenteriam aut hydropem terminatur. Raro tertiana atque maxime quartana, febres, quiescere solent, sine vitio aliquo visceribus, præsertim hepati, pancreati & lieni imprimis obstructione vel dolore vel duritie & subsequente hydrope illato. Vix ullus morborum frequentior est quam spastico flatulentus ille multis & variis pathematibus stipatus affectus hypochondriacus & in fœminis speciatim hystericus. Nam si elongatus ille alimentorum canalis nerveo membranaceus adeoque maxime sensilis, a morbo præcedente læsus atque tonus & motus quem peristalticum nominant destructus, aut crusta villosa, per quam chylus transcolatur omnis, aut glandulæ solventem lympham præbentes obstructæ, aut bilis, quæ chylum corrigit, depravata, non potest non digestio & alvinarum fæcum exclusio decens impediri, multique humores crudi viscidi ac corrosivi, nervosas illas partes vexantes colligi, ex quo dein per consensum generis nervosi quoque debilitati anxietates, inquietudines maximæque molestiæ atque dolores in variis corporis partibus in capite, thorace, hypochondriis atque abdomine insequuntur. Is non frequentius ingeritur quam ex febribus ardentibus

dentibus atque intermittentibus, præcipue tertiana, quæ fomitem ſuum in ductibus bilariis, pancreatis ventriculi atque inteſtinorum valvulis ac flexuris imprimis habent, per conſtringentia medicamenta præpoſtere ſuppreſſis, præſertim ſi diætæ vitia ſimul committantur, ſi præſertim poſt morbos emaciantes, plus juſto ingerant, ut inde nutritio etiam plenior juſto reddatur, aut animi paſſionibus frenum non injiciatur. Flatus pertinaces moleſti & dolorifici, & turgidus corporis habitus, ab atonia præcipue inteſtinorum pendens eorumque periſtaltico motu, cujus vigore flatus & alia in inteſtinis contenta inferiora verſus pelluntur, cum anxietatibus præcordiorum, & non raro ſudoribus frigidis, in caleſcentia facile ſtipati, poſt febres intermittentes æque china chinæ & ſimilibus præpoſtere tractatas incurrunt. Hi quoque vexant eos, qui a morbis immodice ſe ſatiant, ex quo multæ cruditates gignuntur, & quibus atonia ventriculi & inteſtinorum a morbis relicta eſt, ac motus periſtalticus imminutus: tunc enim flatus non promoventur, ſed detinentur intus, partes diſtendunt & dolorem inſignem efficiunt. His conſimiles ructus junguntur, qui ſicuti in declinatione plurimorum morborum fere ordinario ſe produnt bono quidem ſigno, redeuntis ſcilicet coctionis quam vocant, in ſtomachum, indicio. Ita & illis abactis adhuc perſentiuntur, maxime poſt fluxiones alvi diuturnas, ut choleram, dyſenteriam, lienteriam. Singulare ejusmodi exemplum BORELLVS recenſet *C. I. Obſ. 62. No. 65.* de cive quodam, e Monte Peſſulano, oriundo, qui ex morbo ei relicto ventriculo debili ructu diuturno per vitam moleſtatus eſt, ut frequenter inter duo etiam vocabula, ructum ediderit. Non ſolum autem moleſtus verum etiam quandoque nocivus eſt talis ructus ſi diuque durat, præſertim, uti ex obſervationibus conſtat obnoxios colicæ, hydropi ſicco & humido cachexiæ vomitui & diarrhœæ reddit. Conf. SENNERTVS *Lib. III. P. I. S. II. cap. XII. Prax.* Conſimilis affectus mentio facienda, qui tympanitis vocatur, quæ longis pariter febribus ſuccedit. Ob hanc poſt morbos diuturnos maxime febres inductam inteſtinorum atoniam (quæ originem ſuam maxime a defectu laudabilis fluidi nervei & ſanguinei ducit) ut & ob ſanguinis & lymphæ craſin admodum vitiatam, nec minus menſtruum ventriculi languidum ac iners vitiisque hinc digeſtionis pronatis inteſtinisque viſcidis & acidis ſordibus impletis, colica frequenter admodum torquet. Præter hæc, nihil ſingulare eſt, ſingultum, poſt morbos inprimis ventriculi & inteſtinorum invadere; ſingulare vero videtur, quod ex multiplici obſer-

vatione Helvetici cujusdam Practici Famigeratiſſimi quondam audivi eum, nempe ſingultum ſemper fere ægros pariter & convaleſcentes moleſtare ſi pedum eryſipelate detenti, ſupini jacuiſſent. Dyſenteria reluctati, per multum temporis ſpatium moleſtantur teneſmo. Poſt ſcabiem, podagram ſimileſque excretiones maxime in acutis morbis, parum prudenter præcipue ſanatas atque retropulſas ventriculi & viſcerum inflammationes, frequenter ſe manifeſtant. A diarrhœa & dyſenteria neglecta vel intempeſtive adſtringentibus repreſſa, immedicabilis ſæpe inteſtinorum læſio ac eroſio, atque malum ſic dictum hypochondriacum relinquitur. A lienteria lævitas accidit inteſtinorum, quando ſcilicet rugæ illorum delentur, atque lympha inteſtinalis nimis glutinoſa reddita, rugoſitatem oblinit. Ex obſtructione alvi pertinaci atque iliaca paſſione convaleſcentes, diarrhœam poſtea experiri haud ſimplici vice obſervatum eſt, quoniam copioſa exhibita laxantia demum ſuum edunt effectum. Rurſum alvi ſegnities poſt varios diuturnos morbos, febres intermittentes, alvi fluxiones, ſi forte china chinæ & meris terreis & adſtringentibus medela quæſita eſt, oritur. Eam & Berevovicius obſervavit, quando juſculis ſaltem aliiſque tenuibus cibis veſcantur convaleſcentes, ſimul vero diætam ſolidiorem ſubeant, mox quoque alvum fluidiorem reddi, quod præbeatur ſic fæcum materia, quæ ex victu tenui non poterat remanere. Per ſanguinem in morbis longioribus ut phthiſi &c. plus juſto conſumtum, ut & ex enormibus hæmorrhagiis multæ chronicæ paſſiones ſpeciatim hydrops inferuntur, cum obſtructionibus viſcerum & ſtagnationibus, hinc præter illud, quod vaſa concident, inde ac ſpaſmi ipſaque mors inſequuntur; nam vires ſimul cum ſanguine pereunt, qui ſanguis materia pabulum & vehiculum ſpirituum eſt, a quibus vires totius corporis motrices unice dependent; Hinc juxta æquilibrium admodum neceſſarium, in motum illum contractorium, in nervoſis & membranoſis partibus vigentem ac reſiſtentiam ſanguinis qui in vaſis vehitur ſublatum, motu debito humorum ceſſante, qui ſyſtole & diaſtole perficitur, qui vitam conſervare debet, ſanguinem circulando & heterogeneas partes, per debita emunctoria evehendo, cruditates copioſæ eliminandæ, in vaſis accumulantur, adeo, ut ſuccos forte advenientes non poſſint bene ſubigi atque aſſimilari. Et quoniam ſic ſerum crudum minuſque ſpirituoſum venas replet, languores, lenti calores, tumores, catarrhi, cachexia, atrophia, hydrops, paralyſis, ſopores oriuntur, qui peſſimi pediſſequi pariter ex aliorum humorum laudabilium ut

jux-

juxta lympham, seminis, salivæ perditione, ex fluore albo, item atque ex nimia salivatione sequuntur. Hydrops etiam & præsertim ascites ex asthmate spasmodico diutius affligente, quod validiori diaphragmatis spasmo potissimum oritur, ex nulla alia ratione, quam quod vehementi constrictione portionis diaphragmatis nervosæ, cui hepar & vena cava adhæret, sanguinis recursus ad cor, valde retardetur, & sanguis præcluso transitu ad inferiora tendat ibique & maxime in portæ vena stagnet. Eadem mala ex febribus ardentibus & intermittentibus longioribus figentibus nimis tractatis, si tonus partium solidarum debilis & laxior justo, male adhibitis eum magis laxantibus oleis, diluentibus, humectantibus, demulcentibus &c. debilitatus fuerit, ita BAGLIVIUS *de M. solid. p. m. 418.* hydropem vidit in viro nobili ventriculi languore febricula & ictero flavo laborante, a copioso oleo amygdalarum dulcium potato. Sequitur ordinario nimirum sanguinis fluxum sive menstruum sive hæmorrhoidalium sive etiam ex naribus & aliunde e vulneribus &c. Conf. HIPPOCRAT. *Epid. 6. T. 9.* Et sæpissime post exactas variolas corruptæ lymphæ particulæ ad partes corporis extremas copiosæ amandantur, & spirituum influxus a tono partium affectarum diu nimisque distento, non possunt excerni. Ascitici utplurimum fiunt tandem ii, qui ex vomitu & dejectione cruenta nigra, per alvum reconvalescunt, hypochondriaci præsertim & scorbutici, & qui scirrhos gerunt in hypochondriis. Chlorosis quoque subnascitur, a diuturnis morbis a sanguine compactiori ac vappido. Ex mictu cruento, inflammatione renum & eorum ulceribus convalescentes fiunt calculosi, quoniam renum substantia est corrupta. Renum dolores relinquunt frequenter infantum epilepsiæ. Ut nullum dubium est, quin variolæ & internas humani corporis partes occupent easque vitient, ita & annotatum est, præter alia mala sterilitatem speciatim mulierum, a cicatricibus relictis inductam fuisse. Phimosis a cicatricula a morbillis in præputio relicta, interdum accidit. Fluor albus mulierum, in quibusdam post morbos longos infestat. Paucis addendum quod vel ex muliercularum observationibus annotatur, abortum non modo laxitatem uteri sed & multa alia mala post se relinquere eumque monstri aliquid utplurimum monstrare. Quidam etiam senes post morbos calidos concitati sunt ad salacitatem & pollutionem nocturnam. Arthritides & rheumatismi quoque frequenter observantur. Quod ad ossium medullæque (quæ secundum BOERHAV. *in Aph. de Cogn. & Cur. morb. p. 73.* se habet in ossibus, ut ce-

rebrum in cranio) morbos pertinet, ſcire licet, ſpeciatim præter alia mala atque læſiones, ut ulcera, fiſtulas, cariem, luxationes, nonnunquam, præſertim a ſcorbuto, accidere, oſſium ſtrepitum, quem me aliquando obſervaſſe memini, in ægro quodam cholera laborante, qui per tres menſes fere de nullo alio conquerebatur incommodo, niſi quod quandoque ſentieri ac audiveri, ac ſi oſſa pedis non ſecus ac in ſceleto ſe invicem allidereritur. Apud alios quoque legitur non modo oſſa pedum & brachiorum, ſed & vertebrarum dorſi, ſtrepitum edere Conf. WILLISIVS *Oper. p. 621.* Oritur hic & ſine dubio ab oſſium ariditate, & medullæ & humoris roſcidi in poris imprimis eorum capitulis contentæ abſumtione. Frequentius variolas & arthritidem, luem veneream, ſpina ventoſa & oſſium caries ſequuntur.

§. XVIII. Morbi qui tota occupant corpora primario ſunt febres hecticæ & lentæ, quæ oriuntur maxime poſt continuas ſumme ardentes tertianas, duplices, ſi eæ perverſa methodo, per adſtringentia & nimis calida tractatæ fuerint. Naſcuntur quoque eæ, a ſuppreſſis ſudoribus a variolis atque morbillis, item a ſumma virium debilitate, ob præcedentes præſertim enormes hæmorrhagias, ut & diarrhœas & dyſenterias, fluorem album imprudenter & intempeſtive per adſtringentia repreſſas. Semitertiana quoque interdum morbos diuturnos excipit. Notabile quoque eſt, curata podagra, ſæpius quartanam invadere, & vice verſa hac curata podagram; ambæ enim ſuſcitantur, a ſale cauſtico vellicante & ſtimulante ad ſpaſmos, non in ſola acido-viſcida materia radicata, ut communis fert opinio, nam hypochondriaci ſenes, menſibus obſtructionibus laborantes fœminæ, & quicunque delectantur acidis viſcidisque cibis, rarius quartana laborant. Exinde & ſolvitur ſæpius ſcabie vel abſceſſu; Hæ cruditates potius ſunt ſalis tenuis cauſtici illius, nidus & ſubjectum, hinc & ea medicamenta, quæ acidum viſcidum corrigunt, vix feliciter curant quartanam, ſed ea in auxilia quoque ſunt vocanda, quæ tranſpirationem materiæ acris, tenuis, per poros cutis ſimul adjuvant. Hanc in hypochondriacis melancholia hypochondriaca, hydrops, icterus; in macilentis hectica, in ſenibus maraſmus & affectus ſoporoſi, in cachecticis tumores œdematoſi, ſequuntur. Proſtant exempla, convaleſcentibus ex variolis exquiſitis, ſpurias mox acceſſiſſe, ut & illas quidem febribus lentis & diarrhœæ quoque ſucceſſiſſe, quod mirum videri poſſet, cum hi morbi tamen, partes fluentes, maſſam ſanguineam

guineam corrigere debuissent. Ex sedula observatione & hoc haustum habemus, illos sudores præternaturales nocturnos contingere, si forte febres non rite per debitos sudores finitæ fuerint, atque illorum paroxysmi, negligentia utplurimum ipsorum ægrorum frigus incaute admittentium, aut ante debitum tempus mature nimis, ante finitum sic paroxysmum, aut sudorem lectum relinquant. Largiores sudores nocturni, si modo lecti calore, incalescant convalescentes admodum debilitantes, ex viribus fractis sæpius proficiscuntur, quoniam cutis, universum corpus investiens glandulosaque ejusdem loca atonia, debito robore labefactato laborant, qui haud raro colliquationem tabemque accersunt. Aliquando & sudores frigidi ob eandem naturæ debilitatem observantur V. HIPPOCRAT. *L. I. de Morb. §. 58.* qui pessimi utplurimum sunt, præsertim quando interiora ex inflammatione ardent, unde idem *S. IV. Aph. 37.* item in *Prog. C. II. f.* eos, cum febre acuta, mortem indicare affirmat, in minori autem morbo, ejus longitudinem.

§. XIX. Sequuntur inprimis in variis partibus varii tumores, abscessus, ulcera atque apostemata, si dolores membra manus pedes &c. præ aliis invadunt, exspectanda. Nam ubi propter virium debilitatem præsertim multi nocivi humores cumulantur, nec debito modo & tempore expurgantur teste AETIO *Serm. XII. Cap. VII.* & GALENO *Com. IV. Aphor. 45.* fit, morborum causarumque morbificarum ex locis interioribus ad ossium receptacula, ad articulos metastasis, bono non raro naturæ molimine, quam sane frequentissimam esse, multiplici observatione constat; præsertim in hæmorrhoidum consuetarum aut menstruæ purgationis suppressione, ut & a colica, dysenteria & febribus maxime chronicis, ut jam annotarunt HIPPOCRATES *IV. Aphor. 44. & Lib. VI. Sect. IV. de morbis popularibus*, AVICENNAS *Lib. III. Ten. V.* SAVONAVOLA *Tract. VI. Cap. XXII.* VICTOR TRINCAVELLVS *Lib. XII. de Rat. cur. hum. corp. affect. Cap. I.* C. CELSVS *Lib. IV. Med. Cap. XXII.* AVERRHOES *Lib. VII. Collig. Cap. XXXI.* HIER. CABVCINVS *Com. de Podagra.* Post affectus soporosos paralyticos & hemiplecticos, atque ejusmodi cerebri & medullæ spinalis ægritudines, juxta cachexiam, febres lentas, in variis partibus exulcerationes, erysipelata, dolores rheumatici proveniunt, quoniam in his affectibus progressus sanguinis & humorum languidior languidam sæpe secretionem seri superflui impuri inducit, unde fit, ut summa subnascatur impuritas. Tumores etiam tales

tanquam morborum reliquiæ, vel ab inepta medicatione vel malo ægrorum regimine, obſtructionibus factis, relinquuntur, ſpeciatim tumores artuum, a ſcabie ſanata quandoque obſervantur. Phrenitidi curatæ omnium familiariſſimi tremores artuum ſunt. Maniam & inſaniam frequenter dolores quidam vagi, varias partes excruciantes, modo pectus modo alterum pedum, modo utrosque, ſequuntur. A variolis & morbillis non bene repurgato corpore, vappeſcentiaque contracta atque ſuccis corruptis viſceribusque ſic gravi labe vitiatis, maligna varia ulcera, in oculis, artubus &c. propullulant. Speciatim morborum chronicorum & tardorum, qui labem notabilem variis partibus corporis imprimunt, habeatur ratio ac commemoratio circa quam rem G. BAGLIVIVS notat in *Op. p. 615.* in morbis diuturnis ſemper proſpiciendum pulmonibus & renibus, ob rationes, quas fuſe ſimul explicavit.

§. XX. De Diagnoſi hic pauca modo referantur: ſigna morbi præteriti ex effectis relictis poſt læſas partes ſolidas pariter ac fluidas ipſasque functiones petantur; morborum vero præſentium ſigna, eorum cauſas, naturam, ſtatum, ſymptomata, eventum ſpectant. Signa imminentium morborum ſunt, actionis mutatio, fames, ſitis, ſomnus, vigiliæ ut & excretorum nec non, viſus, olfactus, guſtus mutatio, laſſitudinis & doloris cujusdam ſenſatio; ut & pulſus atque urinæ mutatæ v. gr. ſi hæc perturbata non ſubſidet humores adhuc in perturbata motione, & ſolutione & miſtione depravata ſubſiſtere indicium præbet &c. Equidem in pulſu ſæpe (& urina) nullum fere ſignum aut mutatio apparet, niſi quod pulſus debilis obſervetur. Ad ſpecialiora deſcendere non vacat, qualia ſunt: Si convaleſcentibus ſanguis, per quas vias etiam fiat, per febres erumpat humidam alvum promittit Conf. HIPPOCR. *IV. Aph.* 27. Abſceſſus fiunt in illa parte quæ laborat Conf. iterum HIPPOCR. *XXXII. Aphor.* qui *L. de Hum. Sect. II. 10. p. m. 61.* quoque dicit, quod pedes calidi infra, futurum abſceſſum frigidi vero ſupra denunciant, & ſi ſtatim in manibus & pedibus dolores contingunt in his abſceſſus oriuntur. Convaleſcentibus, ſi dolores caput, membra, manus, pedes &c. invadunt tumores ibi ſunt expectandi &c.

§. XXI. Cognitis recte præſentibus ſignis, ſymptomatibus, quæ morbos comitantur, non conſiſtat medicus ſagax & induſtrius; verum etiam prognoſin formet, quæ monſtrat vel eventum atque tempus certum fixumque

xumque terminationis, vel modum & durationem. Hæc certe majoris diviniorisque contemplationis eſt, qua prævidet ſingula certioresque ægros & adſtantes reddit, quo præſagio famam perpetuam fidemque eorum atque fiduciam ſibi medicus conciliare poteſt. Ad curationem quoque probe perficiendam non leve hæc cognitio momentum ſuppeditat, cum exploratis viribus ægri exploratoque præfinito morbi exitu, exacta collatione habita, qua ratione diæta præſertim ſervanda atque victus liberior vel parcior præbendus ſit. Generatim quidem HIPPOCRATES nihil boni ſperare dixit *L. de affect.* dicens: *Morbus cum alter alteri ſuccedit, plerumque occidit, rationemque afferens: cum corpori a morbo debilitato alius morbus acceſſerit, præ imbecillitate perit*: Quoniam malitia redit, naturaque debilis eſt; pro morborum tamen indole variat horum prognoſis: Alii eorum brevius leviusque cedunt, alii non modo diuturniores; ſed & periculo pleni exiſtunt. Ibi nimirum, ubi cauſa atrocior pertinaciorque fuerit, qui diuturniores morbos & ſumma debilitas, per illos, ſequatur, atque efficiant, qui internas & nobiliores partes obſident. Vix ac ne vix quidem curati medelam inter omnes admittunt, ubi partium conformatio alterata ac vitiata exinde fit. Ad hæc porro notetur, morbi reverſionem tutiorem eſſe, ſi malam victus rationem tantummodo ſecuta recidiva, & non relictum a priore morbo vitium ſubeſt, & quo citius revertitur morbus, & quo vires ſimul infirmiores ſunt eo eſſe pejorem. Si appetitus conſtat ſpes optima eſt. Ejusmodi conſideratio hic pro hac generali tractatione ſufficiat, ad ſpecialiora enim deſcendere longiſſimum foret; legantur tamen aliquæ ſaltem de multis obſervationes, quæ commode in mentem incidunt: Hydrops, ſi ex febribus & continuis morbis oritur, malus eſt & lethalis, quoniam magnam humorum colliquationem & viſcerum exſiccationem arguit, ille vero, qui ex chronico quodam morbo v. gr. chloroſi aut febre quartana atque ab infarctu ſolo viſcerum oriri videtur, (adeoque facilius quam illa indicata vitia corrigi poteſt) felicius curatur. Tuſſis ſi variis morbis ſe prodit fere periculoſa habetur. Sic paralyſin paſſi raro priſtinæ ſanitati reſtituuntur, ut & qui anhelatione, memoriæ debilitate & ſopore diu laborarunt. Pariter curati a cancro occulto cito intereunt obſervante P. M. ROSSIO *Conſult. & Obſ. chir. p. 145.* Poſt longos morbos vertiginem tenebricoſam cum parvis tumoribus malum exitioſum prænunciare conſtat, cum apoplexia & epilepſia frequenter ſequantur. Abſceſſus ſi tempore hyemali ſubveniunt, (ſubveniunt vero

ro, tum frequentiſſime) tardius quidem ceſſant, ſed non adeo facile recurrunt. Hi eo mitiores cenſentur, quo longiſſime a morbo fiant conf. HIPP. *Lib. II. Epid. Sect. I.* Abſceſſus quoque meliores ſunt, qui deorſum fiunt ex obſervatione ipſius *Epid. 2. Sect. I.* confirmat idem GALENVS *6. Epid. 5. com. 14.* Ideo utplurimum abſceſſus in ſuperioribus excitati difficiliores ſunt, quod membra illa majus quam inferiora diſcrimen afferant, cum utraque eodem affectu vexata ſint: ſive enim cerebrum, ſive guttur aut gula, aut pulmo aut pectus aut cor inflammata ſunt, mortifera ægritudo eſt; membris infra jecur inflammatis pauci admodum pereunt, ſi recta curatio adhibeatur. Cæterum ſigna peſſima quæ internecionem præſagiunt, præſertim ſunt urina nigra, viridis & plumbea, ſumma in actionibus debilitas, virium jactura, ad pedes delapſus, pulſuum inordinatio omnimoda aut aſphyxia. Oſſium præſertim affectus inducti & inprimis ſtrepitus eorum curatu admodum difficiles ſunt. Ad hanc partem pertinere videtur, quosdam morbos aliis ſupervenientes illos ſolvi, quod vel unico ſaltem exemplo eoque lethargi abſceſſu pone aures exorto (ne alia longius adducamus) ſublati, indicaſſe hic quidem ſufficiat. Memorandum inſuper eſt, dari affectus quosdam cum quibus valetudinarii diu conflictati fuerunt, qui ſi ſubito & ſine evidenti cauſa ceſſant, alium graviorem morbum ſæpiusque ſummum vitæ periculum ſignificant. Sic notat DOLAEVS *Encycl. chir. Lib. I. cap. 10. p. 75.* diuturnis oculorum affectibus obnoxios, ſi ab iisdem ſubito liberentur, raro ſolere annum ſupervivere & *Eph. G. N. C.* referunt vid. *A. VII. & VIII. Obſ. 203. D. III.* ſurditatem in ſene ſexagenario ceſſantem, ſiniſtri lateris ſtuporem & memoriæ abolitionem ſubſequutam eſſe. De podagra aliisque alii idem obſervaverunt.

§. XXII. Prolixum nimis foret therapiam ſingulorum affectuum his pagellis recenſitorum ſecundum triplices illas indicationes ibique obſervandas præſervatoriam curatoriam & vitalem afferre, nec inſtituti ratio id patitur: proinde ſufficiant generalia, quæ in primis paragraphis ſunt adducta. Brevibus id ſaltem adhuc notemus, quod præſervatione maxime opus ſit, vel ad cauſam ſive diſpoſitionem morboſam ægrum vel utrumque dirigenda. Dein juxta illud, quod in omnibus morbis præcipue febribus curandum, ut curatio ſit conſtans, nec recidivent, generatim indolem cauſæ morbificæ præcedentis, labem affrictam atque

immu-

immutatam naturalem conſtitutionem, particularum ſanguinis aliorumque humorum, magnitudinis, figuræ, quantitatis, qualitatis, ſitus ut & ſolidarum partium, curandi modum diætæ regimen ejusque forte errores circa illud commiſſos, ſerum præſertim collectum & colliquatum, vappidum educendum, colliquationem & conturbationem avertendam relictum morboſum tollendum aut exhauſtas vires deperditas, imbecillemque corporum conſtitutionem partesque ſolidas maxime relaxatas, aliasque circumſtantias, bene attendat Medicus providus atque intelligens, quod ſcrutinium anſam dabit, indicationes ſuas formandi convenientiaque media afferendi, e. gr. a febribus intermittentibus præpoſtere conſtringentium uſu nimisque cito curatis aut potius ſuppreſſis, viſcerum infarctus, obſtructiones, ſcirrhi, lentæ febres, hydropes, martialibus, de obſtruentibus, balſamicis & ſimilibus curentur. Sic & ſpeciatim recidivæ repurgantibus, præcipitantibus & balſamicis poſſunt præcaveri. Qui fiunt decubitus per abſceſſus, partim univerſalibus diſpellentibus, partim particularibus ſubigendi ſunt &c. His etiam bene conſideratis cognoſcet, plurimos convaleſcentium morbos, methodo vulgari, vix ſanari v. gr. in inflammatione oculorum a variolis relicta, veſicatoria non bene conducunt, quia ſanguinis fervorum adaugerent & ſpirituum animalium orgaſmum efferatum redderent, aut ſi in diarrhœa poſt easdem catharcticis, ſi quis vellet curationem inchoare, male ageret; colliquationem enim humorum a reliquiis activis variolorum, item per glanduloſam inteſtinorum tunicam deturbationem augeret, potius ſedativis opiatis & roborantibus cura tentanda eſſet. Sic ubi menſes convaleſcentibus ex diuturno ſuccos conſumente morbo, aut puerperio, largiori lochiorum fluxu ſtipato emanent, inconvenienter ageret qui emmenagogis fortioribus & venæ ſectionibus eos reſtituere vellet, nihil aliud enim efficeret, quam ut per inconvenientem ejusmodi medicationem miſeras in longe majorem miſeriam, tormina ventris, cachexiam, lentas febres ipſamque hecticam funeſtam conjiceret; felicius procederet, qui naturæ tantum negotium relinqueret ac exſpectaret, donec viribus reſtitutis ſponte redeant; interim vero imbecillia languentiaque hæc ſuccis bonis viribus exhauſta ac malis & depravata digeſtione ſuccis referta corpora, blandis laxantibus ſtomachicis temperatis & juſculis nutrientibus confortet, atque reficiat, ſiquidem firmiſſime tenendum: in lentis fœminarum febribus ipſisque hecticis atque phthiſi licet ex menſium, defectu primam traxerint originem menſtruum fluxum

per venæ sectionem ac emmenagoga nunquam esse moliendum. Simili modo alvi segnities, quæ sæpius post certos morbos remanet, non purgantibus positivis sed oleosis saltem & lenientibus tollenda. Rursum imprudentiæ nota esset, si medicus, languenti ex longo morbo inflammatione laboranti, largam venæ sectionem imperare vellet. Ex consilio vero ageret is, qui pro curatione febrium lentarum post febres intermittentes suppressas ac ubi infarctus viscerum & mesenterii, ut in cachecticis & hypochondriacis, priores febres, si ipsi datum est, resuscitet, quem modum CELSUS *Lib. III. cap. IX.* describit. Pariter in præcavendis ulterioribus morbis, maxime recidivis præcipue providendum, ut omne quod adhuc noxium & morbificum relictum est, sive in ventriculo & intestinis, sive in venis substiterit, excludatur & ut succi laudabiles resarciantur; partes vero solidæ læsæ ac relaxatæ restituantur atque firmentur totaque natura præ aliis ventriculus, per congruam diætam & commoda roborantia dicta & stomachica roboretur, qualia sunt balsamica, amara, salia volatilia moderata aliisque simul mixta, ut & gummata & resinosa, ut gummi ammoniacum, hederæ, elemi, storax, terebinthina item, opobalsamum, mastiche, sandaracha, flores benzoes, ex quibus ex. gr. pilulæ compositæ e re erunt, ex extractis absinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, myrrha. Quæ juxta curationem quoque præservationi maxime inserviunt, quam in rem secretiones & excretiones probe attendantur, in quarum observatione multum certe ponitur, & causarum antecedentium materialium excretio promoveatur, viæque per quas fieri debent rite considerentur, simulque provideatur, ne commotio præternaturalis, irritatio atque confusio inducantur potius, quam exoptatus effectus insequatur. Vix silentio dimittendus est error, recidivarum occasione, quoniam mihi nonnullæ observationes suppetunt: nimirum cum idem morbus recurrit sæpius ad ea pharmaca quibus convaluerant, confugiunt quondoque haud consulto medico; verum eadem quæ prius profligaverunt morbum postea sæpissime aggravant, ideo quia non data fuerunt a medico provido atque intelligente, quando & quomodo danda essent.

§. XXIII. De reliquo utile admodum sedulaque observatione dignum quoque est, uti ntelligentis providique medici est bene omnia hic ut & alibi atque ubique attendat & historiam morborum practicam clini-

clinicam atque ex ea addiſcat, quænam accidentia maxime alterent, qualemque modum ſingula ſiſtant, in illudque ſedulo incumbat, ut in praxi obvenientes affectus, ex arte dignoſcat atque perſpiciat, ac ſimplicem quendam eorum ac non variatum a complicato & variato larvatoque diſcernat atque præcipue omni modo prohibeat avertatque ne malus in peſſimum convertatur, quoniam notum perſpectumque eſt, morbos, qui notabilem alterationem patiuntur per hanc ipſam pejores evadere. Inſuperque in malis ducat curam palliativam ſuſcipere, qua major noxa ægrotantibus inducitur. Hæc hiſtoria morborum practica rite obſervata atque expenſa, ſimul anſam dabit cognoſcendi, tam quænam morborum genera facilius in alterationes periculi plenas abeant, quam quomodo ex ejusmodi alterationibus, quæ primo quidem intuitu leviores appareant, levi autem negotio, varii & graviſſimi caſus exinde ſuboriantur.

LIPSIAE

LITTERIS EISFELDIANIS.



Sphalmata typographica conſpectiora.

pag.	linea	lege
9.	14.	*libroque*
12.	19.	*emittunt*
20.	28.	*emanantia*
21.	3 & 4	*cœnoſo, viſcido*
22.	33.	*ſolutorum*
23.	6.	*ducant -- lavent*
33.	21.	*liberas*
36.	1.	*variarum -- concentu*
41.	30.	*de tonationibus*
44.	16.	*quos*
45.	22.	*temperati*
48.	31.	*lotum*
-	37.	*lotophagites*
58.	32.	poſt decenter adde: *obſervetur*
185.	25.	*libræ*
-	34.	*ſudetis*
413.	14.	*haud* obſcura
481.	28.	*hilariis*
513.	penult.	*ab*
514.	32.	*relinquere videntur*
545.	15.	*colonque*
626.	14.	*Imperet*
-	20.	*Belgis*
658.	35.	*recreet*
702.	29.	*dyſuria*
741.	3.	*detrectantium*
764.	3.	*artuum*
827.	28.	*hac*
902.	9.	*ponderoſiores*
-	22.	*morbos*
905.	11.	*caſcarillæ, millefolii*
940.	4.	*querelæ*